STUDENTS' LIBRARY
ST. JOSEPH SEMINARY
TEUTOPOLIS, ILL.



Class .....
Section .....
Book No. .....
Accession No. .....

CURSUS

SCRIPTURAE SACRAE

AUCTORIBUS

R. CORNELY, I. KNABENBAUER, FR. DE HUMMELAUER

aliisque Soc. Iesu presbyteris

S. P. LEO XIII,

UT SANCTITATI SUAE OPUS HOC DEDICARETUR, BENIGNE CONCESSIT.

COMMENTARIORUM IN NOV. TEST. PARS I

IN

LIBROS HISTORICOS

III

EVANGELIUM SECUNDUM LUCAM

Class A
Section 2
Book No. 510
Accession No.

PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA « CASSETTE », 10

COMMENTARIUS

IN

QUATUOR S. EVANGELIA

DOMINI N. IESU CHRISTI

AUCTORE

IOSEPHO KNABENBAUER S. I.

III

EVANGELIUM SECUNDUM LUCAM

Cum approbatione Superiorum

220.1
C977c
v.32

LIBRARY FRANCISCAN MONASTERY
3140 Meramec Street
ST. LOUIS, MO.
The Catholic Theological Union
WITHDRAWN
LIBRARY
STUDENTS' LIBRARY
ST. JOSEPH SEMINARY
TEUTOPOLIS, ILL.

PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA « CASSETTE » 10

1896

Omnia iura vindicabuntur.

Fr. Pustet & Co.

New York
(L. B. 1886.)

Cincinnati O.
(L. B. 738.)

EX LIBRIS PROVINCIAE
PRO STUDIIS THEOL.
S. S. CORDIS JESU.



220
C977c
v.33

LEONI · XIII · PONTIFICI · MAXIMO

COMMENTARIOS · ISAGOGICOS · ET · EXEGETICOS
IN · OMNES · VETERIS · NOVIQVE · TESTAMENTI · SCRIPTVRAS
AD · SANCTORVM · PATRVM
ET · VETVSTIORVM · SCHOLAE · DOCTORVM
IVNIORVMQVE · INTERPRETVM
NORMAM · EXACTOS
ADHIBITIS · VBI · OPVS · FVERIT
RECENTIORVM · SCIENTIARVM · SVBSIDIIS
AVCTORES · OBSEQVENTISSIMI
SVMMO · ATQVE · INERRANTI · DIVINAE · VERITATIS · INTERPRETI
QVI · SINGULARI · DIGNATIONE · BENIGNITATIS
ID · QVIDQVID · EST · OPERIS
NOMINI · SVO · INSCRIBI · PERMISIT
PIETATIS · ET · IMMOBILIS · FIDEI · PIGNVS · EXHIBENT
SEQVE · AC · SVA · STVDIA · OMNIA
ADDICVNT · DEVOVENT
SEDIS · APOSTOLICAE · DOCTRINAE · ADSERENDAE
SACRARVM · LITTERARVM · AUCTORITATI
PRO · VIRIBVS · PROPVGNANDAE

5118

Quum opus, cui titulus est : *Commentarius in Evangelium secundum Lucam*, auctore P. Iosepho Knabenbauer S. I. aliqui eiusdem Societatis theologi, quibus id commissum fuit, recognoverint et edi posse iudicaverint, facultatem concedimus, ut vulgetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas et sigillo Societatis nostrae munitas dedimus.

Fesulis, die 15 Decembris 1894.

Ludov. MARTIN S. I.

IMPRIMATUR

Parisiis, die 28 Decembris 1894.

† FRANCISCUS, Cardinalis RICHARD
Archiepiscopus Parisiensis.

CORRIGENDA

Pag. 205 v. 24 lege ἁμαρτίας. — P. 373 lin. 9 ab infra lege continere. — P. 358 v. 27 scribe ἐρχόμενον.

PROLEGOMENA

I. — De ipso Luca.

Nomen *Lucas* merito creditur decurtatum, non a Lucilio neque a Luciano, sed a Lucano. Idque confirmatur eo quod et in inscriptione et in subscriptione evangelii aliqui codices praebent : secundum Lucanum (a ff^2 i dub ben ger for; vide explicationem infra p. 29); insuper notum est in sermone vulgari eiusmodi contractiones frequenter esse factas et eiusmodi exempla sat crebra inveniri in libris novi foederis (exempla dabo infra; vide *Winer*, Grammatik des neutest. Sprachidioms § 16 not. 1; edit. anglic. Edinburgh 1882 p. 127 seq.).

Ex libris novi foederis haec de eo colliguntur : erat Pauli apostoli comes itinerum, socius, adiutor. Cum enim Paulus in secundo itinere apostolico Troade versaretur, Lucas se ei adiunxit et cum eo in Macedoniam profectus est (Act. 16,9 seq.) et Philippis cum eo morabatur, uti ex modo narrandi in Act. apparet. Nam dum antea Lucas usus est in narratione tertia persona, de profectione a Troade refert in prima persona : statim quaesivimus proficisci in Macedoniam... venimus Samothraciam, Neapolim, Philippos etc. Ibi autem videtur relictus ab apostolo. Nam reliquam partem narrationis iterum in tertia persona conscribit usque ad Act. 20,5. 6 seq. : nos vero navigavimus post dies azymorum a Philippis et venimus Troadem etc.; quare in tertio itinere apostolico Pauli cum is a Macedonia in Ierusalem proficisceretur eius erat socius (Act. 20,6-21,18). Etiam Caesareae ubi apostolus captivus tenebatur apud ipsum erat, uti ex Act. 24,23 et 27,2 consequitur; pariter eius erat socius in itinere romano (27,2 seq.) atque Romae quoque eum non discessisse ab apostolo, patet tum ex Act. 28,16, tum praesertim ex epistolis quas apostolus in priore sua captivitate romana scripsit : Col. 4,14 salutat vos Lucas medicus carissimus et Philem. v. 24 Lucam enumerat inter adiutores suos. Demum in altera quoque captivitate romana fideliter apostolo praesto erat : Lucas est mecum solus (2 Tim. 4,11).

Porro ex Col. 4,14 discimus eum fuisse medicum. « Sunt imo qui

sibi videntur huius artis indicia deprehendere in ipsis Lucae voluminibus. Huiusmodi illud est quod unus Lucas subinde notet in universum ac veluti miretur divinam illam vim qua Christus huiusque discipuli morbos prodigialiter depellebant (5,17; 6,18. 19), cui argumento maius quam prima specie videtur momentum inesse senties si animadvertas, ut Lucas praeterierit plerasque huiusmodi veluti adnotatiunculas quas Matthaeus et Marcus iis quae narrabant adscripsere. Item illud, quod ubi Matthaeus aut Marcus prodigia haec referentes vulgatioribus verbis utuntur, Lucas verba propria magis atque adeo aptiorem aliquam periphrasim usurpat, veluti cum ἀσθενοῦντας 4,40 dicit quos Matthaeus 8,16 et Marcus 1,34 κακῶς ἔχοντας, cum ὑγιαίνοντας 5,31 quos ἰσχύοντας (Matth. 9,12. Marc. 2,17), cum χρείαν ἔχοντας θεραπείας 9,11 quos Matthaeus 14,14 ἀρρώστους; sic etiam pro illis Matthaei verbis ἰάθη ὁ παῖς 8,13 Lucas scripsit εὗρον τὸν ἀσθενοῦντα δοῦλον ὑγιαίνοντα 7,10, sic pro illis Marci κατέκειτο πυρέσσουσα Lucas haec usurpavit ἦν συνεχομένη πυρετῷ μεγάλῳ 4,38. Ad haec illud πυρετῷ μεγάλῳ quod legitur in evangelio illudque ἀχλύς quod in Actibus apostolorum 13,11 esse in medicina ὀνόματα τεχνικά testimonio Galeni Wetstenius adfirmavit. Adde denique quod nomina ἴασις et ἰατρός verbaque ἰάομαι et ὑγιαίνω vel unus Lucas usurpavit vel longe pluries quam ceteri » (*Patritius,* de evangeliis lib. 1 p. 63). Cum a Paulo vocetur medicus, non opus erit advertere Lucam eodem nomine esse appellatum in antiquitate christiana, ita in fragmento muratoriano, ab Eusebio (hist. eccl. 3,4), Hieronymo qui simul asserit id tradi a veteribus Ecclesiae tractatoribus (in Is. 6,10; cf. de vir. ill. 7; epist. ad Damasum 20,4), nisi ut constet Lucam medicum ab eis habitum esse evangelii scriptorem.

Porro ex eadem ad Colossenses epistola consequitur quoque Lucam ex genere iudaico non fuisse. Nam 4,11 aliquibus sociis enumeratis dicit apostolus : qui sunt ex circumcisione; dein pergit : salutat vos Epaphras... salutat vos Lucas medicus carissimus et Demas. Eum autem fuisse genere antiochenum[1] Eusebius affirmat (hist. eccl. 3,4). Aliqui ex accurata rerum iudaicarum notitia concludunt eum fuisse proselytum antequam christianus fieret; verum id neque affirmari poterit neque negari; illo saltem argumento ex rebus iudaicis petito non probatur, cum Lucas qui diligenter cuncta investigavit (1,3) et diu cum apostolo Paulo versatus est, profecto eam notitiam acquirere potuerit christianus, etsi non antea diu fuit proselytus. Si fuit antiochenus genere, forte probabile est eum doctrinam Christi didicisse, cum Barnabas et Paulus Antiochiae docerent turbam multam (Act. 11,26). Et

1. In D legitur Act. 11,28 : συνεστραμμένων δὲ ἡμῶν ἔφη εἷς etc.; item S. Aug. de serm. D. in monte 2,17. 57.

Tertullianus quidem Paulum nominat magistrum Lucae, Lucam discipulum Pauli (c. Marc. 4,2). Eum ex numero septuaginta duorum discipulorum fuisse aliqui putarunt fortasse inducti eo quod solus Lucas illorum mentionem facit 10,1; ita Ps. Origenes (de recta in Deum fide 1; *M.* 11,1721), Epiphanius (haer. 51,11; *M.* 41,908); aliquos id tradere Theophylactus quoque notat (*M.* 123,685), eum Christi discipulum fuisse Symeon metaphrastes quoque asserit (Vita Lucae 3; *M.* 115,1132); immo eum fuisse socium Cleophae in Emmaus euntis putarunt S. Gregorius (Moralia, praef. in Iob 1,2. 3; *M.* 75,517) et Symeon metaphrastes l. c. et aliquos in ea esse opinione Theophylactus l. c. refert. Sed haec ableganda sunt. Nam satis clare in prooemio se designat talem qui non ab ipso Christo doctrinam acceperit sed ab apostolis traditam audierit (1,2). Unde tenendum erit quod in fragmento muratoriano dicitur : Dominum tamen nec ipse vidit in carne, et quod S. Hieronymus scribit eum cum Domino in carne non fuisse, sed scripsisse evangelium, sicut audierit (de vir. ill. 7; *M.* 23,619); idem censent Tertullianus l. c. Irenaeus (adv. haer. 1,23), Eusebius l. c. Augustinus (de cons. evang. 1,2. 3; c. Faust. 17,3); vide Patritium l. c.

Merito S. Hieronymus (ep. ad Damasum 20; *M.* 22,378) dicit : Lucas inter omnes evangelistas graeci sermonis eruditissimus fuit quippe ut medicus et qui evangelium Graecis scripsit. Eius eruditionem multis celebrat metaphrastes ille, eum a puero omni generi disciplinae vacasse, syriacam et hebraicam linguam exacte calluisse, pulcherrimam apud Graecos eruditionem collegisse, grammaticen, poeticen, rhetoricen perfecte esse assecutum etc. Hebraismi quidem in eius libris non desunt; eos enumerat Tiele (Studien und Kritiken 1858 p. 755-764) et tanti censet ponderis, ut Lucam genere Iudaeum esse affirmet. At sat facile explicantur. Nam « qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis », potissimum aramaice loquebantur; cum itaque hi tradiderint nobis res, ut Lucas loquitur 1,2, non mirum est id quod ex eorum institutione Lucas scripsit esse colore aramaico tinctum. Ex illis multis qui conati sunt ordinare narrationem rerum earundem, certe aliqui, fortasse haud pauci, aramaice scripserunt; alii etsi graeca uterentur lingua, tamen aramaismis abstinere non poterant, cum hi ex ipsis Domini verbis et apostolorum narratione necessario inferrentur. Eorum autem scripta Lucas cognita habet et quia isti quoque ex apostolorum traditione hauserant, ea inquisitione sedulo facta certe non in omnibus neglexit. Adde Lucam quoque lectione τῶν LXX eo imbutum esse dicendi genere quo res sacrae et eventus divinitus ordinati in sacris litteris tradi solebant; quod genus suae quoque narrationi congruum esse existimabat.

Eum ab apostolo Paulo laudatum esse 2 Cor. 8,18 : misimus fratrem cuius laus est in evangelio per omnes ecclesias, putarunt Origenes (in Luc. hom. 1; *M.* 13,1804), Chrysostomus (in Act. 1,1; *M.* 60,15), Pelagius (*M.* 30,783), auctor longioris recensionis epistolarum S. Ignatii martyris (ad Eph. 15; Funk Patr. apost. 2 p. 198), Hieronymus (de vir. ill. 7 et saepius), ob cuius auctoritatem multi latini idem senserunt (cf. *Cornely,* Introd. III p. 121; Comment. in 2 Cor. p. 230); verum eo loco non intelligi posse Lucam plerique interpretes tenent et ostendit Cornely in Comment. Pariter admitti nequit quod, ut ait S. Hieronymus, suspicantur quidam, quotiescumque in epistolis suis Paulus dicit : iuxta evangelium meum, de Luca significare volumine. Id iam ratione temporis refellitur, saltem si spectaveris epistolas ad Corinthios et Romanos (legitur : secundum evangelium meum etiam 2 Tim. 2,8); dein certum est tempore apostolico vocem evangelii de evangelica praedicatione, de salutis messianae praeconio, de laeto nuntio, nequaquam autem de libro esse usurpatam. Perperam quoque existimarunt aliqui (Origenes, in ep. ad Rom. lib. 10 n. 39; *M.* 14,1288 scribit ita putari, Baronius ad an. 58 n. 57, Cornelius a Lapide, Calmet) Lucium Rom. 16,21 esse Lucam.

Scribit Wetstein : « interpretes coniectura probabili tum ex nomine tum ex arte quam profitebatur colligunt fuisse Lucam servum manumissum. Observant enim primo, nomen eius in compendium fuisse redactum, ut pro Lucillio vel Lucano vocaretur Lucas; ita autem moris fuisse ut servorum nomina paullo longiora praeciderentur et in *as* desinerent. Ita Alexas, Antipas, Apellas, Artemas, Harpocras, Cleopas, Demas, Epaphras, Theudas, Menas, Zenas, Heras, Heraclas, Hermas, Silas, Rufas, Olympas, Nymphas, Parmenas appellati sunt qui integre Alexander, Antipater, Apollodorus, Artemidorus, Harpocrates, Cleopater, Demetrius, Epaphroditus, Theodorus, Menodorus, Zenodorus, Herodorus, Heracleodotus, Hermodorus, Silvanus, Rufinus, Olympiodorus, Nymphodorus, Parmenio dicebantur. Observant secundo, servos et praecipue Syros medicinam factitasse. Suetonius, Calig. 8 : mitto praeterea cum eo ex servis meis medicum; Seneca, de Benef. 3,24 : Domitius imperavit medico eidemque servo suo, ut sibi venenum daret; Cicero, pro Cluentio 63 : Sassia emit de A. Rupilio quo usus erat Oppianicus medico Stratonem quendam; Quintilianus 7,2 : servisse eum Pisauri dominis duobus, medicinam factitasse manumissum ». Idem Grotius quoque censet. Quae tamen sententia nullam habet ex traditione confirmationem neque duobus illis argumentis suadetur. Nam minime nomina contracta solis indebantur servis vel manumissis, cogita de Herode Antipa, neque Cleopas (Luc. 24,18) servus erat. Etsi medicina frequenter a servis exercebatur, tamen nondum sequitur omnem eius artis peritum etiam fuisse servum. Nam certum est etiam liberos eam artem exercuisse et a nobilissimis familiis inter amicos esse recensitos; multi quoque rabbini cognomine asja (medici) honorabantur et ex Iosepho (Vita 72) patet etiam in minoribus oppidis fuisse medicos. Medicum esse honorandum iubet sapiens eumque in conspectu magnatorum collaudatum iri ait (Eccli. 38,1. 3).

Alia quoque quae de eo referuntur plane sunt incerta. Eum fuisse

pictorem asserunt non solum metaphrastes (vita Luc. 6) et Nicephorus Callistus (eccl. hist. 2,43; *M.* 145, 876) aliique recentiores sed iam Theodorus lector saeculo sexto, uti valde probabiliter exponitur apud Bollandistas (t. 8 octobr. p. 295 seq.); immo id certum esse affirmat Lipsius (die apokryphen Apostelgeschichten II, 2 p. 361) cum Theodorus narret Eudociam imperatricem imaginem τῆς θεομήτορος quam Lucas apostolus pinxerat misisse ex Ierusalem ad Pulcheriam (Theodoreti hist. eccl. ed. Valesius Mogunt. 1679 p. 551; *M.* 86,165). Eum praedicasse evangelium in Achaia narrat Gregorius nazianzenus; Epiphanius autem in Dalmatia, Gallia, Italia, Macedonia (haer. 51,11; *M.* 41,908); ex Syrorum traditione ei provincia praedicationis assignata est Byzantium, Thracia totaque regio usque ad Danubium (cf. Lipsius l. c. p. 367); in Constit. ap. 7,46 (*M.* 1,1052) narratur a Luca esse Abilium secundum Alexandriae urbis episcopum institutum.

Eum martyrio vitam finivisse affirmant Gregorius naz. (or. 1. c. Iul. 69; *M.* 35,589), Gaudentius : Andreas et Lucas apud Patras Achaiae civitatem consummati referuntur (or. 17; *M.* 20,963); Nicephorus tradit eum ex fructifera oleae arbore suspensum Deo spiritum commendasse octoginta annos natum (eccl. hist. 2,43). Immerito autem pro eius martyrio Paulinus nol. adducitur (ep. 32,17; *M.* 61,339; et vide not. 175 p. 892)[1]. Alii tamen de eius martyrio nihil referunt, sed eum mortuum esse simpliciter dicunt; ita eum Ephesi mortuum esse ibique sepultum ait Ps. Dorotheus (cf. *M.* 123,685), pariter Menologium p. 1 ad 18 oct. eum in pace obiisse (*M.* 117,114) sepultum esse Thebis et postmodum reliquias eius esse Constantinopolin translatas; de hac translatione etiam loquitur Hieronymus (de vir. ill. 7). « Argumentum in Lucam » quod in plerisque codicibus vulgatae continetur (Wordsworth enumerat septemdecim) et a Sedulio Scoto exponitur (*M.* 103,285) sic habet : « Lucas natione Syrus, Antiochensis... serviens Domino sine crimine, nam neque uxorem unquam habuit neque filios, septuaginta et quatuor annorum obiit in Bithynia ». Quod Hieronymus habet : in Achaiae Boeotiæque partibus volumen condidit (praef. in Matth.), in aliquibus codicibus corrupte legitur Bithyniae; unde frequenter apud scriptores occidentales legitur eum in Bithynia mortuum et sepultum esse. Plura vide apud Bollandistas l. c. et Lipsius p. 365 seq.

1. Legitur : Hic pater Andreas et magno nomine Lucas
Martyr et illustris sanguine Nazarius;
ubi martyr, sicut iam habetur in nota in editione *M.* et Lipsius quoque censet, non ad Lucam sed ad Nazarium referri debebit.

II. — Lucam scripsisse evangelium.

Recentissimo tempore Tatiani Diatessaron simul cum commentario S. Ephraem quo opus illud a Ciasca arabice et latine editum in rebus praecipuis genuinum probatur magis innotuit. Ex eo autem omnino inferendum est quod Harnack intulit, scil. textum quattuor evangeliorum circa annum 160 fuisse, si ipsam rem spectas, eundem quem hodie legimus (essentially as we now read them; Encycl. Brit s. v. Tatian, 1888). Eodem tempore, quo Tatianus suum composuit opus, traditione antiqua per universum orbem catholicum acceptum erat sine ulla dubitatione Lucam, Pauli socium, scripsisse unum ex istis evangelii libris. Eius rei testimonium ex ecclesia romana praebet *auctor fragmenti muratoriani,* qui tertium evangelium explicite Lucae adscribit (vide textum fragmenti apud *Cornely,* Introd. I altera edit. p. 182). Ecclesiae et orientalis et occidentalis testimonium nobis exhibet *S. Irenaeus*, qui S. Polycarpi discipulus et traditae ab apostolis doctrinae assertor studiosissimus et tenacissimus, non solum Lucam sectatorem Pauli, evangelium a Paulo praedicatum in libro condidisse ait, sed etiam plurima ex illo affert et totam eius argumenti seriem recenset et librum contra Marcionem defendit (adv. haer. 3,1; 3,14, 3; 1,27, 2; 3,11. 7; 3,12. 12; *M.* 7,845. 915. 688. 884. 906). Quod testimonium eo gravius est quia ei quam maxime persuasum est libros evangelii apostolica auctoritate esse Ecclesiae traditos (vide quae dixi in Comment. Matth. I p. 5 seq.). Ecclesiae africanae testimonium nobis refert *Tertullianus :* dico itaque apud illas (ecclesias), nec solas iam apostolicas, sed apud universas quae illis de societate sacramenti foederantur, id evangelium Lucae ab initio editionis suae stare, quod quam maxime tuemur (c. Marc. 4,5; *M.* 2,367). Alexandrinae ecclesiae testimonium nobis tradunt *Clemens* et *Origenes;* ille ad evangelium secundum Lucam provocat, hic ea proferens quae ex traditione acceperit de quattuor evangeliis quae sola in universa Dei Ecclesia citra controversiam admittantur, omnino affirmat tertium evangelium esse Lucae, a Paulo commendatum, in gratiam gentilium commendatum (cf. Clemens alex. Strom. 1,21; *M.* 8,885; Orig. in Matth. *M.* 13,829; c. Cels. 2,27; *M.* 11,847; Eus. h. e. 6,25; *M.* 20,581). Non solum ecclesiae palaestinensis, sed totius retro antiquitatis sensum et testimonium gravissime statuit *Eusebius* caesariensis qui sedula inquisitione facta quinam libri sacri ab omnibus communi consensu sine ulla controversia sint accepti, eorum in numero collocat primo loco sacram evangeliorum quadrigam (h. e. 3,25; *M.* 20,268).

Haec autem totius antiquitatis testimonia de Luca scriptore evangelii eo maius habent pondus, quia cur in Lucam comitem Pauli omnia consentiant nulla ratio alia vere sufficiens adduci potest nisi ipsa rei veritas indubitato modo manifestata. Nam tertium evangelium a socio quodam Pauli vel forte ab ipso Paulo esse profectum, ex internis quas vocant rationibus si quis sedulo in eas inquisierit deprehendi potest; scil. magna quaedam similitudo generis dicendi et indolis doctrinae intercedit inter evangelium et epistolas paulinas. Verum notum est veteres non ab internis rationibus suam inchoasse investigationem, sed libros suscepisse quos maiorum auctoritate et certa traditione apostolica sacros esse sibi persuaserant. Sed quamvis concedamus ipsa evangelii conformatione unum ex Pauli comitibus suaderi, nullo tamen modo explicatur, cur in Lucam omnes consenserint vel consentire potuerint. Is enim inter Pauli socios minime eminet, locum occupat multo inferiorem Timotheo et Tito. Cur itaque veteres evangelium Pauli non a Tito vel Timotheo esse litteris consignatum statuunt? unde fit ut in eum consentiant qui comparatione cum aliis facta fere obscurus et satis ignotus dici debeat? Non aliam reperies rationem sufficientem nisi eam quam dixi.

Illi quos enumeravi nomen Lucae efferunt eosque habuisse idem quod nos evangelium sole meridiano clarius est neque a quopiam in controversiam vocatur. Praeterea librum hunc exstitisse saeculo secundo et Lucae adscriptum esse versionibus quoque patet tum vetere latina tum syriaca. Eum librum notum fuisse testis quoque est S. Iustinus martyr qui ex commentariis quos ab apostolis eorumque discipulis compositos dicit ea affert quae in solo Lucae evangelio habentur, scil. de sudore sanguineo et de verbis in cruce : Pater in manus tuas (dialog. c. Tryph. 103. 105; *M.* 6,717. 721). Neque desunt in paucis illis quae a Patribus apostolicis ad nos perlata sunt ea quae ad normam evangelii Lucae efferuntur apud Clementem romanum, Polycarpum, Ignatium martyrem (vide *Cornely*, Introd. III p. 123). Hisce adde quae Irenaeus, Tertullianus, auctor philosophumenon, Clemens alexandrinus nobis tradunt de haereticis primi et secundi saeculi, de Basilide, Valentino et Theodoto et Heracleone; scil. quomodo ex locis qui apud Lucam leguntur suos stabilire conati sint errores, adde in homiliis clementinis ex medio saeculo secundo non paucos locos ita afferri, ut ex evangelio Lucae repetitos esse appareat (cf. *Cornely* l. c. p. 124 seq.). Ex quibus omnibus firmissimum efficitur argumentum historicum de Luca scriptore evangelii. Unde concludere debemus eodem modo quo Tertullianus contra Marcionem auctoritatem et integritatem evangelii Lucae tuetur : « in summa si constat id verius quod

prius, id prius quod ab initio, id ab initio quod ab apostolis, pariter utique constabit id esse ab apostolis traditum quod apud ecclesias apostolicas fuerit sacrosanctum » (c. Marc. 4,5).

Quando autem evangelium a Luca scriptum sit ut determinetur, argumentum quaerendum est ex altero eiusdem libro, cui titulus Actus apostolorum. Nam utrumque librum ad eundem referendum esse auctorem hodie fatentur omnes (cf. *Holtzmann*, Lehrbuch der hist. kr. Einleitung, 1892 p. 391). Iam ex Act. 1,1 patet evangelium antea fuisse compositum. Ipsum autem Actuum librum scriptum esse mox post biennium captivitatis romanae prioris Pauli apostoli, videtur colligi posse ex eo quod liber ea narratione clauditur neque quidquam ulterius de vita Pauli refertur. Si enim liber scriptus esset multo tempore post biennium illud, non posset modo probabili explicari, cur subito et quasi abrupte liber finiatur ille, in quo antea tanta cum accuratione singulae res ex itinere romano etc. describebantur. Cur nihil de altera captivitate adderetur, cum tamen Lucas apud apostolum [1] versaretur (2 Tim. 4,11)? Neque immerito colligit *Felten* ex Act. 20,25 et 21,13 librum ante Pauli mortem esse compositum (Apostelgeschichte 1892 p. 23). Quae enim aliae afferuntur rationes, cur adeo abrupte liber finiatur, minus probabiles sunt, eum scil. esse subito impeditum quominus perficeret vel morbo aut morte prohibitum, vel tertium voluisse addere librum. Cur tandem solum usque ad biennium illud narrationem produxerit, de biennio ipso autem nihil accuratius retulerit, ratio quam maxime obvia cernitur in ipso tempore scriptionis et in notitia quam Theophilus de rebus intra biennium gestis habuit (cf. *Felten* l. c.). Quare merito consequitur evangelium c. annum 63 esse scriptum (cf. *Cornely* l. c. p. 168).

De aliorum sententiis haec accipe : *Schanz* et *Belser* l. c. quam maxime probabile censent evangelium esse scriptum circa an. 67-70. Putant enim ab Irenaeo iam assignari tempus post mortem apostolorum Petri et Pauli.

1. Ex fragmento muratoriano *Belser* (Theol. Quartalschrift 1893 p. 366) probare studet auctorem eius fragmenti asserere Actus ap. scriptos esse post mortem apostolorum. Legitur in fragmento : « Lucas optimo Theophilo comprehendit quia sub praesentia eius singula gerebantur, sicut et semota passione Petri evidenter declarat, sed et profectione Pauli ab urbe ad Spaniam proficiscentis ». Ex quibus verbis concludit *Belser* proponi sententiam ecclesiae romanae de tempore quo Actuum liber scriptus sit; ea enim scripta esse a Luca quibus ipse interfuerit; ideoque passionem Petri et profectionem Pauli in Hispaniam non commemorasse quia haec sub sua praesentia non sint gesta. Unde librum postea esse scriptum. Verum si liber postea est scriptus et Lucas ex mente illius singula comprehendit quia sub eius praesentia gerebantur, cur non meminit saltem alterius Pauli captivitatis, quae sub eius praesentia gerebatur, uti 2 Tim. 4,11 patet? Quare ex verbis illis *Belser* nimium inferre videtur.

Verum dubium est loquaturne Irenaeus de *morte* apostolorum (vide quae dixi in Comment. Marc. p. 13 et cf. *Cornely*, Introd. III p. 76 seq.); neque *Belser* rationes a *Cornely* allatas ullo modo infirmat; nam non sufficit asserere ἔξοδος eo loco nihil aliud praeter mortem significare *posse*[1]. Dein scribit Irenaeus Lucam evangelium τὸ ὑπ' ἐκείνου (scil. a Paulo) κηρυσσόμενον litteris consignasse, qui dicendi modus potius indicat librum Paulo superstite et officio praeconis fungente esse compositum. Dein existimant probari ex cap. 21 tempus illud quo oraculum de obsidione urbis Ierusalem iam coeptum sit impleri. At nihilominus *Schanz* retinere vult 21,20: cum videritis circumdari ab exercitu Ierusalem, esse veri nominis vaticinium, sed quia adeo sit determinatum, hanc eius formam ex initio belli iudaici esse repetendam. Quae ratio satis levis est. Nam ut omittam Iesum scisse et potuisse etiam explicite dicere quod eo loco apud Lucam legitur, iam ex ipsis illis quae apud Matthaeum 24,15 et Marcum 13,14 Dominus dicit necessario concludi debuit fore ut urbs ab exercitu hostili cingatur et expugnetur. Nam sermo est de abominatione desolationis dicta a Daniele propheta. Iam de tali abominatione Daniel loquitur duobus in locis 9,27 et 11, 31; in utroque autem de hostili incursu et oppugnatione sermo est. Porro dicitur : fugiant in montes et fugiant celerrime; iam fuga in montes et absconsio in speluncis et cavernis, uti ex libris historicis veteris testamenti patet, fieri solebat hostili invasione. Porro Christus iam antea clare locutus est in parabola de illis qui invitationem regis spreverant : missis exercitibus suis perdidit homicidas illos et civitatem illorum succendit (Matth. 22,7). Si nunc post praedictam ruinam urbis et templi (Matth. 23,38 et 24,2) dicit : fugiant qui in Iudaea sunt in montes, quid aliud intelligi poterit nisi ruinam illam ab invasione exercitus hostilis iri effectum? Quare ex Luc. 21, 20 nihil colligi potest quo evangelium incepto iam bello iudaico scriptum esse suadeatur.

Quae modo dicta sunt, a potiore valent contra eos qui ex Luc. 19,43. 44 et 20,21 demonstrare volunt evangelium scriptum esse post annum 70. Nam etsi omitteremus Iesum revera edidisse vaticinium idque etiam apud Matthaeum et Marcum esse asservatum, uti Iosephus ex Dan. 9,27 urbis et

1. Iis enim quae l. c. *Cornely* disputat addi potest omnino non videri probabile Irenaeum mortem principum apostolorum voce ἔξοδος designasse. Ex eius enim libris patet eum martyrium maximi aestimare. De apostolis dicit : usque ad mortem tradiderunt animas propter evangelium Christi; de morte Stephani scribit : perfectam doctrinam adimplevit martyrii magistrum (Iesum) per omnia imitans (3,12. 13; M. 7,907); laudes martyrii celebrat 3,18. 5 et 4,23. 9 et 5,9. 2 (*M.* 7,935 seq. 1078.1145). De Telesphoro papa notat ὃς καὶ ἐνδόξως ἐμαρτύρησεν, de Polycarpi morte scribit : ἐνδόξως καὶ ἐπιφανέστατα μαρτυρήσας ἐξῆλθε τοῦ βίου (3,3. 4; *M.* 7,851. 852). Iam valde improbabile est eum qui ita de martyrio sentit et de martyribus *scribit*, martyrium principum apostolorum (quos gloriosissimos vocat 3,3. 2) sola voce ἔξοδος voluisse significare, quae vox tamen sat frequenter de profectione usurpatur non solum apud profanos, sed etiam apud LXX; cf. Ex. 19,1. Num. 33,38; 35,26. Iud. 5,4. 31. 1 Par. 20,1. Ps. 104,38; 113,1; similiter de ortu solis vel siderum Ps. 18, 7; 74,7. Eccli. 43,2; Neh. 4,21, ut omittam locutionem de introitu et exitu 1 Reg. 29,6. 2 Reg. 3,25. 2 Par. 16,1. Ps. 120,8. Is. 37,28 etc.

populi sui ruinam praedictam esse cognovit[1], ita Lucas quoque ex eodem Danielis loco fore urbis ruinam discere potuit, praesertim cum negari nequeat Iesum de futura calamitate saepius et in parabolis et in reprehensione pharisaeorum mentionem fecisse. Si Iesus eos v. g. reprehendit verbis Ieremiae : vos autem fecistis domum orationis speluncam latronum, nonne ex iis ipsis quae eo loco apud prophetam dicuntur (7, 11. 12) satis clare indicat qualis ruina in eos devolvenda sit? Recentiore tempore aliqui etiam contendebant in hoc evangelio immo reperiri quaedam ex libris Iosephi hausta; ita 2,1. 2 et 3,1; verum id satis superque refutatum quoque est ab aliis, uti Schürer, Noesgen (Studien und Kritiken 1879 p. 522-540), Schanz.

Evangelium esse ad tempus post urbis destructionem amandandum etiam ex eo efficere volunt quod in eo alter Christi adventus separetur a ruina i. e. quod pro illo εὐθέως Matth. 24,29 ponantur καιροὶ ἐθνῶν quibus Ierusalem a gentibus calcetur 21,24. Sed ratio haec nulla est, quia etiam illud εὐθέως non refertur ad ruinam urbis, sed ad tribulationes illas quas Iesus suo adventui praevias fore dicit (vide quae dixi in Comment. Matth. ad 24,21 seq.). Porro cum etiam apud Matth. dicatur : et praedicabitur hoc evangelium regni in universo mundo in testimonium omnibus gentibus *et tunc* veniet consummatio, sane mirum est quomodo criticis in mentem venire potuerit evangelistam velle dicere statim post urbis ruinam fore adventum Iesu et consummationem. Nam iidem critici etiam volunt evangelium primum aliquo tempore post annum 70 esse scriptum. Profecto incredibile est aliquem scribere post annum 70 intra paucas lineas sententias inter se adeo contrarias, uti sunt illae de evangelio in universo mundo omnibus gentibus praedicando post quam praedicationem futura sit consummatio et hanc consummationem statim esse post ruinam urbis. Porro Holtzmann deprehendit Luc. 6,22 (si conferatur cum Matth. 5,11) indicia persecutionum quae tempore Domitiani et Traiani factae sint. Apud Matth. enim solum dicitur : beati estis cum maledixerint vobis et persecuti vos fuerint et dixerint omne malum adversum vos, Lucas vero habet : beati eritis, cum vos oderint homines et cum separaverint vos et exprobraverint et eiecerint nomen vestrum tamquam malum. Fateor me nullo modo posse videre quomodo hisce verbis nos ad tempora Domitiani et Traiani amandemur. Nam odium etiam verbis Matthaei declaratur; persecutio notio est satis ampla qua singula quae Lucas dicit et plura quoque comprehenduntur; maledicere certe complectitur exprobrare; eiicere nomen si cum aliquibus de eiectione vel excommunicatione a synagoga explicatur, minime nos cogit ad tempus Domitiani descendere, cum Ioan. 9,22 iam legamus Iudaeos conspirasse ut si quis Iesum confiteretur esse Christum extra synagogam fieret. Brevi, nonne ea quae Act. 8,1 leguntur et quae de Pauli infestationibus in Act. narrantur abundanter sufficiunt ut singula verba 6,22 amplo commentario illustrentur? En *talibus* ratiunculis evangelii scriptionem ad tempus posterius ablegare et totius antiquitatis testimonia subruere volunt.

1. Vide quae dixi in Comment. Dan. p. 265 et cf. *Iosephus* Antiq. 10,11. 7.

Quod testimoniis historicis traditum est, Lucam Pauli socium scripsisse evangelium, id rationibus quoque comprobatur ex ipso evangelii libro depromptis. Modum quippe proponendi argumentum evangelicum esse ad Pauli apostoli indolem et rationem conformatum et veteres viderunt et recentiores fatentur. Et Irenaeus quidem ait Lucam evangelium a Paulo praedicatum in libro condidisse, Lucam didicisse a Paulo (adv. haer. 3,1. 14), Tertullianus et ipsum apostolum Paulum vocat illuminatorem Lucae et addit ecclesias apostolicas Lucae digestum Paulo adscribere solere (c. Mar. 4,2. 5); neque aliter sentiunt Origenes, Eusebius, Chrysostomus, Hieronymus (cf. *Cornely* l. c. p. 128). Idemque recentiores affirmant evangelium tertium esse « paulinum » dicentes. Id quidem alii alio quodam modo proponunt : vel materiam evangelicam in eo tractari et conformari ad illam rationem quae maxime modum sapiat et doctrinam Pauli, vel in eo conciliari inter se ea quae Paulo sint peculiaria et ea quae ad partes iudaeo-christianas spectent, ita ut exsistat in eo et proponatur « mitigatus quidam paulinismus », vel in eo acriter defendi, propugnari, propagari partes paulinas, immo in quibusdam quibus iudaismus oppugnetur excedi modum quo Paulus contra iudaismum soleat dimicare (cf. *Holtzmann* l. c. p. 388). Unde socium Pauli deprehendi facile conceditur. Idque ex genere quoque dicendi comprobatur. Sat multa enumerantur ab interpretibus verba, dictiones, sententiae quae Lucae et Paulo sint communia; de qua re vide *Grimm*, Einheit der vier Evangelien p. 103 seq. *Schanz* p. 22, *Cornely* p. 131, *Fillion* (Évangile selon S. Luc p. 10). Porro scriptorem evangelii fuisse graecum genere et virum eruditum (uti traditio fert de Luca medico, antiocheno) pariter ex ratione scribendi satis pura et eleganti concluditur. Eius quippe dicendi genus prae omnibus novi testamenti scriptoribus (excepto scriptore epistolae ad Hebraeos) maxime accedit ad modum optimorum scriptorum profanorum; ita enumerantur vocabula centum quae huic evangelio cum scriptoribus classicis communia sunt neque apud alium auctorem novi testamenti reperiuntur (cf. *Keil*, Commentar über die Evang. Markus und Lukas p. 172; qui ea accuratius selegit quam Noesgen in Studien und Kritiken 1877 p. 474). Sed non solum usu vocabulorum, sed etiam constructione grammaticali quae ad syntaxin bene graecam pertineat prae ceteris Lucas conspicuus est, cuius rei exempla praebet Noesgen l. c. p. 477. Haec indicasse hoc loco sufficiat.

Quaeritur quoque quibus fontibus usus sit Lucas. De qua re ipse nos edocet in prooemio. Affirmat enim se omnia diligenter ac sedulo investigasse et explorasse a principio. Iam apud quos? Ad id respondet etiam quod 1,2 scribit : sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi viderunt

(res scil. in nobis completas) et ministri fuerunt sermonis (vide in Comment.). Proinde asserit se traditionem apostolicam diligenter esse secutum. Quos vero apostolos viderit et magistros habuerit certo dici nequit; at certum est eum esse edoctum a Paulo qui non solum Iesu doctrinam sed res quoque gestas per revelationem Domini se accepisse affirmat (cf. 1 Cor. 11,23. 2 Cor. 8,9. Gal. 1,1; 4,4; praeterea cf. Act. 13,25 seq.), dein cum Lucas cum Paulo versaretur in urbe Ierusalem, Iacobum apostolum ei fuisse praesto a quo plurima de Iesu vita exquireret (Act. 21,15). Neque improbabile est Petrum quoque, cum Antiochiae moraretur, a Luca antiocheno esse visum et consultum. Praeterea Caesareae Philippum adiit evangelistam (Act. 21,8); ex fratribus illis quingentis quibus Christus apparuit multi erant superstites cum Paulus priorem ad Corinthios epistolam scriberet (1 Cor. 15,6); ex illis itaque discipulis eum multa discere potuisse nemo in controversiam vocabit. Bis adnotat Mariam omnia sedulo conservasse et animo suo singula inter se contulisse (2,19. 51), quo clare innuit se accepisse illa quae ibi de primordiis refert vel ab ipsa b. Virgine vel ab iis qui immediate ab ea edocti erant de mysteriis illis infantiae dominicae.

Praeterea Lucas mentionem facit multorum qui aggressi sint componere narrationem rerum, sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi viderunt etc. Horum igitur scripta ei cognita erant. Cum itaque in iis quoque ea continerentur quae ab apostolis tradita erant, Lucas in componendo libro iis usus esse censeri debebit, sed ita tamen postquam certo cognovit quae ab iis essent conscripta sincere et vere esse relata. Id enim sequitur ex 1,3. Cum ea igitur lecta et cognita haberet necessario fiebat ut scribens de iisdem rebus etiam iisdem fere uteretur verbis. Ex multis illis aliqua fuisse aramaice scripta probabile est. Inde aramaismi vel hebraismi qui in aliquibus partibus (praecipue primis capitibus) deprehenduntur facile explicantur. Cantica : Magnificat, Benedictus, conscripta fuisse aramaice certum videtur. Cum Lucas moraretur in urbe Ierusalem, ei varia relata esse de Iesu vita et doctrina aramaice vel ab iis qui graeca lingua colore aramaico tincta uterentur omnes, puto, facile concedent. Ceterum de istis « fontibus » nihil ulterius statui potest. Utique non desunt inter recentiores qui loquantur de fontibus ortis in meridionali parte Palaestinae, samaritanis, ebioniticis, de evangelio quodam Philippi, de libro altioris historiae, ex quibus tertium evangelium sit conflatum; verum haec uti gratis asseruntur, ita gratis negantur.

Restat tamen quaestio de libris Matthaei et Marci. Atque librum Marci ei cognitum fuisse plerique statuunt. Id praeprimis ex eo colligitur quod

saepius eandem cum Marco seriem narrationum proponit; ita Luc. 4,31-6,16 eaedem res gestae referuntur quae Marc. 1,21-3,19 leguntur; eadem rerum series ac consecutio advertitur inter Luc. 8,4-9,50 et Marc. 4,3-9,40, ubi tamen notari oportet plura quae Marcus habeat non reperiri apud Lucam; ita Marcus praebet plures parabolas et quae Marcus habet 6,46-8,26 non invenies apud Lucam. Quae porro Lucas praebet 9,51-18,14, frustra apud Marcum quaesieris; sed Luc. 18,15-34 iterum ea cernitur rerum series quae Marc. 10,13-34 deprehenditur. Verum etiam in iis in quibus Lucas seriem Marci sequi videtur suum proprium dicendi genus omnino retinet et alia addit, alia omittit, alia diversa ratione narrat. Quare ii ipsi qui librum Marci a Luca adhibitum esse omnino affirmant tamen simul addunt talem cerni usum qui potius ad memoriam referendus sit earum rerum quae saepe e libro Marci lectae et auditae sint (cf. *Holtzmann* l. c. p. 357). Cum itaque Lucas plura quae in libro Marci leguntur non habeat et quae habet aliter atque aliter narret, alii ei praesto fuisse concludebant non nostrum Marci librum, verum alium priorem similem nostro quidem, at breviorem (« Urmarcus » priscus quidam Marcus), qui demum ad librum nostrum auctus sit. Verum hoc commentum impune omittitur.

Matthaei autem librum a Luca fuisse cognitum alii negant, affirmant alii; mediam quandam viam tenent alii dicentes Lucam quidem eo libro non esse usum, at eum tamen cognovisse et ex memoria rerum quas antea ex eo legerit aut lectas audierit aut ab aliis explicatas acceperit varia libro suo inseruisse. Placuit aliis Lucam non librum nostrum Matthaei cognovisse, sed solum collectionem quandam sermonum Domini de qua Papias referat. Sed eiusmodi collectionem esse ad fabulas amandandam neque Papiam de ea narrare alibi iam est expositum (cf. Comment. Matth. I p. 4 seq. *Cornely* l. c. p. 22 seq.). — Quomodo narratio Lucae se habeat ad eiusdem rei expositionem apud Matthaeum vel Marcum, aliqua exempla videbis accuratius proposita in Comment. — Sunt qui in unaquaque narratione inquirunt ex quonam fonte Lucas hauserit vel quos fontes inter se coniunxerit et putare videntur se stupendum quid reperisse, si tandem statuunt haec esse ex « fonte particulari » ex « fonte apostolico », vel libere secundum Marcum, vel ex eodem fonte ex quo priscus Matthaeus auctus sit ad nostrum Matthaei librum, vel ex eodem cum Matthaeo fonte additis quibusdam ex alio fonte etc. Ingenue fateor me noluisse ingredi in eiusmodi inquisitiones subtiles quarum exitus et plane incertus est et pro arbitrio alius ab aliis statuitur; de qua re recole quae dixi in Comment. Marc. p. 16 seq. et quae in iis quae praecipua sunt hic quoque valent.

III. — Quo consilio Lucas scripserit.

Ut indagemus quid Lucas sibi proposuerit, duo nobis praesto sunt. Prius est quod ipse clare enuntiat 1,4, alterum quod colligitur et ex rebus quas refert et ex modo quo res illas describit. Librum inscribit Theophilo. Quis ille sit plane incertum est neque refert, cum ex more veterum et ex totius libri argumento certum sit librum etsi viro privato dedicetur tamen non illi soli destinari sed in publicum proferri (cf. ad 1,3. 4). Profitetur itaque Lucas se a prima origine cuncta sedulo explorasse eaque ex ordine perscribere, ut pernoscant indubitatam veritatem doctrinarum quas orali institutione acceperant. Proinde eos quibus scribit plane securos reddere vult iisque firmissimam ingerere persuasionem vera esse quae institutione christiana didicerant. Doctrinae autem christianae de Iesu Messia etc. rebus gestis innituntur. Quare has res ipsas ita narrare iisque testimoniis firmare oportet ut plane verae deprehendantur. Ad id iam confert ipsum quod in prooemio (1,3. 4) profitetur. Eadem de causa tempus rerum gestarum indicat 1,5. 26. 39. 56; 2,1. 21. 42; 3,1. 23; 6,1. 6; 7,11; 8,1; 9,28. 37 etc.; apposite narrationem incipit ab annuntiatione nativitatis praecursoris; apparitio angeli, Zacharias mutus, populus in templo ea de re miratus, partus sterilis Elisabeth, loquela muto coram multis restituta, canticum Zachariae, haec omnia aptissima sunt quibus animi ad magnalia Dei exspectanda et fide amplectenda praeparentur. Eodem modo angelus cum b. Virgine colloquens et oracula messiana iam impleri promittens (1,32. 33), Elisabeth vaticinans, infans in utero exsultans, angeli pastoribus nuntium Salvatoris nati afferentes, pastores ad praesepe iidemque rerum earum nuntii, Simeon et Anna in templo, pariter testes, prophetae, nuntii, nonne haec omnia quam maxime valide comprobant Salvatorem mundi esse natum coelitus missum? Pari studio ostenditur praedicationem Ioannis praecursoris innotescere omni populo, turbis, publicanis, militibus eiusque testimonio de Christo omnes praeparari ad eius doctrinam suscipiendam, qui in ipso baptismo palam coelesti testificatione Filius Dei declaratur. Atque quid sua doctrina, quid suis miraculis Iesus valuerit sese Servatorem et Filium Dei comprobans sequentibus narrationibus demonstratur. Haec autem ita proponuntur, ut accurata conditionum descriptione earum veritas confirmetur. Neque enim in quodam angulo res geruntur, sed palam coram multis testibus, neque in regione incognita, sed in Nazareth, in Capharnaum, in domo Simonis, secus stagnum Genesareth; leprosus sanatus mittitur ad sacerdotes, pharisaei et legis doctores ex

Galilaea, Iudaea, Ierusalem testes sunt simul cum turba miraculorum quae solo verbo patrat. Porro tamquam testes et comites qui iam non ab eo recedunt duodecim illos elegit Iesus quos iam in omnem terram exiisse et testimonium de Iesu perhibere sciunt qui librum Lucae legunt; quorum apostolorum testimonium et fides eo maioris ponderis est quia variis eventibus patet, quam difficile fuerit eos adducere ad eam de rebus persuasionem et cognitionem quam nunc coram omnibus tanta constantia profitentur (cf. 18,34; 24,37. 41).

Coram hisce comitibus et senioribus Iudaeorum Iesus verbum illud enuntiat quo servum centurionis absentem sanat in Capharnaum, in Naim coram turba copiosa iuvenem mortuum ad vitam revocat; testes plurimorum miraculorum sunt etiam Ioannis discipuli; pharisaeis ostendit Iesus se scire secretas animorum cogitationes; tota regio Gerasenorum testis est eius in daemones potentiae; multa turba attactu eius vestimenti morbum insanabilem esse ablatum comperit; ipse Herodes testimonium reddit a Iesu eiusque apostolis fieri signa; quinque millia virorum in deserto prope Bethsaida quinque panibus saturantur etc. etc. Neque minus clare demonstrat Iesum suam passionem praescisse, praedixisse, eum innocentem odio populi esse ad supplicium tractum, eum gloriose resurrexisse et suis apparuisse. Quibus omnibus divina eius missio et doctrina invicte probatur. Quare narratione Lucae fatendum est eos quibus scribit in accepta doctrina confirmari, erudiri magis, ita ut perspiciant ea quae orali institutione tradita erant inconcussa veritate historica inniti.

Lucam librum suum ethnico-christianis destinasse sententia est iam a veteribus proposita (ab Origene; cf. Eus. h. e. 6,25; ab Hieronymo, ep. ad Damas. 20) et multis recentioribus probata. Atque revera, si eius scribendi modus consideratur, ea quae gentibus offensioni esse possent evitat; apostolos in sua priore missione esse prohibitos abire in viam gentium, Matthaeus quidem narrat, neque tamen Lucas; historiam mulieris chananaeae quam Dominus durius tractare videri poterat pariter non habet; apud Matthaeum legimus : nonne ethnici hoc faciunt? apud Lucam : et peccatores hoc faciunt etc. Accedit quod consulto Iesus describitur qui omnibus salutem afferat : in eius nativitate angeli pacem annuntiant hominibus bonae voluntatis; Simeon in templo salutare Dei celebrat quod Deus paraverit ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium; genealogia Iesu usque ad primum hominem perducitur, qua extensione Iesum designari Salvatorem omnium iam S. Irenaeus et Chrysostomus docent (cf. *Cornely* l. c. p. 139). In prima quam refert Lucas concione Iesus commemorat beneficia a Deo alienigenis praestita prae Iudaeis; pari-

ter non omittit prae aliis adnotare praecursorem quoque militibus i. e. alienigenis praedicasse et opem et consilium salutis eis praebuisse. In regione Gerasenorum relinquit Iesus sanatum daemoniacum quem narrare iubet quanta ei fecerit Deus. In designatione et missione septuaginta discipulorum iam veteres videbant praeformari praeconium regni Dei ultra duodecim tribus Israel late in gentes extendendum. Cum discipuli in Samaritanos ultionem Dei vellent invocare, Iesus eos reprimit et se venisse testatur ad animas salvandas; non in aliquo Iudaeo, sed in Samaritano depingit veram formam caritatis in proximum; pariter ex decem leprosis mundatis unum Samaritanum rediisse ad Iesum et in faciem procumbentem gratias egisse Lucas refert eique laudem a Iesu esse tributam et ope fidei ei salutem contigisse ipsis Domini verbis narrat.

Verum si diceres librum solis ethnico-christianis destinari, sententiam proponeres mancam et curtam, non integram et perfectam qualis indoli libri est consentanea. Cum enim Paulus non uno loco affirmet evangelium missum esse Iudaeo primum et Graeco et ipse sedulo prius Iudaeis praedicet et dein gentibus et summum manifestet studium, ut omnes, Iudaeos et Graecos, ad Iesum adducat (cf. Rom. 1,16; 9,1-6; 11,13. 1 Cor. 9,20. Act. 13,46 etc.), quomodo socius eius et testis laborum censeri posset non eodem studio inflammatus? Quare iam ut aiunt a priore certum esse videtur Lucam librum suum etiam iudaeo-christianis destinasse, brevi illis omnibus quibus Paulus annuntiavit evangelium. Nonne sat multa in eius libro continentur quae singulari modo Iudaeis conversis solatio et gaudio esse debebant? Cogita de pia familia sacerdotali Zachariae, de verbis angeli ad b. Virginem de throno David dando filio eius etc. Quid cantica illa Magnificat et Benedictus continent nisi insignem commendationem populi electi et laudem beneficiorum Dei illi populo praebitorum? Ab angelis Salvator annuntiatur : natus est *vobis*, pastoribus, populo israelitico; gaudium fore promittunt toti populo; in civitate David apparuit Messias et iste Messias caerimonias legis subit in circumcisione, in praesentatione in templo, ubi a Simeone consalutatur ut gloria plebis Israel, in profectione tempore statuto ad templum. Christus vita sua et miraculis terram israeliticam consecravit; miracula sua liberalitate maxima patrat pro Iudaeis, ex Iudaeis seligit sibi apostolos et discipulos, turbis israeliticis praedicat. Et si narratur praecursorem praedicasse sicut scriptum est in libro sermonum Isaiae, ipsum Christum ab oraculo Isaiae prophetae suum incepisse in Nazareth sermonem et oracula prophetarum in se debere impleri apostolos docuisse (3,4; 4,18; 18, 31; 22,37; 24,25. 44), haec quam maxime ad iudaeo-christianorum

fidem roborandam apta sunt. Alia vide apud *Cornely* l. c. p. 140 seq.

Minime tamen tacet quod taceri nec debuit nec potuit Messiam a suo populo esse reiectum. Quod quomodo evenisset necesse erat ipsa rerum gestarum fideli narratione declarare et pro ethnicis et pro Iudaeis; pro illis quidem ne Iudaeorum pervicacia et repudiatio Messiae iis esset obstaculum fidei, pro his ut perviderent synagogam sua maxima culpa negasse ei fidem quem tot promissis divinis acceptis exspectabat. Atque id Lucas pro utriusque populi in fide confirmatione praestat. Iam praecursor graviter monet ne salutem sibi promittant quia patrem habeant Abraham, verum oportere bonum afferre fructum; Messiam purgaturum esse aream suam, paleas combusturum. Porro describit Lucas quomodo quidem admiratae sint haud raro turbae in verbis gratiae Iesu et miraculis, at simul indicat causas cur ad plenam non pervenerint fidem. Cuius obstinationis triste praesagium et exemplum statim proponit in primo Iesu ad Nazarethanos sermone (4,22 seq.), proponit in pharisaeis et scribis qui animis malignis Iesum persequuntur, oblocutionibus et cavillationibus eius apud turbam auctoritatem destruere conantur et demum miracula eius fieri per principem daemoniorum affirmant. In qua tamen expositione culpae Iudaeorum Lucas eodem sensu imbutum se nobis exhibet quem apud Paulum deprehendimus. Paulus duces populi excusat : si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent (1 Cor. 2,8), magnum in suos populares ostendit amoris affectum (Rom. 9,1-6; 10,2; 11,13). Neque aliter Lucas. Nam inter ipsas minas et reprehensiones ea simul a Iesu dicta esse significat quae viam salutis ostendant, quae animum Iesu misericordem manifestent; ita 13,3. 5. 8 : domine dimitte illam (arborem) et hoc anno; solus Lucas nobis refert : ut appropinquavit videns civitatem *flevit* super eam (19,41), solus Lucas refert verba illa quibus Iesu animus et sensus dolore et misericordia plenus adeo depingitur : filiae Ierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete et super filios vestros etc. et : Pater dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt (23,28. 34). Pariter nobis ostendit Iesum gaudentem eo quod Israelitis bona et spiritualia et corporalia conferre potuit (cf. 13,16; 19,9). Porro si multa et gravia illa quae apud Matthaeum de pharisaeis Iesus loquitur in memoriam revocaveris, fateri debebis Lucam pleraque omisisse, narrare autem Iesum saepius a pharisaeis esse invitatum et suis ipsius sermonibus et reprehensionibus eis quoque viam salutis ostendisse (cf. 5,21 seq. 31; 6,2. 9; 7,31. 40 seq. 11,17. 37; 13,15; 14,1 etc.). Eadem cum Matthaeo comparatione instituta invenies quaedam dura in Iudaeos dicta apud Lucam non reperiri; v. g. Matth. 8,12; 13,15; 21,19. 43. Hisce simul ostenditur tempore quo

Lucas scripsit iam non opus fuisse ut omni quasi argumentorum genere et pondere culpa et perversitas ducum populi exponeretur, neque Lucam inter eos quibus scripsit talem habuisse numerum et indolem Iudaeo-christianorum qualem ob oculos habuisse Matthaeus censendus est.

Solus Lucas nobis narrat Iesum praedicationem suam in Galilaea incepisse ab oraculo Isaiae et suum descripsisse munus, ut sanaret contritos corde, captivis praedicaret remissionem et annum acceptum Domini. Iam prae aliis evangelistis Lucas in iis immoratur eaque ex sermonibus parabolisque Domini nobis solus conservavit quae quam maxime egregie hanc quasi vitae ac muneris Iesu formam describunt et illustrant. Ita solus nobis refert quanta benignitate peccatricem susceperit, defenderit, laudaverit et venia peccatorum data in pace dimiserit 7,44 seq., quomodo Samaritanos qui eum non receperunt a discipulorum vindicta tuitus sit suum manifestans desiderium salvandi omnes; solus Lucas ad parabolam de ove perdita et de drachma amissa addit Domini verba : ita gaudium erit in coelo, gaudium erit coram angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente (15,7. 10). Solus nobis servavit parabolam illam insignem de filio prodigo, in qua Dei in peccatores immensa misericordia mirum in modum describitur (15, 20-32), parabolam de publicano qui iustificatus a templo recedit, narrationem de Zachaeo, cuius pium desiderium beneficio longe maiore superavit, verba illa misericordia et gratia plenissima quibus latroni crucifixo paradisum promittit (cf. 18,13; 19,5; 23,43). Dum autem Lucas haec enarrat, ea in Iesu nobis depingit quae Paulus quoque in epistolis celebrare frequenter solet; scil. divitias bonitatis et patientiae et longanimitatis Dei, caritatem Dei quoniam cum adhuc peccatores essemus Christus pro nobis mortuus est, divitias gloriae in vasa misericordiae, bonitatem Dei ut omnium misereatur (Rom. 2,4; 5,8; 9,23; 11, 22. 32); Paulus laudat divitias gratiae (Eph. 1,7. Col. 1,27) et quae postea litteris consignavit, certe omni tempore animum eius implebant : superabundavit gratia Domini nostri; fidelis sermo et omni acceptione dignus quod Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere (1 Tim. 1,14. 15), apparuit gratia Dei salvatoris nostri omnibus hominibus, apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri (Tit. 2,11; 3,4). Iam vero hanc gratiam et benignitatem Lucas prae aliis egregie delineavit moribus Iesu et verbis. Qua in re eum illuminatorem sui Paulum (*Tertull.*) secutum esse facile concesseris, sicut eum sequitur in eo quod Iesum frequenter vocat Κύριον Dominum (cf. 1,43; 2,11; 5,8. 12,17; 7,13; 10, 1; 11,39; 12,42 etc.).

Quod demum aliqui quasi ex fonte quodam ebionitico haustum in libro Lucae notare non dubitabant, id omne plane iis congruit quae

a Paulo quoque continuo commendantur. Nemo enim ignorare potest Paulum monere ut caveatur a periculis divitiarum, Paulum commendare paupertatem, orationem, bona opera (cf. Rom. 2,7; 15,30. 1 Cor. 4,11. 2 Cor. 8,9. Eph. 6,18. Col. 4,2. 1 Thess. 5,17. 1 Tim. 6,7-10. 17. 18 etc.). Quare mirum non est Lucam ex verbis Christi ea quoque sedulo selegisse et litteris consignasse, quibus pauperes dicuntur beati et pericula divitiarum panduntur (6,20-25; 12,15 seq. 16,9. 19 seq.) quibus oratio commendatur eiusque efficacia apparet (3,21; 5,16; 6,12. 28; 9,18. 28; 11,1 seq. 5 seq.; 18,1 seq. 21,36; 22,40 etc.) et quibus opera bona praecipiuntur (6,27-38; 6,43-47; 8,21; 9,48; 10,37; 12,33. 43; 14,12 seq. 16,9; 17,10; 18,18 seq. etc.). — Hisce itaque Lucas et gentibus et Iudaeis argumenta praebet ad fidem confirmandam et documenta ad vitam Deo dignam (1 Thess. 2,11) degendam et incitamenta ad omnem virtutem.

IV. — Quo ordine liber sit compositus.

In argumento libri facili negotio quattuor partes distinguuntur. Nam primo edocemur de iis quae antequam Iesus ministerium publicum aggrederetur evenerunt 1,5-4,13; eius autem ministerium deinde nobis describitur quale illud gesserit in Galilaea 4,14-9,50 et quale illud exercuerit relicta Galilaea eo tempore quo uti a Ioanne docemur ter in urbem profectus est 9,51-19,28; demum ultima vitae eius periodus a sollemni in urbem ingressu usque ad resurrectionem et ascensionem pertexitur 19,28-24,53.

Iam ordinem temporis servari in prima parte et in ultima non indiget probatione. Nam res ipsa loquitur. Narratur annuntiatio per angelum facta de nativitate praecursoris 1,5 seq. post sex menses annuntiatur nativitas Iesu, post tres menses nascitur Ioannes qui post octo dies circumciditur. Sequitur narratio de nativitate Iesu, de circumcisione, praesentatione in templo, de reditu in Galilaeam et commoratione in Nazareth. Dein 3,1 tempus designatur, quando praecursor munere suo fungi a Deo iussus est, ad quem venit Iesus ut baptizaretur, quo facto Iesus sese in desertum recepit, et inde revertitur in Galilaeam. Neque difficilius est ordinem videre temporis in ultima parte : describitur sollemnis in urbem ingressus, Iesus profanationem templi vindicat; interrogatur qua potestate agat, principes sacerdotum et scribas mittunt ad eum insidiatores qui eum caperent in sermone; egressus e templo vaticinatur de ruina urbis et de altero suo adventu; celebrat coenam paschalem, egreditur in montem olivarum, orat et sustinet agoniam, comprehenditur et ducitur ad domum principis sa-

cerdotum, negatur a Petro, illuditur, mortis reus declaratur, ducitur ad Pilatum, ad Herodem etc.

Verum difficultas est de secunda et tertia parte, in quibus aliqui ordinem temporis servari nolunt admittere. At hic quoque eum ordinem esse agnoscendum variis rationibus suaderi potest. Et primo quidem quia Lucas in universum affirmat se ea quae ab initio diligenter exploraverit καθεξῆς ex ordine scribere, quam vocem de ordine temporis esse intelligendam ex eius usu et ex contexta oratione probatur in Commentario ad 1,3. Praeterea in altera parte sat multa continentur quibus Lucas indicat se ordine temporis narrare; ita relicto oppido Nazareth 4,31 pergit : et descendit in Capharnaum, ibique docet in synagoga; dein v. 38 surgens de synagoga introivit in domum Simonis; v. 40 cum sol occidisset... v. 42 facta autem die egressus ibat in desertum locum v. 44 et erat praedicans in synagogis Galilaeae; 5,27 post haec (sanationem paralytici) exiit et vidit publicanum; 6,1 factum est in sabbato secundo primo; 6,6 factum est in alio sabbato, 6,12 factum est in illis diebus (sequitur electio apostolorum et sermo qui dicitur montanus); 7,1 cum autem implesset verba in aures plebis intravit Capharnaum; 7,11 et deinceps ibat in civitatem Naim; 7,18 et nuntiaverunt Ioanni discipuli de his omnibus et misit duos ad Iesum; 8,1 et factum est deinceps; 8,40 factum est cum redisset Iesus (e regione Gerasenorum); 9,10 et reversi apostoli narraverunt; 9,28 factum est autem post haec fere dies octo; 9,37 factum est in sequenti die (post transfigurationem). En in hac parte satis brevi tot continentur quibus seriem et ordinem temporis clare apponit! Pauca inseruntur quae nulla temporis nota adiunguntur; ita 5,1 (secus stagnum Genesareth), 5,12 (cum esset in una civitatum); 5,17 (in una dierum), 7,36 (rogabat eum quidam de pharisaeis), 8,19 (venerunt ad illum mater et fratres), 8,22 (in una dierum), 9,1 (convocatis duodecim apostolis), 9,18 (cum solus esset orans), 9,46 (quis eorum maior esset).

Haec utique cum antecedentibus non ita iunguntur, ut ordo temporis clare exprimatur, at perperam inde concluderes ea extra seriem temporis addi. Inseruntur enim inter ea quibus designatio temporis adiuncta est, unde iam praesumi potest narrationem eo ordine in his quoque texi quo antea incepta est et postea continuatur. Idque alia ratione confirmatur. Ita discimus a Marco paralyticum esse sanatum aliquo tempore post sanationem leprosi (Marc. 4,1); unde iam patet Luc. 5,17 ex ordine temporis addi. Ipsa quoque sanatio leprosi a Marco quoque in id temporis spatium incidisse refertur quod Luc. 4,44 et 5,12 indicatur. De peccatrice 7,36 seq. solus refert Lucas; unde id evenisse post missionem discipulorum Ioannis aliunde nequit ostendi; at

cum post eam narrationem pergatur 8,1 et factum est deinceps, ordo temporis etiam pro antecedente satis innuitur. Adventum autem matris et fratrum docemur a Matthaeo 13,1 eo die contigisse quo Iesus parabolam de seminante proposuit; iam apud Lucam adventus ponitur post eandem parabolam; proinde series temporis non negligitur. Neque 8,22 dici potest referri ordine temporis neglecto. Nam Marc. 4,35 statuitur expresse transfretationem in regionem Gerasenorum factam esse eo die sero quo populum in parabolis docuerat; unde bene refertur apud Lucam post parabolam propositam. Etiam secundum narrationem Marci (cf. 6,1. 8) concludendum est missos esse apostolos ad praedicandum aliquo tempore postquam filia Iairi archisynagogi a mortuis erat suscitata; proin recte apud Lucam sequitur 9,1. Porro ex narratione apud Matth. 16,13 et Marc. 8,27 pariter certum est id quod Luc. 9,18 refert : quem me esse dicunt turbae etc. evenisse aliquo tempore post multiplicationem panum. Discrimen solum in eo est quod alii duo eiusmodi narrant miracula, prius autem Lucas altero omisso, qua omissione ordo temporis tamen nullatenus turbatur. Pariter quod Luc. 9,46 scribitur accidisse post transfigurationem et sanationem pueri lunatici, cum Iesus esset iterum in Capharnaum, patet ex narratione concordi Matth. 18,1 et Marc. 9,32; quare id quoque ordine temporis apud Lucam legitur. Quae cum ita sint manifestum esse videtur in hac altera parte 4,14-9,50 ordinem temporis servari.

Iam quid de tertia libri parte? Fatendum est id de ea parte non eadem facilitate posse ostendi. Nam ea in parte Lucas multa habet propria quae neque apud alios leguntur neque certa temporis designatione referuntur; nonnulla apud eum deprehenduntur quae apud alios alii tempori adscribi videntur. Nihilominus satis evinci potest etiam hac parte Lucam non recedere ab eo ordine quem in antecedentibus secutus est. Primo enim non desunt ea quibus temporis designatio et consecutio indicatur. Ita 9,51; 10,1 post haec designavit; 11,37 et cum loqueretur rogavit eum; 11,53 cum autem haec ad illos diceret coeperunt pharisaei; 13,1 aderant quidam ipso in tempore; 13,31 in ipsa die accesserunt; 16,14 audiebant autem omnia haec pharisaei et deridebant illum et ait illis etc., 19,1 et ingressus (cf. 18,35) perambulabat Iericho; 19,11 haec illis audientibus adiiciens dixit parabolam, 19,28 et his dictis praecedebat ascendens Ierosolymam. Secundo ad temporis ordinem evincendum multum confert accurate designari a Luca tria illa itinera hierosolymitana quae Iesum anno tertio vitae publicae ad festum tabernaculorum, ad festum encaeniorum, ad pascha fecisse Ioannes narrat. Nam 10,38 Iesum nobis exhibet Lucas in Bethania, ergo prope urbem; 13,22 narrat : et ibat per civitates et castella

docens et iter faciens in Ierusalem; demum 17,11 et factum est dum iret in Ierusalem, transibat per mediam Samariam et Galilaeam (vide in Comment.); quae tria itinera congruunt iis quae Ioan. 7,10 et 10,22 et 11,54 seq. narrantur. Quare non est cur dubitetur quin in hac quoque parte ordo temporis servetur.

Ceterum si de ordine temporis sermo fit, intelligendus erit ordo rerum gestarum vel eventuum. Nam assentiri licet Patritio dum scribit: « demum quo difficultates vincere queas animadverte ordinem quem Lucas sequi instituit in historia describenda esse rerum gestarum ac temporis, quo, inquam, facta sunt singula eorum quae refert. Securis igitur nobis licet esse de eo quod in Christi sermonibus atque orationibus a Luca relatis ad quaedam veluti offendimus quae ἀνακολουθα videntur ». Aliqua quae obiici solent dilui in Comment., alia quaedam hic subiicio.

Obiicit *Noesgen* (Studien und Kritiken 1877 p. 443) eventum in Nazareth 4,14 et unctionem 7,36-50 non suo loco referri. Sed ille supponit Lucam in 4,14 de eo eventu loqui, cuius tempus utique a Marco 6,1 accurate definitur; dein supponit unctionem 7,36 seq. narratam esse eandem cum illa quae paucis diebus ante passionem in Bethania facta sit. Sed utrumque falso supponitur; vide quae dixi in Comment. Matth. I p. 547, II p. 401. Dein monet duas parabolas de grano sinapis et de fermento referri Luc. 13,18-21, dum secundum Marc. 4,31 parabola de grano sinapis alio tempore sit proposita. Hoc verum est; sed bene notandum ex ratione vitae publicae facile fieri, ut Christus eandem parabolam saepius proposuerit. In cuius rei probationem illa proferri possunt quae bis apud eundem evangelistam leguntur; vide Matth. 7,16 et 12,33; 5,29 et 18,8; 12,38 et 16,1; 5,31 et 19,3; 9,32 et 12,22 et Luc. 8,16 et 11,33. Vel si malueris, recogita quae modo a Patritio scripta attuli. In doctrina enim enuntiata non videtur opus esse adeo ordine temporis, quia doctrina *quae per se proponitur* semper et ubique valet neque ad certam restringitur occasionem neque a conditione temporis et loci ei aliquid momenti accrescit. Quare sine ullo negotio conceditur documenta quaedam et sententias apud Lucam non suo loco recitari; hoc censet Patritius v. g. de Luc. 6,39-41; 8,16. 17; 9,25-27; 11,33-34; 12,50-51 etc.

Dein obiicit *Noesgen* Luc. 11,17-25 alii adscribi tempori quam Marc. 3,22 seq. Sed ibi est quaerendum, uter referat ex ordine. Nam teste Ioanne presbytero apud Papiam Marcus nonnulla non suo retulit ordine, sed ita retulit uti Petrum narrantem audivit. Proinde si qua dissensio reperitur inter ordinem Marci et Lucae, dicendum erit Marcum non tenuisse ordinem. Porro obiicit idem apud Luc. 13,31 Iesum versari in Galilaea, id quod cum 9,51 nequeat componi. Verum quis eum docuit id dictum esse in Galilaea? cur non in Peraea quae ditionis Herodis regio erat? Neque ullo pacto ostendit Luc. 13,22 non posse intelligi iter ad encaenia neque probat fieri non potuisse ut Iesus ab Ephrem per mediam Samariam et Galilaeam,

per Peraeam, Iericho, Bethaniam profectus esset in Ierusalem. Equidem puto consensionem minime spernendam cerni in eo quod Ioannes in ultimo anno vitae Iesu tria nobis refert itinera in urbem et Lucas de eodem tempore ter itineris in urbem mentionem facit, quamvis de ipsa in urbe commoratione nihil litteris consignaverit. Neque verum est quod *Noesgen* affirmat : nullibi Iesum apud Lucam duci in urbem. Qui dicit : faciem firmavit ut iret in Ierusalem, ibat iter faciens in Ierusalem, non negat eum revera ingressum esse urbem, etiamsi non addat eum revera in urbe versatum esse; nonne potius qui dicitur iter facere in urbem censendus est etiam pervenisse ad urbem, nisi contrarium explicite a narratore asseritur?

Porro ordo ille temporis ipsa quoque consideratione argumenti confirmatur. Iesus incipit docere, et ut doctrinae suae auctoritatem conciliet turbasque attrahat miracula in bonum aegrotorum patrat et aliquos discipulos sibi adiungit (4,14-5,16). Verum suspicio et simultas pharisaeorum et scribarum mox manifestatur, quae quomodo variis occasionibus augeatur nobis exponitur, donec tandem « repleti sunt insipientia et colloquebantur ad invicem quidnam facerent Iesu » (5,17-6,11). Dum itaque duces populi iam eum perdere student, ipse alios suae Ecclesiae principes et pastores providet in electione apostolorum, quibus simul cum turba quae undique ad eum confluebat regni sui leges exponit (6,12-49). Duobus miraculis fidem populi provocare studet; occasione missionis discipulorum Ioannis exponit coram populo quam frustra et Ioannes et ipse laboraverit pharisaeis semper resistentibus. Pharisaeos ignorare veram Messiae vel prophetae Dei indolem et munus, id autem agnosci ab iis qui miseria peccatorum pressi salutem desiderent, in pharisaeo et peccatrice depingitur, quo altero modo declaratur quid Iesus eousque effecerit (7,1-50). Dein apostolos singulari cura docet; iis explicat parabolas, docet qui sint vere sui consanguinei, tempestate maris sedata, daemoniaco sanato, filia Iairi ad vitam revocata eorum in se fidem auget. Eo modo praeparatos mittit ad praedicandum et novum suae potentiae documentum iis exhibet dum iis potestatem patrandi miracula tribuit (8,1-9,9). Reduces miraculo multiplicationis panum denuo de sua edocet dignitate; quare posita quaestione : quem me esse dicitis, fructum colligere vult tot signorum ac documentorum. Et cum Petrus eum Christum Dei confessus esset incipit eos edocere de vera Messiae eiusque regni notione, scil. de passione et abnegatione; ad quam vero gloriam ea via perveniendum sit aliquibus manifestat modo quodam praevio in transfiguratione. Iterum fidem eorum etiam tum debilem esse ostendit, denuo passionem praedicit, ad humilitatem eos instituit (9,10,9,50).

Haec itaque in Galilaea gesta sunt. Non potest dubitari quin haec ita

inter se aliquo temporis spatio interposito subsequi potuerint; manifestum quoque est iis quandam rerum progressionem contineri, quae cernitur in odio pharisaeorum aucto, in electione et institutione apostolorum. Hac autem progressione rerum ipsum indicari et argui ordinem et progressionem temporis quis infitias ibit?

In itinere ad festum tabernaculorum discipulos suos multa docet : cohibet eorum iram, se missum esse ad omnes salvandos; conditiones exponit discipulatus; missis septuaginta discipulis et turbae consulit et discipulis quos reduces instituit de qua re vere oporteat gaudere. Parabola de Samaritano docet omnes homines sine ullo gentis et nationis discrimine esse diligendos et iuvandos, in Bethania autem discere possunt curis superfluis neglectis unum esse necessarium (9,51-10,42). Dein edocentur de modo orandi et de orationis vi et efficacia. Neque minus illa quae contra pharisaeos tractantur inserviunt ad eruditionem discipulorum. Discunt quantae illi sint perversitatis; dum Iesus eorum calumnias refutat, postulationi signi respondet, eorum vitia perstringit, simul documenta doctrinae tradit varia et summe utilia. In pharisaeorum autem odio aucto alius continetur gressus ad mortem Iesu inferendam (11,1-54). Turbas a fatali pharisaeorum auctoritate retrahere, iis et discipulis documenta ad salutem necessaria tradere pergit : cavendum ab hypocrisi pharisaeorum, Deum solum timendum, Filium Dei intrepide esse confitendum, avaritiam sedulo amandandam, sollicitudines de rebus temporalibus cavendas, regnum Dei solum quaerendum, bonis operibus insistendum, vigilandum, ut parati simus ad Domini adventum; interea fore ut multa sint sustinenda. Simul autem pandit quam parum turbae proficiant signa temporis adeo aperta ignorantes; in una poenitentia salutem constitui, verum illos similes esse arbori sterili. Verum non obstante perversitate adversariorum quae exemplo illustratur docet regnum messianum iri stabilitum et propagatum duabus parabolis (12,1-13,21).

Etiam post festum encaeniorum vario modo cum pharisaeis congreditur Iesus; minatur fore ut eiiciantur a regno, gentes autem admittantur; deplorat ruinam urbis quam illi caede Messiae quam iam animis volvunt adducturi sint; sibi insidiantes ad silentium redigit; reprehendit eorum ambitionem, ostendit parabola de coena, quare illi ad regnum messianum venire nolint et explicat turbis illos solum aptos esse ad regnum qui propter Dominum omnibus nuntium remittere parati sint (13,23-14,35). Et quam parum pharisaei cognoscant quod sit munus Messiae salvatoris, ostendunt eo quod murmurant de Iesu peccatores excipiente; quare Iesus parabolas narrat de ove perdita, de drachma perdita, de filio prodigo, quibus simul apostoli egregie in-

stituuntur quo animo et studio operam dare oporteat conversioni peccatorum (15,1-32). Parabola autem de villico iniquo docet de usu divitiarum monens ne quis rebus terrenis animum affigat; quod cum pharisaei irriderent eos reprehendit quod regnum Dei oppugnent, luxuriae dediti sint et ad quid tandem vita deliciis dedita perveniatur ostendit parabola de divite, dum in Lazaro paupertas et summa miseria beatitatis praemium acquirat. Discipulos autem docet de scandalis, de venia danda, de vi et efficacia fidei, de humilitate (16,1-17,10).

In ultimo suo in urbem itinere sanat Iesus decem leprosos, quorum unus isque Samaritanus Deo gloriam dat, monet regnum Dei non venire cum observatione, iam inter eos consistere; discipulis praedicit tribulationes, quia et Messias passurus sit; monet ne dies Domini eos inveniat imparatos; parabola declarat vim orationis perseverantis, sed quomodo orandum sit cum humilitate, ostendit in publicani exemplo. Suo agendi modo curam parvulorum commendat discipulis, quibus occasione quaestionis cuiusdam nobilis iuvenis exponit pericula divitiarum et praemium paupertatis sponte ob Christum susceptae. Denuo eos monet de passione sua instante. Prope Iericho caeco lumen oculorum restituit, in Iericho Zachaeum publicanum filium reddit Abrahae; illis vero qui existimabant confestim regnum iri manifestatum parabolam proponit qua iubentur sedulo in opere Domini laborare et qua Messiae inimicos iri trucidatum ostenditur (17,11-19,27).

Non haberi ordinem temporis sed proponi ordinem rerum alii contendunt. Ita Noesgen quem Keil sequitur. Verum nescio probeturne multis quod ille excogitavit. Vult enim 4,1-9,45 Iesum sese probare Christum, plenum Spiritus sancti, verbo et opere et se talem exhibere coram populo et discipulis; dein 9,46-18,30 exponi quaenam sit natura et indoles regni messiani et demum 18,31 seq. probari Christo convenire regnum regiamque dignitatem. Et primam quidem partem 4,1-9,45 ita per singula prosequitur : 4,1. 14 enuntiari summum huius partis argumentum i. e. cerni in omnibus impulsum Spiritus sancti; iam a) 4,14-5,26 quibus operibus Iesus se agi virtute Spiritus manifestaverit; b) 5,27-6,49 quid Iesus populo allaturus sit : vocat peccatores ad poenitentiam, suos ad laetitiam; non eos subiicit servituti (6,1-11); aperit consilium fundandae Ecclesiae, cuius naturam declarat in sermone montano; c) 7,1-23 quid Christus eiusque opera valuerint in populum quidque effecerint; d) 7,24-8,56 quomodo factum sit, ut Iesus relicta multitudine paucis edocendis et excolendis operam dederit et sequi ea quibus haec separatio adumbretur; e) 9,1-45 quomodo Christus inter suos sit comprobatus in virtute Spiritus sancti.

Alteri autem parti tamquam summum argumentum praemitti 9,46-50 : maximum scil. et minimum quod requiratur ut quis sit Christi discipulus; iam a) 9,51-11,13 quae Christus animis discipulorum indi et insidere velit;

b) 11,14-13,17 quaenam sit oppositio et contrarietas inter spiritum Christi et spiritum pharisaeorum; c) 13,18-18,30 colligi varia effata de regno Dei eiusque natura et de modo quo sese manifestaturum sit (cf. Studien und Kritiken 1876 p. 276 seq.).

Haec sufficiant. Qualis sit *ordo rerum* cerni potest in prima parte evangelii Matthaei, in qua facillime capita distingui possunt et inscribi : Iesus tamquam doctor 5,1-7,29; Iesus patrator miraculorum 8,1-9,34; Iesus regni messiani conditor 9, 35-13, 58. Simile quid apud Lucam fieri nequit et quod Noesgen tentavit variis laborat defectibus. Divisio illa triplex non est adaequata; nam in prima illa parte iam multa reperiuntur quae quomodo a secunda et tertia distinguantur et non potius ad eam pertineant materiam, cerni non potest. Porro num Christum agi in omnibus impulsu Spiritus solum concluditur prima parte? num quae Messias suis sit allaturus eo modo absolvuntur quo in prima parte sub b) indicatur? num quae Christus a discipulis postulet solum 9,51-11,13 continentur? Alia solum coacto quodam modo ad unum caput et quasi titulum referri possunt; alia subtilius quam verius dicuntur; ita non facile perspicitur, cur missio apostolorum et multiplicatio panum qua quinque millia satiantur referatur ad ea quibus Christus *inter suos* sit comprobatus virtute Spiritus etc. etc. Si Lucas revera ordinem *rerum* spectasset, nonne v. g. sermo quoque montanus ibi debuit collocari, ubi secundum Noesgen varia colliguntur effata de regno Dei eiusque natura et indole? num oppositio inter spiritum Christi et pharisaeorum solum cernitur 11,14-13,17? nonne eadem aequo iure exponitur et demonstratur 5,20 seq. 5,30-6,11? et 7,44 seq. et 14,1-24 et 15,1-32 et 16,14 seq.? etc. etc. Quare mihi videtur isto ordine *rerum* quem statui vidimus probari Lucam minime ordinem *rerum* sed temporis ordinem, quo revera progressio quoque rerum, doctrinae, institutionis apostolorum, odii inimicorum continetur et declaratur, voluisse in libro suo consignare.

V. — De subsidiis interpretationis.

Exstant *Origenis* in Lucam homiliae undequadraginta interprete S. Hieronymo, quarum triginta duae agunt de primis quattuor capitibus, reliquae de quibusdam selectis evangelii locis (*M.* gr. 13,1801-1902); suo modo Origenes pleraque allegorice tractat. Neque multum subsidii capitur ex *Eusebii* caesariensis Commentariis in Lucae evangelium, quantum superest in codicibus vaticanis (*M.* 24,529-605). Pauca *S. Athanasii* fragmenta leguntur *M.* 27,1392-1404 de aliquibus locis ex primis duobus capitibus, de 4,33 seq. 8,50 et 9,57 et 13,21, sed pleraque allegorica sunt et moralia. Maioris utilitatis est *S. Cyrilli* alexandrini explanatio in Lucae evangelium *M.* 72,475-949 et *Catena* graecorum Patrum ed. Cramer t. II Oxonii 1844, qua multa afferuntur

ex Tito bostrensi, Origene, Chrysostomo, Cyrillo, aliis. Ex latinis commentatoribus primo nominandus est *S. Ambrosius,* expositio evangelii secundum Lucam *M.* 15,1527-1850, qui sane multa dicit interpreti proficua; sed cum expositio ex homiliis sit contexta, multa quoque moralia et allegorica proferuntur neque omnes evangelii loci explanantur; in pluribus videtur sequi Origenem. Non pauca ad huius evangelii explanationem ratione habita eorum quae similia apud alios synopticos leguntur tractat *S. Augustinus,* de consensu evangelistarum, quo opere in id potissimum incumbit, ut apparentes contradictiones solvat; praeterea varia quoque, maxime tropologica et allegorica, proponit in duobus libris quaestionum evangelicarum (*M.* 34,1041 seq. 35,1323), quorum alter de Luca agit. Multos quoque textus expendit in variis sermonibus (*M.* 38. 39), quos occasione data reperies in Comment. laudatos. Neque praetereundae sunt *S. Gregorii* homiliae in evangelia (*M.* 76,1078 seq.), ex quibus haud paucae (1. 2. 8. 13. 15. 17. 20. 23. 31-37. 39. 40) de pericopis nostri evangelii agunt. Et cum eius homiliarum mentio facta sit, nolo silentio praeterire sermones S. Petri Chrysologi (*M.* 52), qui in sat multis varias quoque nostri evangelii partes exhortando et docendo pertractat (v. g. serm. 1-5. 11-13. 16. 17. 39. 54. 66. 86-93. 98. 99 etc.). Hisce adiungendus est venerabilis *Beda* qui in epistola ad Accam episcopum suae in Lucae evangelium expositionis rationem reddit hanc : « aggregatisque hinc inde quasi insignissimis ac dignissimis tanti muneris artificibus, opusculis Patrum, quid beatus Ambrosius, quid Augustinus, quid denique Gregorius, quid Hieronymus, quid ceteri Patres in Lucae verbis senserint, quid dixerint diligentius inspicere sategi, mandatumque continuo schedulis ut iussisti, vel ipsis eorum syllabis vel certe meis breviandi causa sermonibus, ut videbatur edidi ». Eius expositio multa continet bona et interpreti utilia (*M.* 92,394-636).

Ex saeculis posterioribus duo graeci interpretes nominandi sunt : *Theophylactus, M.* 123,684-1125, et *Euthymius, M.* 129,857-1101; de quibus vide quae dixi in Comment. Matth. I p. 13 et Marc. p. 19. Ex latinis commendandus est *S. Bonaventura* (*Bon.*), evangelii S. Lucae expositio habetur in tomo 10 et 11 editionis a Peltier adornatae Parisiis 1867. In divisionibus ac subdivisionibus cernitur modus scholasticus, plurimi afferuntur loci scripturae ad textus illustrandos; post expositionem litteralem, in qua haud pauca valde bona contineri ex Comment. videre possis — saepe enim s. doctorem laudavi — sequuntur allegorica et moralia. Eadem methodo usus est beatus *Albertus* (*Alb.*), cuius expositio in evangelium Lucae integrum implet tomum decimum operum eius edit. Lugduni 1651; multo fusior est expositione S. Bonaventurae.

Neque praetereunda est *catena aurea* S. Thomae, de qua vide *Cornely*, Introd. III p. 309. Plura iam in Comment. Matth. I p. 17 adnotavi (quae hic repetere non opus est) de aliis interpretibus, ut sunt *Faber* stapulensis (*Fab.*), *Dionysius* carthusianus (*Dion.*), Thomas de Vio *Caietanus* (*Cai.*), Cornelius *Iansenius* (*Ians.*), *Maldonatus* (*Mald.*), *Salmeron*, Cornelius *a Lapide* (*Lap.*), *Sylveira* (*Sylv.*), *Lamy*, *Calmet*. Ceterum ex iis quae in Comment. protuli vel approbans vel impugnans facile de eorum explicatione sententiam feres. Hisce tamen pro Luca accedunt alii quoque; ita valde egregii et Patrum expositionibus adductis et expensis copiosi sunt et accurata rerum dogmaticarum tractatione commendati commentarii in duodecim capita quos reliquit *Toletus* (*Tol.*) et quibus integrum volumen (in-folio ut aiunt) p. 808 implevit (Parisiis 1600). Laudandus quoque est ob perspicuitatem, accuratam expositionem, diligentem inquisitionem in verborum vim et significationem *Lucas* brugensis (*Luc.*); eius commentarius in Lucam excusus denuo est in tomo 22 Scripturae sacrae Cursus completi quem edidit Migne (1852) simul cum commentariis Cornelii Iansenii Iprensis (*Ipr.*), de quo vide *Cornely* l. c. p. 311. Demum commemoranda est Catena sexaginta quinque graecorum Patrum in Lucam, quae quattuor simul evangelistarum introducit explicationem, luce ac latinitate donata et ex aliis Patribus tam graecis quam latinis suppleta et annotationibus illustrata a Balthasare Corderio (*Cord.*); magnum est volumen p. 633, Antverpiae 1628.

Recentiores interpretes iam in prioribus Commentariis laudavi; sunt ex catholicis : *Schegg*, *Bisping*, *Reischl*, *Schanz* (Commentar über das Evangelium des heiligen Lucas 1883), *Fillion* (*Fil.*), Évangile selon S. Luc, Paris 1889. Ex protestantibus : *Keil* 1879, Bern. *Weiss* 1885, S. Luke's Gospel, Commentary and critical notes by W. B. Jones, qui liber pertinet ad illam commentariorum collectionem quam vocant Speaker's Bible (*Sp.*), *Farrar*. Multos alios commentarios recenset Schanz p. 43. 44.

Hisce addenda quoque sunt illa subsidia quae in prioribus Commentariis enumeravi : *Lightfoot* et *Schoettgen*, Horae hebraicae et talmudicae, *Wünsche*, Neue Beitraege etc., Alfred *Edersheim* (*Ed.*), The life and times of Iesus, *Patritius* de evangeliis, *Grimm* Joseph, Einheit der vier Evangelien, Leben Jesu etc. Alia suis locis laudantur.

Textum graecum dedi eum quem praebet codex vaticanus, B, quem textum accurate constituere studebam ex iis quae afferunt Tischendorf in editione critica maiore octava et Westcott et Hort. Lectiones variantes quae alicuius momenti esse videbantur adieci ex apparatu critico quem Tischendorf, Westcott et Hort praebent et saepius praesertim in locis dubiis adnotavi quam lectionem illi (Ti W H) adoptarint.

Codices graeci hi sunt secundum Tischendorf quos in lectionibus variantibus laudavi : codex B saec. 4; sinaiticus ℵ eiusdem aetatis; alexandrinus A saec. 5; pariter saec. 5 Ephraem rescriptus C (C^2 saec. 6? C^3 saec. 9); Bezae, cantabrigiensis D saec. fere 6 medii; basileensis E saec. 8 medii; Boreeli, nunc rheno-traiectinus F saec. 9; harleianus G saec. 9 vel 10; hamburgensis H eiusdem aetatis; codex palimpsestus petropolitanus I quae ad Lucam spectant saec. 6 videntur esse; cyprius parisiensis K saec. 9; parisiensis num. 62 L saec. 8; parisiensis num. 48 M post medium saec. 9; N fragmenta quaedam saec. 6?; P fragmenta ex saec. 6; Q fragmenta ex saec. 5; R fragmenta ex saec. 6 fere; vaticanus n. 354 S scriptus anno 949; venetus marcianus U saec. 10; mosquensis V saec. 9; monacensis X saec. 10; Z fragmenta ex saec. 8 fere; Γ codex scriptus 844; sangallensis Δ saec. 9 exeuntis (cf. Gregory, Prolegomena, Leipzig 1884 p. 1 p. 402) oxoniensis Λ saec. 9; Π saec. 9. Codices minusculi signantur numeris 1. 33. etc.

Codices versionis latinae, italae quae dicitur, hi sunt : a vercellensis saec. 4; b veronensis saec. 5; c colbertinus saec. 11; d cantabrigiensis saec. 6; e vindobonensis saec. 5; f brixianus saec. 6; ff^2 corbeiensis saec. 5 vel 6 (cf. Wordsworth, Evangelium sec. Matth. Oxonii 1889 p. XXXI), i vindobonensis saec. 5 vel 6 (saec. 7, Wordsworth); l rhedigerianus saec. 7; q monacensis saec. 6 (saec. 7, Wordsworth); r usserianus (cf. Wordsworth l. c. p. XXXII); s fragmenta Lucae ambr. med.

Lectiones variantes pro Vulgata praebet *Wordsworth*, Novum Testamentum D. N. Iesu Christi secundum editionem sancti Hieronymi, partis prioris fasciculus tertius : Evangelium secundum Lucam, Oxonii 1893. Illi ad textum Vulgatae huius evangelii praesto erant codices viginti septem, quos ille quidem litteris signat A B C D etc. Sed cum hae litterae adhibeantur ad codices graecos designandos, alium eligere ego debui modum, ne quaedam obscuritas vel anceps ratio exsisteret[1] : am codex amiatinus saec. 7 exeuntis vel 8 ineuntis; big bigotianus saec. 8 vel 9; cav cavensis saec. 9; dub dublinensis, olim armachanus saec. 8 vel 9; eg egertonensis eiusdem aetatis; ept epternacensis saec. 9; fuld fuldensis anno 541-546; ger sangermanensis saec. 9 (in Matth. g^1 signatur et veterem exhibet versionem; in reliquis evangeliis est vulgatae versionis); hub hubertianus saec. 9 vel 10; theod theodulfianus saec. 9; ing ingolstadiensis saec. 7; for foro-iuliensis saec. 6 vel 7; car carolinus saec. 9; lich lichfeldensis saec. 8 ineuntis vel 7 exeuntis; med mediolanensis saec. 6; mt martini-turonensis saec. 8; ox oxoniensis saec. 7; per perusinus saec. 6 (fragmentum Luc. 1,26-12,7); ken kenanensis saec. 7 vel 8; rush rushworthianus (gospels of Mac Regol) saec. 9; tol toletanus saec. 10; val vallicellanus saec. 9; wil biblia a Willelmo de Hales anno 1254 scripta; corp corporis Christi codex cantabrigiensis saec. 7; harl harleianus saec. 6 vel 7; lind lindisfarnensis saec. 7-8; ben beneventanus saec. 8; gat s. Gatiani codex saec. 6; denique lectiones Stephani an. 1546, Hentenii 1583, Sixti V an. 1590 steph hent sixt.

Ex aliis versionibus a Tischendorf laudatis accipe has : aeth arm cop sah syr (cu i. e. Curetoni) syr (sch, hr Peschittho, evangelium hierosolymitanum; ev hier signavi quae adieci ex eiusdem evangelii editione quam de Lagarde adornavit Gottingae 1892 : Bibliothecae syriacae collectae etc. p. 327-359) go gothica; de his versionibus vide *Cornely* Introd. I. num. 137 etc. p. 376, 2. edit.

1. Quod Wordsworth non ausus est, scil. codices hos secundum cognationem quandam in certas quasi familias distribuere, aggressus est Dobschütz (Studien zur Textcritik der Vulgata, 1894); has enim statuit codicum familias inspecta eorum indole : rush dub ken ept (eg partim) — car mt val harl — cav tol theod hub — ox corp ing for — am lind med fuld.

Nuperrime in lucem editum est evangelium aliud syriacum quod ex codice rescripto in monasterio montis Sinai non sine multo labore erutum est : The four Gospels in syriac, transcribed from the Sinaitic Palimpsest, by the late Robert L. Bensly and by I. Rendel Harris and by F. Crawford Burkitt, with an Introduction by Agnes Smith Lewis. Cambridge 1894. Quae ex textu hoc evangelii alicuius momenti esse videbantur, in var. lect. adnotata invenies sub sin. Pleraque quo facilius eorum habeatur conspectus quae fere propria sunt huic versioni, adieci ad calcem variarum lectionum. Versio haec syriaca certe multis in locis textum praebet bonum; saepe consentit cum fragmentis curetonianis, cum D, cum versione vetere latina, verum saepe quoque ab iis recedit. Insuper textus additamenta habet ita ut dici debeat versionem hanc antiquam interpolationibus non carere. Quando codex iste evangelii scriptus sit nequit determinari. Vitae sanctorum aliaque sub quibus textus evangeliorum plus minus abrasus detegebatur scripta erant anno 778 (p. XV in opere laudato). Evangelium ipsum vocatur evangelium separatorum quattuor scriptorum; ex qua appellatione forte concludere licet, id esse scriptum postquam saeculo quinto evangelium mixtorum (i. e. diatessaron, harmonia evangeliorum) ex usu et consuetudine ecclesiae syriacae erat remotum. Integer textus evangelii reperiri non poterat; aliqua folia perierunt, alia quaedam nimis abrasa erant. Praecipua quae desunt in evangelio Lucae sunt 1,16-38; 3,24-30; 5,16-6,15; 7,21-23; 9,9-12; 9,13-22; 9,24-27; 10,2.3.7.9-12.15-19.21; 11,14-32; 12,12-16; 13,6-8. 12-17. 20-22; 20,6-8. 12-16; 21,34-38; 22,4-7; 23,52-54; 24,40.41.

Versio syriaca quae dicitur simplex (Peschittho) multo magis cum textu graeco concordat quam haec versio e codice sinaitico, fere sicut Vulgata nostra plus congruit cum eodem graeco textu quam ea quae ante S. Hieronymum versa erat in linguam latinam.

Nomina SS. Patrum quae primis indicantur litteris explicare non erit opus, cum facillime cognoscantur : Or Origenes Chr Chrysostomus Eus Eusebius Thph Theophylactus Ir Irenaeus etc. — Alia quoque quae brevitatis causa adhibentur satis patent al mu pl pler alii multi plures plerique codices vel testes; rell reliqui; add om addunt omittunt vel additur omittitur; it codices italae vel versio antiqua; tat lectiones ex Tatiani « Diatessaron » quod edidit P. Augustinus Ciasca, Romae 1888.

Prooemium 1,1-4.

1,1. Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quae in nobis completae sunt, rerum : 2. Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis; 3. Visum est et mihi assecuto omnia a principio diligenter, ex ordine tibi scribere, optime Theophile, 4. Ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.

1,1. Ἐπειδήπερ πολλοὶ ἐπεχείρησαν ἀνατάξασθαι διήγησιν περὶ τῶν πεπληροφορημένων ἐν ἡμῖν πραγμάτων, 2. καθὼς παρέδοσαν ἡμῖν οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται καὶ ὑπηρέται γενόμενοι τοῦ λόγου, 3. ἔδοξε κἀμοὶ, παρηκολουθηκότι ἄνωθεν πᾶσιν ἀκριβῶς, καθεξῆς σοι γράψαι, κράτιστε Θεόφιλε, 4. ἵνα ἐπιγνῷς περὶ ὧν κατηχήθης λόγων τὴν ἀσφάλειαν.

Inscriptio fertur in ℵ B F κατα λουκαν; item in D et similiter in a b c q for syr (cu); pler codd ευαγγελιον κατα λουκαν; ept car mt val hub theod med lind harl : incipit evangelium secundum lucam; sin : evangelium Lucae; in v. 1 scribere et narrare. — In v. 3 go b q g^1 big ox visum est mihi *et spiritui sancto*, quod certe ex Act. 15,28 derivatum est.

S. Lucas incipit brevi prologo[1], qui ut omnes fatentur eleganti genere dicendi praestat; in eo autem quinque eum facere *Alb.* dicit : necessitatem ad scribendum cogentem et inducentem materiam de qua scribendum sit, perfectionem auctoris, formam quam teneat in scribendo et finem; v. 1 ἐπειδήπερ quandoquidem (uti vertunt iam *Cai. Luc.*), cum emphasi quadam ratio vel occasio ea voce designatur. Quinam fuerint illi *multi* ignoratur; veteres quidem non pauci explicarunt de evangeliis apocryphis quae nomine Thomae, Matthiae, Bartholomaei, duodecim apostolorum etc. circumferebantur (cf. *Ambr. Bed. Bon. Theoph. Dion. Fab. Cai. Ipr. Luc. Lap.* et probabiliter iam *Orig.*) ; at merito advertunt *Mald. Salm. Tol.* illa evangelia orta esse tempore posteriore. Neque illi multi cum iisdem fere veteribus pro haereticis vel pseudoprophetis habendi sunt, neque enim verbis Lucae ullo modo tale eis vituperium imponitur. Unum enim quod dicit de iis est : *multi conati sunt* vel aggressi sunt, manus admoverunt, *ordinare narrationem* ἀνατάξασθαι contexere, ordine digerere et componere; hoc autem fecerunt *sicut tradiderunt nobis* etc.; ergo prout unusquisque potuit, ex traditione et narratione apostolorum suas quisque narrationes composuit et eximia illa quibus doctrina christiana vel innititur vel constat exposuit et scripto consignavit. Num itaque censendus erit Lucas nullum de iis iudicium tulisse? Interpretes et graeci et latini plerumque ex ipsa voce ἐπεχείρησαν *conati sunt*, colligunt eos operi suscepto non fuisse pares, eos accessisse gratia destitutos, non implesse quae sibi proposuissent, eos aberrasse (cf. *Amb. Aug.* de cons. ev. 4,8; *M.* 34,1222; *Orig. Euth. cat. Cr. Alb.* etc.). Sed ex sola hac voce id certo nequit ostendi[2]. Vox est ambigua, uti aggredi, opus suscipere, manus admovere, qua exitus rei neque prosper neque infelix primo et per se designatur. At cum ceteris in locis a Luca adhibeatur de re quae ad exitum perduci non potuit (Act. 9,29 et 19,13) et ita quoque 2 Mach. 7,19 (non tamen 2,29), argumentum illud non caret probabilitate, praesertim quia graeci interpretes ita vocem intellexerunt. Melius tamen alii ostendunt ex v. 3 illos a Luca non sine aliqua reprehensione notari, quatenus operi suscepto non satisfecissent (cf. *Salm. Tol. Luc. Bisp. Fil.*). Immerito aliqui (*Bisp. Fil. Keil*) in voce declarari volunt rei magnitudinem et difficultatem; haec enim notio voci neque per se inest neque usu probatur.

1. Nuperrime de eo egit *Belser* in Theol. Quartalschrift, Tübingen 1893 p. 391 seq.

2. Satis dure loquitur in eius vocis explicatione *Eusebius* (hist. eccl. 3, 24; *M.* 20, 268) : Λουκᾶς... δηλῶν ὡς ἄρα πολλῶν καὶ ἄλλων προπετέστερον ἐπιτετηδευκότων διήγησιν ποιήσασθαι,... ἀναγκαίως ἀπαλλάττων ἡμᾶς τῆς περὶ τοὺς ἄλλους ἀμφηρίστου ὑπολήψεως τὸν ἀσφαλῆ λόγον ... παρέδωκεν. Ait enim multos temere et imprudenter aggressos esse narrationem... et proin

Cum iam multi aggressi essent res ab apostolis praedicatas litteris consignare, liquido patet quanto animorum studio praedicatio apostolica sit suscepta et quanta quoque diligentia statim ab initio cautum sit a christianis ne quid ex illa praedicatione periret aut oblivioni daretur. Nam multos illos fuisse christianos, sententia est omnium, unum si exceperis *Aberle,* qui Iudaeos fuisse statuit auctores libelli accusatorii de Paulo Romae dati (cf. Tüb. Quartalschrift 1855 p. 217; 1863 p. 98; Einleitung p. 72). Narrationem autem instituerunt *quae in nobis*, ἐν ἡμῖν, apud nos fideles (*Amb. Euth. Iol. Luc. Schanz*) *completae sunt rerum* πεπληροφορημένων quam vocem graecam sat multi explicant : quae maxima fide confirmatae sunt et plena persuasione creditae (cf. *Orig. Amb. Theoph. Eut. cat. Cr. Tol. Ians. Ipr. Dion. Mald. Luc. Cai. Far.*), alii cum *vulg.* completae, perfectae, plane ad exitum perductae (uti *Alb. Dion. Bisp. Reischl, Schanz, Fil. Belser, Keil, Weiss*); alii uti *Lap. Cord. Calm.* utramque explicationem proponunt; quod aliqui de impletione oraculorum ingerunt (*Schegg, Bisp. Fil. God.*), a notione vocis nequit derivari. Verum est vocem usurpari sensu faciendi plenam fidem; sed tum dicitur de personis; cf. Rom. 4,21; 14,5; dubitant num de rebus eadem notione usurpari possit. Sed certum est vocem adhiberi cum emphasi (cf. 2 Tim. 4,5); unde sensus est res illas apertissime et evidentissime esse transactas et perfectas et ita ad exitum perductas, ut non in aliquo angulo lateant, sed omnium quasi conspectui et notitiae sese inferant. Quare etsi alteram hanc de rebus significationem retinueris, prior illa ex hac perfacile consequitur. Res autem πράγματα sunt, ut *Euth.* dicit, opera et sermones, miracula et dogmata Christi et ut breviter dicam conversatio eius in carne (ἡ ἔνσαρκος αὐτοῦ πολιτεία), sunt mysteria redemptionis humanae a Iesu peractae, capita factorum et dictorum Christi (*Luc.*).

Multi autem illi narrationem suam contexere studebant v. 2 *sicut tradiderunt nobis;* καθώς referri debet ad id quod in sententia antecedenti praecipuum est i. e. ordinare narrationem (*Tol. Luc.* et recentiores), non ad vocem unam adiectam, uti πεπληροφορημένων (uti referunt *Theoph. Cai. Ians. Mald.* et etiam referri posse *Luc.* censet); ex traditione itaque illi hauserunt materiam narrandi; sed ipsa huius materiae dispositio, ordo, series, nexus, proin ἀνατάξασθαι (certo ordine rem collocare) potissimum ipsorum fuit, quia, uti res fert, praedicatione apostolorum non cuncta uno ordine unaque serie proponebantur, sed pro audientium vel necessitate vel utilitate et indole docebantur alia occasione alia. Omnes concedunt verbum *tradere* potissimum

se necessitate adductum, ut nos ab incertis opinionibus liberaret, fidelissimam tradidisse narrationem.

significare institutionem quae voce fiat; includi quoque et designari eam quae scripto facta sit aliqui existimant (cf. *Schanz, Belser, Keil, Weiss*). At verbum hoc παραδιδόναι ubique in libris nov. test. de doctrina vel praecepto ore tradito adhibetur (cf. Rom. 6,17. 1 Cor. 11,2. 23; 15,3. 2 Petr. 2,21. Iud. 3) eodemque modo frequenter nominantur παραδόσεις traditiones veterum etc.; cf. Matth. 15,2. 3. 6. Marc. 7,3 seq. 1 Cor. 11,2. Gal. 1,4. Col. 2,8. 2 Thess. 2,15; 3,6, quibus pariter intelliguntur doctrinae vel consuetudines ore traditae. Quare puto nostro loco de sola praedicatione fieri mentionem. Cum Lucas scribat *nobis* etiam innuit se non fuisse inter eos qui ab initio ipsi viderint etc.

Quod vero dicitur *ab initio* explicandum est non ab incarnatione (*Alb. Ipr. Bisp.*), sed ab initio vitae publicae et praedicationis Christi (*Euth. Dion. Cai. Ians. Lap. Calm.* et recentiores). Nam eo sensu Lucas adhibet ἀρχόμενος; vide ad 3,23. Act. 10,37 et cf. Marc. 1,1. Ioan. 15,27; quae acceptio eo quoque exigitur, quia et v. 3 voce ἄνωθεν prima illa exordia designat et apostoli non fuerunt testes nisi vitae Christi publicae. Porro οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται καὶ ὑπηρέται praeprimis apostoli sunt qui facti sunt rerum illarum spectatores, testes, arbitri et qui a Christo instituti sunt *ministri sermonis*, quibus scil. cura ministrandi praedicandique verbum Dei seu evangelium (*Cai. Tol. Luc.*) commissa fuit (cf. Matth. 28,20. Act. 1,2; *Bon.*); iis merito accensentur discipuli quoque quos ipse Christus iam binos ante faciem suam miserat (10,1 seq.) et quorum mentio fit Act. 8,4 : qui dispersi erant pertransibant evangelizantes verbum Dei (cf. Act. 11,19; 21,8). Quod dicitur τοῦ λόγου *sermonis* aliqui acceperunt de Verbo hypostatico (*Orig. Amb. Cyr. Euth.*), sed iam *Ians. Mald. Tol.* adnotant a nullo nisi a Ioanne Christum dici λόγον; praeterea iis maiorem capi auctoritatem, si dicantur praedicationis ministri esse constituti quam si solum Christo inservisse significarentur; nam mulieres quoque Christo ministrasse neque tamen esse ministras sermonis. Coactior quoque est explicatio qua αὐτόπται dicantur propter doctrinam qua scil. Verbum Dei viderint et intellexerint, et ministri propter opera bona (cf. *Orig. Amb. Euth. Alb.*). Quaestio solum moveri potest sitne τοῦ λόγου per modum hebraismi dictum pro re (דבר), pro eventu, ita ut facti dicantur spectatores et ministri rei a Christo gestae (*Mald. Bisp.*) vel rerum de quibus est sermo (*Alb.*), an sit dictum pro evangelio et nuntio messiano de regno Dei. Haec acceptio videtur praeferenda. Nam non est probabile Lucam nunc dicere λόγον quae modo dixerat πράγματα; dein frequentissime in Act. ὁ λόγος et ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ adhibetur de nuntio messiano (cf. Act. 4,4. 29. 31; 6,2. 4; 8,4; 10,44; 11,1 etc.). Ceterum cum praedicatio apostolica multum constaret et plurimum inniteretur

rebus gestis, prior illa acceptio sin minus verbo tamen rei consentanea satis est.

Quandoquidem multi ad scribendum se accinxerunt, v. 3 *visum est et mihi,* « particula *et* hunc indicat sensum, scil. multis visum est ordinare narrationem, ideo idem mihi visum est » (*Tol.*). At statim talia subiungit quibus se ostendit ad tale opus optime praeparatum et instructum; addit perfectionem auctoris (*Alb.*), *assecuto omnia a principio diligenter,* παρακολουθεῖν proprie significat comitari, simul cum aliquo incedere; proinde ad res pervestigandas translata vox dicit res illas mente investigare et persequi; hanc autem inquisitionem et explorationem se fecisse asserit de cunctis quae narraturus est, eamque fecisse ἄνωθεν a primordiis, a primis scil. principiis ipsaque origine (*Luc.*); et profecto cum incipiat narrare ab annuntiata nativitate praecursoris, rem alte repetit; omnia denique dicit se investigasse ἀκριβῶς diligenter, sedulo, accurate. Hisce itaque titulos videtur exhibere quibus quam maxime eius narratio efficiatur fide digna. Et cum dicat sese ad scribendum contulisse postquam ea diligentia in singula inquisierit, videtur innuere id desiderari in multis illis quod a se praestitum esse adeo effert. Scribit enim post illos, scribit de rebus iisdem, scribit, ut illi, non tamquam spectator et testis rerum, sed prout inquisitione facta de singulis rem comperit; cum itaque in tali conditione sibi peculiari modo vindicet et adscribat accuratam et diligentem investigationem, haud obscure significat id a se esse praestitum quod ab aliis plus minusve fuerit neglectum. Et hisce suis titulis simul reddit rationem cur sibi visum fuerit scribere post illos et de rebus magnam partem iisdem. Dicens autem ἔδοξε κἀμοί inspirationem neque negat neque asserit. Sed facile patet ut consilium illud caperet eum omnino *potuisse* moveri et duci occulto Spiritus s. impulsu qui hominum corda tangit et flectit quo vult. Eum autem revera suavi Dei ductu ad opus suscipiendum esse motum, nos ex eo docemur quia liber eius est inspiratus, utpote talis semper habitus Ecclesia magistra. Neque opus est ut Lucas eius motionis divinae sibi conscius fuerit; uti gratia sese accommodat naturae haud raro, ita Deus occasione illa uti potuit ad eiusmodi consilium in animo Lucae provocandum. Id autem excludi videtur dictione illa, eum Paulo vel alio homine hortatore ad scribendum accessisse.

Quandoque quaerunt sintne illis multis etiam accensendi Matthaeus et Marcus. In eum modum loqui videtur *Beda*, cum dicat sententia illa : ediderunt sicut tradiderunt etc. comprehendi non solum Marcum et Lucam, sed etiam Matthaeum et Ioannem, quia ipsi quoque in nonnullis quae scriberent ab aliis audire opus habuerint. Ad eam sententiam *Mald.* quoque

satis se propensum ostendit. Primo enim contendit verbum ἐπιχειρεῖν iuxta propriam significationem potius in laudem quam in vitium dici; unde « non video cur non Matthaeum et Marcum indicari hoc loco intelligamus quos non ut reprehenderet, sed ut laudaret Lucas designaverit et ut eorum exemplo similem suum conatum approbaret. Tres enim cur scribat rationes reddere videtur, quod idem alii ante se fecerint et liceat sibi eorum exemplo idem facere, quod res quibus constat evangelium exploratas habeat, quod rem gratam et utilem Theophilo facturus sit » atque eam interpretationem confirmari eo quod dicat : visum est et mihi; proinde se eodem consilio aggredi scriptionem quo illi aggressi sint, bono scil. et laudabili. Matthaeum quoque et Marcum accenseri posse multis illis censent *Schegg, Reischl, Schanz, Belser,* saltem Marcum *Keil*, neutrum *Tol.* Cum multi aperte distinguantur ab iis qui ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis, (illi scripserunt, sicut hi tradiderunt) difficile intelligitur quomodo Matthaeus apostolus iis adnumerari possit. Neque valet quod *Beda* habet; nam *sicut tradiderunt* etc. non ita potest extendi, ut v. g. ipsa beata Virgo intelligatur quae eum de Iesu nativitate et de magis edocuerit. Marcum posse eo numero comprehendi facilius concesseris; nam quod tacitae reprehensionis in v. 3 latet cum ad multos dirigatur, fortasse non necessario ad singulos et ad unumquemque applicari debet; dein cum Lucas ἄνωθεν scribat quod Marcus non fecit, etiam in v. 3 habetur quo Lucas a Marco revera recedit eique se quasi opponere dici potest, uti se opponit multis. Dein Lucas multo plura narrat quam Marcus, narrationem suam certo ordine et consilio instituit (v. 4). Quare non deerant rationes quibus ad scribendum impelleretur, etsi Marci librum habuerit cognitum. Et cum multos noverit, cur non etiam Marcum scripsisse comperisset?

Diligenti hac investigatione facta proponit *ex ordine tibi scribere,* καθεξῆς eiusdem notionis atque ἐφεξῆς seriem et ordinem rerum inter se subsequentium potissimum significat. Iam quaeritur qualis ordo hic intelligendus sit. Nam certe non sufficit dicere cum *Cai.*, eum velle scribere ordinate aut cum *Mald.* non confuse; quis enim profiteretur initio libri se proponere solum ut scribat non confuse? vel sibi esse curae ordinem aliquem in rebus enarrandis non negligere? Omnes fatentur καθεξῆς *posse* significare ordinem temporis. Proinde restat solum, ut suadeamus hanc notionem debere hoc loco assumi. Et primo quidem considerandum est agi de rebus gestis quas a primordiis se dicit perquisivisse et quas ex ordine et serie enarrare vult. Iam obvio sensu illa series intelligitur qua res evenerunt. Dein notandum est vocem καθεξῆς aliis in locis notionem prae se ferre temporalem; ita 8,1 et Act. 3,24 et 11,4 cum Petrus dicatur καθεξῆς rem enarrare, exponit quae evenerant ordine temporis servato, itemque 18,23. Quia itaque haec notio omnibus aliis locis subest, cur eam ab uno hoc loco abesse statua-

mus? Accedit quod ordo vel dispositio quaedam rerum secundum argumenti similitudinem apud eum non deprehenditur, uti supra iam ostensum est p. 25; cum igitur ordo rerum qui v. g. apud Matthaeum cap. 8. 9. 13 deprehenditur, frustra apud Lucam quaeratur et ipse tamen ex ordine se scribere profiteatur, qui alius ordo poterit intelligi, nisi ordo temporis? Recole quae dicta sunt p. 20 seq.

Qui ordo temporis, uti ad res gestas enarrandas apprime commendatur, ita necessario quoque colligitur ex consilio quod Lucas sibi proposuit, v. 4 *ut cognoscas eorum verborum de quibus eruditus es veritatem*, ἵνα ἐπιγνῷς i. e. πλείονα γνῶσιν λάβῃς, ut *Theoph.* explicat, ut firmius cognoscas (cf. *Ians. Luc.*) τὴν ἀσφάλειαν inconcussam firmitatem, certitudinem eorum verborum de quibus viva voce edoctus eras (institutione scil. catechetica). Censet itaque Lucas esse necessarium vel utile, ut Theophilo, viro erudito, aliquid praebeatur quo ostendatur ea quae doctrina christiana proponantur esse certissima et firmissima. Iam vero evangelium rebus gestis et factis cumprimis innititur et continetur. Sed si res gestae aliter ab aliis narrantur, si vario modo inter se connectuntur, si diversa apparet ratio temporis aliarumque conditionum apud eos qui referunt, evenire solet ut ipsa rerum veritas iam non adeo firmiter constet apud eum qui varias illas narrationes noverit. Multi autem sese accinxerunt ad ordinandam narrationem simulque professi esse videntur se componere rerum enarrationem, sicut acceperant ab ipsis rerum testibus et ministris evangelii constitutis (v. 2). Cum Lucas sibi adscribat se ἀκριβῶς in omnia inquisivisse, illis aliquatenus haec exacta diligentia defuisse videtur. Si itaque illi varie inter se discrepabant qui profitebantur se ordinasse narrationem ex traditione apostolorum, facile potuit labefactari ἀσφάλεια. Haec autem de rebus gestis securitas et de singulis certitudo apte vindicatur et stabilitur temporis serie observata.

Lucam scribere velle ordine temporis servato plerosque recentiorum interpretum agnoscere *Schanz* fatetur; ita censere ait Hug, Maier, Meyer, Wieseler, I. Grimm, Bisp. God. Grau, Weiss etc. quibus adde Patritium lib. 1, 3. 5, Cornely, Introd. III p. 150, Fil. Belser, Sp. Far.; immo eum ordinem iam indicare videtur *Beda* dum ait, Lucam scripsisse ut quo quid ordine de Domino vel a Domino gestum dictumve esset agnoscere posset Theophilus vel quisquis amat Deum. Atque ad eandem sententiam prope accedit *Alb.*, explicans ex ordine, ne historia sacramentorum Iesu confundatur. Et *Tol.* adnotat : quidam recentiores ex hoc loco colligunt Lucam servasse in omnibus ordinem temporum quibus gesta sunt. Ipse tamen, ut alii quoque, censet ordinem temporis servatum esse in praecipuis, in nonnullis praetermissum et nonnulla alio loco esse constituta, prout

doctrinae elucidationi accommodatum fuisset (sim. *Reischl*, *Schanz*, *Keil*). Alii ordinem temporis ad id coarctant, ut Lucas exorsus a conceptione Ioannis et Iesu pergat ad eorundem nativitatem, dein ad circumcisionem, purificationem, educationem, baptismum, praedicationem, passionem, resurrectionem (cf. *Mald.*, *Luc.* *Ipr.* *Lap.* *Belser*). Sed hoc parum est; nam alius ordo nemini potuit in mentem venire, neque erit qui de baptismo narret ante nativitatem neque de resurrectione ante mortem et fere ridiculum est Lucam nihil aliud voluisse dicere cum scriberet καθεξῆς. Neque congruit quod *Schegg* habet eum profiteri se velle scribere et res proponere serie non interrupta, dum in institutione catechetica res non proferrentur nisi factis intervallis. Sed quid sibi vult in scripta narratione series non interrupta? Ordinem temporis agnoscere videtur *Fab.*, scribit enim : nullus evangelistarum ordinem divinae historiae tam diligenter sequi videtur atque ipse, ut qui omnia a principio ad finem usque suo ordine texit.

Obiicit *Danko* contra ordinem hunc observatum, quod 3, 19. 20 Ioannem esse missum in carcerem alieno prorsus loco et tempore referatur. Sed legenti statim patet evangelistam mentione facta praedicationis Ioannis eiusque in Herodem animadversionis statim addere quasi annotatiunculam quem tandem exitum illa tulerit reprehensio. Idem dic de 1, 80. Iam etsi quis ordine temporis servato scribit, tamen omnino licet ei obiter et quasi per parenthesin aliqua adiungere. Eodem modo de duobus hisce locis obiectis iudicari debet (cf. Danko, Hist. revel. div. n. test. p. X). Ceterum idem Danko fatetur Lucam ordinis fuisse studiosum et : id quidem concedendum nobis postulamus s. Lucam qui cum historiarum scriptoris accuratione res indicat, eas ex ordine referre censendum esse nisi clare appareat data occasione occupare vel repetere omissa quae pro ratione temporis posterius vel prius erant dicenda (l. c. p. XLIII. 288). Nonne ita ipse respondet ad obiecta p. X eaque diluit?

Ceterum eum ordinem temporis merito intelligere licet quo eventus et facta ea serie recensentur qua inter se subsecuta sunt. Qui ordo ut servetur non opus est ut singulae uniuscuiusque eventus conditiones et quasi partes etiam semper ordine temporis enumerentur. Ita si quis ostendere posset certo ordinem tentationum Iesu esse revera eum quem Matthaeus expresserit, id non repugnaret sententiae de ordine temporis quem in narrandis eventibus Lucas secutus est; item non repugnat si ea quae inter coenam paschalem dicta sunt de proditore refert post ss. Eucharistiam institutam; idem dic de 21, 37 et fortasse de 22, 24 seq. Ceterum vide quae adnotavi in Comment. S. Matth. II p. 438.

Demum dicit *tibi scribere*, *optime Theophile*, κράτιστε titulus quidem est qui praesidi vel viro insigniori et munere publico fungenti indi solet (cf. Act. 23,26; 24,3; 26,25); at etiam usurpatur ad consuetudinem familiarem declarandam, ad amicum compellandum, uti la-

tina vox *optime* (cf. *Wetstein* ad h. l.). Quare definiri nequit utro modo haec appellatio adhibeatur. Cum Act. 1,1 solum dicatur o Theophile, coniicit *Patritius* munere suo iam esse defunctum cum Acta scripta sunt (de evang. lib. III p. 6). Hoc certo tenendum est eo nomine unum aliquem designari, virum nobilem aut amicum vel discipulum eumque eruditum. Neque iis assentiendum est qui nomine eo unumquemque Christianum significari librumque ad eum quem Deus diligit (*Amb. Bed. Bon.*) scribi existimarunt. Quae opinio merito derelicta est. Talis enim loquendi modus quo nomine ficto ad integram hominum classem sermo dirigatur (uti S. Franciscus Salesius v. g. Timotheum suum et Philotheam alloquitur) veteribus erat inusitatus (cf. *Patritius* l. c. *Cornely* l. c. p. 135). Dein ipsa appellatione κράτιστε et toto contextu quo v. 3. 4 aliqua de Theophilo enuntiantur probatur intelligi virum quendam. Neque tamen ex inscriptione colligere licet ei soli librum a Luca esse destinatum. Nam apud veteres quoque saepe in more erat positum, ut carmen vel librum uni quidem dedicarent et inscriberent, at nihilominus publici iuris esse vellent. Quare proprie non aberrat a vero *Orig.* dum scribit : putat aliquis quod ad Theophilum quempiam evangelium scripserit; omnes qui nos auditis loquentes, si tales fueritis ut diligamini a Deo et vos Theophili estis et ad vos evangelium scribitur; similiter *Euth. Alb.* virum intelligi determinatum docent et dein applicationem faciunt ad omnes qui Deum amant.

Cetera quae alia ab aliis de Theophilo proposita sunt, incerta sunt et in numero coniecturarum habenda. Ne illud quidem certum est quod plerumque ex Act. 28, 12-15 colligunt eum habitasse in Italia, immo Romae, quia civitates atque ipsa loca minima prope Romam cognita ibi supponantur. Nam, ut *Cornely* notat l. c. p. 135, extra Italiae quoque fines interdum civitatum minorum situs non definitur, Iconii, Seleuciae, Salaminos, Paphi etc.; eiusdemque sententiae est *Keil* quoque. Eum gessisse magistratum romanum multi quidem ex appellatione κράτιστε deducunt; ita iam S. Chrysostomus (*M.* 52, 782) : illo tempore praefectus erat; illud vero κράτιστε idem est quod λαμπρότατε; cf. *Danko* l. c. p. 289 et quos *Schanz* enumerat : Eutychius alexandrinus, Maier, Bisp. Patritius, Langen, Aberle, Eichhorn, Ewald, Holtzmann, Beyschlag; at cum appellatio illa non ad unam notionem coerceatur, conclusio est dubia. Merito dicit *Baronius* ad annum 58 n. 32 : quisnam ille Theophilus fuerit neminem hactenus invenimus definisse; verumenimvero si ex apocryphis veritatem aliquando expiscari conceditur, reperimus in libris Recognitionum Clementis fuisse Theophilum nobilem civem antiochenum, qui a Petro ad fidem christianam adductus domum quoque suam usui Christianorum mancipatam in ecclesiam mutavit (Recognit. 10, 71; *M.* 1, 1453). Alii quoque, uti Hilgenfeld (Einleitung p. 555), Meyer, God. Weiss hoc testimonium antiquum satis esse probabile

putant atque cum eo posse facile conciliari Meyer censet quod in Constit. ap. 7, 46. 1 Theophilus tertius episcopus Caesareae palaestinensis dicitur (cf. *M.* 1, 1049). De eo autem cautius loquitur Baronius : an autem idem sit cum Theophilo antiocheno non possumus certum quid affirmari. Satis subtiliter colligit *Noesgen* ex 2, 1 et 3, 1 Theophilum fuisse in ditione Agrippae II magistratum romanum ad censum habendum (Studien und Kritiken 1880 p. 57). Neque defuerunt qui illum putarent Theophilum, filium Anani (Annae pontificis) et fratrem Ionathan qui pontifex erat Iudaeorum ab anno 37-41 (cf. *Iosephus,* Ant. 18, 5. 3 et 19, 6. 2), immo et illum Theophilum degentem Athenis de quo mentionem facit Tacitus, Annal. 2, 55 (cf. *Fil.*). *Schegg* opinatur eum fuisse virum fidelem ac nobilem in Achaia vel Macedonia, et *Kreyher* in Theophilo Senecam agnosci vult (in libro : L. Annaeus Seneca, Berlin 1887).

PRIMA PARS 1,5-4,13.

Evangelista, uti praefatus est, ἄνωθεν a principio orditur, ab iis quibus origo et missio coelestis Iesu statim a limine demonstratur. Id enim fit annuntiatione per angelum facta de nativitate et munere praecursoris, missione angeli ad b. Virginem, apparitione angelorum in nativitate Iesu. Ipse Iesus nobis ostenditur factus sub lege (Gal. 4,4), qui tamen thronum David hereditaturus est et regnaturus in aeternum tamquam lumen ad revelationem gentium et gloria plebis Israel. Cum esset dives, propter nos egenus factus est (2 Cor. 8,9), quae egestas iam in eius nativitate nobis ob oculos ponitur, factus est obediens (Phil. 2,8), quae obedientia in puero duodecim annorum, in commoratione nazarethana iam adumbratur. Sed dum se humiliat, exaltatur a Deo (Phil. 2,9); ita apparitione angelorum in nativitate, in baptismo coelesti declaratione; quam legem etiam iam in eius matre praefigurari videmus (1,41 seq.). Demum in familia Zachariae, in b. Virgine, in pastoribus, in Simeone et Anna spectacula verae pietatis iucundissima nobis proponuntur; in canticis notiones excelsae regni Dei exprimuntur, ipsis rebus gestis declaratur evangelium mitti Iudaeo primum, id autem et Graeco destinari pariter enuntiatur (cf. 1,48. 79; 2,31. 34; cf. Rom. 1,16). In Iesu itaque et Iudaei conversi suum agnoscere possunt ac debent rebus narratis Messiam, ethnico-christiani Filium Dei et Salvatorem omnium.

1. *Historia infantiae* 1,5-2,52.

a) **Annuntiatio nativitatis praecursoris 1,5-25.**

1,5. Fuit in diebus Herodis regis Iudaeae, sacerdos quidam nomine Zacha-

1,5. Ἐγένετο ἐν ταῖς ἡμέραις Ἡρῴδου βασιλέως τῆς Ἰουδαίας ἱερεύς τις ὀνόματι Ζαχαρίας,

rias de vice Abia; et uxor illius de filiabus Aaron, et nomen eius Elisabeth. 6. Erant autem iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et iustificationibus Domini sine querela; 7. Et non erat illis filius, eo quod esset Elisabeth sterilis, et ambo processissent in diebus suis. 8. Factum est autem, quum sacerdotio fungeretur in ordine vicis suae ante Deum, 9. Secundum consuetudinem sacerdotii, sorte exiit ut incensum poneret, ingresssus in templum Domini; 10. Et omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi. 11. Apparuit autem illi Angelus Domini, stans a dextris altaris incensi. 12. Et Zacharias turbatus est videns, et timor irruit super eum. 13. Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua; et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen eius Ioannem: 14. Et erit gaudium tibi et exultatio, et multi in nativitate eius gaudebunt: 15. Erit enim magnus coram Domino, et vinum et siceram non bibet, et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suae; 16. Et multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum; 17. Et ipse praecedet ante illum in spiritu et virtute Eliae; ut convertat corda patrum in filios, et incredulos ad prudentiam iustorum, parare Domino plebem perfectam. 18. Et dixit Zacharias ad Angelum: unde hoc sciam? ego enim sum senex, et uxor mea processit in diebus suis. 19. Et respondens Angelus dixit ei: Ego sum Gabriel, qui adsto ante Deum; et missus sum loqui ad te, et haec tibi evangelizare. 20. Et ecce eris tacens, et non poteris loqui usque in diem quo haec fiant, pro eo quod non credidisti verbis meis, quae implebuntur in tempore suo. 21. Et erat plebs expectans Zachariam: et mirabantur quod tardaret ipse in templo. 22. Egressus autem non poterat loqui ad illos, et cognoverunt quod visionem vidisset in templo. Et ipse erat innuens illis, et permansit mutus. 23. Et factum est, ut impleti sunt

ἐξ ἐφημερίας Ἀβιά· καὶ γυνὴ αὐτῷ ἐκ τῶν θυγατέρων Ἀαρὼν, καὶ τὸ ὄνομα αὐτῆς Ἐλεισάβετ. 6. ἦσαν δὲ δίκαιοι ἀμφότεροι ἐναντίον τοῦ Θεοῦ, πορευόμενοι ἐν πάσαις ταῖς ἐντολαῖς καὶ δικαιώμασι τοῦ Κυρίου ἄμεμπτοι· 7. καὶ οὐκ ἦν αὐτοῖς τέκνον, καθότι ἦν Ἐλεισάβετ στεῖρα, καὶ ἀμφότεροι προβεβηκότες ἐν ταῖς ἡμέραις αὐτῶν ἦσαν. 8. Ἐγένετο δὲ ἐν τῷ ἱερατεύειν αὐτὸν ἐν τῇ τάξει τῆς ἐφημερίας αὐτοῦ ἔναντι τοῦ Θεοῦ, 9. κατὰ τὸ ἔθος τῆς ἱερατείας, ἔλαχε τοῦ θυμιᾶσαι εἰσελθὼν εἰς τὸν ναὸν τοῦ Κυρίου· 10. καὶ πᾶν τὸ πλῆθος ἦν τοῦ λαοῦ προσευχόμενον ἔξω τῇ ὥρᾳ τοῦ θυμιάματος· 11. ὤφθη δὲ αὐτῷ ἄγγελος Κυρίου, ἑστὼς ἐκ δεξιῶν τοῦ θυσιαστηρίου τοῦ θυμιάματος· 12. καὶ ἐταράχθη Ζαχαρίας ἰδὼν, καὶ φόβος ἐπέπεσεν ἐπ' αὐτόν. 13. Εἶπεν δὲ πρὸς αὐτὸν ὁ ἄγγελος, Μὴ φοβοῦ, Ζαχαρία· διότι εἰσηκούσθη ἡ δέησίς σου, καὶ ἡ γυνή σου Ἐλεισάβετ γεννήσει υἱόν σοι, καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἰωάνην. 14. καὶ ἔσται χαρά σοι καὶ ἀγαλλίασις, καὶ πολλοὶ ἐπὶ τῇ γενέσει αὐτοῦ χαρήσονται· 15. ἔσται γὰρ μέγας ἐνώπιον τοῦ Κυρίου· καὶ οἶνον καὶ σίκερα οὐ μὴ πίῃ, καὶ Πνεύματος ἁγίου πλησθήσεται ἔτι ἐκ κοιλίας μητρὸς αὐτοῦ, 16. καὶ πολλοὺς τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ ἐπιστρέψει ἐπὶ Κύριον τὸν Θεὸν αὐτῶν· 17. καὶ αὐτὸς προελεύσεται ἐνώπιον αὐτοῦ ἐν πνεύματι καὶ δυνάμει Ἠλείᾳ, ἐπιστρέψαι καρδίας πατέρων ἐπὶ τέκνα, καὶ ἀπειθεῖς ἐν φρονήσει δικαίων, ἑτοιμάσαι Κυρίῳ λαὸν κατεσκευασμένον. 18. Καὶ εἶπεν Ζαχαρίας πρὸς τὸν ἄγγελον, Κατὰ τί γνώσομαι τοῦτο; ἐγὼ γάρ εἰμι πρεσβύτης, καὶ ἡ γυνή μου προβεβηκυῖα ἐν ταῖς ἡμέραις αὐτῆς. 19. καὶ ἀποκριθεὶς ὁ ἄγγελος εἶπεν αὐτῷ, Ἐγώ εἰμι Γαβριὴλ ὁ παρεστηκὼς ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ· καὶ ἀπεστάλην λαλῆσαι πρὸς σὲ, καὶ εὐαγγελίσασθαί σοι ταῦτα. 20. καὶ ἰδοὺ, ἔσῃ σιωπῶν καὶ μὴ δυνάμενος λαλῆσαι, ἄχρι ἧς ἡμέρας γένηται ταῦτα· ἀνθ' ὧν οὐκ ἐπίστευσας τοῖς λόγοις μου, οἵτινες πληρωθήσονται εἰς τὸν καιρὸν αὐτῶν. 21. Καὶ ἦν ὁ λαὸς προσδοκῶν τὸν Ζαχαρίαν· καὶ ἐθαύμαζον ἐν τῷ χρονίζειν ἐν τῷ ναῷ αὐτόν. 22. ἐξελθὼν δὲ οὐκ ἐδύνατο λαλῆσαι αὐτοῖς· καὶ ἐπέγνωσαν ὅτι ὀπτασίαν ἑώρακεν ἐν τῷ ναῷ· καὶ αὐτὸς ἦν διανεύων αὐτοῖς, καὶ διέμενεν κωφός. 23. καὶ ἐγένετο ὡς ἐπλήσθησαν

dies officii eius, abiit in domum suam. 24. Post hos autem dies concepit Elisabeth uxor eius, et occultabat se mensibus quinque, dicens : 25. Quia sic fecit mihi Dominus in diebus, quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines.

αἱ ἡμέραι τῆς λειτουργίας αὐτοῦ, ἀπῆλθεν εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ. 24. Μετὰ δὲ ταύτας τὰς ἡμέρας συνέλαβεν Ἐλεισάβετ ἡ γυνὴ αὐτοῦ, καὶ περιέκρυβεν ἑαυτὴν μῆνας πέντε, λέγουσα, 25. ὅτι οὕτως μοι πεποίηκεν ὁ Κύριος, ἐν ἡμέραις αἷς ἐπεῖδεν ἀφελεῖν ὀνειδός μου ἐν ἀνθρώποις.

In v. 5 και γυνη αυτω ℵ B C* D L X aliq min; etiam codd vulg habent *illi*, uti c ff² g¹ l q Aug. Hier, B habet ελεισαβετ ubique. In v. 10 ην του λαου codd gr pler; etiam codd vulg : erat populi orans. In v. 13 c ff² g¹ l arm angelus domini; addunt *dicens* lich mt ken; ecce audita lich; ecce exaudita g¹ gat. In v. 15 sicera (cf. σικερα) am big ben fuld lich med ox corp lind a d f l q; in utero c l; in ventre e; item go. In v. 17 codd vulg pler *incredibiles*, d non consentientes, e contumaces (sin add ad v. 6 in omni conversatione eorum; om in v. 10 foris; in v. 12 et turbatus est et tremuit quando vidit angelum; in v. 13 ecce enim audivit Deus vocem orationis tuae).

Marcus a praedicatione Ioannis orsus est, Matthaeus a generatione Iesu, Lucas autem altius rem repetit, ἄνωθεν (*Mald. Luc.*) ab ipsius praecursoris conceptione. Uti prophetia veteris testamenti ultimo loco illum annuntiavit qui mittendus esset ante faciem Domini et praepararet viam eius, et ut eadem prophetia ad finem perducitur missione Eliae praedicta (Mal. 3,1; 4,5), ita evangelium merito inchoatur ab eodem praecursore qui praecedet ante Dominum in spiritu et virtute Eliae (cf. *Mald.*). Huius autem nativitas mirabilis enarratur quia haec magnam addit auctoritatem testimonio Ioannis de Christo exhibito et quia haec nova praeter naturam nativitas praeparat et confirmat fidem admirandae nativitatis ipsius Christi (*Ians.*). Simul Christi commendatur dignitas, cum praecursor eius modo adeo mirabili in mundum inducatur, et cunctis patefieri debet quam sit fide dignus is qui tantis signis vita donatur. Messias promissus erat oriundus ex tribu Iuda, ex regia Davidis familia. Cum ipse futurus esset non solum rex sed etiam sacerdos (Ps. 109,4. Zach. 6,13), consentaneum erat, ut sicut in eo stirps regia honorabatur, ita in praecursore tribus sacerdotalis peculiari dignitate ornaretur et ipsum Christi sacerdotium quo tolleret expiatione peccata mundi annuntiaretur et demonstraretur per sacerdotem. Talem autem Deus elegit sacerdotem qui vera iustitia erat eximius, ut pater exsisteret praecursoris. Posset videri id quasi iure praecipuo spectasse ad pontificem, qui functione sua quam maxime erat typus Christi ingressuri scil. per proprium sanguinem in sanctuarium coeleste (cf. Hebr. 9,7. 11 seq.). At eo tempore summum sacerdotium iam dignitate sua et sanctitate misere exciderat; arbitrio Herodis regis creabantur et removebantur pontifices; ipsi pontifices plerumque ex secta erant sadducaeorum; ex ratione temporis colligitur insuper eo anno fuisse pontificem Simonem, quem ad eam dignitatem Herodes evexerat,

ut filiam ipsius, cuius venustate rex captus erat, in matrimonium ducere posset (*Iosephus*, Ant. 15,9. 3); idem postmodum ab Herode pontificatu abdicatus est eo honore delato ad Matthiam (Ant. 17,4. 2), qui tamen mox iterum ea dignitate privatus est (Ant. 17,6. 4).

Narrationem autem texit Lucas stilo simplici et hebraismis satis referto, ita ut ipso dicendi genere modum exprimeret loquendi eorum a quibus res illas didicerat. Quam diligenter et exacte (ἀκριβῶς v. 3) referat, ipsa scribendi forma declaratur. Etsi non pro omnibus, saltem pro pluribus, uti hymnis, ei documenta quoque scripta praesto fuisse vel aramaice (*Schanz, God.*) vel graece (*Weiss*) haud improbabiliter statuitur; v. 5 *fuit in diebus Herodis regis Iudaeae sacerdos quidam nomine Zacharias de vice Abia;* ἐγένετο exstitit; cf. Marc. 1,4. Ioan. 1,6; immerito hic iam aliqui hebraismum inveniunt ויהי supplentes in subsequentibus ἦν (et factum est in diebus Herodis erat... *God.* quod et languescit neque ullo modo necessarium est); sed hebraismus iure deprehenditur *in diebus,* cf. Iud. 2,18; 5,6; 17,6; 18,1. Ruth 1,1. 3 Reg. 21,29. 4 Reg. 15,29. Is. 1,1. Ier. 1,2 etc. Iudaea apud Lucam usurpatur modo sensu strictiore (2,4; 3,1; 5,17; 21,21) modo latiore de Palaestina (7,17; 23,5. Act. 2,9; 10,37). Hoc loco certe latius concipi debet de Palaestina, cum ditioni Herodis etiam additae essent regiones Trachonitis, Batanaea, Auranitis, Ulatha, Panias (cf. *Iosephus,* Ant. 15,10. 1. 3; Bell. iud. 1,20. 4). Summum sacerdotem Zachariam fuisse aliqui putarunt (*S. Ambr. Aug.* tract. 49,27 in Ioan. propter Ex. 30,7; *Theoph.*); at perperam; nam dicitur solum *sacerdos quidam;* dein eius nomen inter pontifices a Iosepho non recensetur; contra quoque est v. 9; pontifex enim non indigebat sorte missa ut posset incensum offerre. Erat autem Zacharias sacerdos *de vice Abia,* ἐξ ἐφημερίας, qua voce apud LXX explicantur מחלקות (1 Par. 23,6; 28,13. 21 ecce divisiones; 2 Par. 5,11; 23,8; 31,2. 15; 35,4)et משמרות (1 Par. 25,8; 26,12. 2 Par. 31,16. 17. Neh. 12,9; 13,30 ordines sacerdotum). Fuerant enim viginti quattuor familiae vel ordines vel divisiones sacerdotum, quarum sedecim ad Eleazar, octo ad Ithamar posteros pertinebant; octava (quae sorte octava exiit) erat familia vel divisio Abia; vide 1 Par. 24,3-10. Erat igitur institutum ut singulae familiae vel divisiones ministrarent in templo per dies octo a sabbato usque ad sabbatum. Atque *Iosephus* affirmat eam divisionem permansisse ad suum tempus (Ant. 7,14. 7). Cum exsilio finito solum quattuor familiae sacerdotum reverterentur numero 4289 (cf. Esdr. 2,36-39), etiam hi sacerdotes distribuebantur in 24 ordines nominibus antiquis retentis.

Ex eo quod Zacharias officio fungebatur in classe octava, aliqui rationem temporis nativitatis Ioannis et proinde Iesu quoque colligere tentabant. De qua re vide *Wiese-*

ler, Chronol. Synopse p. 140 seq.; ex traditione scil. talmudica (tract. תענית fol. 29,1) templum a Romanis destructum est die nono mensis ab, cum prima sacerdotum classis Ioiarib ministerio fungi incepisset. Hic dies templi destructi etiam a Iosepho confirmatur (Bell. iud. 6,4. 8). Iam ex rationibus astronomicis computarunt primum diem mensis ab eo anno incidisse in sabbatum, et proin octavum diem quoque fuisse sabbatum; unde classem Ioiarib incepisse ministerium sabbato transacto. Iam ulterius supponunt ordinem classium stricte et exacte esse observatum semper. Ab illo igitur termino instituentes computationem definiunt classem Abia ministerio templi functam esse anno u. c. 748 a die 3-9 mensis octobris. Vide etiam *Myszkowski*, Chronologico-historica Introductio in Novum Test. Leopoli in Galicia 1892, p. 161 seq. Sed cum de ordine illo adeo accurate non constet, cum insuper traditio illa talmudica de prima classe quae fungi sacerdotio eo ipso die incepisset incerta sit et potius aliquid studiose et rabbinorum modo excogitatum sapiat, tota haec computatio redditur dubia et proin inefficax. Etiam magis incerta est ratio quam olim iniit *Scaliger* (de emend. temp. et lib. 3 canonum isagog. p. 303); supponit enim 1 Mach. 4,38 seq. die 25 mensis noni (casleu) an. 165 a. Ch. primam classem sacerdotum suscepisse ministerium et rationibus inde ductis concludit die 28 mensis iulii 750 u. c. classem Abia in diebus Zachariae munere esse defunctam. At a coniectura initium capit cum sine ulla ratione assumat primam classem eo die ministerium sacrum suscepisse.

Declaratur deinde, ut *S. Bon.* ait, honestas coniugii; *et uxor illius* (illi; cf. lect. var.) *de filiabus Aaron, et nomen eius Elisabeth,* quo nomine uxor quoque Aaron vocabatur Ex. 6,23. Licuit quidem sacerdotibus in matrimonium ducere virgines ex qualibet stirpe Israel; at merito laudi vertunt Zachariae quod sacerdotium suum honoraverit connubio cum filia Aaron contracto. Ioannes itaque non solum a patre, unde maxime nobilitas trahitur, sed ex matre ipsa claro sacerdotalique fuit genere (cf. *S. Ambr. Mald. Luc. Ipr. Ians. Tol. Grimm* I p. 73). Monent ipsa parentum nomina significatione non carere qua ad tempus promissionis divinae adimplendae referantur; Zacharias enim significat : memor est Iahve, Elisabeth vero (אלישבע) Deus iuravit (vel Deus est iuramentum, is per quem iuro?); « utrumque quadrat Ioannis conceptioni et nativitati; praecursor enim futurus Christi eius adventum proximum indicabat, in quo quidem Christi adventu Deus et recordatus dicitur eorum quae promiserat et implevit quae iuraverat » (*Tol. Grimm* I p. 70).

Ad generis sacerdotalis nobilitatem quae in utroque aderat accedebat summa morum integritas qua apud Deum et apud homines ornati habebantur v. 6 *erant autem iusti ambo ante Deum,* scil. in conspectu Dei (*Orig.*), ut vera et interna iustitia et sanctitas quae valeat coram Dei intelligatur, quorum laus itaque apud Deum est (Rom. 2,19); « et bene dicit iustos ante Deum; non enim omnis qui iustus est ante homines, iustus est ante Deum; aliter vident homines, aliter videt Deus; homines in facie, Deus in corde » (*S. Ambr.* sim. *Bed. Bon. Luc.* etc.).

Unde hisce illis laudem tribui perfectam merito dicitur in *cat. Cr.;* « non potuit evangelista gravioribus, illustrioribus, honorificentioribus verbis eorum sanctitatem declarare » (*Mald.*). Et quibusnam eorum contineatur iustitia explicat : *incedentes in omnibus mandatis et iustificationibus Domini,* incedere cf. הלך i. e. totam vitae rationem, omnem sentiendi agendique modum componere ad Dei voluntatem in lege declaratam; ἐντολαὶ καὶ δικαιώματα redduntur apud LXX וחקות מצות (cf. Gen. 26,5. Deut. 4,40; 6,2). Duobus istis vocabulis idem significari *Luc. Ipr.* censent; mandatis designari praecepta moralia, caerimonialia iustificationibus *Cai. Tol. Lap.* (et sim. *Euth.*) existimant; *Orig. Ambr. Bed.* illa referunt ad opera, has ad iudicia bene et recte de aliis habenda. Discrimen ipsa vocum significatione propria hoc assignari commode potest, ut *mandata* sint singula Dei praecepta, δικαιώματα autem sint normae illae et regulae veri et iusti quae a Deo proponuntur et ex quibus mandata quoque proficiscuntur. Hisce duobus ordo ille constituitur quem Deus apud homines exsistere vult iisque tota agendi, cogitandi, appetendi ratio vitae hominum regitur et normae divinae conformatur. Incedebant autem in omnibus mandatis et iustificationibus Domini *sine querela* ἄμεμπτοι irreprehensi, ita scil. ut in nulla re reprehensionem quandam incurrerint. Id ad solum Deum referre vel ut bonum etiam bene fiat omni prava mentis intentione abiecta (*Orig. Theoph.*), non placet, quia vera et interna animi sanctitas iam in priore membro expressa et laudata est; quare ut apud Deum, ita quoque apud homines eorum vita in cunctis describitur irreprehensa; « quod mire cum prophetico congruit dicto : provide bona semper coram Deo et coram hominibus » (*S. Ambr. Bed. Ians. Tol. Ipr. Cord.*).

Coniuges igitur *ambo,* uti nobilitate generis, utpote sacerdotalis, ita iustitia quoque et sanctitate, quae animum ornat, pares fuerunt (*Luc.*). At quamvis Deo accepti tamen carebant illa benedictione quae in vetere foedere tanti aestimabatur et inter favores Dei et praemia virtutis recensebatur v. 7 *et non erat illis filius eo quod esset Elisabeth sterilis;* non est dubium quin de eo quod apud homines opprobrium esse, immo Dei quoque indignationem arguere videbatur (cf. Deut. 7,14. Ex. 23,26. Ier. 22,30. Ps. 127,4) coniuges doluerint, verum eo nomine laude quoque maiore digni quia tam fideliter Deo servierunt, quamquam debita pietati praemia reddere non videbatur. Evangelista autem id commemorat quo in conceptione et nativitate Ioannis miraculum Dei agnoscatur; divinitus est procuratum, ait *Beda,* ut provectae aetatis diuque coniugii fructu privatis Ioannes parentibus nasceretur, quatenus inopinato prolis ortu et ipsos donum gratius

afficeret et ceteros miraculi stupor futuri prophetae pararet auditui; denique posuerunt omnes qui audierant in corde suo dicentes : quid putas puer iste erit? similiter *Alb. Ians. Mald. Luc. Lap. Schanz, Fil.*, et merito quoque in *cat. Cr.* adnotatur ea iam generatione praeparari fidem de Christi ortu, quia qui sterili partum dat auctor naturae, is virgini quoque tribuere valet. Porro ad idem miraculum commendandum addit id quo coniuges hi simul cum Abraham et Sara, parentibus populi electi, comparantur *et ambo processissent* (lege processerant, uti praebent gat g[1] ken; nam hoc membrum iam non refertur ad καθότι *eo quod*, sed eodem exhibetur ordine quo *et non erat iis filius*) *in diebus suis*, erant aetate provecti; dictio est hebraizans; vide Gen. 18,11, ubi idem asseritur de Abraham et Sara (LXX προβεβηκότες ἡμερῶν ; באים בימים), 24,1. Ios. 13,1; 23,2. Cum itaque provectae essent aetatis, humanitus spes omnis ablata erat prolis in futuro concipiendae. Praecursor itaque Christi ex duplici causa non tam ex hominibus genitus quam e coelo a Deo datus est (*Luc.*).

Fit autem annuntiatio praecursoris in templo, fit in functione sacerdotali, quia veri sacerdotis iam nuntiabatur adventus et coeleste sacrificium parabatur (*S. Ambr.*) v. 8 *factum est autem, cum sacerdotio fungeretur in ordine vicis suae ante Deum*, vel in ordine classis suae, vel in ordine secundum ordinem statutae dierum seriei; coram Deo i. e. in templo, ubi Deus singulari ratione in sancto sanctorum habitare dicitur; eodem modo frequentissime dicitur immolare coram Domino, offerre coram Domino, aspergere coram Domino de iis quae fiunt ante altare Domini (cf. Lev. 1,5. 11; 3,1. 7; 4,6 etc.); quae peragebantur in sancto immediate ante sanctum sanctorum potiore iure ante Deum agi censebantur. Quae autem officia a singulis sacerdotibus essent peragenda, missa sorte determinabatur. Cuius rei etiam in talmude testimonium habetur; ita legitur in tractatu de sacrificio iugi (תמיד, cap. 3; *Surenhusius* V p. 291) : dicebat eis praefectus : venite et sortimini : quis sit mactaturus, quis sparsurus, quis cinerem ab altari interiore abducturus, quis lucernas purgaturus etc.; alia habentur in tract. de die expiationis (יומא; cap. 2,2. 3; *Surenh.* II p. 213). Unde v. 9 *secundum consuetudinem sacerdotii* ἱερατείας ex more quo functio sacerdotalis determinabatur et distribuebatur, *sorte exiit ut incensum poneret ingressus in templum Domini* i. e. sorte missa accepit munus offerendi sacrificium thuris in altari quod in sancto erat collocatum. Singulis quippe diebus post iuge sacrificium mane et vespere adolebatur incensum in altari aureo thymiamatis in sancto ; εἰσελθών ita optime iungitur uti in versione vulg. fit ad θυμιᾶσαι videlicet. Nam si explicaveris : postquam ingressus est in templum, sortitus est partes thuris

adolendi, habes molestam cum v. 8 tautologiam, dum in altera acceptione descriptio rei apta cernitur. Dum autem sacerdos offerebat incensum (cf. Ex. 30,6-8) v. 10 *omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi;* dum sacrificium Deo offerebatur in odorem suavissimum et populus quoque preces ad Deum fundebat, fit annuntiatio iamiam instare tempus illud quo demum is sit appariturus cuius typus in iugi holocausto cernebatur, verus scil. Dei agnus ad omnium expiationem immolandus; et, ut *Mald.* advertit, videtur evangelista non sine consilio sortis mentionem fecisse, ut rem omnem divinitus provisam factamque fuisse significaret.

Per nuntium coelestem qui iam Danielem de tempore Messiae edocuerat (Dan. 9,21 seq.) nunc certior redditur Zacharias adesse temporis plenitudinem v. 11 *apparuit autem illi angelus Domini*, v. 19 Gabriel scil., *stans a dextris altaris incensi;* visus est, subito praeterque exspectationem apparuit; non hominum more ingressus est, sed repente se conspicuum exhibuit (*Luc.*); « bene angelus et in templo et iuxta altare et a dextris apparet, quia videlicet et veri sacerdotis adventum et mysterium sacrificii universalis et coelestis doni gaudium praedicat » (*Bed. Ipr.*). Ceterum latus dexterum ad praecellentiam et honorem referri solet (Ps. 109,1. 3 Reg. 2,19. Hebr. 1,13). Voluit Deus ut ex missione angeli constaret Ioannem non humana, sed divina virtute nasciturum; voluit Ioannis praecursoris et Christi quatenus similia humana divinis esse possunt, quam simillimum ortum, quam simillimum esse conceptum (*Mald.*). Uti fieri solet in apparitione coelesti, v. 12 *Zacharias turbatus est videns et timor irruit super eum;* vehemens timor notatur qualis ille quo se Daniel affectum fuisse viso angelo scribit 10,8; cf. Ez. 2,1; « perturbamur et a nostro alienamur affectu, quando perstringimur alicuius superioris potestatis occursu » (*Ambr.*). Ea enim est humanae naturae infirmitas, ut eiusmodi peregrinum et inusitatum visum sine commotione ferre nequeat (*cat. Cr. Luc.*).

Turbatum ac timentem angelus confortat familiariter eum alloquens et nomine proprio compellans v. 13 *ait autem ad illum angelus: ne timeas, Zacharia;* « sicut enim humanae fragilitatis est spiritualis creaturae visione turbari, ita et angelicae benignitatis est paventes de aspectu suo mortales mox blandiendo solari » (*Bed.*). Timorem itaque illum expellit (angeli enim verba id quoque effecisse quod significabant probabile est), ut animus tanto nuntio percipiendo vacare attentius valeat, prout *Tol.* notat, qui tamen timor, quemadmodum nuntiantis maiestatem repraesentabat, ita debuit quoque animum Zachariae ad credendum praeparare, « timor enim ille ad concipiendam magnam

opinionem illius qui loquebatur inducebat; facilius autem credimus iis quos plurimi facimus et quos multum veremur » (*Tol.*). Dein non sola iussione depellit timorem, sed etiam ratione adducta, *quoniam exaudita est deprecatio tua et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium;* cum mentione facta deprecationis statim subdatur promissio filii, deprecatio quae dicitur exaudita videtur esse intelligenda illa qua Zacharias, ut erat desiderium virorum veteris testamenti, efflagitarat filium ne deleretur nomen suum ex Israel (cf. Deut. 25,6). Atque ita intelligunt *Mald. Schegg, Bisp.*, ut scil. angeli verba referantur ad deprecationem quam Zacharias ingressus in sanctum inter sacrificandum fundat. Verum tum eum id a Deo postulasse non est probabile. Non quidem propterea quia tum non potuisset etiam pro se et domo sua orare, quam rationem etiam a *S. Aug.* (quaest. evang. 2,1; *M.* 35, 1333) adductam non subsistere *Mald.* haud immerito probat ex Lev. 16,17; sed ideo quia, ut *S. Aug.* etiam dicit, « si petisset filium, crederet annuntiatum; angelus dicit quod ei filius nasceretur, ille non credit; quis rogat sine spe? aut quis non credit in spe? si non speras quare petis? si speras quare non credis » (serm. 291,3; similiter quaest. evang. 2,1)? Et eodem modo rationem afferunt ex v. 18 quod ne angelo quidem crediderit et omnem spem prolis iam abiecerit *Bed. Fab. Ians. Tol. Ipr. Lap. Calm. Schanz, Fil.* Quare si de petitione filii esset explicanda *deprecatio tua,* id solum intelligi posset de eo quod Zacharias antea, cum adhuc spes prolis esse potuit, filium a Deo efflagitavit, uti *Dion. Ians. Tol.* monent et *Mald.* quoque innuit. Verum longe plurimi deprecationem in sanctuario factam explicant pro salute populi et pro adventu Messiae; ita *S. Aug.* l. c. *Bed. Euth. Theoph. Dion. Cai. Ians. Salm. tom.* 2 *tract.* 34 *Tol. Ipr. Luc. Lap. Sylv. Calm. Schanz, Fil. Weiss, Sp.;* alii, uti *Grimm, Keil,* utramque petitionem de Messia et de filio ab eo esse coniunctam censent. Verum est quod *Schegg* obiicit, nullam certam orationis formulam pro sacerdote incensum offerente fuisse praescriptam. At inde non sequitur Zachariam non orasse pro salute populi et adventu Messiae. Nam nonne ipsum sacrificium quotidianum erat quaedam oratio pro populo oblata et quid aliud istis sacrificiis portendebatur et expetebatur nisi vera expiatio per Messiam demum perficienda? Insuper pii Israelitae — testis est Simeon senex — eo tempore iam summis votis expetebant adventum Messiae; quare fieri nequit ut Zacharias in sollemni hac functione oblitus sit summi huius desiderii, et si teste Christo multi prophetae et reges et iusti cupierunt videre et audire quae apostoli viderunt et audierunt (Matth. 13,17. Luc. 10,24), quis poterit negare Zachariam iustum (v. 6) eadem vota fovisse et in sollemnitate sacrificii Deo obtulisse?

Neque obstat quod pergit angelus *et uxor tua* etc.; nam haec nativitas, ut statim explicat, initium est futurae liberationis (*Alb.*) et eam annuntians eiusdem redemptionis ordinem pandit quod videlicet natus Zachariae filius redemptori sit iter facturus praeconando (*Bed.*), quod futurus sit proximus praecursor apparitorque Messiae (*Luc. Ipr.*). Alii quandoque putant signum exhiberi et confirmationem deprecationis exauditae (cf. *Euth. Tol.*); at modum, ordinem, rationem adventus Messiae exponi subsequentibus omnino suadetur. Quod itaque olim Zacharias petierat, ei iam a Deo concedi annuntiatur; habebit filium. Verum Deus qui adeo exauditionem distulit iam votum longe excedit, cum filium concessurus sit omni patris exspectatione maiorem. Id iam significatur eo quod nomen eius coelitus determinatur et tale quidem nomen quod sua iam notione : Iahve gratiam largitur declarat futurum filii munus, *et vocabis nomen eius Ioannem*, יוחנן vel יהוחנן quod nomen utique in vet. test. satis frequens est (cf. 2 Reg. 25,23. Ier. 40,8 seq. 1 Chron. 3,15. 24; 5,35; 12,4; 26,3. 2 Chron. 17,15 etc. Esdr. 10,6. 28. Neh. 6,18 etc.); at hic considerandum est id imponi divinitus; « singularis autem meriti indicium datur quoties hominibus a Deo vel imponitur nomen vel mutatur » ait *Beda* idque exemplis Abraham, Iacob etc. illustrat (sim. *Luc.*). Nomine autem declaratur primo parentibus esse gratiam donatam quibus scil. decrepitis filius talis nasceretur, ipsi filio maximam praestari gratiam, de qua statim plura angelus subdit, et demum etiam filiis Israel quos ad Dominum Deum est conversurus (*Bed. Euth. Ians.*). Huius familiae nomina tria mirum in modum consonant ad tempus Messiae ex Dei promissione significandum : Dei memoria et Dei iuramentum peperit nobis Dei gratiam, ut *Luc.* dicit (sim. *Grimm.*).

Ulterius animum Zachariae magnificis promissionibus ad laetitiam et Dei benignissimi laudem provocat v. 14 *et erit gaudium tibi et exsultatio*, neque eius nativitatis felicitas ac benedictio domesticis parietibus continebitur, *et multi in nativitate eius gaudebunt;* rationes pro hoc versu afferuntur in v. 15-17; quare *multi* non de solis cognatis explicandi sunt qui utique primo de eius nativitate gaudebant et mirabantur (v. 58. 66), verum etiam de aliis quos convertit ad Dominum, qui etiam iure suo sibi de eius ortu (ἐπὶ τῇ γενέσει αὐτοῦ) gratulabantur. Cur itaque patri multisque gaudium sit futurum idque non commune explicatur compendio quodam cum dicitur v. 15 *erit enim magnus coram Domino*, proin vera magnitudine quae valeat coram Deo; quae apud homines iactatur, fallax et incerta et inanis esse potest. Iam quis sit ordo huius magnitudinis ipse qui proposuit angelus subsequenter exponit (*Bed. Luc.*); declarat scil. magnitudinem eius sanctitatis et

officii (*Tol.*) vel ut *Luc.* ait, potissimum quattuor rebus futurus est magnus, quarum duae tangunt salutem populi, duae propriam ipsius, quibus tamen ad salutem populi procurandam reddatur aptior.

Atque magnitudo sanctitatis eius duobus effertur : singulari vitae austeritate et ubere Spiritus sancti gratia; *et vinum et siceram non bibet;* proin quod illi praestant qui per aliquod tempus se voto nasiraeatus Deo consecrant et devovent (Num. 6,3), eo modo ipsum per totam vitam iri Deo consecratum angelus praedicit; sicera, hebr. שכר, σίκερα vocatur omnis potio quae inebriare potest et quae non sit ex vite (*cat. Cr. Theoph.*), maxime potio ex palmarum fructu confecta (*Euth.*) vel, ut S. Hieronymus dicit ad Is. 28,5, confecta ex frumento, hordeo, millio pomorumque succo. Cum talis abstinentia esset nasiraeorum, multi Ioannem appellant nasiraeum (*Bed. Ians. Tol. Lap. Bisp. Schanz, Fil. Weiss*), aliis (*Schegg*) repugnantibus, quia desit quod in consecratione nasiraei ponatur : novacula non transibit per caput eius (Num. 6,5. Iud. 13,5). Verum haud immerito reponunt quod caesarie nasiraei significatur, scil. consecratio ad Deum, id apud Ioannem haberi modo multo excellentiore eo quod *Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suae,* quare eum esse ratione eminentiore nasiraeum vel plus quam nasiraeum (cf. *Dion. Luc. Keil*). Verum de voce non erit litigandum cum constet eum vitae austeritate et sanctitate, cui Christus quoque egregium reddidit testimonium (Matth. 11,11. 18), eximie Deo fuisse devotum. Repletus enim Spiritu sancto sane is dicitur qui gratia interna sanctificante ubertim est ornatus. Atque de hac gratia explicandam esse dictionem hoc loco eo magis patet, quia de gratiis gratis datis, de prophetia, de dono miraculorum etc. sermo esse nequit. Cum enim Ioannes ne adultus quidem eiusmodi charismatis instructus cernatur (Ioannes quidem signum fecit nullum, Ioan. 10,41), quomodo posset censeri iis donis praeditus adhuc ex utero matris? ἔτι ἐκ κοιλίας explicat *Euth.* ἐκ βρέφους, a tenera aetate, ab infantia induetur virtute ex alto eodemque modo *Weiss;* at alii exponunt ἐν τῇ κοιλίᾳ (*cat. Cr.* S. Cyrillus hier. ἐν γαστρὶ μητρός, Cat. 3,6; *M.* 33,436; *Theoph.;* ita quoque syr.); est quippe ἐκ dictum notione temporali quando inceperit sanctificatio : adhuc ab utero, ita ut in utero inceperit et per reliquum vitae spatium perduraverit (cf. *Dion. Cai. Ians. Tol. Luc. Ipr. Mald. Lap. Schegg, Fil. Keil, Sp.*); unde ratione habita significationis fere perinde est, utrum ἔτι explices *adhuc* (quod retinent *Schegg, Keil, Weiss*) an *iam* (*Schanz*). Atque eum *in* utero matris (uti legunt *Ambr. Mald.*) repletum esse Spiritu sancto plerumque colligunt ex v. 41 (cf. *Ambr. Bed. Bon. cat. Cr. Fab. Salm. Luc.* etc.).

Intelligi autem veram sanctificationem internam ablato peccato originali et gratia sanctificante infusa ei esse collatam sententia est omnino communis et certa. Eam esse sententiam SS. Patrum docent pluribus *Tol. Luc. Sylv. Suarez* (in 3 p. qu. 27 disp. 3 s. 1, 2) idque docent theologi scholastici sequentes S. Thomam (3 p. qu. 27 art. 6). E Patribus aliter sentire videtur *S. Augustinus* in ep. ad Dardanum (ep. 187 al. 57, n. 23. 32; *M.* 33, 840. 844); nam urget dici in v. 41 solum Ioannem exsultasse, non autem exsultasse in fide; dein : « illa sanctificatio qua efficimur et singuli templa Dei et in unum omnes templum Dei, non est nisi renatorum, quod nisi nati homines esse non possunt »; verum huic argumento respondent *Ians. Tol. Salm.* aliique natum etiam eum dici in s. litteris qui adhuc sit in utero matris et arguunt ex Matth. 1, 20 et ex eo quod baptismus infantibus rite conferri potest antequam e vulva effundantur. Ceterum *S. Aug.* alio loco (de Trin. 15, 26; *M.* 42, 1094) aperte dicit : Ioannes « quamvis seminatus a patre, tamen Spiritum sanctum in utero formatus accepit »; iam accipere Spiritum sanctum certo veram denotat sanctitatem.

Sanctitate eius descripta iam ad munus eius transit angelus v. 16 *et multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum*, eos revocabit a peccatis ad poenitentiam et pietatem; et eo modo iam describitur missus ad populi salutem promovendam, unde ratio habetur gaudii illius in v. 14; verum eo minime concluditur eius dignitas v. 17 *et ipse praecedet ante illum* i. e. Dominum Deum, uti constructio grammaticalis necessario exigit; sed qui venturus exspectatur est Messias et Ioannes revera praecursor est Messiae et ut talis in evangelio describitur; quare ipse Christus hoc loco Dominus Deus appellatur (cf. *Bed. Fab. Tol. Luc. Schanz, Fil.*), *in spiritu et virtute Eliae*, habebit spiritum et fortitudinem similem Eliae, studium legis divinae et zelum ardentem. Ex prophetia Mal. 4,5. 6 exspectabatur Elias venturus antequam veniat dies Domini magnus et horribilis; unde apud Iudaeos opinio orta est Eliam ante Messiam venturum esse (cf. Matth. 17,10; *Ed.* I p. 142 seq. II p. 706 seq.). Angelus vero dum loquitur de Ioanne nascituro ei attribuens spiritum et vim Eliae et munus simile, eo ipse quoque docet priorem adventum Messiae distinctum ab illo de quo Malachias vaticinatus est. Comparatur autem Ioannes potissimum cum Elia venturo, quia dicitur praecedere ante Dominum, ut Elias dicitur mittendus ante diem Domini et quia convertet corda patrum in filios etc. id quod pariter de Elia venturo annuntiatur (cf. *cat. Cr. Theoph. Ians. Tol. Luc.*). Nihilominus apte efferuntur illa quoque quae ei cum Elia communia sunt prout ille in s. litteris vixisse et egisse traditur. Similis quippe fuit utriusque vitae austeritas et genus; uterque versabatur in eremo, uterque zona pellicea cinctus erat, uterque vitam agebat ab omni luxu alienam, victu pauperrimo sustentatam, uterque

iustitiae fervens zelator; ambo regis et reginae vesaniam experiuntur, postquam regem arguerunt; ut Elias ob mulierem fugere compulsus est, ita Ioannes ob mulierem capite truncatus (cf. *S. Ambr. Bed. Theoph. Ians. Salm.*).

Munus eius Eliae venturo simile etiam clarius describitur verbis ex oraculo Malachiae depromptis, quibus quam maxime indicatur quantae futurus sit dignitatis; Elias enim et tamquam propheta qui olim fuerat et tamquam qui venturus praedicebatur et exspectabatur, apud omnes summo in honore habebatur, *ut convertat corda patrum in filios* cf. Mal. 4,6, ubi alterum membrum priori respondens additur : et cor filiorum ad patres eorum i. e. utrorumque corda animosque iisdem imbuet sensibus, utrosque intime inter se coniunget, iis eosdem pietatis, pacis, caritatis sensus indet, *et incredulos,* inobedientes qui Deo eiusque legi obsistunt convertet *ad prudentiam* φρόνησιν sentiendi rationem *iustorum,* qui scil. in id omne studium dirigunt ut Deo obsequantur. Haec dum aget, simul praestabit *parare Domino plebem perfectam,* ἑτοιμάσαι uti ἐπιστρέψαι, quare consequenter dicendum est et explicandum : ut paret Domino plebem perfectam, ideo scil. praecedet ante Dominum; κατεσκευασμένον plebem scil. praeparatam et instructam ita ut Dominum suscipiat, eius amplectatur doctrinam, ut populus sit dispositus ad id quod Messias ab eo postulabit (cf. *Ians. Tol.*). Quare, ut *Tol.* monet, perfectum explica in ratione dispositionis perfectum. Munus itaque eius in eo consistebat, ut animos hominum ad suscipiendum per fidem Messiam praepararet exemplo, praedicatione, baptismo poenitentiae, ut eos efficeret aptos et quasi serendum a Christo agrum proscinderet ac novaret, uti eleganti metaphora expressit Iuvencus : plebemque novabit (lib. 1 v. 25; *Mald.*).

Varie concipitur illud ut convertat corda patrum in filios. Sat multi enim exponunt : ut in filiis sensus excitet patrum, scil. ut filii desiderent Messiam, uti v. g. Abraham exsultavit, uti multi reges et prophetae desiderabant videre et audire quae videbant et audiebant apostoli (Matth. 13, 17. Ioan. 8,56), vel ut spiritualem sanctorum antiquorum scientiam populo infundat, et similiter *Bed. Alb. Bon. Tol. Salm. Luc. Sylv.* Sed nonne tum potius dicendum erat : ut dirigat animos filiorum ad patres? ut animos filiorum efficiat similes animis patrum? Unde alii proprium verborum sensum retinere cupientes exponunt : ut corda patriarcharum convertat ad filios, ut patriarchas qui offensi sunt posteris suis contumacibus et Deo inobedientibus reddat bene affectos in eos eo scil. quod filios ad fidem et pietatem revocat (cf. *Dion. Ians. Ipr. Lap. Fil.*). Sed tum munus praecursoris modo satis miro exprimeretur. Is enim diceretur dirigere corda patrum, quibus tamen non mittitur ad praedicandum; de filiis autem quibus mittitur et qui revocandi sunt ad pietatem et qui praeparandi sunt Domino

nihil eum facturum esse indicaretur, *in filios* quasi isti relinquendi essent in sua conditione et totus labor in id dirigendus, ut patriarchae induerent sensus benevolentiores in filios. Pariter a verbis recedit quod habetur in *cat. Cr.* et apud *Theoph.* flectere Iudaeos ad apostolos, filios scil. populi; neque minus alienum est : qui erant veteris legis convertere ad novam legem (*Fab. Cai.*). Quare praestat cum aliis verba accipere de pace et concordia restituenda et inducenda (*Bisp. Schegg, Schanz, Weiss*); nam inimici hominis domestici eius (Mich. 7, 6. Matth. 10, 36); hoc ergo impedimentum quo res religiosa satis frequenter interturbatur removendum est et pax stabilienda, ut Deus pacis et Messias princeps pacis regnet in animis concordia unitis. — Si respicitur textus hebr. etiam verti potest : et convertet corda patrum cum filiis i. e. et patres et filios convertet; nam עַל indubie saepius notione *cum* usurpatur; cf. Ex. 35,22. Mich. 5,3 (vide quae ad hunc locum notavi). Atque eo modo et veteres aliquos et recentiores textum Mal. exponere vide in meo Comment. in Proph. min. II p. 487.

Cum Abraham seni promissio fieret de filio, contra spem in spem credidit et non est infirmatus fide nec haesitavit diffidentia (Rom. 4,18 seq.); aliter Zacharias v. 18 *et dixit Zacharias ad angelum : unde hoc sciam? ego enim sum senex et uxor mea processit in diebus suis;* κατὰ τί; secundum quam normam cognoscam hoc? haesitat (*S. Bon. Ipr.*); quaerit ex diffidentia, uti patet ex verbis adiectis quibus argumenta suae incredulitatis contraria promissis divinis profert (*Ians.;* sim. *Alb. Luc.*); addunt alii propter ipsam magnitudinem promissionis eum in dubitationem et incredulitatem esse impulsum (cf. *Bed. Tol. Luc. Lap.*); videbatur enim excedere ordinem ac potestatem naturae. Opinatur *Mald.* eum dubitasse de angelo an verus esset et an a Deo missus. Verum id communiter reiiciunt merito dicentes eum de angeli persona non fuisse dubium ex sanctitate loci, ex ipsa maiestate angelica et consolatione verborumque sublimitate (cf. *Alb. Ians. Dion. Salm. Luc.*). Neque eam rationem ipse enuntiat, sed solum obiicit aetatem decrepitam et suam et uxoris; « atqui oportebat eum haud de suo et uxoris senio, sed de promittentis Dei potentia cogitare » (*Eus.*), idque eo maiore iure a sacerdote postulari potuit, quia ex s. litteris sciebat eiusmodi Deum operatum esse in Sara, in matre Samsonis, in Anna; praeterea in ipsa annuntiatione Messiae qui exspectabatur et cuius praecursor filius Zachariae esse debebit, etiam habebatur ratio praestantissima cur sacerdos angelo fidem adhiberet (cf. *Alb.*). Eum incurrisse aliquam culpam, ex angeli verbis et poena inflicta v. 19. 20 liquido patet; eum venialiter peccasse censent *Cai. Salm. Mald. Lap.* aliique idque partim etiam ex leviore poena inflicta concludunt (cf. *Schanz*); longius progreditur *Schegg* qui eum ab omni peccato etiam levi eximit et solum

aliquam imperfectionem ab eo admissam concedit, quae tamen opinio neque verbis angeli neque poenae impositae congruit.

Uti angelus dicit, culpa eius in eo est quia non credidit verbis angeli; neque primo et per se in eo consistit quod signum expetit. Nam, uti veteres monent, signum ad fidem conceptam confirmandam augendamque etiam postularunt Abraham et Gedeon et alias quoque Deus signum ad fidem confortandam concedere vel etiam admonere solebat ut tale signum peteretur. Proinde fidei eius defectus in eo quaerendus est quod neglectis angeli verbis ad id solum mentis aciem direxit quod secundum ordinem naturae fieri non posse videbatur. Non ad nuntii dignitatem et auctoritatem, sed ad difficultatem rei nuntiatae animum attendit. Quare ad hanc nuntii dignitatem et auctoritatem praeprimis esse advertendum angelus docet v. 19 *et respondens angelus dixit ei : ego sum Gabriel qui adsto ante Deum et missus sum loqui ad te et haec tibi evangelizare,* idem itaque angelus qui iam Danielem de tempore Messiae eiusque bonis edocuit (Dan. 9,24 seq.) et qui ipso suo nomine heros Dei, fortis Dei ad illud mysterium annuntiandum aptus videtur, in quo Deus fecit potentiam brachio suo; est autem angelus unus e praecipuis, quibus id quod utique omnibus commune est particulari quodam et eximio modo adscribitur : adstare ante Deum (cf. Tob. 12,15. Apoc. 8,2). Quamvis enim adstare ante Deum idem sit quod ministrare, paratum esse ad Domini mandata excipienda (cf. quae notavi ad Dan. 7,10 — uti bene notant Mald. Sanchez, Lap. Mariana, assistere et ministrare non esse diversa angelorum officia), tamen id si de uno aliquo praedicatur eodem modo titulus est dignitatis maioris, quo v. g. aliqui honorantur nomine servi Dei in s. litteris quamquam omnes sunt servi Dei. Talis cum sit *missus* est, a Deo scil. cui assistere solet ad nutum eius paratus, ut nuntium adeo faustum perferat, qui nuntii salutaris, evangelii, est initium et praeparatio. Iam homines fausta quae nuntiantur facile credere solent. Cur ergo sacerdos angelo faustissima nuntianti fidem denegat?

Iam accipit signum de quo quaesierat, sed tale quod simul sit poena, « ut qui discredendo locutus est tacendo credere discat » (*Bed.*) v. 20 *et ecce* (« adverbium ecce demonstrat novum aliquid et insolitum, signum scil. quo et petitioni eius satisfiat et digna diffidentiae poena infligatur » *Ians.*) *eris tacens et non poteris loqui* (additur scil. qua ratione tacens futurus sit, scil. eo quod mutus redditur; quare non est tautologia) *usque in diem quo haec fiant, pro eo quod non credidisti verbis meis quae implebuntur in tempore suo;* « eadem res et supplicium et beneficium fuit; supplicium peccantis, beneficium precantis » (*Mald.* sim. *Alb. Cai. Dion. Ians. Reischl*); οἵτινες cum aliqua emphasi : quippe

quae talia sint ut suo tempore in opus deducantur. Sat multi opinantur eum non solum mutum sed et surdum esse redditum. Ita *Eus. cat. Cr. Theoph.* : merito duo haec passus est; quia enim non obedierat, condemnatur ut surdus sit; et quia contradixerat, ut sileat; *Euth.;* Graecis scil. ipsa vox κωφός occasio erat eius interpretationis, quia et mutum et surdum designat (cf. Matth. 9,32 et 11,5; 12,22 et Marc. 7,32. 37. Luc. 11,14 et 7,22). Alii contendunt duo haec vitia linguae et aurium esse connexa (id quod certe necessarium non est), sed potissimum arguunt ex v. 62 eum fuisse etiam surdum (cf. *S. Ambr. Cai. Tol. Ians. Mald. Luc. Ipr. Lap. Calm. Schanz*); at immerito. Nam nihil de surditate dicitur in v. 20 et ex v. 61. 62 potius sequitur eum bene audivisse de quanam re ageretur; alioquin non solo nutu admonitus scribere potuisset : Ioannes est nomen eius. Quare iis accedere oportet qui surditatem eius negant (cf. *Schegg, Bisp. Reischl, Grimm, Fil. Weiss* etc.).

Apparitione et colloquio angelico factum est, ut Zacharias solito diutius in sancto moraretur; ut talmudistae referunt, etiam die expiationis pontifex solum per tempus brevissimum versabatur in sancto sanctorum fundens brevem orationem nec debuit esse prolixus ne formidinem aliquam incuteret populo (cf. *Wetstein* ad h. l. *Lightfoot, Wünsche* p. 413); v. 21 *et erat plebs exspectans Zachariam et mirabantur quod tardaret ipse in templo;* nam oblatio incensi brevi peragi poterat. Quare mora longiore animi reddebantur attenti suspicantes rem evenisse insolitam; v. 22 *egressus autem non poterat loqui ad illos;* putant aliqui eum benedictionem sacerdotalem non potuisse pronuntiare (cf. Num. 6,24-26; cf. *Ians. Lamy, Schegg, Reischl, Schanz*). Sed de ea benedictione hic non videtur mentio fieri; eam enim evangelistam appellare λαλεῖν αὐτοῖς plane incredibile est. Praeterea nullo modo neque ex s. litteris neque ex scriptis rabbinicis ostendi potest sacerdotem qui incensum obtulit etiam illam benedictionem dedisse; Lev. 9,22 Aaron populo benedicit sacrificio cruento peracto, secundum tractatum de iugi sacrificio (7,2; *Surenh.* V p. 307) benedictionem sacerdotalem pronuntiabant plures; immo Maimonides refert benedictionem datam esse antequam ferta comburerentur (cf. *von Haneberg,* die relig. Alterth. der Bibel p. 608); *et cognoverunt quod visionem vidisset in templo,* « quia credibile est eum adhuc fuisse ex visione animo attonitum, corpore pallidum, ex poena trepidum » (*Ipr.*); ex vultu itaque immutato et ex eo quod mutus erat non valens loqui recte concluserunt ei in sancto rem quandam insolitam, visionem vel apparitionem evenisse; *et ipse erat innuens illis,* signis nutuque patefaciens se usu loquelae esse destitutum; alii existimant eum v. g. manibus ad coelum

porrectis vel populo dicenti visionem ei esse oblatam annuentem indicasse se revera visionem habuisse (cf. *Alb. Fab. Luc. Bisp. Reischl, Grimm, Fil.*). Ei aliquid supra naturae ordinem ac cursum accidisse cognoverunt, ideoque eis portentum fuit, « quo erectae sunt Iudaeorum mentes ut attentius explorarent quae in posterum obtingerent Zachariae » (*Lamy*). Unde ea re iam praeparabatur admiratio illa de qua v. 66.

Unaquaeque sacerdotum classis ministrabat per hebdomadam in templo. Recte advertunt sacerdotes dum in templo ministerio sacro fungebantur per totum tempus lege continentiae fuisse obstrictos, « ubi nostri temporis sacerdotibus quibus semper altari servire iubetur, perpetuo servandae castitatis exemplum datur » (*Bed.* sim. *Euth. Bon. Dion. Salm. Luc.*) v. 23 *et factum est, ut impleti sunt dies officii eius, abiit in domum suam;* neque enim habitabat in Ierusalem; cf. v. 39. Iam ipsa re ostendit se nunc verbis angeli fidem adhibere increpatione angeli et poena eruditum; nam v. 24 *post hos autem dies concepit Elisabeth uxor eius;* quaerunt communicaveritne aliquo modo (nutibus, scripto cf. v. 63) cum uxore nuntium angeli. Negant *S. Ambr. Salm. Grimm, Weiss;* affirmant *Fab. Tol. Luc. Schanz, Keil;* censent aliqui eum ideo quoque mutum esse effectum, ut res occultaretur. At nulla exprimitur prohibitio, neque ipsa poena per se id quoque continetur ne cui quidquam aperiat; alias ne nomen quidem pueri potuisset licite scribere v. 63. Praeterea Elisabeth scit quo nomine puer sit appellandus. Eam id divinitus ex revelatione didicisse nullibi innuitur; revelationem assumere pro re quam aeque bene a marito discere poterat eo modo quo v. 63 dicitur supervacaneum videtur; saltem nemo iure poterit revelationem statuere, ubi Scriptura tacet et res facillime ordine communi sciri potest. Dein ex iis quae Zacharias dicit v. 18 merito concludunt eum cum uxore iam vitam egisse caelibem. Nonne itaque valde consentaneum erat, immo fere necessarium, ut uxori quid rei esset aperiret? ne illa de nova vitae ratione perturbaretur.

Zachariam ipso ore muto admonitum esse ut a commercio et consuetudine hominum sese retraheret atque in silentio Deo vacaret idque ipso poenae genere Deum ei significasse, perfacile concesseris; eandem solitudinem uxorem quoque ingressam iam consilii divini consciam sane conseqens est et certo traditur *et occultabat se mensibus quinque,* sexto enim mense adventu b. Virginis aliquo modo iam cessat vita illa in occulto acta; ita plerique statui menses ob eius adventum censent (cf. *Orig. Ambr. Bed. Theoph. Euth. Dion. Ians. Salm. Ipr. Lap. Schegg, Bisp. Reischl, Schanz, Fil.*) *dicens:* v. 25 *quia sic fecit mihi Dominus in diebus quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines,* cum

esset sterilis (v. 7), eo potiore iure ad Deum auctorem refert quod concepit; respexisse Deum dicit hebraico genere loquendi, quia antea quasi esset ab ea aversus liberos non concessit; dicitur enim Deus nos respicere quoties aliquid in nos confert beneficii, quoties benignus ac favorabilis est (*Mald.*). Occultat igitur sese, quia Deus ipsi praestitit gratiam, unde sese occultasse censenda erit et ab hominum commercio sese separasse quo liberius et commodius Deo serviret (cf. *Fab. Reischl, Grimm, Schanz, Keil, Weiss, Sp.*). Disceptant utrum ὅτι reddat causam an solum orationem vestiat (sitne causale an recitativum); illud v. g. *Weiss,* hoc *Fil. Keil* contendunt. Nihil obstat quominus reddatur causa cur se ad Deo melius serviendum subtrahat consuetudini hominum. Reputabatur sterilitas *opprobrium inter homines;* cf. Gen. 30,23. 1 Reg. 1,6. 11. Is. 4,1; 47,9. Os. 9,14. Cur autem existimata sit opprobrium, ratio repeti potest ex Ex. 23,26 et Deut. 7,14; unde sterilis videbatur carere benedictione divina; insuper sterilitas saepius in s. litteris dicitur inflicta ob culpam Gen. 20,18. Is. 47,9. Os. 9,14; « sunt qui dicant idcirco ignominiosum id fuisse quod eius populi propagatione Christus nasciturus esset; itaque alienos a Christo fuisse visos qui posteritatem non haberent quasi nihil ad futuri Messiae generationem contulissent » (*Mald.* sim. *Grimm*). Si autem Elisabeth eo modo loquitur quo res in vet. test. considerabatur, non erit incusanda sensus carnalis (cf. *Euth. Schanz*).

Cur se occultaverit aliae ab aliis rationes afferuntur. Satis frequenter dicunt id factum esse propter pudorem et verecundiam; « si enim vir senex fuerit et mulier anus, pudoris est maximi servire coniugio » (*Orig.*), « ubi matura aevi senectus successerit et aetas regendis liberis habilior quam creandis, pudor est legitimi licet coitus indicia gestare » (*S. Ambr.* et similiter *Bed. cat. Cr. Theoph. Euth. Alb. Cai. Dion. Ipr. Lap. Lamy*); factum esse humilitatis et pudicitiae causa (*S. Bon. Sylv.*). Verum difficile est videre cur tot in eam concesserint opinionem, quae adeo aperte cum verbis Elisabeth pugnat. Haec enim cum se concepisse sentit Deo agit gratias, quod se benigne respexerit et suum inter homines opprobrium abstulerit. Neque ullum est in vet. test. indicium eiusmodi conceptum pudori et verecundiae esse habitum; contra cum proles inter Dei benedictiones maxime expetendas recenseretur, eiusmodi conceptus ea aetate habitus quae iam ab ordine naturae aliena esse videbatur, ad singulare Dei beneficium referri solebat; vide v. 58, vicini et cognati ei congratulantur et per totam regionem id unum circumfertur quod Deus magnificavit misericordiam suam cum illa. Ergo ea res non reputabatur esse ignominiae, sed congratulationi et actioni gratiarum laudique Deo persolvendae! Adnotat *Tol.* Elisabeth in eo conceptu agnovisse divinam virtutem adeoque non potuisse rubore et verecundia quadam humana tantum Dei opus velle occultare. Praeterea si

voluisset pudoris causa se occultare, seligendi erant non menses a conceptu priores, in quibus nulla praegnationis indicia apparent, sed posteriores. Quae ratio utique rem non omnino evincit, cum dici possit evangelistam fortasse solum quinque mensium mentionem fecisse quia v. 26 iam de sexto mense narret. — Alii reddunt rationem, quia Elisabeth voluerit ut conditio maneret occulta (*Luc. Bisp. Schegg, Reischl, Grimm, Fil.*); contra quam iam *Salm.* advertit : at certe a duobus vel tribus mensibus non erat cur se occultaret, cum nullus adhuc appareret tumor. Aliis placuit eam sese occultasse a principio neque manifestasse suam conditionem, quia tum nemo credidisset eam concepisse sed opus Dei exposuisset hominum ludibrio; sed eo tempore censuisse opus Dei esse declarandum, cum iam signa minime dubia apparerent (*Tol. Luc.*); noluisse itaque rem divulgari antequam de ea certo omnibus constare posset ex ipso eius aspectu (*Salm. Sylv.*); « prudenter autem non usque ad partum occultavit, ne si inexspectatus et praeter omnium opinionem partus adveniret, suppositus, non autem proprius eius filius ab omnibus crederetur » (*Tol.*).

Tempus conceptus b. Ioannis baptistae determinare aliqui ex eo studebant quod *S. Aug.* dicit Iesum conceptum credi octavo kalendas aprilis (de Trin. 4, 5; *M.* 42, 894); « cum igitur Christus conceptus sit in aequinoctio verno, consequitur Ioannem conceptum esse in aequinoctio hiemali mense septembri » (*Tol.*); mense septembri octavo kalendas octobris (*Bed.*). Res est incerta; aliter enim Hippolytus tempus computat.

b) **Annuntatio nativitatis Iesu 1,26-38.**

1,26. In mense autem sexto, missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae cui nomen Nazareth, 27. Ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo David, et nomen virginis Maria. 28. Et ingressus Angelus ad eam dixit : Ave, gratia plena, Dominus tecum : Benedicta tu in mulieribus. 29. Quae quum audisset, turbata est in sermone eius, et cogitabat qualis esset ista salutatio. 30. Et ait Angelus ei : Ne timeas, Maria : invenisti enim gratiam apud Deum. 31. Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum. 32. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius; et regnabit in domo Iacob in aeternum. 33. Et regni eius non erit finis. 34. Dixit autem Maria ad Angelum : Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? 35. Et

1,26. Ἐν δὲ τῷ μηνὶ τῷ ἕκτῳ ἀπεστάλη ὁ ἄγγελος Γαβριὴλ ἀπὸ τοῦ Θεοῦ εἰς πόλιν τῆς Γαλιλαίας ᾗ ὄνομα Ναζαρὲτ, 27. πρὸς παρθένον ἐμνηστευμένην ἀνδρὶ ᾧ ὄνομα Ἰωσὴφ, ἐξ οἴκου Δαυείδ, καὶ τὸ ὄνομα τῆς παρθένου Μαριάμ. 28. καὶ εἰσελθὼν πρὸς αὐτὴν εἶπε· Χαῖρε, κεχαριτωμένη· ὁ Κύριος μετὰ σοῦ· [εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξίν.] 29. ἡ δὲ ἐπὶ τῷ λόγῳ διεταράχθη καὶ διελογίζετο ποταπὸς εἴη ὁ ἀσπασμὸς οὗτος. 30. Καὶ εἶπεν ὁ ἄγγελος αὐτῇ, Μὴ φοβοῦ, Μαριάμ· εὗρες γὰρ χάριν παρὰ τῷ Θεῷ. 31. καὶ ἰδοὺ, συλλήμψῃ ἐν γαστρὶ, καὶ τέξῃ υἱὸν, καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἰησοῦν. 32. οὗτος ἔσται μέγας, καὶ υἱὸς ὑψίστου κληθήσεται· καὶ δώσει αὐτῷ Κύριος ὁ Θεὸς τὸν θρόνον Δαυεὶδ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, καὶ βασιλεύσει ἐπὶ τὸν οἶκον Ἰακὼβ εἰς τοὺς αἰῶνας, 33. καὶ τῆς βασιλείας αὐτοῦ οὐκ ἔσται τέλος. 34. Εἶπεν δὲ Μαριὰμ πρὸς τὸν ἄγγελον, Πῶς ἔσται τοῦτο, ἐπεὶ ἄνδρα

respondens Angelus dixit ei : Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. 36. Et ecce Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua; et hic mensis sextus est illi, quae vocatur sterilis; 37. Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. 38. Dixit autem Maria : Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Et discessit ab illa Angelus.

οὐ γινώσκω; 35. καὶ ἀποκριθεὶς ὁ ἄγγελος εἶπεν αὐτῇ, Πνεῦμα Ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπὶ σὲ, καὶ δύναμις ὑψίστου ἐπισκιάσει σοι· διὸ καὶ τὸ γεννώμενον ἅγιον κληθήσεται Υἱὸς Θεοῦ; 36. καὶ ἰδοὺ, Ἐλεισάβετ ἡ συγγενίς σου, καὶ αὐτὴ συνείληφεν υἱὸν ἐν γήρει αὐτῆς· καὶ οὗτος μὴν ἕκτος ἐστὶν αὐτῇ τῇ καλουμένῃ στείρᾳ· 37. ὅτι οὐκ ἀδυνατήσει παρὰ τοῦ Θεοῦ πᾶν ῥῆμα. 38. εἶπεν δὲ Μαριὰμ, Ἰδοὺ ἡ δούλη Κυρίου· γένοιτό μοι κατὰ τὸ ῥῆμά σου. καὶ ἀπῆλθεν ἀπ' αὐτῆς ὁ ἄγγελος.

In v. 28 ευλογημενη συ εν γυναιξιν legitur in A C D X Γ Δ Λ Π unc 8 al pler it vulg go tat syr (utr) aeth Eus Tert et in protoevangelio Iacobi; non legitur in ℵ B L pauc minusc cop syr (hr) arm Chron Dam Ti W H. Plerumque dicunt e v. 42 esse verba huc inserta. Sed cum apud tot testes et in verss pler habeantur, etiam itala, quae aetate eminet prae ℵ B, verba haec erunt retinenda. In v. 28 pler codd vulg *have;* inter mulieres dub theod lich med per b c d ff² l q r; immo inter mulieribus cav for ken rush tol. In v. 29 η δε sine additam ℵ B D L X aliq minusc arm Chron Dam ev hier; al addunt ιδουσα; a q ipsa autem ut vidit (vidit eum b f ff² l Amb), cum vidisset angelum e; quae cum vidisset c g¹ Aug big dub cav lich ept fuld hub theod car med ox tol val corp harl, go syr (utr) tat aeth; e quia sic benedixit eam; a b ff² l q quod sic benedixisset eam; turbata est in *introitu* a b ff² g¹ l q go Amb. In 35 γεννωμενον sine additam longe pler; add *ex te* a c e r big dub hub theod med mt per wil gat g¹; εκ σου C* aliq minusc sax syr (sch) tat aeth; praeterea Patrum testimoniis non paucis fulcitur.

Uti *Salm.* notat (t. 3 tract. 1), suavissimum hoc et pulcherrimum annuntiationis evangelium insignem et omni ex parte illustrem legationem continet. Magnus est enim, immo maximus ille princeps qui mittit; magnus et ille qui mittitur; rursus magna quoque est illa ad quam legatio destinatur; magnum quoque, immo praestantissimum est negotium de quo tractatur, non particulare, sed universale et ad omnium salutem spectans. Tanto itaque haec legatio omnibus aliis antecellit, quanto Deus maior est homine et quanto negotium Incarnationis omnia mundi negotia superare dignoscitur. Rem sublimem evangelista eo dicendi genere describit quod nativa sua sinceritate ac puritate et rem illustri modo exhibet et animos legentium suavitate sua et rei maiestate in admirationem et delectationem rapit et simul candida sua simplicitate et veritate ab omni fuco aliena quam maxime commendatur.

Propter certitudinem historiae adstruendam distincte omnia Lucas describit, tempus, locum, personam missam, personam ad quam missio facta est (*Ians.*). « Conveniens autem nostrae reparationis principium, principio nostrae perditionis respondens, ut scil. a Deo angelus ad virginem mitteretur partu consecrandam divino, sicut olim a diabolo

serpens missus fuit ad Evam spiritu superbiae decipiendam; sicut Eva serpenti credens libidine corrupta est, ita haec virgo angelo credens conceptu divino donata est, ut filii Evae per filium virginis liberarentur et sanctificarentur » (*Ians.*). Dein, ut *S. Thomas* dicit (3 p. qu. 30 art. 2), divina ordinatione fit ut mediantibus angelis divina ad homines perveniant beneficia. Unde v. 26 *in mense autem sexto* scil. ab eo tempore quo Elisabeth conceperat, prout ὲὲ *autem* aperte refertur ad v. 24 menses quinque et uti ex v. 36 elucet, *missus est angelus Gabriel,* nuntius Incarnationis, cf. Dan. 9,24 et cf. v. 19, *a Deo in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth,* Nazareth oppidum erat adeo obscurum, ut nulla eius fiat mentio in libris vet. test.; erat ignobile, uti patet Ioan. 1,46. Iam praedixerat Isaias 7,16 fore ut Emmanuel, filius Virginis, Messias adolesceret non in Iudaea, sed in regione regni Israel (vide quae ad eum locum notavi in Comment. Is.) in conditione humili et paupere; quo oraculo domui David et regni privationem et ruinam obscuritatemque vaticinatus est. Quare prophetiae plane consentaneum est, ut nobilem David stirpem inveniamus in oppido ignoto terrae Galilaeae quae ipsa quoque a Iudaeis contemptui habebatur; v. 27 *ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo David, et nomen virginis Maria;* illud *de domo David* alii referunt ad Ioseph (cf. *cat. Cr. Tol. Luc. Ipr. Bisp. Schegg, Fil.*); at alii merito advertunt melius referri ad virginem (cf. *Cai. Schanz, Keil, Weiss*). Nam de ea reliqua quoque enuntiantur (cf. *Wieseler,* Beitraege p. 143), dein infra in v. 32 et 69 omnino supponitur Mariam esse ex domo David; dein 2,4 demum de Ioseph adeo explicite dicitur eum esse de domo et familia David, ut non appareat cur id repetatur, si hoc loco iam de eodem dictum erat. Alia quae davidicam Mariae originem ostendant, vide in Comment. Matth. I p. 41 seq.; ibidem p. 43 actum quoque est de nomine Mariae. Forte obiicies cum *Sp.* cum dicatur : et nomen *virginis* indicari illud de domo David referri ad Ioseph, alias enim exspectandum esse : et nomen *eius;* sed respondeo cum *Schanz* et *Weiss* omnino posse repeti *virginis* emphasis gratia modo quodam oratorio, quia ad virginem mitti angelum et de virgine agi in tota hac narratione praecipue praedicatur. Aliis demum visum est de domo David pari ratione et ad virginem et ad Ioseph referri (cf. *Bed. Euth. Alb. Reischl*).

Cum dicatur v. 28 *et ingressus angelus ad eam,* significatur angelum corporali specie apparuisse et in conclavi cum sola virgine esse locutum (*Ians.*); sola in penetralibus ab angelo salutatur (*S. Ambr.*), et cum plerisque pie meditari licet Deum qui eam formaverat et elegerat in matrem cunctasque illius actiones mirabili providentia disponebat, mentem eius in altam contemplationem excitasse tunc tem-

poris quando conceptura erat Dei Filium, et valde consentaneum videtur eam tunc desiderio adventus Messiae animum occupasse (cf. *To.*); *dixit : ave, gratia plena,* χαῖρε, respondet hebraico שלום לך pax tibi, qua phrasi hebraice loquentem angelum usum esse credendum est (*Mald. Ians. Salm. Lap. Luc.* etc.), uti Syrus quoque habet; annuntiat ei angelus pacem, gaudium, laetitiam; iubet eam esse bono animo amice eam salutando; χαῖρε apud Graecos quoque formula est salutandi et bene precandi, et « salutatio signum est benevolentiae, amicitiae, dilectionis, qua videlicet optima quaeque et fausta omnia precamur illis ad quos accesserimus; nam et pacis nomine dum ad salutationem eo Hebraei utuntur, intelligunt id quod nos nomine salutis, prosperitatem nempe omnem felicitatemque » (*Luc.*). Sollemne est apud veteres diversa ratione Evam comparare cum Maria; ita : quandoquidem Deus ad Evam dixerat : in dolore paries filios, gaudium quod angelus annuntiat luctum illum solvit (*cat. Cr.*); gaudium hoc solvit maledictionem Evae; Eva iussa est habere moerorem, haec gaudium, moerori contrarium (*Euth. Theoph.* sim. S. Greg. nyss. hom. 13 in Cant. *M.* 44,1053; *Tol. Luc. cat. Cord.;* atque plurima eiusmodi testimonia Procopii gazaei, Germani, Ioannis damasceni, Ioannis geometrae, Nicetae, Bedae, Fulgentii, Theodoti ancyrani, Andreae cretensis, Hesychii hierosolymitani, Gregorii caesariensis, Procli etc. etc. recitat Passaglia, de immaculato Deiparae conceptu II p. 1031 seq. Romae 1854). Frequenter id quoque effertur in hymnis S. Ephraem ; cf. Th. I. *Lamy,* S. Ephr. hymni et sermones t. II p. 522. 526. 530. 550. III p. 980 etc.

Praeclarissimum virginis encomium enuntiatur : *gratia plena* κεχαριτωμένη, χάρις (unde verbum χαριτοῦν) in novo test. dicit gratiam divinam, favorem, donum, beneficium a Deo donatum; atque eo sensu hic quoque adhiberi, elucet quoque ex eo quod angelus quasi explicans mox subdit : invenisti enim gratiam apud Deum. Verbum autem χαριτοῦν forma sua et derivatione dicit aliquem gratia ornare, locupletare, cumulare; unde κεχαριτωμένη *gratia cumulata* sive *plena;* vim vocis veteres bene expresserunt; vetus latina (itala), vulg. : gratia plena, Syrus : מליאת טיבותא plena gratia, atque graeci scriptores eodem modo laudibus in b. Virginem ostendunt explicantes κεχαριτωμένην, declarari ea voce maximam quandam copiam gratiae.

Bene ea de re disserit *Valckenarius* in scholiis ad h. l. : « nobis satis erit vim vocis spectasse; a χάρις, χαριτόω gratia aliquem cumulo; inde κεχαριτωμένη est gratia cumulata sive plena... hac potestate Paulus Eph. 1,6 Deus, inquit, ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς, gratia nos cumulavit in filio suo dilecto. Neque utitur Lucas verbo novo, quippe quod Siracides iam adhibuerit 18,17. Si praeter hunc nostrum locum nullus daretur

in quo verbum hoc reperiretur, ex ipsa eius forma intelligeremus vim significandi; quidquid enim est huius formae verborum, omnia significant *cumulare* vel *plenum reddere*; αἱματόω significat *cruentare*, θαυματόω *stupore implere*, σποδόω *cinere obruere*; *sopore obrui* graece est κατουῦσθαι, qui totus fertur fuisse *oculeus* Argus poetis est ὠμματωμένος » etc. cf. Passaglia l. c. p. 1093. Et *Rosenmüller* addit : recentiores Graeci utuntur hoc sensu, ut homo κεχαριτωμένος sit *plenus gratia*, voller Reiz und Anmuth.

Ita v. g. S. Ioannes damascenus (hom. in annunt. b. V.; *M.* 96, 656) : χαῖρε, ὄντως κεχαριτωμένη, ὅτιπερ ἁγιωτέρα σὺ τῶν ἀγγέλων καὶ τιμιωτέρα τῶν ἀρχαγγέλων, et repetens χαῖρε, κεχ. pergit : quia Thronis es admirabilior, Dominationibus dominantior, maioris quam Virtutes virtutis, Principatibus superior, Potestatibus sublimior, speciosior Cherubim et Seraphim augustior, quia omnibus quae ab ortu solis sunt nobilior es etc. etc. In oratione in Ch. nativitatem (inter opera S. Chrys., *M.* 61, 737) dicit auctor : χαῖρε, κεχ. ἡ χάρις ἡ ἀπέραντος τῆς ἁγίας παρθένου; proin vocem explicat de gratia interminabili. Theodotus ancyranus inter alia haec habet (*M.* 77, 1428) : ave, gratia plena.. quae tota venerabilis, tota gloriosa, tota bona es, incomparabilis, omnem claritatem superans, tota lucis fulgoribus concreta etc. Alia et plura ea de re testimonia profert Passaglia l. c. p. 1060 seq. Cum Patres latini ubique legerent : ave, gratia plena, illos hisce vocibus insistere eaque de abundantissima Virgini collata gratia explanare facile patet. Multa eorum testimonia exhibet Passaglia l. c. p. 1046 seq. Praeclara quoque sunt ecclesiae syriacae testimonia. Hymnum de beata Maria (XIV, *Lamy* l. c. II p. 578) S. Ephraem ita orditur : Virginem plane mirandam vidit angelus et eius admiratione raptus velut ex amore blandiebatur ei dicens : pax tibi, gratia plena; coelum non est te excelsius etc.

Ad b. Virginis dignitatem sanctitatemque bene intelligendam considerare oportet hoc encomium ei tribui antequam Iesus in ea concipiatur. Quare salutatione angelica edocemur quomodo Deus eam praeparaverit, ut dignum Filii Dei habitaculum effici mereretur. Praeterea *Luc.* advertit vocem eam κεχαρ. antonomastice hic usurpari ab angelo loco nominis proprii, quasi hoc nomen sit ipsius proprium; neque enim dici : ave Maria gratia plena, sed : ave, gratia plena; « qui modus loquendi locum non habet, nisi ubi quis ita excellit in eo genere rei quae ipsi tribuitur, ut sit singularis et solus propemodum habendus huiusmodi, quemadmodum cum iustus dicitur pro Christo et sapiens pro Salomone. Sic igitur et Virgo hic singulariter κεχαριτωμένη vocatur, tamquam sola sit nullaque ipsi conferenda, quod ad gratiae excellentiam, dignitatem et copiam, ut certe non mulieres solum sed et creaturas omnes superabat. Profecto magno illam honore afficere mens angeli, immo Dei fuit, dum suppresso nativo nomine nomen illi dedit a gratia tamquam quae sola polleret omnis generis gratia

solaque digna esset quae Deo placeret ». Ceterum etsi dicatur plena gratia, nullatenus negatur eam fuisse capacem augmenti gratiae, in qua gratia in dies magis crescebat quotidianis virtutum actibus ex ipsa gratia oriundis et gratiam uberiorem conferentibus. Uti κεχαριτωμένη, quia appellatio est, asserendo dicitur, ita *Dominus tecum* quoque enuntiatur non apprecando (tecum *sit, Cai.*), sed affirmando, tecum est (cf. *Dion. Fab. Ians. Mald. Luc. Ipr. Lap. Sylv. Schegg, Schanz, Fil. Keil, Weiss, Sp.*), atque id pariter de ea dicitur antequam Iesus concipitur. Gratulatur enim angelus ei bonum praesens (*Luc.*), Dominus singulari favore et amore te prosequitur (uti explicat *Suarez* ad 3 p. qu. 30 art. 4) et singulari ratione in te inhabitat (*Ians.*), in sua te servat tutela et regit te (*Luc.*). Cum Deus omnibus in rebus sit per praesentiam, potentiam, essentiam, necessario sequitur, si de aliquo Deum esse cum eo affirmatur, id singulari et excellenti modo esse intelligendum de peculiari Dei favore, protectione, de largissima quadam bonorum divinorum communicatione, de auxilio in re difficili eximie praestando. Quia angelus mittitur nuntius Incarnationis, verba haec quae utique ante conceptum enuntiantur, tamen merito ita accipiuntur, ut summum illum quoque amorem Dei significent quo Deus Pater Filium suum Virgini dare vult filium. Quod S. Thomas habet (3 p. qu. 30 art. 4) : expressit conceptum in hoc quod dixit : Dominus tecum, *Suarez* explicare studet in hunc modum : nuntiasse illi filium et significasse illi esse electam ut singulari modo Dominus in ipsa esset. Conceptum exprimi etiam statuitur in serm. de tempore 195,2 (olim serm. 18, inter opera *S. Aug.* t. 5 in app.) : ita est Dominus tecum, ut sit in corde tuo, sit in utero tuo, adimpleat mentem tuam, adimpleat carnem tuam. Sed per se solum enuntiatur Dominum cum ea esse; utique est cum ea modo eximio et semper ab eius ortu fuit, quia electa est ut fiat mater Iesu.

Et quia ita electa est et a Filio Dei insigni modo dilecta tamquam eius mater futura, propterea est etiam *benedicta tu in mulieribus*, a Domino scil. qui tecum est, amplissimis beneficiis et gratiis affecta, felix et beata (*Luc.*). Uti duae antecedentes enuntiationes, ita haec tertia quoque est non optantis, sed affirmantis; *in mulieribus*[1] vel inter mulieres i. e. plus quam omnes mulieres, quasi dicat : tu sola maledictionis expers, reliquae omnes maledictioni obnoxiae (*Ians.*),

1. Bene notat *Winer* (Grammatik des neutest. Sprachidioms § 36, 1) eo loquendi modo exprimi : inter mulieres tu es (sola) quae vocari possit benedicta; aliarum benedictio nullo numero putanda est, si tua benedictio consideratur; neque eum dicendi modum atque hebraismum ignotum esse poetis graecis; cf. Pind. Nem. 3, 80 (140) αἰετὸς ὠκὺς ἐν πετανοῖς. Ceterum vide v. g. Cant. 1, 8 ; 5, 9; 6, 1 (hebr.).

tu benedictionibus divinis amplissimis cumulata prae omnibus (*Ipr.*). Nominantur autem mulieres non tam quia comparatio fieri solet inter ea quae sunt eiusdem generis (*Mald.*), sed potius quia benedictiones ei cumprimis particulares, ut electio ad dignitatem matris Dei et quae inde consequuntur, conceptus salva virginitate, partus sine dolore, eam prae omnibus mulieribus ornant et extollunt. Eva incurrit maledictionem, Maria salutatur benedicta inter omnes mulieres. Salutatio haec et forma sua et occasione est sicut illa κεχαριτωμένη plane unica. Nam neque Iahel neque Iudith quae solae similem videntur consecutae esse salutationem merito venire possunt in comparationem. Hae enim laudantur propter facinus quoddam singulare et laudantur alio modo, et Iahel quidem εὐλογηθείη (תְּבֹרַךְ) ἐκ γυναικῶν Iud. 5,24 et Iudith laudatur ab Ozia εὐλογητὴ σὺ θυγάτηρ τῷ θεῷ τῷ ὑψίστῳ παρὰ πάσας τὰς γυναῖκας καὶ εὐλογημένος κύριος ὁ θεός etc. Iudith 13,18. Hae mulieres ad salutem temporalem semel populo Dei dandam a Deo erant electae; ideoque benedicendae ab hominibus (Iud. 5,24) et a Deo ad hoc unum praestandum favore et auxilio divino benedictae (Iudith 13,18 vel vulg. 23). Et quia ad hoc a Deo erant electae et ope eius instructae, figuram quoque quandam et typum exhibent b. Virginis quae electa est et donis divinis ornata, ut eum conciperet et pareret qui salutem aeternam mundo afferret. Unde quae in typo apparent, modo multo excellentiore implenda sunt in antitypo. Dicitur itaque benedicta a Domino (cf. *Fab. Ians. Mald. Luc. Ipr. Lap. Fil.*); alterum quod quandoque explicant de laude et honore apud homines (*S. Thom. Cai.*) utique ex priore consequens est.

De hac angelica salutatione permultae exstant Patrum et scriptorum ecclesiasticorum conciones, homiliae, explanationes quas enumerare non est huius loci. Id unum addere non pigebit quae sit summa illorum quae maiores nostri de angelica salutatione litteris consignarunt. Haec autem est, ut scribit Passaglia l. c. p. 1028, qui ibidem plurimis locis adductis suam demonstrat sententiam, « quod ea fuerit novus sermo, nova acclamatio, nova formula benedictionis, salutatio insolita, salutatio peregrina, humana consuetudine inaudita, nusquam lecta, nusquam antea comperta, soli Virgini reservata atque eiusdem dignitati unice congrua ». Hisce itaque vocibus maiores nostri hanc describunt salutationem. Quare ex hisce quae verissime dicuntur merito inferemus cum eodem scriptore : « iamvero novis sermonibus, novis acclamationibus novisque benedictionis formulis *nova significantur;* salutatione insolita, salutatione peregrina et humana consuetudine inaudita *non alia quam insolita, peregrina et supra humanam evecta consuetudinem efferuntur;* salutatione nusquam lecta et nusquam antea comperta *id ostenditur quod eximium sit et prorsus singulare;* deni-

que salutatione soli Virgini reservata atque eiusdem dignitati unice congrua *contineri nihil potest quod commune sit quodque unius Virginis privum existimari non debeat* ». Quare ex iis facile perspicitur quae fuerit antiquitatis christianae notio atque existimatio de singulari b. Virginis gratia et sanctitate neque minus ex iis infertur hisce encomiis tacite quoque significari immaculatam Virginis conceptionem eiusque ab omni labe peccati immunitatem perfectam.

Iam quid ad talia beatissima Virgo? v. 29 *quae* (*cum audisset*) *turbata est in sermone eius et cogitabat* διελογίζετο secum deliberabat, *qualis esset ista salutatio*, quid sibi vellet, quo tenderet, cuius generis notio ac significatio ei esset tribuenda. Cum enim virgo esset humillima ac de se demisse sentiret, splendida angeli apparitione (si ἰδοῦσα aliquorum testium respicere volueris) et magnifica salutatione animo haud leviter commovetur. Hanc animi turbationem et timorem (cf. v. 30) radicem habuisse in Virginis humilitate recte statuunt *Dion. Fab. Ians. Salm. Mald. Luc. Suarez* (in 3 p. qu. 30 disp.9 sect. 3,3) *Ipr. Bisp. Reischl*, *Grimm;* quo cum affectu intime consociatur obstupefactio et admiratio de salutatione adeo nova, insolita, quam rationem alii efferunt; ita *Orig.* territam eam esse ait peregrina ea salutatione sibi soli servata et *S. Ambr.* scribit : benedictionis novam formulam mirabatur quae nusquam lecta est, nusquam ante comperta; soli Mariae haec salutatio servabatur (sim. *Bed. Alb. Salm. Luc.* inter alia). Simul ea magnifica salutatione permota est cum non perspiceret ad quid tenderet, attamen omnino suspicari deberet a se quidquam magni et ordinem excedens communem postulari (cf. *Alb. Schegg, Schanz*). Quia autem humilis erat et de se modestissime sentiebat, non potuit non commoveri eiusmodi prospiciens.

Sat multi rationem perturbationis ex eo repetunt quod pudore virgineo et castissimo turbata sit ingressu angeli in specie iuvenis et etiam ipsa salutatione quae blanda et suavis fuerit, immo aliquid amatorii prae se ferre potuerit videri; trepidare enim virginum est, ait *S. Ambr.*, et ad omnes viri ingressus pavere; eam rationem proferunt *S. Ambr. Bed. Bon. Alb. Cai. Ians. Salm. Calm. Lamy;* at de angeli forma iuvenili eam esse turbatam, omnino gratis asseritur; haec enim causa, ut *Tol.* notat, non accommodatur verbo *in sermone eius*, nec etiam verbo sequenti : cogitabat, qualis esset ista salutatio. Dein puto eam rationem perturbationis esse alienam a sanctitate et dignitate b. Virginis; nam omnino censeo sentiendum esse cum *Mald.* : « sanctissimam Virginem vel suspicatam tantum fuisse aliquid amatorium indignum mihi videtur tanta eius puritate; simplex esse debet et minime suspiciosa virginitas, quae non solum quae non licent appetendo et quod minus est cogitando, sed etiam de aliis ut seipsam tueatur suspicando

quodammodo maculatur; angelicam ego prorsus in Maria puritatem ponendam existimo; angeli vero ne suspicari quidem aut timere periculum ullum suae puritati possunt; itaque cogitatio illa (qualis esset salutatio) non ex castitate, quamvis et castitas in ea summa esset, immo propterea non ex castitate quia summa erat, sed ex humilitate profecta est ». Praeterea ex modo narrandi concludendum est Mariam statim deprehendisse apparitionem esse angelicam, angelum ad se venisse et sane conveniens est ut extemplo angelus apparens se tamquam angelum a Deo missum manifestet. Iam si hoc, quomodo suspicioni et pudori locus esse posset? Neque iis assentiendum esse existimo qui putent virginem haesitasse sitne apparitio divina an diabolica, sitne salutatio libidinosa an divina, illusoria et a daemone missa an vera et a Deo allata (*cat. Cr. Theoph. Euth. Ians. Cai. Mald. Calm.*). Sed recte eam sententiam refutant *Dion. Tol. Sylv.;* si enim dubia fuisset de apparitione, potius cogitasset quis is esset quam qualis esset eius salutatio; rursus non est verisimile in tanto ac tam ad credendum arduo mysterio Dominum permisisse, ut nuntius videretur incertus; demum monent b. Virginem non caruisse dono discretionis spirituum. Ceterum, ut monui, ipsa narratione nobis indicatur angelum apparuisse et talem a Virgine esse agnitum. Iam ea re sola istae conclusiones timuisse eam de sua pudicitia vel dubitasse etc. prorsus excluduntur.

Quia fieri non poterat ut quae turbata erat et timens accurate perciperet nuntium qui perferendus erat, prius angelus timorem a corde illius expellit, ut in quiete constituta divinum recipiat responsum (*cat. Cr. Theoph.*) v. 30 *et ait angelus ei : ne timeas, Maria,* ipsa nominis proprii appellatione angelus se ei familiarem et amicum exhibet et blando alloquio eam ob omni turbatione et metu iubet esse liberam; angeli verba quin effecerint quod significant nemo prudens dubitaverit. Et rationem subdit : *invenisti enim gratiam apud Deum,* qui loquendi modus in s. litteris frequens ut in universum dicit aliquem esse gratum, acceptum, dignum cui aliquod beneficium conferatur, ita saepius etiam significat singulariter et prae reliquis aliquem esse eximie acceptum eique summum quendam praestari favorem (cf. Gen. 6,8. Ex. 33,12. Iud. 6,17). Atque hoc sensu hic dici patet ex sequentibus, quibus scil. summa quae in creatura cogitari potest dignitas Virgini annuntiatur v. 31 *ecce concipies in utero et paries filium et vocabis nomen eius Iesum;* ipsis hisce verbis alludi ad Is. 7,14 interpretes plerique recte existimant (cf. *S. Bon. Ians. Mald. Salm. Tol. Luc. Ipr. Lap. Lamy, Sylv. Bisp. Reischl, Schanz, Fil. Keil;* immerito id negat *Weiss*); de nomine Iesu vide quae dixi in Comment. Matth. I p. 62; significat Iahve est salus, unde quia « Iahve est salus » tamquam homo nasciturus est, filius qui a Virgine edendus est revera est Emmanuel i. e. Deus nobiscum (cf. ad Is. 7,14); *vocabis* ius asseritur

maternum, nam matres quoque filiis imposuisse nomina refertur; vide Gen. 4,1; 19,37. 38; 29,32-35; 30,6 etc.

Iam angelus filium Virginis ita describit, ut et secundum oracula prophetarum et secundum exspectationem opinionemque popularem manifestum appareat eum esse regem Messiam v. 32 *hic erit magnus,* quae magnitudo qualis futura sit explicatur natura filii eiusque regno: *et Filius Altissimi vocabitur* i. e. erit et ut talis agnoscetur, *et dabit illi Dominus Deus sedem* τὸν θρόνον *David patris eius;* cum Virginis filius ex stirpe davidica oriundus dicatur, etiam protestantes interpretes affirmant hisce Mariam clare designari ortam ex eadem stirpe davidica (cf. *Wieseler, Keil, Weiss*) *et regnabit in domo Iacob in aeternum* v. 33 *et regni eius non erit finis;* promiserat Deus Davidi: suscitabo semen tuum post te et stabiliam thronum regni eius usque in sempiternum (2 Reg. 7,12. 13; cf. Ps. 88,30); exinde sollemne est apud prophetas annuntiare in regni Dei instauratione regem ex domo David quem ipsum quoque David quandoque appellant (Os. 3,5. Ier. 30,9. Ez. 34,23; 37,24), qui sedebit super solium David et super regnum eius, ut confirmet illud et corroboret usque in sempiternum (Is. 9,7). Et eo tempore quo ruina regni temporalis David ingruebat, istae promissiones iterum iterumque promulgantur: ecce dies venient et suscitabo David (i. e. Davidi) germen iustum (Ier. 23,5; 30,9; 33,15) et apud Ezechielem dicit Dominus coronam regiam esse auferendam, donec is venturus sit cuius sit ius *et tradam ei* (Ez. 21,26. 27). Quodsi nunc angelus annuntiat: et dabit illi Dominus Deus thronum David patris eius, nonne illud ipsum oraculum Ezechielis iam esse implendum clare docet? et si dicit: et regnabit in domo Iacob in aeternum, id recolit quod iam Iacob patriarcha vaticinatus est de sceptro quod non auferetur de Iuda donec is veniat cui est obedientia gentium (Gen. 49, 10), qui igitur sceptrum illud gestabit in aeternum, qui sit dominator in Israel (Mich. 5,2). Atque populari quoque exspectatione desideratum esse regem, filium David, quem Deus suscitaturus sit ut regnet super Israel, demonstrant psalmi qui dicuntur salomonici aliaque scripta profana, de quibus vide quae dixi in Comment. Matth. I p. 10. 11.

Eo autem quod regnare dicitur in aeternum, eius dignitas longe superat dignitatem regum Israel. Quodsi rex Israel appelletur filius a Deo (ego ero ei in patrem et ipse erit mihi in filium 2 Reg. 7,14. 1 Par. 22,10), necesse est regem Messiam sensu longe alio et sublimiore dici filium Altissimi. Porro ad hanc considerationem accedit quod divina Messiae natura satis iam declaratur Is. 9,6; quare ea appellatione non solum declaratur Messias tamquam dilectus et electus a Deo (ut aliqui explicant; cf. *Weiss*), eo fere sensu quo alii quoque vocan-

tur filii Altissimi (Ps. 82,6 hebr.), verum natura eius divina et origo ex Patre designatur. Ad Dei maiestatem menti exhibendam adhibetur ὁ ὕψιστος, hebr. עֶלְיוֹן (Gen. 14,18. Ps. 7,18; 9,3; 21,8; 57,3. Dan. 7,18 etc. Marc. 5,7. Luc. 1,76; 6,35; 8,28. Act. 16,17. Hebr. 7,1).

Clarissime itaque a nuntio divino indicatur Mariae eam esse electam ut fiat mater Messiae et proinde ut evehatur ad dignitatem et beatitatem talem quali maiorem nulla virgo Israel cogitando assequi et expetere potuit. Quid igitur Maria? v. 34 *dixit autem Maria ad angelum : quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* quaestio potest esse admirantis de praedictione conceptus et partus, cum tamen ipsi constitutum sit manere virginem perpetuo; atque in tali admiratione sistendum esse censent *Schegg, Bisp. Schanz, Keil, Weiss, Sp.* Sed id sufficere posse non videtur. Scit enim Maria loqui nuntium coelestem et proin credit vera esse quae dicit et proin fore id quod annuntiavit; cf. v. 45 beata quae credidisti, eam salutat Elisabeth repleta Spiritu sancto. Credit itaque fore, sed modum quo possit fieri nondum intelligit; « atque hoc modo quaerere de re aliqua quae a Deo asseritur futura quomodo fieri possit, non solum non imputatur in vitium diffidentiae, sed etiam laudi ducendum est et prudentiae interrogantis adscribendum, si tamen modum illum cognoscere necesse est aut expediat ». (*Ians.*). Iam modum illum cognosci a Virgine plane erat necessarium, quare ob eam quaestionem merito vocatur σοφή (*cat. Cr.*). Erat autem necessarium ob illam ipsam rationem quam addit. Cum angelo dicenti : concipies et paries, opponat : virum non cognosco, sensus solum esse potest : eo modo quo id ordine naturae fit, in me id effici nullo pacto potest. Et cum eam rationem opponat nuntio coelesti, necesse quoque erat b. Virgini evidenter esse persuasum firmum suum consilium ab opere matrimoniali perpetuo abstinendi esse a Deo approbatum, acceptum, ratum habitum, ita quidem ut iam non liceat (sine nova de ea re revelatione et Dei mandato explicito) ab eo consilio resilire. Quia enim angelus de conceptu loquitur ad virginem iam desponsatam, quid magis naturale primo aspectu videri possit quam ut virgo iubeatur consummare matrimonium? Cum itaque Maria eo modo respondeat, istud responsum verum sensum habet in sententia apud catholicos interpretes communiter recepta b. Virginem singulari Dei inspiratione virginitatem Deo consecrasse seu votum virginitatis perpetuo servandae nuncupasse.

Cum itaque verbis eius pateat hoc quod angelus dixit naturali perfici modo non posse, inquirit modum quo illud fieri Deus velit; « etenim cum dicit : quomodo fiet istud? non de effectu dubitavit, sed qualitatem ipsius quaesivit effectus » (*S. Ambr.*) et ipsa angeli responsio

clare docet, ut *Suarez* notat (in 3 p. qu. 28 disp. 6 s. 2,5), b. Virginem simpliciter et prudenter de modo interrogasse. In eandem sententiam longe plerique verba interpretantur (cf. *S. Ambr. Aug.* de Civ. D. 16,24; *M.* 41,501; *Bernardus*, hom. 4 super Missus est n. 3; *M.* 183, 80; *Bed. Alb. Bon. cat. Cr. Theoph. Dion. Fab. Ians. Cai. Mald. Salm. Tol. Luc. Ipr. Lap. Sylv. Lamy, Calm. Reischl, Grimm, Fil. Meschler* etc.), neque ullo pacto dici potest cum *Schegg* eiusmodi inquisitionem potius fore curiositatis arguendam. Quia enim id quod angelus nuntiat et proin fieri iubet mandato divino consueto modo nequeat peragi, certe Virginis erat ulterius quaerere qua ratione illud in opus deduci Deus vellet et qui esset ordo sui obsequii, vel quid sibi esset praestandum quippe quae illo impedimento esset ligata. Aliquibus quandoque videtur ex hac Virginis interrogatione eam nondum intellexisse sibi nuntiari conceptionem Messiae (ita *Suarez* l. c. disp. 6 s.2,6) et dubitationis rationem inde petunt, quia si Messiae ortum intellexisset etiam ex Is. statim percepisset se concepturam virginem. Quam tamen difficultatem iam praeoccupavit et solvit *S. Ambr.* qui ait legisse Mariam : ecce virgo in utero accipiet etc. (Is. 7,14) et credidisse futurum, « sed quomodo fieret non legerat; non enim quemadmodum fieret vel tanto prophetae fuerat revelatum.» et eodem modo *Bed. Alb. Dion. Salm.* respondent, velle itaque Virginem doceri et instrui de modo quo salva virginitate concipere possit ac parere. Neque puto admitti posse cum Suarez Virginem non intellexisse statim agi de Messia; verba quippe angeli sunt nimis clara et aperta et popularem quoque exspectationem Iudaeorum satis exprimunt; unde etsi Virgo oracula prophetarum non satis perspexisset, ex sola opinione de Messia vulgari potuit ac debuit reddi certa.

Uti *Suarez* refert, Medina etiam supponens Mariam vaticinium Isaiae plene perspexisse putat voluisse eam illa interrogatione probare atque discernere an ille spiritus qui apparebat Dei esset an daemonis. Sed merito id reiicit Suarez : « est enim hoc contra sinceram Virginis fidem; hoc enim est dicere illam dubitasse, cum dixit : quomodo fiet, an illa esset revelatio divina necne, cum tamen Sancti dicant eam iam credidisse et modum inquisivisse » etc. (ad qu. 30 art. 4).

B. Virginem voto se obstrinxisse clare docet *S. Aug.* de virginitate cap. 4 (t. 6 p. 342 seq. edit. benedict.) : « priusquam conciperetur iam Deo dicatam de qua nasceretur elegit. Hoc indicant verba quae sibi fetum annuntianti angelo Maria reddidit : quomodo etc., quod profecto non diceret, nisi Deo virginem se ante vovisset ». Item in sermone qui S. Gregorio nysseno adscribebatur (in diem natalem Domini; *M.* 46, 1140) pariter dicitur : « si liberorum causa ducta fuisset a Ioseph, quomodo angelo partum an-

nuntianti se rem novam audire prae se tulisset? Verum quia carnem Deo consecratam tamquam sanctum aliquod oblatum munus oportebat intactam integramque praestare, idcirco, licet, inquit, angelus sis, licet e coelo venias, licet id quod ostenditur naturam superet humanam, tamen me virum cognoscere nefas est. Quomodo sine viro mater ero? Ioseph enim sponsum novi, sed virum non cognosco ». Et in eundem sensum scribit *S. Bernardus :* « non quaerit an fiet istud, sed quomodo; quasi dicat : cum sciat Dominus meus, testis conscientiae meae, votum esse ancillae suae non cognoscere virum, qua lege, quo ordine placebit ei ut fiat istud? Si oportuerit me frangere votum, ut pariam talem filium, et gaudeo de filio et doleo de proposito; fiat tamen voluntas eius. Sin vero virgo concipiam, virgo et pariam, quod utique si placuerit ei impossibile non erit, tunc scio vere quia respexit humilitatem ancillae suae ». Atque b. Virginem vovisse virginitatem docet *S. Thomas* 3 p. qu. 28 art. 4 et *Suarez* (l. c. disp. 6 s. 2, 1) simpliciter dicit : inter catholicos concertatio non est quin b. Maria virginitatem voverit, et eandem sententiam propugnant *Alb. Dion. Ians. Salm. Mald. Tol. Lap. Luc. Ipr. Sylv. Lamy, Calm. Bisp. Reischl, Fil.* et de firmo proposito virginitatis servandae quod Deo aspirante conceptum sit etiam *Schegg, Schanz* exponunt.

Aliter protestantes; *Keil, Weiss* in verbis Mariae nihil aliud deprehendunt quam eam fateri se habere conscientiam immaculatam; a qua opinione non multum abludit quod habet *Cai. :* « non dixit : non cognoscam, sed non cognosco, quia intellexerat verba angeli tunc implenda; maximam affero rationem inquirendi modum quo nunc concipiam quoniam usque in praesens viri cognitionem non habeo; hoc est, quia virgo sum ». Sed merito eam interpretationem perstringit *Ians. :* « qui intellectus absurdissimus est, tum quod sic dicendum fuisset : quia nondum cognovi virum, tum quod inconvenienter pro causa suae admirationis et quaestionis virgo adduxisset quod necdum virum cognovisset; futuri enim conceptus futurum congressum potius quam praeteritum debuit intelligere fore causam ». Et merito quoque notat *Ipr.* futilem fore interrogationem quia posset in posterum cognoscere, nec verba Virginis posse intelligi de solo proposito, quia posset propositum pro re tanti momenti mutare propria et prudenti voluntate, sed debere intelligi de tali proposito, ut resilire non posset, quasi diceret : non possum aut non licet mihi, eodemque modo *Salm. Luc.* etc. Et profecto, nisi quis sponte velit caecutire debet fateri responsum fore putidum, ridiculum, absurdum : quomodo concipiam? sum adhuc virgo. Ad rem quoque notat *Ians.* debuisse Mariam coelesti ratione certo cognoscere votum suum a Deo esse approbatum, cum alioquin ex denuntiato conceptu futuro existimare mox potuisset votum illud Deo improbari nec sibi servandum esse. Patet quoque eiusmodi propositum firmum seu votum optime exprimi tempore praesenti. Qui enim voto vel praecepto adstrictus abstinet a vino, a carne, dicet postulanti ut bibat vinum vel edat carnem : non bibo vinum, non comedo carnem.

Neque praetereundum est quod apte monent, in hisce Virginis verbis

splendere admirandum castitatis et virginitatis amorem, cuius scil. conservandae desiderio flagrans etiam cum tanti filii conceptio nuntiaretur non sit propositi et voti oblita, verum eam cupiebat conservare (cf. *Tol. Lap.* etc.). Id quoque effertur inter alia in sermone S. Gregorio nysseno attributo (in diem natalem Christi; *M.* 46, 1140) : « quid autem Maria? audi pudicam Virginis vocem. Angelus partum nuntiat; at illa virginitati inhaeret et integritatem angelicae demonstrationi anteponendam iudicat; neque angelo est incredula, neque a suo recedit proposito », et S. Bernardus exclamat : « immobile propositum virginitatis, quod nec angelo filium promittente aliquatenus titubavit » (serm. de assumptione b. Mariae 4, 6; *M.* 183, 428).

B. Virginem de modo quaesivisse constat ex ipsa angeli responsione v. 35 *et respondens* i. e. interroganti satisfaciens et reponens *angelus dixit ei : Spiritus sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi;* iam erat Spiritus sanctus in b. Virgine; sed quia novum effectum in eo procreat, denuo in eam venire dicitur; quae nova eius inhabitatio in altero membro symbolo nubis exprimitur in qua Deus super tabernaculum suam praesentiam singulari modo manifestare solebat; cf. Ex. 40,32 operuit nubes tabernaculum et gloria Domini implevit illud. Maria itaque est quasi nova arca foederis in qua Dominus requiescit. Vox haec *obumbrabit,* ait *Lamy,* peculiarem summumque modum praesentiae, inhabitationis et operationis Dei indicat, quo spectat nubis obumbratio in tabernaculo foederis (similiter *Reischl, Grimm, Schanz, Fil.*); atque vox ἐπισκιάζειν apud LXX ponitur Ex. 40,35 et σκιάζειν Num. 9,22 pro hebr. שכן quod verbum adhibetur de nube requiescente super tabernaculum et de Deo habitante in medio populo. Novo itaque modo ad novum effectum Spiritus sanctus virtute sua in b. Virgine operabitur. Comparatione quoque cum Act. 5,15 res illustrari potest; infirmos eiiciebant in plateas, ut veniente Petro saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum et liberarentur ab infirmitatibus suis; proin uti Petri praesentia corporalis damna corporis reparavit, ita praesentia Spiritus sancti in b. Virgine effecit ut Virgo conciperet. Et prout Christus loquens de Spiritus sancti descensu super apostolos dicit eos iri indutum virtute ex alto et accepturos esse virtutem supervenientis Spiritus sancti (Luc. 24,49. Act. 1,8), ita hic operatio Spiritus sancti simili modo virtutis vocabulo indicatur; « videtur angelus summo consilio nomine virtutis et Altissimi usum esse, quia de ea re agebat quae divinam maxime potentiam postulabat quam nomen utrumque declarat » (*Mald.*), procreationem scil. humanae naturae eiusque cum Verbo divino unionem; *ideoque et quod nascetur* (*ex te*) *Sanctum vocabitur Filius Dei* τὸ γεννώμενον ἅγιον Sanctum quod nascitur, quod paritur; hoc sensu γεννᾶν esse explicandum

plerique merito putant, et non : Sanctum quod *gignitur* (uti aliqui, uti *Meyer, Weiss*, volunt). Nam notio gignendi (uti illi eam ad patris functionem restringunt) et re ipsa et verbis quoque superveniendi et obumbrandi longissime abest a Spiritu sancto; dein vox γεννᾶν notione nascendi solet usurpari; cf. Matth. 2,1. 4; 19,12. Luc. 1,13. 57; 23,29. Ioan. 3,4; 9,2 etc. et ita esse intellectum, ostenditur quoque additamento ἐκ σοῦ quod etsi raro in codicibus, tamen satis frequenter apud Patres legitur. Sanctum[1] itaque quod nascitur *vocabitur* i. e. erit et agnoscetur et praedicabitur *Filius Dei;* quod nascitur vel in b. Virgine oritur *sanctum* est quia humana illa natura iam vi originis ex Virgine gratia plena et praeventa virtute divina a communi ortus humani labe est immunis et Deo plane consecrata; dein quod longe omnem sanctitatem creatam transcendit, illa humana natura ipso suo ortu coniungitur Verbo divino.

Porro ex ipsa illa ratione plane admiranda qua Virgo concipit et parit virtute divina concludere oportet prolem illam esse Filium Dei et ipse modus ille supernaturalis efficiet ut tamquam talis agnoscatur. Neque enim haec nativitas alteri conveniebat quam ei qui vere esset Filius Dei, et rursum Filium Dei aliter in tempore nasci non fuisset congruum (cf. *Ians. Salm. Cai. Dion. Ipr.*); eum quippe non decebat hominem habere in terra patrem, qui patrem in coelo haberet Deum (*Luc.*). Ita illud διό *ideoque* erit concipiendum. Nam quod quandoque proponitur Christum vocari Filium Dei quia virtute Spiritus sancti conceptus sit ideoque etiam ut homo habeat originem divinam, admitti nequit. Sequeretur enim Christum esse Filium Spiritus sancti vocandum, vel cum opera Dei ad extra toti ss. Trinitati sint communia, Christum vocari Filium ss. Trinitatis. Dein ex ipsa notione filiationis reiiciendum est quod *Mald.* dicit : vocabitur i. e. erit filius Dei, quia non a viro, sed a Deo virtute Spiritus sancti generabitur (et similiter loquuntur *Schegg, Bisp. Reischl, Grimm*); nam Christus ut homo non procedit a Spiritu sancto secundum similitudinem speciei (cf. *Suarez* ad 3 p. qu. 32 art. 3) et S. Thomas dilucide rem exponit : dicendum quod Christus conceptus est de Maria Virgine materiam ministrante in similitudinem speciei, et ideo dicitur filius eius. Christus autem secundum quod homo, conceptus est de Spiritu sancto sicut de activo principio, non tamen secundum

1. Uti *Fab.* iam notat, ἅγιον est substantivi loco positum et subiectum grammaticale. *Mald.* sanctum adverbii loco dici pro sancte contendit : quod sancte nascetur; sed perperam. Cur dicatur *sanctum* neutro genere, aliqui ex fetu nondum formato et carente genere explicant. Sed id iam ex v. 31 reiiciendum est. Euth. τὸ ἅγιον βρέφος explicans indicat βρέφος loquenti obversari. *Tol.* exponit de composito ex duabus naturis.

similitudinem speciei, sicut homo nascitur de patre suo et ideo Christus non dicitur filius Spiritus sancti nec etiam totius Trinitatis (3 p. qu. 32 art. 3). Itaque διό oportet explicari de causa cognitionis Filii Dei, ita ut inferatur consecutio quaedam logica, sicut saepe exponunt etiam illud propterea Ps. 44,3 : diffusa est gratia in labiis, propterea benedixit te Deus (cf. *Delitzsch*, *Riehm* ad h. l.); id quod nostro loco eo facilius fit quia ipsa voce *vocabitur* iam designatur eum ab aliis agnosci et praedicari.

Sunt qui membrum alterum : virtus Altissimi obumbrabit tibi, non de Spiritu sancto, sed de Filio Dei explicent (cf. *cat. Cr. Theoph. Bernardus* hom. 4 missus est n. 4; M. 183, 81; *Fab.*); alii de Deo Patre id intelligunt (*Ians. Dion. Tol.*). Si priore modo, illud *ideo* facillime consequitur. Nam tum ipsum designatur Dei Verbum quod in b. Virgine inhabitans corpus humanum quasi umbram suae divinitatis sibi assumit. Sed obumbrare ἐπισκιάζειν solum id clarius exprimit quod in priore membro est dictum *superveniet,* praesertim si symbolum de nube Domini ob oculos habetur; dein, uti iam expositum est, nomen virtutis alias quoque ad operationem Spiritus sancti declarandam adhibetur. Quare omnino consultum est parallelismum membrorum adeo manifestum in explicatione quoque retinere.

Ceterum ex voce *obumbrandi* varia veteres deducere solent. Cum umbra calorem et aestum temperet et refrigerium praebeat, haud raro explicant b. Virginem ab omni aestu concupiscentiae et libidinis esse praeservatam. Et quia in s. litteris dicitur : sub umbra alarum protege me, in umbra alarum tuarum sperabo (Ps. 16, 8; 56, 2), alii exposuerunt obumbrare de peculiari Dei protectione, confortatione. Alii mysterium Incarnationis ea voce indicari putant, quia sicut umbra effigies quaedam est corporis, in qua corpus ipsum quodammodo agnoscitur, ita Filius Dei in illa assumpta natura sic latebat, ut ex illa et ex operibus agnosci posset Filius Dei; vel Verbum ipsa Incarnatione assumpto corpore quasi umbram quandam et umbraculum fecit (cf. *Alb. Tol. Salm.* apud quos variae Patrum expositiones referuntur). Prae aliis praefert *Mald.* obumbrare quasi nube obducere, impluere, quasi dicatur fore, ut virtus Altissimi sic in virginem impluat, ut eam fecundet. Demum neque desunt qui voce illa complexum viri honesto modo designari putent (id praeferunt *Tol. Salm. Bisp.*); sed recte monet *Schanz* eiusmodi notionem esse longissime amandandam.

Alium quoque Dei favorem quem praestitit cognatae mulieri et potentiae divinae exemplum angelus affert, « ut dum miraculum additur, gaudium gaudio cumuletur » (*S. Bern.* l. c. n. 6) v. 36 *et ecce Elisabeth cognata tua,* qualis fuerit cognatio non constat; sed cum sacerdotes et levitae ex variis tribubus sibi uxores assumere possent, eiusmodi cognatio inter Mariam ex familia David et Elisabeth ex stirpe Aaron facile poterat oriri. Ita Ioiadas pontifex uxorem habebat Iosa-

beth filiam regis Ioram (2 Par. 22,11). Poterant v. g. ut quidam putarunt, Maria et Elisabeth esse filiae duarum sororum ex tribu Iuda, quarum una nupserit in familia Aaron, altera in familia David; *et ipsa concepit filium in senectute sua* i. e. praeter spem omnem et naturae vires; tam distincte annuntians filium iterum nuntium se probat coelitus missum; nam id humanitus sciri nondum poterat; et quam certa sit conceptio, patet ex tempore quo scil. eius iam signa apparent indubia, *et hic mensis sextus est illi quae vocatur sterilis*, cuius itaque conceptionem iam dudum apud omnes longe lateque fieri nullo pacto posse manifestum notumque erat. B. Virgo nullum postulaverat signum ad fidei confirmationem. Tamen angelus, ut Virgini gaudium de probro ab Elisabeth cognata ablato afferat simul cum aliqua Dei potentiae et benignitatis demonstratione, id signi in loco addit; nam qui vulvam emortuam donare potest vita, ab eo non est alienum virgini sine consortio viri largiri partum; v. 37 *quia non erit impossibile apud Deum omne verbum;* hebraismus est (cf. Rom. 3,20. Gal. 2,16), Deus omnipotens cuncta efficere potest.

Quid Maria? ad dignitatem matris Messiae est electa quam dignitatem certe omnes mulieres Israel summo studio et maxima aviditate ambirent v. 38 *dixit autem Maria : ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum!* « vide humilitatem, vide devotionem; ancillam se dicit Domini quae mater eligitur, nec repentino exaltata promisso est; simul ancillam dicendo nullam sibi praerogativam tantae gratiae vindicavit quae faceret quod iuberetur » (*S. Ambr.*). Ita mater iam indolem eius prae se fert cuius cibus erat facere voluntatem eius a quo missus erat. Obedientiam Mariae *Euseb.* ita depingit : ancilla Domini sum; tabula sum pictoria; quidquid vult pictor in ea depingat; quod vult omnium rerum Dominus faciat (item *cat. Cr.*). Edocta de modo et de virginitate omni ex parte salva non plus interrogat, sed promptam se exhibet, et quanto magis audivit se elevandam in matrem Messiae filii Dei, tanto magis ad humilitatis gremium confugit et se ancillam recognoscit et offert (*Cai.*); *fiat* etc. γένοιτο « iam non solum credidit sed etiam optabat ut sibi contingeret sicut dixerat angelus » (*Euth.* sim. *Bed. Cai. Ians. Luc. Ipr. Schanz*); alii, uti *Tol.*, solum exprimi consensum indicant, *secundum verbum tuum;* verba testantur sinceram fidem, virgineam quoque modestiam quod brevissimo sermone et universa nuntiata complectitur et angelum honorat, prudentiam quia consensum suum exhibet secundum formam ab angelo propositam, obediendi promptitudinem, ut fierent in se omnia quae Deus per angelum indicabat; « quod verbum castitatem miram ipsius et profundam humilitatem significat; puritatis enim et castitatis ardentissi-

mus amor induxit eam, ut quamvis sciret non aliter se concepturam quam annuntiabatur, verbis etiam exprimeret cum hac conditione se praebere consensum; humilitas autem effecit ne expresse verba angeli magnifica et gloriosa repeteret » (*Tol.*).

Cur Deus Virginis consensum requisierit, variae afferri solent rationes : celebrari quasi sponsalia Filii Dei cum humana natura; unde convenientissimum fuisse ut consensus interveniret eius quae quasi sponsa esset Spiritus sancti et naturam humanam et Ecclesiam repraesentaret; dein ut quemadmodum per consensum feminae ruina hominum sumpserit exordium, ita reparatio per feminae consensum progrederetur — e re sunt verba Tertulliani : crediderat Eva serpenti, credidit Maria Gabrieli; quod illa credendo deliquit, haec credendo delevit (de carne Christi 17, 3) — dein ut Deus significaret reparationem nostram non fieri sine cooperatione nostra; porro ut nos obligaret ad prosequendam b. Virginem magno amoris affectu, cuius quasi arbitrio et consensui salus nostra fuisset commendata, cum non aliter Verbum Dei vellet pro nobis homo fieri nisi Maria consentiente; id quoque consentaneum fuisse, ut quantum fieri posset digne Maria conciperet; ad hoc autem esse praeparatam alloquio angelico et exercitio virtutum fidei, obedientiae, humilitatis, caritatis, quas ea occasione exercuisset (cf. *Tol. Sylv.* lib. 1 cap. 5 qu. 56).

Non igitur post verborum suorum prolationem, sed post sacrae Virginis responsum *discessit ab illa angelus*, ut eo quoque modo significaretur angelum esse missum non solum ad nuntiandum, sed etiam ad requirendum Virginis consensum. Functus itaque legatione sua et confecta re cuius causa missus erat discedit. « Porro si in accessu et prima salutatione usus est honorificentissimis titulis, non dubium quin in discessu maioribus etiam reverentiae signis sit usus, cum iam salutaret dominam suam ac reginam, quippe Domini sui et Regis matrem » (*Luc.*). Nam, uti *Suarez* dicit (l. c. disp. 9 s. 4,1), certum est inter catholicos b. Virginem concepisse Verbum divinum antequam angelus ab ea discederet; haec est enim communis sententia Sanctorum. Atque mysterium Incarnationis esse perfectum et Verbum factum esse carnem eo momento quo finita sint Mariae verba, ita ut eo momento Virgo conciperet, pariter est sententia inter theologos certa et Patrum suffragiis roborata, sicut *Euth.* dicit : discessit, simul ac iam per verbum suum conceperat.

c) Beata Virgo visitat Elisabeth 1,39-56.

1,39. Exsurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana cum festinatione, in civitatem Iuda. 40. Et intravit in domum

1,39. Ἀναστᾶσα δὲ Μαριὰμ ἐν ταῖς ἡμέραις ταύταις ἐπορεύθη εἰς τὴν ὀρεινὴν μετὰ σπουδῆς, εἰς πόλιν Ἰούδα, 40. καὶ εἰσῆλθεν

Zachariae, et salutavit Elisabeth. 41. Et factum est, ut audivit salutationem Mariae Elisabeth, exsultavit infans in utero eius : et repleta est Spiritu sancto Elisabeth : 42. Et exclamavit voce magna, et dixit : Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. 43. Et unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me? 44. Ecce enim ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exsultavit in gaudio infans in utero meo. 45. Et beata, quae credidisti, quoniam perficientur ea quae dicta sunt tibi a Domino.

46. Et ait Maria : Magnificat anima mea Dominum. 47. Et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo. 48. Quia respexit humilitatem ancillae suae : ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. 49. Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen eius. 50. Et misericordia eius a progenie in progenies timentibus eum. 51. Fecit potentiam in brachio suo : dispersit superbos mente cordis sui. 52. Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles. 53. Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes. 54. Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiae suae. 55. Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham et semini eius in saecula. 56. Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus; et reversa est in domum suam.

εἰς τὸν οἶκον Ζαχαρίου, καὶ ἠσπάσατο τὴν Ἐλεισάβετ. 41. καὶ ἐγένετο ὡς ἤκουσεν τὸν ἀσπασμὸν τῆς Μαρίας ἡ Ἐλεισάβετ, ἐσκίρτησεν τὸ βρέφος ἐν τῇ κοιλίᾳ αὐτῆς· καὶ ἐπλήσθη Πνεύματος Ἁγίου ἡ Ἐλεισάβετ, 42. καὶ ἀνεφώνησεν κραυγῇ μεγάλῃ, καὶ εἶπεν, Εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶν καὶ εὐλογημένος ὁ καρπὸς τῆς κοιλίας σου. 43. καὶ πόθεν μοι τοῦτο, ἵνα ἔλθῃ ἡ μήτηρ τοῦ κυρίου μου πρὸς ἐμέ; 44. ἰδοὺ γὰρ, ὡς ἐγένετο ἡ φωνὴ τοῦ ἀσπασμοῦ σου εἰς τὰ ὦτά μου, ἐσκίρτησεν ἐν ἀγαλλιάσει τὸ βρέφος ἐν τῇ κοιλίᾳ μου. 45. καὶ μακαρία ἡ πιστεύσασα, ὅτι ἔσται τελείωσις τοῖς λελαλημένοις αὐτῇ παρὰ Κυρίου.

46. Καὶ εἶπεν Μαριὰμ, Μεγαλύνει ἡ ψυχή μου τὸν Κύριον, 47. καὶ ἠγαλλίασεν τὸ πνεῦμά μου ἐπὶ τῷ Θεῷ τῷ σωτῆρί μου. 48. ὅτι ἐπέβλεψεν ἐπὶ τὴν ταπείνωσιν τῆς δούλης αὐτοῦ. ἰδοὺ γὰρ, ἀπὸ τοῦ νῦν μακαριοῦσίν με πᾶσαι αἱ γενεαί. 49. ὅτι ἐποίησέν μοι μεγάλα ὁ δυνατὸς, καὶ ἅγιον τὸ ὄνομα αὐτοῦ· 50. καὶ τὸ ἔλεος αὐτοῦ εἰς γενεὰς καὶ γενεὰς τοῖς φοβουμένοις αὐτόν. 51. ἐποίησεν κράτος ἐν βραχίονι αὐτοῦ· διεσκόρπισεν ὑπερηφάνους διανοίᾳ καρδίας αὐτῶν. 52. καθεῖλεν δυνάστας ἀπὸ θρόνων, καὶ ὕψωσεν ταπεινούς. 53. πεινῶντας ἐνέπλησεν ἀγαθῶν, καὶ πλουτοῦντας ἐξαπέστειλεν κενούς. 54. ἀντελάβετο Ἰσραὴλ παιδὸς αὐτοῦ, μνησθῆναι ἐλέους. 55. καθὼς ἐλάλησεν πρὸς τοὺς πατέρας ἡμῶν, τῷ Ἀβραὰμ καὶ τῷ σπέρματι αὐτοῦ εἰς τὸν αἰῶνα. 56. Ἔμεινεν δὲ Μαριὰμ σὺν αὐτῇ ὡς μῆνας τρεῖς· καὶ ὑπέστρεψεν εἰς τὸν οἶκον αὐτῆς.

In v. 42 κραυγη B L Z Or; pler φωνη. In v. 45 quae credidit... dicta sunt ei (uti graece) in am cav ept* fuld ing lich tol wil lind hent; in it et al codd credidisti... tibi; prior lectio erit praeferenda ex graeco; sententia est generalis; cur secunda persona expressa sit in multis, ratio est obvia. In v. 46 et ait *Elisabeth* a b l* Ir et alii codd apud Or; verum mendum est apertum. In v. 49 μεγαλα ℵ* et ^{cb} B D* L (confirmatur eo quod it vulg praebent *magna*), μεγαλεια pler codd (quae vox Act. 2,11 a latinis *magnalia* redditur). In v. 50 εις γενεας και γενεας B C* L Z, etiam codd vulg longe pler *in progenies et progenies;* al εις γενεαν και γενεαν; sat mu εις γενεας γενεων; b c in saecula saeculorum, e in saecula; f ff^2 l q r in progeniem et progeniem. In v. 52 tol exaltabit. In v. 54 recordatus wil corp* hent sixt; codd plur *memorari* quod Wordsworth adoptavit; big ox memoratus, e commemoratus est; misericordiae (sine *suae*) am cav ept* fuld ing ken rush* harl* b ff^2 l q (uti graece). In v. 55 usque in saecula big ben dub ken rush ox corp wil steph hent; εως αιωνος C F M et in variis psalteriis (sin in v. 49 is qui gloriosus et sanctus nomine; in v. 51 dispersit cogitationes cordium superborum; v. 53 implevit pauperes; v. 54 Israel filium suum).

Mariae nuntiatum esse conceptum Elisabeth inter alia etiam ideo sentit *S. Bernardus* l. c. 6, « ut audiens cognatam vetulam et gravidam, cogitet iuvencula de obsequio sicque illa properante ad visitandum parvulo prophetae locus et occasio detur quo minori adhuc Domino suo officii valeat exhibere primitias ». Voluit scil. Verbum incarnatum per b. Virginem et Elisabeth et praecursori suo nondum in lucem edito divina conferre beneficia. Maria quippe in ipso illo de Elisabeth nuntio simul intelligit se invitari et admoneri, ut illi de favore divino congratuletur eique congaudeat et sua ei praestet obsequia; v. 39 *exsurgens autem Maria* (uti in hebr. dicendi genere poni solet וַיָּקָם) *in diebus illis abiit in montana* εἰς τὴν ὀρεινήν in regionem montanam (quae eo nomine distinguitur a regione campestri שְׁפֵלָה, australi נֶגֶב cf. Deut. 1,7) *cum festinatione in civitatem Iuda* εἰς πόλιν; oppidum non nominatur; alii coniectarunt designari Ierusalem (*S. Bon. Alb.*), alii Hebron, cum Hebron in monte Iuda (Ios. 21,11) sit civitas sacerdotalis (*Tol. Luc. Baronius, Lap. Cord.* neque abnuunt *Reischl, Weiss,* alii quoque recentiores); alii demum Ἰεττα, Ἰεττα esse legendum putarunt quae civitas est in montanis Iudaeae (Ios. 15,55) etiam sacerdotibus tributa (Ios. 21,16; *Wetstein*). Mariam non statim abiisse recedente angelo indicatur, cum narretur eam abiisse in diebus his. Per aliquod enim tempus sancta oratione et contemplatione mysterium meditabatur quod in se effectum esse sciebat illisque fruebatur deliciis delectationis spiritualis (*Alb.*) quas Verbum incarnatum matri attulisse credendum erit et quas Virgo ipsa fatetur dicens exsultasse spiritum suum in Deo salvatore.

Abiit autem ad Elisabeth, non quidem ut rei dictae veritatem exploraret, prout putant *Theoph. Bon. Keil;* nam Maria de verbis angeli non dubitavit et insuper ab Elisabeth Spiritu sancto repleta nuncupatur et laudatur beata quia credidit (*Mald. Ipr. Sylv.*), sed abiit divinam exsequens voluntatem; abiit *cum festinatione,* « non quasi incredula de oraculo nec quasi incerta de nuntio nec quasi dubitans de exemplo, sed quasi laeta pro voto, religiosa pro officio, festina pro gaudio » (*S. Ambr. Bed.*); quae festinatio ardentis affectus est indicium quo gaudet de bono cognatae collato; festinat ut ei gratuletur (*Ians. Mald. Salm. Luc.*), ut ministret Elisabeth seni et debili (*S. Bon. Alb. Mald. Luc.*), quo in obsequio merito commendatur b. Virginis humilitas, quae enim meruerat visitari ab angelo et tam magnifice ab eo salutari, quae se matrem Domini et Messiae factam cognovit non dedignatur matri praecursoris obsequia praestare (cf. *Alb. Ians.*). Ceterum, ut *S. Ambr.* dicit, nescit tarda molimina sancti Spiritus gratia. Mariam abiisse solam a moribus eius regionis non abhorret; aliqui

putant eam comitem habuisse famulam; quod alii quandoque de comite Ioseph sponso proponunt oppido falsum esse constat ex Matth. 1,19; si enim Ioseph in domo Zachariae adfuisset non potuit id ignorare de quo tandem ab angelo debuit edoceri.

Virginis humilitatem in eo quoque cernunt quod prior salutat (*S. Ambr. Bed. Ians.*) v. 40 *et intravit in domum Zachariae et salutavit Elisabeth;* iam Verbum incarnatum quo ordine Maria sit in nova hac salutis et gratiarum dispensatione ostendit praeclaro exemplo v. 41 *et factum est ut audivit salutationem Mariae Elisabeth, exsultavit* ἐσκίρτησεν exsiliit; cf. 6,23; idem verbum dicitur de gemellis in utero Rebeccae Gen. 25,22 et Ps. 113,4. 6 montes exsultaverunt ut arietes, *infans in utero eius et repleta est Spiritu sancto Elisabeth;* voce b. Virginis quasi vehiculo quodam Verbum incarnatum et praecursori suo et eius matri beneficia confert; primos suos favores et gratias inter-| ventu Mariae distribui vult. Commotio infantis in utero non est naturalis illa quae vel ultimis graviditatis mensibus vel ad animi matris affectum ac perturbationem vehementiorem evenire quandoque solet. Utrumque ipso narrandi modo excluditur. Nam exsultatio infantis ex sola salutatione contigisse dicitur et hic et v. 44; si contigisset ex adventu inexspectato Mariae, ad primum eius aspectum evenisset antequam verba salutationis essent prolata. Dein Elisabeth esse Spiritu sancto repletam additur tamquam effectus secundus qui exsultationem infantis subsequitur et ex illa fere in matrem redundat.

Exsultatio illa divinitus facta proponitur atque adveniente in utero Mariae Verbo incarnato id esse factum quod angelus in v. 15 nuntiaverat, praecursorem esse repletum Spiritu sancto cum plerisque erit sentiendum (cf. *cat. Cr. Orig. Ambr. Bon. Cai. Ians. Mald. Fab. Luc. Ipr. Reischl, Grimm, Fil.*), proinde mundatum esse a labe originali et gratia ornatum. Quaerunt fueritne motus ille cum cognitione necne. Negandum esse censet verisimilius *Ians.* et affirmat *Schanz,* sed longe plerique Ioannem actu cognovisse adventum Messiae et de illo exsultasse statuunt. Quae sententia potissimum firmatur eo quod Elisabeth repleta Spiritu sancto dicit infantem exsultasse *in gaudio* ἐν ἀγαλλιάσει; iam ἀγαλλίασις 1,14 et Act. 2,46 et Iud. 24 et ἀγαλλιᾶν Matth. 5,12. Luc. 1,47; 10,21. Ioan. 5,35 et 8,56 etc. etc. notione et usu dicitur de maximo quodam gaudio ex rei cognitione orto, de gaudio cum cognitione iuncto, de gaudio in homine intelligente. Quare eadem notio hic quoque retinenda erit. Adiectum quippe verbum *in gaudio* causam explicat exsultationis, ut bene *Tol.* dicit; « gavisus est enim infans in anima et gaudium prae magnitudine in corpusculum se dilatavit motuque corporeo matri significavit gaudium quod mente conceperat; si

gavisus est Ioannes in utero, necesse est mente obiectum aliquod gaudii praesensisse; non enim voluntas sine mentis cognitione movetur; gavisus est autem quia novit praesentiam Christi et Virginis » (*Tol.*). Si anima infantis eo momento praeter naturae ordinem cognitione Christi illustrata fuit, nondum sequitur eundem usum rationis postea permanere debuisse. Id quidem affirmant aliqui (cf. *Suarez* in 3 p. qu. 27 disp. 4 s. 7,7; *Lap.*); verum apposite monet *Mald.* cum ad demonstrandum tantum Christum datus esset usus rationis non fuisse necesse ut eo demonstrato maneret, « quemadmodum in prophetis postquam ea praedixerant quae Deus volebat populo significari non semper manebat spiritus prophetiae ».

Pro contraria sententia infantem exsultasse sine cognitione afferri solet *S. Augustinus* in ep. ad Dardanum (ep. olim 57, nunc 187 cap. 7 n. 23: *M.* 33, 840); monet quippe non dici : credidit infans in utero, nec dici exsultavit in fide: « videmus autem exsultationem non solum parvulorum sed etiam pecorum, non utique de aliqua fide vel religione vel qualicumque rationali cognitione venientem ». At simul addit plane inusitatam et novam exstitisse esseque reputandam miram et in magnis signis deputandam, esse factam divinitus in infante. Et n. 24 scribit : « quamquam etiamsi usque adeo est in illo puero acceleratus usus rationis et voluntatis, ut intra viscera materna iam posset agnoscere, credere, consentire, quod in aliis parvulis aetas exspectatur ut possint, etiam hoc in miraculis habendum divinae potentiae, non ad humanae trahendum est exemplar naturae ». Ex quibus elucet s. doctorem non omnino esse prioris sententiae adversarium. Id quod eo magis constare videtur quia respondet ad quaestionem Dardani : si adhuc ignorant parvuli Deum, quomodo Ioannes ad adventum et praesentiam matris Domini in suae matris utero potuit exsultare? qui itaque ex miraculo normam voluit deducere generalem omnes parvulos in utero iam cognoscere Deum. Unde s. doctor quasi per abundantiam ei obviam it ostendendo ne de Ioanne quidem id prorsus claro et certissimo modo affirmari, nedum de aliis.

Sed sententia longe communior est Ioannem ultra naturae vires cognovisse Dominum. Id *Orig.* indicat dum scribit : sancta erat anima Ioannis et adhuc in matris utero clausa venturaque in mundum quasi per experientiae sensum sciebat quae Israel ignorabat; unde exsilivit, et non simpliciter exsilivit sed in gaudio; senserat enim venisse Dominum suum, ut sanctificaret servum suum antequam de matris utero procederet. Et si *S. Ambr.* dicit : sensit Domini adventum, nequaquam putandus est verbo sentiendi excludere cognitionem rationalem et solum designare velle motum corporalem, nam alibi (de fide 4, 9. 113; *M.* 16, 639) explicite statuit : praesentem Dominum spiritu cognovit; eademque verba leguntur in sermone ei adscripto (50, 7 in natali Ioannis baptistae; *M.* 17, 707); iisdemque vocibus utitur quoque *S. Cyrillus* hier. (cat. 3, 6; *M.* 33, 436) : cum

oculis carnis non videret, Dominum agnovit spiritu ἐγνώριζε πνεύματι. Neque aliter locutus est *Tertullianus :* Elisabeth prophetam portans iam Domini sui conscium infantem (de carne Chr. 21 ; *M.* 2, 788). Eandemque sententiam propugnant *Euth. Bed. Alb. Bon. Cai. Tol. Mald. Salm. Dion. Luc. Ipr. Lap. Cord. Schegg, Fil.;* alii, uti *Lamy,* id in medio relinquunt.

« Exsultavit infans, repleta est mater ; non prius mater repleta quam filius, sed cum filius esset repletus Spiritu sancto replevit et matrem » (*S. Ambr. Bed.*) *et repleta est Spiritu sancto Elisabeth* i. e. illustrata est divinitus, ut cognosceret et proloqueretur quae sequuntur ; cum itaque novo modo Spiritus sanctus lucem suam et gratiam ei infunderet, dicitur eo esse repleta v. 42 *et exclamavit voce magna,* magnitudo vocis signum est magnae affectionis (*S. Bon.*) ; agebatur scil. tanto Spiritus impulsu, ut se iam continere non posset quin in clamorem erumperet (*Mald.*) et ea promit afflatu Spiritus summa cum laetitia et admiratione quae nec ab homine didicerat nec ex uteri tumore suspicari poterat (*Ians.*) *et dixit : benedicta tu inter mulieres ;* vide ad v. 28 ; uti cetera ita haec verba ab Elisabeth ex angelica salutatione repetita statim b. Virgini pandunt Spiritum S. revelasse cognatae mysterium Verbi incarnati, *et benedictus fructus ventris tui,* qui scil. etiam ut homo omnis est maledictionis expers et gratia Dei abundantissime cumulatus, ita ut ex eius plenitudine omnes accipiant ; inde consequens est ut ab omnibus laudandus sit et praedicandus. Notant quoque propter virginalem conceptum eum iure maxime proprio dici fructum ventris (*cat. Cr. Theoph. Ians.*). Hoc membro novam addi rationem cur benedicta sit inter mulieres, unice prae omnibus gratia Dei et benedictione insignita, facile constat, quare aliqui *et* particulae *enim* locum occupare hic volunt (*Theoph. Luc.*).

Et cum a Spiritu edocta Mariae agnoverit dignitatem, stupet et admiratur quod ad se indignam eo honore venerit v. 43 *et unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me ?* « quae opera mea tanta sunt, ut mater Domini ad me veniat? per quam iustitiam, ex quibus bonis, de qua fidelitate mentis hoc merui » (*Orig. Ambr. Bed.*)? Edocta est itaque b. Virginem concepisse et eum concepisse qui sit suus Dominus, matrem igitur Messiae illustratione divina cognoscit simulque huius matris dignitatem eximiam proclamat, cum se quamvis seniorem omnino indignam profiteatur quae ab ea invisatur. Advertit *Cai.* ubique Spiritum sanctum apparere spiritum humilis cordis ; ita in b. Virgine : ecce ancilla etc. et postea in submissione ad visitandam Elisabeth et modo in ipsa Elisabeth recognoscente se indignam ut veniat ad se b. Virgo. Et ad quod indicium edocta sit de illo mysterio aperit v. 44 *ecce enim ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exsultavit in gaudio*

infans in utero meo ad vocem b. Virginis infans donatur cognitione Domini eique gaudio ingenti suum offert obsequium simulque iam quasi suo praecursoris fungitur munere, quia exsultatione in utero demonstrat matri suae praesentem esse Dominum; ceterum vide ad v. 41.

Porro quid illustratione Spiritus sancti de mirabili conceptu Virginis didicerit ostendit v. 45 *et beata quae credidisti quoniam perficientur ea quae dicta sunt tibi a Domino;* in graeco et alias quoque exclamatio effertur in tertia persona (vide lect. var.), ita ut sententia in specie generali quae tamen ad unam illam dirigatur ἡ πιστεύσασα illius laus et praeconium modo quodam insigniore extollatur; ὅτι ἔσται τελείωσις indicat quid crediderit (cf. *cat. Cr. Euth. Luc. Schegg, Schanz, Weiss*); fides enim Mariae haec fuit quod crediderit perficienda esse ea omnia quae angelus annuntiabat, se virginem superna virtute concepturam, quae erat res stupenda sine ullo in s. litteris exemplo praevio, filium fore magnum, filium Altissimi etc. Magnitudo itaque et excellentia fidei in eo consistebat quod rem adeo sublimem et excedentem ordinem eorum quae eousque divinitus facta erant nihilominus statim credebat. Quare beata praedicatur ob huius suae fidei excellentiam et ipsa haec laus declarat fidem spectari non communem. Magnitudo autem fidei cernitur in difficultate rei propositae et quia haec fidei sublimitas hoc loco effertur, ideo ὅτι sensu explicato concipi debet, non, ut alii volunt, ὅτι reddit rationem cur sit beata. Nam in ea acceptione ἡ πιστεύσασα fere abundat et frigide ponitur; dein cum mysterium omnium maximum, Incarnatio Verbi, in ea iam sit perfectum, potius debuit beata praedicari quoniam perfecta sunt ea quae a Domino dicta sunt; quae postea fient comparatione mysterii iam peracti profecto minora sunt v. g. partus, thronus David filio suo tradendus. Unde *quoniam* intellige hoc loco eodem modo sicuti Ps. 40,12 in hoc cognovi quoniam voluisti me, vel 1 Reg. 24,12 et animadverte et vide quoniam non est in manu mea malum et Sap. 13,4. Eccli. 8,6. Act. 9,22 affirmans quoniam hic est Christus. Elisabeth fidem Mariae praedicasse ita ut tacite reprehenderet incredulitatem mariti qui longe faciliora angelo nuntianti non crediderit, opinio est aliquorum haud improbabilis, cum fere necesse sit ut ei de marito longe aliter qui se habuerit in mentem venerit. Notandum quoque est hanc laudem tribui ab Elisabeth repleta Spiritu sancto; proinde aperte nos docet Spiritus sanctus b. Virginem esse beatam praedicandam nostrisque gratulationibus summopere honorandam.

Audit itaque b. Virgo divina mysteria in se peracta ab Elisabeth praedicari et cognoscit Spiritum sanctum ea revelasse simulque videt

in Elisabeth verbis et in eius infantis exsultatione quasi initium quoddam et prooemium donorum divinorum quae ex Verbi incarnatione in genus humanum redundatura sunt et quae suo interventu distribui coepta sunt. Quare maxima animi devotione et laetitia prorumpit in hymnum laudis divinae maiestatis, quo exprimit primo sui animi affectus de gratia sibi collata v. 46-50; dein cum se ancillam Domini humilem ad tantae dignitatis culmen evectam cernat, Dei agendi admiratur et praedicat rationem, qua humano fastu reiecto humiles solet exaltare et suis ditare donis v. 51-53; denique Deum iam populo suo pro sua misericordia et fidelitate ea praestare enuntiat quae olim promiserat v. 54. 55. Animi itaque exsultatione declarata et Deo laudibus dictis b. Virgo eam divinae providentiae administrationem celebrat, quae in rebus olim gestis et in oraculis prophetarum relucet, Deum alta et superba deiicere, exaltare humilia (cf. Is. 2,11 seq. 3,16 seq. 8,9; cap. 13-24 etc. Ez. 21,26. Mich. 5,10 etc.) et suo stare foedere patriarchis promisso (Is. 55,3. Ier. 31,35 seq. Mich. 7,20 etc.). Hisce simul ea adumbrantur quae in regno messiano futura sunt. Sicut igitur ex mysterio Incarnationis divina beneficia profluunt temporibus omnibus et anteactis et futuris, ita cantico quoque hoc quod patefacto eo mysterio funditur omnium temporum norma divina et regendi ratio delineatur.

Et quam opportune hae Deo laudes cantantur altissimo Dei opere peracto et patefacto? Apte notat *Alb.* : « concinuit enim Maria Ex. 15 canticum quando transierunt filii Israel de manu pharaonis liberati; concinuit Debora, quando liberati sunt de manu Sisarae Iud. 5; haec igitur non cantabit liberatorem?... cantabit certe et dignius aliis qui figuram huius sacramenti tantum decantaverunt; cantavit item Moyses legem donans et per canticum populum ad servandam legem contestans; cantavit et Anna prophetam fidelem generans; dignius autem et cantat Maria quae et legislatorem protulit et dominum prophetarum »; v. 46 *et ait Maria;* « ut autem ea proferret non dicitur, uti Elisabeth, repleta Spiritu sancto, eo quod prius dictus sit Spiritus sanctus supervenisse in eam, quo eodem et ad visitandam Elisabeth profecta est et ad haec canenda afflata; nec conveniebat eam dicere repletam Spiritu sancto quae Deo plena erat et in qua habitabat plenitudo divinitatis corporaliter » (*Ians.* sim. *Tol. Luc.*); *magnificat anima mea Dominum,* μεγαλύνει celebrat, i. e. laudibus extollit, Dei magnitudinem agnoscit, admiratur et praedicat, v. 47 *et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo,* σωτῆρί μου, servatore meo, qui salutem et benedictionem praeclarissimam elargitur; ψυχή, πνεῦμα eadem notione adhiberi hoc loco tuto cum aliis asserueris (*cat. Cr. Ians. Sylv. Schanz,*

Fil. Weiss) iam ex lege parallelismi; nam quod quandoque dicunt omnes facultates et sensuum et intellectus voluntatisque in Dei laudem impendi, verum quidem est, sed ψυχή de prioribus hoc loco non dicitur in quas scil. μεγαλύνειν magni aestimare, laudare, celebrare non cadit (cf. Ps. 33,4; 34,27; 39,17; 68,31; 69,5 LXX et saepius); neque hoc loco ea potest usurpari distinctio, quae alias quandoque locum habet, ut ψυχή sit animus hominis viribus naturalibus praeditus, πνεῦμα gratia Spiritus sancti imbutus.

Sensum bene explicat *Bed.* : « tanto (inquit) me Dominus tamque inaudito munere sublimavit quod non ullo linguae officio explicari sed ipso vix intimi pectoris affectu valeat comprehendi, et ideo totas animae vires in agendis gratiarum laudibus offero, totum in contemplanda magnitudine eius cuius non est finis, quidquid vivo, sentio, discerno, gratulanter impendo..., cui simile est illud psalmistae : anima autem mea exsultabit in Domino et delectabitur super salutari eius » (Ps. 34, 9). Notanda quoque est in hoc cantico summa mentis b. Virginis humilitas, animus gratus et integerrima in Deum devotio. Quae enim, ut *Ians.* dicit, laudata erat ab angelo primum, deinde ab Elisabeth, quaeque didicerat quam efficax fuerat praesentiae eius adventus, nihil tamen ob haec omnia sibi in seipsa placens nec quidquam suis tribuens meritis tantum ad laudandum Deum accenditur totum eius benignitati adscribens atque de plena mentis devotione illius in omnes misericordiam, potentiam, aequitatem ac veritatem celebrans.

Reddit rationem cur Deum laudibus celebret et in ipsum tota animi exsultatione feratur v. 48 *quia respexit humilitatem ancillae suae;* dicitur Deus in s. litteris respicere nos quando pro sua clementia et benignitate beneficia praestat, amore suo et gratia fovet homines et opem ferre dignatur; nam sicuti Deus dicitur sese avertere, cum punit vel hominem inopiae relinquit, ita dicitur eum respicere, si peculiari favore eum donat. Dicit autem humilitatem ancillae suae quae dictio maiorem habet vim quam humilem ancillam suam; ita enim ταπείνωσις plurimum effertur et totam quasi naturam et conditionem ancillae illa constitui significatur. Adhibetur autem vocabulum hoc notione afflictionis et conditionis exiguae, ignobilis, obscurae, abiectae et hoc ultimo sensu certe hoc loco usurpatur. Admiratur itaque b. Virgo divinam bonitatem quod dignata est benignissimo vultu respicere ad exiguitatem ancillae suae; se itaque profitetur maxime exiguam et parvam et tanto favore indignam; cf. Gen. 29,32. Esth. 15,2. Phil. 3,21. Atque ea notione longe plerique vocem merito accipiunt; aliqui tamen de virtute humilitatis accipiunt (*Orig. Bed. Bon. Alb. Dion. Salm. Sylv.*). At perperam. Nam, ut *Ians.* monet, ταπείνωσις

non dicitur de virtute. Dein minime sentiendum est b. Virginem dicere voluisse sua virtute esse effectum ut Deus se benigne respiceret. Ad rem notat *Mald.* solam inter virtutes humilitatem se ipsam ignorare neque id egisse Virginem ut doceret suis meritis tantum se beneficium consecutam esse, sed potius ut se indignam omnino fuisse tanto beneficio declararet. Sed plane verum est quod *Cai.* notat in iis Virginis verbis virtutem humilitatis non quidem voce significari sed exerceri opere; « nam hic est intimae humilitatis actus aestimare se infimam, exiguam, parvam et hoc magis quadrat humilitati maxime b. Virginis quam cantare virtutem suam esse aspectam a Deo; hoc enim sonat ad meritum propriae virtutis respexisse Deum, quod dicere procul abest ab humilibus, illud autem cordis humilitas est in actu exercito ». Atque hoc modo *cat. Cr. Euth. Cai. Ians. Tol. Mald. Fab. Luc. Ipr. Lamy, Calm. Sa, Estius, Menochius, Tirinus, Gordonus, Schegg, Bisp. Reischl, Grimm, Schanz, Fil. Keil, Weiss, Sp.*, neque tamen dicendum erit cum *Sp.* eam solum intellexisse conditionem humilem et abiectam in qua tum domus David iacebat.

Et quam insigni modo Dominus se respexerit et quanto beneficio se prosecutus sit, ita ut conditionem humilem in summam mutaverit dignitatem, laetabunda agnoscit Dei magnalia praedicans : *ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*, me felicissimam profitebuntur; laus illa et gratulatio quam Elisabeth prima enuntiavit iam non conticescet, sed per omnes generationes audietur, per omnes aetates et saecula. Et quam vere prophetaverit Virgo quis ignorat? videmus enim b. Virginem ab omnibus Ecclesiae Christi membris coli et praedicari; templa eius et sacella per orbem sparsa, festi dies, congregationes, ordines religiosi, supplicationes etc. eius honorem et laudes proclamant; artes quoque in eius celebrationem conspirant; « tuam maternitatem celebrarunt, celebrant et celebrabunt omnes omnium temporum Christiani; vivet tuum decus, tua laus, tua gloria, quamdiu vivent angeli, quamdiu vivent homines, quamdiu vivet Christus, quamdiu Deus erit Deus » (*Lap.*) qui scil. eam tantopere exornavit et exaltavit.

Et rationem affert amplissimam et plane necessariam, cur ab omnibus sit beata praedicanda (cf. *Cai. Tol. Mald. Luc.*) v. 49 *quia fecit mihi magna qui potens est;* quaenam sint haec *magna*, omnino patet ex iis quae modo Elisabeth dixerat v. 42-44 ad quae Maria isto laudis cantico respondet[1]. Haec magna, Verbi Incarnatio (mater Domini mei)

1. Quare valde perverso modo impugnat Hillmann (Jahrbücher f. prot. Theologie 1891 p. 199) hoc canticum asserens illud cum plane non sit ad rem non posse Mariae attribui. Nam, inquit, si v. 46-55 ex hoc loco avulsos et alibi insertos cogitaveris, iam nemini in men-

et quae ex hoc mysterio necessario consequuntur et quae angelus annuntiavit et Elisabeth in v. 45 designavit (conceptus virgineus, thronus David filio dandus etc.), profecto aptissime attribuuntur potentiae Dei. Est enim Incarnatio mysterium stricte dictum; proinde omni intellectui impervium; proin ut perficiatur et credatur fide, iure recurrendum ad Dei potentiam, ad quam esse confugiendum ea in re angelus quoque docuit v. 37. Minore quidem ratione, attamen merito, virginem concipi refertur ad Dei potentiam, prout angelus quoque v. 35 edixit; item erigi thronum David regnumque Messiae aeternum iam a propheta ad Dei *zelum* i. e. ad vehementem quasi Dei contentionem ardensque studium pertinere dictum est (Is. 9,7; cf. 42,13; 49,25; 51, 9; 63,5). Porro in opere Incarnationis et in eius consectariis praeter potentiam Dei maxime quoque elucet eius sanctitas et misericordia quae omnibus offertur abundanter; ideoque *et sanctum nomen eius*, v. 50 *et misericordia eius a progenie in progenies timentibus eum;* quia nomine res cognoscitur et ab alia distinguitur, nomen Dei pro ipso Deo ponitur, sed ita ut adsignificetur id quod Deus revelavit de se; proinde eo modo quo nobis innotescit (cf. quae notavi ad Ier. 10,6). Iam sanctitas Dei, odium quo peccatum prosequitur et maximus ille amor, quo rectum instaurari ordinem et mores integerrimos inter homines desiderat, summopere manifestatur, quia ad peccata expianda et ad satisfaciendum iustitiae divinae et ad subsidia potentissima hominibus procuranda excellentissimum Incarnationis mysterium selegit. Ex hac autem Incarnatione gratiae omnes supernaturales in omnes proveniunt; nam ex eius plenitudine nos omnes accepimus (Ioan. 1,16). Cum itaque ad reparationem generis humani remedium elegerit adeo sublime, nonne *misericordia* eius modo quodam eximio et omni exspectatione maiore patefit? Simul indicatur quid homo ut misericordiae particeps fiat ex sua parte debeat praestare : Deum *timere* i. e. colere, revereri, ei obedire.

Tale cum sit mysterium Incarnationis in se et in suis effectibus, quomodo non ea esset beata praedicanda in qua est perfectum, quae effecta est Verbi incarnati mater? Quis enim eam non veneretur quam Verbum divinum sibi elegit matrem? Quo maior est dignitas, eo maior quoque apud homines est reverentia dignitatis. Iam *S. Thomas* non dubitat dicere : beata Virgo ex hoc quod est mater Dei, habet quandam dignitatem infinitam ex bono

tem venire potest eos versus dici post revelationem Mariae datam; neque ulla fit mentio Messiae, qui Messias tamen summa rei est Mariae revelatae; quomodo itaque is qui ne nominatur quidem ratio esse potest et occasio cantici? Ita ille. Sed quis ei concedet versus debere antea ex oratione contexta separari? Quis non videt omnia quae requirit contineri in hoc versu 49, dummodo suo loco relinquatur?

infinito quod est Deus (1 p. qu. 26 art. 6 ad 4), habet enim specialem affinitatem ad Deum, quare ipsi maxima debetur reverentia, ut idem docet (2. 2 qu. 103 art. 4). Ex relatione illa reali matris ad Christum hominem Deum efficitur, inquit *Suarez* (ad 3 p. qu. 27 disp. 1 sect. 2, 2), ut moraliter et secundum prudentem existimationem Virgo retineat supremum quendam et excellentem dignitatis gradum propter singularem quam cum Deo habet coniunctionem et propinquitatem; quare ei debetur (l. c. n. 7) excellentior cultus quam aliis sanctis, hyperdulia, quia, ut S. Thomas loquitur, sua operatione fines divinitatis propinquius attigit. — Cum afflatu divino enuntiet se esse beatam dicendam ab omnibus generationibus, illi qui hanc laudem ei denegant eo ipso iam non censentur inter illas generationes quae coram Deo vere vivere censentur et, prout Ps. 87, 6 (hebr.) habetur, a Domino in albo suorum populorum scribuntur et numerantur. Qui enim inhonorat matrem, contumeliam infert filio.

Cernit itaque b. Virgo se ex conditione obscura et humili ad maximum dignitatis fastigium evectam et in praeconio Elisabeth (v. 48 ἐκ τοῦ νῦν) initium videt et prooemium laudis illius quae per omnes generationes et saecula ei persolvetur; considerat in se effectum esse summum illud opus potentiae, sanctitatis, misericordiae Dei. Sed cur in se? non aliam reperit rationem (quae est summa Virginis animi demissio et humilitas) nisi quia Deus infima quaeque eligere solet ad magna efficienda. Ad quem agendi modum Dei contemplandum ex sua ipsius consideratione inducitur, ita quasi sibi explicans cur nunc quoque respexerit humilitatem suae ancillae et virginem obscuram in oppido obscuro regionis contemptae elegerit. Exsequitur id v. 51-53 admirans et praedicans divinam potentiam qua fastus humanus deiicitur, humiles exaltantur; v. 51 *fecit potentiam in brachio suo,* opus declaratur eximium potentiae; vis et robur agendi in brachio reponitur; et in quibus haec potentia declarata sit, exponitur quinque membris sequentibus : *dispersit superbos mente cordis sui;* cf. Ps. 88,11 in brachio virtutis tuae dispersisti inimicos tuos; dissipavit et perdidit eos qui cogitatione et sententia et consiliis (διανοίᾳ) animi sui superbe se extollebant; animos elatos, truces, fastu plenos depressit. Pariter eos deiecit qui potestate, imperio, tyrannide, armis valebant v. 52 *deposuit potentes de sede,* δυνάστας ἀπὸ θρόνων deturbavit principes de soliis, *et exaltavit humiles* ταπεινούς, exiguos, abiectos, obscuros, ignobiles dignitatibus et honoribus ornavit; cf. Eccli. 10,14 θρόνους ἀρχόντων καθεῖλεν ὁ κύριος, sedes ducum superborum destruxit Deus et sedere fecit mites (πραεῖς) pro eis (10,17 vulg.). Eodem modo spoliavit eos qui opulentia et fortunis ditati erant, egenos vero donavit opibus v. 53 *esurientes implevit bonis et divites dimisit inanes,* vacuos; cf. Ps. 106,9 animam esurientem

satiavit bonis; Is. 65,13; Iob 22,9, et praesertim canticum Annae 1 Reg. 2,4 seq.

Ex locutionis forma (dispersit, deposuit) recensentur praeterita; et *Tol.* quidem antiquam populi historiam recoli censet, ita ut in v. 51 de pharaone eiusque clade, in v. 52 de occupatione terrae Chanaan devictis multis regibus, in v. 53 de terra optima populo concessa expulsis prioribus incolis sermo instituatur. Verum tam arcte verba adeo generalia non sunt interpretanda. Melius dicit *Ians.* omnia intelligenda esse in sua generalitate, cuius varia exempla affert *Lap.*, Deum potenti fortitudine sua operatum esse multa ab omni aevo, uti cum pharaone per Moysen, Chananaeos esse victos per Iosue et iudices, Philisthaeos, Ammonitas, Moabitas, Idumaeos per David; dispersos esse et deiectos pharaonem, Nabuchodonosor, Salmanassar, Baltassar, Antiochum; de sede deturbatos Saulem, Aman, Vasthi; exaltatos Davidem, Mardochaeum, Esther, coelitus esse pastos Hebraeos in deserto, Eliam, Danielem in lacu leonis etc. Haec utique et plura alia in exemplum afferri possunt. Sed cum b. Virgo neutiquam particularia tangat, sed in universum loquatur, potius censendum erit exponi normas Dei generales secundum quas scil. egit et agit, quas igitur sequi solet (cf. *Bed. Mald. Lap. Luc. Fab. Calm. Schegg, Schanz, Fil.*). Ex qua loquendi generalitate et norma Dei in universum descripta facile sequitur ulteriore quadam conclusione Deum hunc agendi modum constanter usurpare, ergo etiam in posterum ita acturum, ergo easdem statui normas etiam pro regno messiano. Sunt quidem qui ea prophetice dicta esse velint de tempore messiano (vel generatim, vel de deiectione daemonum et infidelium Iudaeorum; cf. *S. Cyr. Theoph. Bon. Cai. Salm. Ipr. Sylv. Bisp. Reischl, Grimm*); at prophetia de effectibus redemptionis agnosci nequit immediate vel unice. Obstat forma loquendi; ubi vere et unice b. Virgo vaticinatur, aliter loquens inducitur (v. 48 μακαριοῦσιν); obstat nexus cum antecedentibus. Experta est in se exaltari humiles (v. 48.49); inde occasionem capit praedicandi et celebrandi universam Dei agendi rationem et ita amplissimam in cantico suo tangit materiam, quae quomodo etiam valeat pro regno messiano et prophetae iam innuerunt (cf. Is. 2,12 seq. Soph. 3,18 hebr.) et Christus ipse non uno loco exponit (cf. Matth. 5,3 seq. 11,25).

In mysterio porro in se peracto impleri intelligit et annuntiat promissa illa olim patribus data, cernit singularem illam curam et providentiam quam Deus populo suo electo impendit v. 54 *suscepit Israel puerum suum* ἀντελάβετο eum quasi manu apprehendit, prostratum erexit, opitulatus est eius suscepta cura, παιδὸς αὐτοῦ servi sui; nam עבד

saepius vocatur Israel quem titulum apud LXX παῖς refert; vide Is. 41,8. 9; 44,1.2. 21; 45,4. Ier. 46,28 (graece 26,28); dein frequentissime עבד vertitur ea voce, et eadem notione servi vel ministri παῖς quoque adhibetur Matth. 8,6. 13; 14,2. Luc. 1,69; 7,7; 12,45; 15,26. Act. 4,25; ceterum *servus Dei* honoris plena est appellatio ad Dei cultorem, amicum et familiarem designandum; eo quippe nomine Moyses, David, prophetae designantur; hic itaque populus cui Deus particulari foedere se iunxit et quem in suam quasi familiam assumpsit; *recordatus misericordiae suae,* μνησθῆναι, ut recordaretur; ergo curam populi gerit ne videatur quasi oblitus misericordiae suae; in hoc opere redemptionis omnes suas miserationes quasi in unum collectas populo exhibet; v. 55 *sicut locutus est ad patres nostros,* antiqua igitur promissa Deus iam implet; Abraham iam accepit promissionem Christi (cf. Ioan. 8,56); de Christo vaticinatus est David omnesque prophetae; proinde ad maiores populi sermo et promissio de Messia frequentissime fiebat; *Abraham et semini eius,* posteris eius, *in saecula,* τῷ Ἀβραάμ etc. refer non ad *locutus est* (uti referunt *Euth. Bon. Ians. Mald.*), mutatur enim constructio, sed ad μνησθῆναι ἐλέους i. e. Deus curam suscepit populi, ut recordaretur misericordiae in bonum et commodum Abraham posterorumque eius in saecula, vel misericordiae quam Abraham eiusque posteris in saecula exhibere decrevit (cf. *Tol. Luc. Ipr. Schegg, Schanz, Fil.*).

Ad alia narranda properaturus Lucas narrationem de commoratione b. Virginis apud Elisabeth breviter absolvit v. 56 *mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus et reversa est in domum suam;* mansit « sicut sedula obsecutrix, subditur obsequium benevolentiae quod exhibuit cognatae suae » (*Bon.*), in ultima enim temporis praegnationis parte, ut *Alb.* monet, mulier gravidatur de die in diem ideoque ope et subsidio indiget. Praeterea advertunt praesentia longiore Mariae domui Elisabeth affluxisse bona et dona divina, cum ad eius primum ingressum iam magna illa effecta sint. Et merito quidem; nam si arca Dei collocata in domo Obededom causa olim exstitit plurium bonorum (2 Reg. 6,11), quanto magis Maria verior et sanctior arca Dei potuit cumulare domum Elisabeth (cf. *Orig. Ambr. Alb. Salm. Luc. Ipr. Sylv. Lamy*). Hoc loco etiam quaerere solent sitne b. Virgo reversa ante partum Elisabeth an postea. Serie narrationis indicari videtur eam tempore partus iam non ibi versatam esse neque in subsequentibus v. 58 seq. eius ulla fit mentio neque eius erat officia praestare obstetricia et cum multus fieret congratulantium concursus verosimillimum utique videtur b. Virginem solitudinis amantem illi celebritati minime voluisse interesse.

Mira est ea in re interpretum dissensio. Remansisse eam usque post partum censent *Orig.* hom. 10[1], *Bed. Bon. Alb. Salm. Mald. Tol. Luc. Lap.* (probabilius) *Sylv. Calm. Reischl, Schanz*, et cum eadem sententia etiam proponatur in glossa ordinaria (*M.* 114, 248, ex Beda) et in historia scholastica Petri Comestoris quae adeo per scholas propagata erat (*M.* 198, 1538), dubium esse non potest quin longe lateque fuerit pervulgata. Nihilominus sat multi contrariae opinioni subscribunt, ita *Theoph. Euth. Cai. Ians. Fab. Dion. Cord. Ipr. Lamy, Bisp. Grimm, Fil.* Neutris desunt rationes quas utrique pro virili parte urgent. Ita pro priore opinione decertat *Luc. :* « quae quaeso caritas vel civilitas fuisset Virginis discedere instante partu, cum maxime omnium opus esset amicarum praesentia et auxilio; immo vero, quod arbitror, ex composito Virgo exspectavit partum,... ut divinae gratiae spectaculo frueretur, quae ipsi ab angelo proposita fuerat ad fidei augmentum, ut videret, exoscularetur, manibus tractaret, gremio exciperet puerulum illum ab angelo sibi indicatum, ex utero matris sanctum, qui ad primam ipsius salutationem in matris utero exsultaverat, qui futurus erat propheta et praecursor Messiae » etc. Ex ratione temporis v. 36 et 56 nihil certi colligi potest, quod iam eo panditur quia ex ea pro utraque sententia arguunt (cf. *Luc. Cai.*); nam hic est sextus mensis v. 36 (initio? fine?), in diebus his v. 40, quasi mensibus tribus v. 56 dictiones sunt satis vagae, ὡς fortasse significat defuisse aliquid de tribus mensibus, saltem si coniectura fit ex 9, 28, ubi « fere dies octo » tempus dicitur sex dierum apud Matth. 17, 1 et Marc. 9, 1; insuper tempus praegnationis varium esse constat, ita ut absolvatur diebus 270 vel 280 aut etiam expleat 320 dies. Qui negant Virginem partui interfuisse monent praeter alia cum *Theoph.* ἀπρεπές, indecens, esse virgini in talibus versari, vel ut *Euth.* dicit, moris fuisse, ut abscederent virgines cum pariturae essent praegnantes.

Canticum b. Virginis alii aliter dividunt. Compluribus placet distinguere quattuor strophas ternis versibus constitutas 46-48 (usque ad *ancillae suae*), 48 (ecce enim) — 50; 51-53; 54. 55; alii v. 46 tamquam argumentum cantici praemitti volunt, v. 47-50 partem priorem expositionis, v. 51-53 alteram et v. 54. 55 epilogum esse. Displicet modus prior eo quod in v. 48 ea inter se separantur quae arcto nexu cohaerent; neque placet alter quia si v. 46 argumentum cantici dicitur etiam membrum plane parallelum v. 47 et *exsultavit* etc. ad idem argumentum pertinere statuendum est.

Ad singulos cantici versus sententiae haud absimiles ex vetere testamento adduci possunt. Ita ad v. 46 Ps. 33,4 magnificate Dominum mecum; ad v. 47 Ps. 35,9 anima mea exsultabit in Domino et delectabitur super salutari suo et 1 Reg. 2,1 laetata sum in salutari tuo; ad 48 a 1 Reg. 1,11 ἐὰν ἐπιβλέπων ἐπιβλέψῃς τὴν ταπείνωσιν τῆς

1. Dicit enim : « mansit Maria cum Elisabeth... ut per ineffabilem quandam virtutem non solum Ioannem sicut dudum diximus, sed etiam Zachariam, ut nunc evangelicus sermo declarat, praesens Salvator instrueret » ita ad v. 67; et in eadem homilia : tribus mensibus Maria iuxta Elisabeth commorante fusus est in terram (Ioannes). — Id quidem negat *Grimm*, sed solum ex eo quod in hom. 9 Origenes nihil de ea re exponat.

δούλης σου, si respiciens videris afflictionem famulae tuae; ad v. 48 b Gen. 30,13 beatam me dicent mulieres; ad v. 49 Ps. 70,19 quae fecisti magnalia; Ps. 110,9 sanctum et terribile nomen eius; 1 Reg. 2,2 non est sanctus ut est Dominus; ad v. 50 Deut. 7,9 Deus custodiens misericordiam diligentibus eum et his qui custodiunt praecepta eius in mille generationes; Ps. 102,17 misericordia Domini ab aeterno et usque in aeternum super timentes eum; Is. 51,8 salus mea in generationes generationum; ad v. 51 1 Reg. 2,3 arcus fortium superatus est et infirmi accincti sunt robore; Ps. 117,16 dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me; ad v. 52 1 Reg. 2,8 suscitat de pulvere egenum et de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum principibus; Eccli. 10, 14 (vide supra); ad v. 53 1 Reg. 2,5 πλήρεις ἄρτων ἠλλατώθησαν καὶ ἀσθενοῦντες ἀνῆκαν γῆν (repleti prius pro panibus se locaverunt et famelici saturati sunt), 7 Dominus pauperem facit et ditat, humiliat et sublevat; ad v. 54 Ps. 97,3 recordatus est misericordiae suae et veritatis suae domui Israel. Praeterea *Hillmann* etiam locos aliquos parallelos ex psalmis salomonicis qui dicuntur affert; ad v. 50 Ps. 2,37 ὅτι τὸ ἔλεος κυρίου ἐπὶ τοὺς φοβουμένους αὐτόν; Ps. 6,9 ὁ ποιῶν ἔλεος τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτὸν; ad v. 54 τοῦ κυρίου ἡ σωτηρία ἐπὶ Ἰσραὴλ παῖδα αὐτοῦ εἰς τὸν αἰῶνα; Ps. 16,3 εἰ μὴ ὁ κύριος ἀντελάβετό μου τῷ ἐλέει αὐτοῦ εἰς τὸν αἰῶνα.

Ex quibus omnibus concludit *Hillmann* canticum hoc non esse dictum a Maria sed ab aliquo in libris veteris testamenti optime versato esse compositum ad normam cantici Annae 1 Reg. 2,1-8. Sed, ut legenti et locos conferenti facile patet, non omnes loci qui afferuntur vere sunt paralleli, cum aliqui sat debilem exhibeant similitudinem. Porro sententiae pleraeque ita necessario ex notione Dei et eius providentiae enascuntur, ut mirum esset, si non simili modo enuntiarentur ab iis qui peculiari quodam favore divino donati sunt. Demum quid prohibet quominus dicamus b. Virginem revera cognovisse canticum Annae et assuetam fuisse verbis psalmorum preces ad Deum fundere eique laudes dicere? proinde e re plane natum esse, ut iis loqueretur verbis quae assidua meditatione et oratione sibi iam erant familiaria? Nonne nos quoque in suspiriis ad Deum iis uti saepe solemus formulis quas lectione psalmorum vel ex liturgia ecclesiastica familiares habemus?

d) Gaudium de ortu praecursoris 1,57-66.

1,57. Elisabeth autem impletum est tempus pariendi, et peperit filium. 58. Et audierunt vicini et cognati eius, quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa, et congratulabantur ei. 59. Et factum est in die octavo, venerunt circumcidere puerum, et vocabant eum nomine patris sui Zachariam. 60. Et respondens mater eius, dixit : Nequaquam, sed vocabitur Ioannes. 61. Et dixerunt ad illam : Quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine. 62. Innuebant autem patri eius, quem vellet vocari eum. 63. Et postulans pugillarem scripsit, dicens : Ioannes est nomen eius. Et mirati sunt universi. 64. Apertum est autem illico os eius, et lingua eius, et

1,57. Τῇ δὲ Ἐλεισάβετ ἐπλήσθη ὁ χρόνος τοῦ τεκεῖν αὐτήν, καὶ ἐγέννησεν υἱόν. 58. καὶ ἤκουσαν οἱ περίοικοι καὶ οἱ συγγενεῖς αὐτῆς, ὅτι ἐμεγάλυνεν Κύριος τὸ ἔλεος αὐτοῦ μετ' αὐτῆς· καὶ συνέχαιρον αὐτῇ. 59. Καὶ ἐγένετο ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ὀγδόῃ ἦλθον περιτεμεῖν τὸ παιδίον· καὶ ἐκάλουν αὐτό, ἐπὶ τῷ ὀνόματι τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, Ζαχαρίαν. 60. καὶ ἀποκριθεῖσα ἡ μήτηρ αὐτοῦ εἶπεν, Οὐχί, ἀλλὰ κληθήσεται Ἰωάννης. 61. καὶ εἶπον πρὸς αὐτήν, ὅτι οὐδείς ἐστιν ἐκ τῆς συγγενείας σου, ὃς καλεῖται τῷ ὀνόματι τούτῳ. 62. ἐνένευον δὲ τῷ πατρὶ αὐτοῦ, τὸ τί ἂν θέλει καλεῖσθαι αὐτό. 63. καὶ αἰτήσας πινακίδιον ἔγραψεν λέγων, Ἰωάνης ἐστὶν (τὸ) ὄνομα αὐτοῦ· καὶ ἐθαύμασαν πάντες. 64. ἀνεῴχθη δὲ τὸ στόμα αὐτοῦ παραχρῆμα καὶ ἡ γλῶσσα αὐτοῦ, καὶ

loquebatur benedicens Deum. 65. Et factus est timor super omnes vicinos eorum : et super omnia montana Iudaeae divulgabantur omnia verba haec; 66. Et posuerunt omnes qui audierant in corde suo, dicentes : Quis, putas, puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo.

ἐλάλει εὐλογῶν τὸν Θεόν. 65. Καὶ ἐγένετο ἐπὶ πάντας φόβος τοὺς περιοικοῦντας αὐτούς· καὶ ἐν ὅλῃ τῇ ὀρεινῇ τῆς Ἰουδαίας διελαλεῖτο πάντα τὰ ῥήματα ταῦτα· 66. καὶ ἔθεντο πάντες οἱ ἀκούσαντες ἐν τῇ καρδίᾳ ἑαυτῶν, λέγοντες, Τί ἄρα τὸ παιδίον τοῦτο ἔσται; καὶ γὰρ χεὶρ Κυρίου ἦν μετ' αὐτοῦ.

In v. 61 εκ της συγγενειας ℵ A B C* L Δ Λ Z aliq minusc cop aeth ev hier; εν τη C² D Γ unc 9 al pler it vulg go syr (utr) arm. In v. 62 D οτι ο αν; d e quid; f quomodo vellet vocare; αυτο ℵ B D F G aliq mĩnusc; rell αυτον. In v. 66 *quid* putas in codd vulg; quis legitur solum in ing; it quid; lind coram illo (sin v. 61 nomine hoc Ioannes; v. 63 scripsit in eo; v. 64 et statim solutum est ligamen linguae eius et benedixit Deum et mirabantur omnes; v. 66 et posuerunt in corde suo et dixerunt).

Cum quadam sollemnitate refertur nativitas praecursoris v. 57 *Elisabeth autem impletum est tempus pariendi,* tempus ut pareret (*Orig.* in versione S. Hier.) *et peperit filium;* tempus dici impletum « si diligenter advertas invenies hoc nusquam positum nisi in generatione iustorum; denique impleti sunt dies, ut pareret Maria; impletum est tempus ut pareret Elisabeth; impletum est vitae tempus, cum sancti viri ex hoc vitae curriculo demigrarunt; plenitudinem iusti vita habet, inanes autem dies sunt impiorum » (*S. Ambr.* sim. *Orig. cat. Cr. Bed. Theoph. Ians.*); v. 58 *et audierunt vicini et cognati eius quia magnificavit Deus misericordiam suam cum illa;* cf. 1 Reg. 12,24; singulari usus est in illam misericordia, magno eam affecit beneficio (Gen. 19,19), quod sterili in senectute concessit partum ablato opprobrio diuturno (cf. v. 25) *et congratulabantur ei* συνέχαιρον αὐτῇ cum ea laetabantur; insuper partus iste omnibus erat maximae exspectationis (*Luc.*); nam non latebat visionem a Zacharia in templo esse habitam eiusque os mutum praecessisse et quasi inaugurasse conceptionem; unde singulari Dei providentia haec disponi et praeclarum quendam portendi exitum facile omnes cum admiratione coniiciebant. In ea vicinorum ac cognatorum gratulatione ac laetitia etiam angeli verbum v. 14 impletur (*S. Bon. Tol. Mald.*).

In lege dies octavus a partu praescriptus erat ad circumcisionem Gen. 17,12; 21,4. Lev. 12,3; « legis ratio fuit, ut aetatis teneritudini prospiceretur, quoniam vulnus recens natis periculosius futurum erat » (*Luc.*); v. 59 *et factum est in die octavo venerunt circumcidere puerum;* eam caerimoniam peragere unicuique licuit, etiam feminae; communiter eam peregit pater familias (cf. Gen. 17,23); Zachariam vero qui etiamtum mutus poenae divinitus inflictae suberat ab ea abstinuisse probabile videtur; rationem quoque afferunt eam quia benedictionem pronuntiare non potuit, quae utique in talmude praescri-

bitur[1]; sed qui fuerit ritus tempore antiquiore fatendum potius est nos nescire; simul cum ea caerimonia nominis impositio coniuncta erat exemplo petito ex Abram cuius nomen simul cum praecepto circumcisionis a Deo mutatum erat in Abraham (Gen. 17,5). Circumcisione puer intrat in foedus cum Deo, fit de populo Dei adeoque novo modo coram Deo incipit vivere; unde dignus est qui tamquam membrum ecclesiae Dei nomine suo inferatur quasi in album et librum Dei; vel foedus illud iniens plene transit in dominium Dei, unde in signum huius dominii nomen imponitur, sicut domini solebant servis nomina imponere aut mutare vetera (cf. *cat. Cr. Theoph. Ians. Mald.*) *et vocabant eum nomine patris sui Zachariam* i. e. cognati ut patrem senem honorarent eique uti putabant, afferrent gaudium, hoc nomen proponebant et enuntiabant; ita Tobias quoque eodem quo pater nomine appellatur, neque posteriore tempore id fuisse inusitatum patet exemplis (v. g. *Iosephus*, Ant. 14,1. 3; Bell. iud. 5,13. 2; *Schanz*). At Elisabeth nominis coelitus impositi haud ignara obsistit v. 60 *et respondens* iis scil. quae cognati proponebant, vel ex iis occasionem loquendi capiens (eo enim modo saepius verbum respondendi adhiberi videmus; cf. ad Matth. 22, 1) *mater eius dixit : nequaquam, sed vocabitur Ioannes;* plerique affirmant eam revelatione divina nomen accepisse; sed iam *Alb.* eam per maritum edoctam esse asserit et nomen hoc ab angelo imperatum scripto fuisse uxori a marito communicatum censent probabile *Dion. Tol. Fab. Luc. Ipr.*, et certum esse arguunt *Schegg, Schanz;* secundum ea quae ad v. 24 adnotata sunt, haec sententia erit probanda.

Opponunt illi v. 61 *nemo est in cognatione tua qui vocetur hoc nomine;* unde quae fuerit nominis imponendi eo tempore consuetudo colligitur; priscis temporibus nomina ex occasione quadam vel ex eventu quodam vel ad rem certam declarandam efformabantur (cf. Gen. 4,1. 25; 5,29; 19,37; 29,32-35 etc.); postmodum ex priscis nominibus seligi solebant et ex nominibus propinquorum; v. 62 *innuebant autem patri eius quem vellet vocari eum* τὸ τί, τὸ indicat quid nutu voluerint significare, scil. τί quo nomine, quid eum vocare vellet; proin ad controversiam componendam ad caput familiae, ad patrem provocant, cuius quam maxime erat nomen designare et quem exspectabant libenter consensurum ut puer ex suo nomine vocaretur, immo gavisurum quod ipsi nomen patris elegerint; id enim ab aliis fieri patri

1. Circumcisor dixit : benedictus sit Dominus Deus noster qui sanctificavit nos praeceptis suis et praecepit nobis circumcisionem. — Pater infantis dixit : qui sanctificavit nos praeceptis suis et praecepit nobis ut introducamus puerum in foedus Abraham patris nostri (Schabb. fol. 137. 2; *Lightfoot,* Horae hebr. in h. l.; cf. *Ugolini*, Thes. ant. III p. 394).

debuit esse gratissimum cum ipsum patrem non adeo deceret ut sibi hunc tribueret honorem, sed ut ab aliis oblatum acciperet. Cum dicatur *innuebant,* sat multi concluserunt eum etiam surdum esse effectum (*S. Ambr. Euth. Bon. Alb. Tol. Mald. Lap. Luc. Schanz*); sed, ut iam supra monui, de surditate nihil dicitur ab angelo et cum nutus sufficit ad sententiam eius declarandam, potius controversiam illam intellexisse i. e. audivisse de qua re disceptarent, dicendus est. Nutu eum interrogant fortasse propter Elisabeth, ne contra eius sententiam ea audiente viderentur appellare patrem; v. 63 *et postulans pugillarem scripsit dicens : Ioannes est nomen eius,* λέγων dicens, idem est ac : scripsit haec verba; ita enim adhibetur לֵאמֹר 2 Reg. 10,6, LXX ἔγραψε βιβλίον λέγων; eodemque modo 1 Mach. 8,31 ἐγράψαμεν αὐτῷ λέγοντες et 11,57 et *Iosephus,* Ant. 13,4. 1 (cf. *Cai. Ians.* recentiores); « quod voce non poterat, manu et litteris est locutus » (*S. Ambr.*); neque scripsit : vocabitur, vel erit nomen, sed ita scribit, ut nomen iam aliunde inditum esse ac plane determinatum significet; et hoc nomen non imponitur, sed adstruitur (*S. Ambr.*); *et mirati sunt universi,* quod adstipulatus sit sententiae uxoris in nomine pueri (*Theoph.*) vel potius quod intellexerint nomen illud a tota cognatione alienum non esse electum nisi mandato coelesti. Haec verba sin habet ad v. 64.

Zacharias itaque mandato angeli obsecutus est (v. 13); iam cernit factum quod angelus annuntiavit et ipse ut fieret illud ex sua parte praestitit quod potuit; unde altera quoque sententia angeli : eris tacens usque in diem quo haec fiant (v. 20) est impleta; v. 64 *apertum est autem illico os eius et lingua eius* (zeugma est : lingua scil. soluta est; lingua enim mutorum ligata esse censetur cf. Is. 35,6; Marc. 7,35 solutum est vinculum linguae eius), « quia quam vinxerat incredulitas fides solvit » (*S. Ambr. Orig.*); Ioannes explicatur, ut *Theoph.* ait, Dei gratia; proinde pater hoc ei nomen affirmans statim assecutus est gratiam et qui natus est ut gratiam Dei in redemptione iam appropinquantem praeco annuntiaret simul ac nomen sortitus est nominis significationem in patre ostendit; « os enim quod angelus clauserat promissus ab angelo filius reseravit » (*S. Maximus*, hom. 65; *M.* 57, 385) *et loquebatur benedicens Deum,* merito primitias linguae restitutae in Dei laudes impendit; *benedicens* εὐλογῶν hic dicitur, v. 67 prophetavit; verborum distinctione satis indicatur Zachariam prius Deum laudibus celebrasse eique gratias egisse usu linguae recepto; nam εὐλογεῖν utrumque dicit atque εὐχαριστεῖν et εὐλογεῖν sacris scriptoribus velut synonyma adhibentur (cf. *Cornely,* Comment. in 1 Cor. p. 338); quare immerito asserere videtur *Grimm* Zachariam ne ullo quidem verbo Deo gratias persolvisse de filio nato. Neque dici potest (cum *cat.*

Cr. Schegg, Fil.) hoc loco nihil aliud significari nisi hymnum v. 67 seq.

Qui haec omnia audierunt, sacra quodam reverentia et timore impleti sunt intelligentes tot signis non posse nisi singulare quid et admirandum a Deo portendi; viderant Elisabeth sterilem senemque peperisse, viderant mutum factum patrem, viderant nomen inusitatum imponi; viderant patrem idem nomen tamquam iam coelitus impositum declarasse; viderant statim patris linguam solvi; quae omnia magnam animis ingenerabant religionem et reverentiam (*Mald.*). Homines enim mortales, ut *Tol.* ait, quando Deum potentiam suam exercere animadvertunt timent illius maiestatem reverentes et conscii se esse peccatores; v. 65 *et factus est timor super omnes vicinos eorum et super omnia montana Iudaeae* ἐν ὅλῃ τῇ ὀρεινῇ in tota regione Iudaeae quae montana appellabatur (cf. v. 39) *divulgabantur omnia verba haec* ῥήματα, verba explica, uti hebr. דבר saepe, de rebus gestis (cf. *Euth. Cai. Tol. Mald. Ians. Schanz, Keil*), non de solis verbis (ut volunt *Schegg, Fil. Weiss*); nam cur sola verba quae in domo Zachariae dicta sunt censenda essent divulgata et non potius omnia quae ibi evenerunt? Pro hominum indole et ingenio non verba sola narrari solent. Unde sin bene habet: haec dicta sunt. Hac autem rerum admirandarum divulgatione tamquam auspiciis quibusdam futurus Christi propheta commendabatur et quasi iter parabatur signis istis praecursori Messiae (*Bed.*). Deus itaque singulari providentiae dispositione animos iam reddit attentos ad salutem appropinquantem (*cat. Cr. Theoph.*).

Atque revera quotquot audierunt serio apud se reputabant quid haec portenderent v. 66 *et posuerunt omnes qui audierunt in corde suo* שִׂים עַל לֵב (vel אֶל et etiam בְּ; 1 Sam. 21,13. 2 Sam. 13,33. Is. 57,1. 11 etc.), apud se recogitabant remque ponderabant *dicentes: quis putas puer iste erit?* τί, *quid* magis est ad rem incertam magnamque exprimendam et ad affectum admirationis declarandum. Atque illos iure admiratos esse divinam dispositionem affirmat evangelista: *etenim manus Domini erat cum illo*, καὶ γὰρ nam etiam manus Domini, singularis Dei potentiae signa in illo cernebantur et de illo: angelus patri visus, pater mutus, dein loquens et prophetans; sterilis et anus pariens; nomen divinitus impositum (*Mald.*). Ex quibus omnibus Dei virtus apparebat, id quod magna eum patraturum ex tam praeclaris ac singularibus praeludiis omnium animis spem ingerebat (*Tol.*). Manus Dei dicitur esse cum aliquo ad opem ei ferendam, ad eum protegendum et ad maxima quaeque confortandum et erudiendum. Iam indicat evangelista etiam in vita pueri ulteriore apparuisse singularem Dei dispositionem ac gubernationem (cf. v. 80).

e) Canticum Zachariae 1,67-80.

1,67. Et Zacharias pater eius repletus est Spiritu sancto, et prophetavit, dicens : 68. Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suae. 69. Et erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri sui. 70. Sicut locutus est per os sanctorum, qui a saeculo sunt, prophetarum eius : 71. Salutem ex inimicis nostris, et de manu omnium qui oderunt nos : 72. Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, et memorari testamenti sui sancti : 73. Iusiurandum, quod iuravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis. 74. Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi. 75. In sanctitate et iustitia coram ipso, omnibus diebus nostris. 76. Et tu puer, propheta Altissimi vocaberis : praeibis enim ante faciem Domini parare vias eius : 77. Ad dandam scientiam salutis plebi eius, in remissionem peccatorum eorum. 78. Per viscera misericordiae Dei nostri, in quibus visitavit nos, oriens ex alto. 79. Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. 80. Puer autem crescebat, et confortabatur spiritu; et erat in desertis usque in diem ostensionis suae ad Israel.

1,67. Καὶ Ζαχαρίας ὁ πατὴρ αὐτοῦ ἐπλήσθη Πνεύματος Ἁγίου, καὶ ἐπροφήτευσεν λέγων, 68. Εὐλογητὸς Κύριος ὁ Θεὸς τοῦ Ἰσραήλ, ὅτι ἐπεσκέψατο καὶ ἐποίησεν λύτρωσιν τῷ λαῷ αὐτοῦ· 69. καὶ ἤγειρεν κέρας σωτηρίας ἡμῖν, ἐν οἴκῳ Δαυεὶδ παιδὸς αὐτοῦ, 70. καθὼς ἐλάλησεν διὰ στόματος τῶν ἁγίων ἀπ' αἰῶνος προφητῶν αὐτοῦ, 71. σωτηρίαν ἐξ ἐχθρῶν ἡμῶν, καὶ ἐκ χειρὸς πάντων τῶν μισούντων ἡμᾶς· 72. ποιῆσαι ἔλεος μετὰ τῶν πατέρων ἡμῶν, καὶ μνησθῆναι διαθήκης ἁγίας αὐτοῦ, 73. ὅρκον ὃν ὤμοσεν πρὸς Ἀβραὰμ τὸν πατέρα ἡμῶν, τοῦ δοῦναι ἡμῖν 74. ἀφόβως ἐκ χειρὸς ἐχθρῶν ῥυσθέντας λατρεύειν αὐτῷ 75. ἐν ὁσιότητι καὶ δικαιοσύνῃ ἐνώπιον αὐτοῦ πάσας τὰς ἡμέρας ἡμῶν. 76. Καὶ σὺ δὲ παιδίον, προφήτης ὑψίστου κληθήσῃ· προπορεύσῃ γὰρ ἐνώπιον Κυρίου, ἑτοιμάσαι ὁδοὺς αὐτοῦ· 77. τοῦ δοῦναι γνῶσιν σωτηρίας τῷ λαῷ αὐτοῦ ἐν ἀφέσει ἁμαρτιῶν αὐτῶν, 78. διὰ σπλάγχνα ἐλέους Θεοῦ ἡμῶν, ἐν οἷς ἐπισκέψεται ἡμᾶς ἀνατολὴ ἐξ ὕψους, 79. ἐπιφᾶναι τοῖς ἐν σκότει καὶ σκιᾷ θανάτου καθημένοις· τοῦ κατευθῦναι τοὺς πόδας ἡμῶν εἰς ὁδὸν εἰρήνης.

80. Τὸ δὲ παιδίον ηὔξανεν καὶ ἐκραταιοῦτο πνεύματι· καὶ ἦν ἐν ταῖς ἐρήμοις, ἕως ἡμέρας ἀναδείξεως αὐτοῦ πρὸς τὸν Ἰσραήλ.

In v. 67 codd vulg *impletus;* wil repletus. In v. 68 *plebi* suae am big ept* fuld cav hub ger theod ing med ox tol lind harl, Wordsworth. In v. 70 αγιων απ ℵ B L Δ aliq minuse Or Eus; αγιων των απ A C R Γ Δ Π unc 9 al pler Cyr Chron; qui ab aevo sunt dub ger ken rush q r; qui a principio temporis sunt e, ab initio l. In v. 74 εχθρων ημων A C D R Γ Δ Λ Π unc 9 al pler it vulg syr arm tat aeth go Cyr Chron Or; εχθρων ℵ B L 1. 13. 69. In v. 75 της ζωης ημων E Π M S Γ Λ al pl arm sin Or Cyr Chron. In v. 76 και συ δε ℵ B C D L R 33. cop; ενωπιον ℵ B Or Ti W H; al προ προσωπου. In v. 77 in remissione (uti graece) fuld theod* car mt tol val harl. In v. 78 επισκεψεται ℵ* B L cop tat syr (sch) sin; tol visitabit, go visitat; sed rell επεσκεψατο, etiam Ti. In v. 80 *in* spiritu dub ept lich ken rush gat (add gat : et gratia dei erat cum illo); codd sat mu in deserto et Wordsworth (sin v. 70 sicut etiam in ore prophetarum eius sanctorum; non habetur *locutus est*).

Canticum hoc duabus constat partibus. In priore v. 68-75 agitur de Messia et de bonis quae secundum Dei promissa et oracula prophe-

tarum per eum afferuntur; in altera describitur munus praecursoris v. 76-79. Eo docemur Zachariam nuntium angeli de Messia proxime venturo non solum intellexisse, verum etiam cognovisse bona spiritualia Messiam esse allaturum. Uti *Orig.* indicat, dum Maria maneret apud Elisabeth praesens Salvator etiam Zachariam instruxit. Omnino credibile et Zachariam haec statim post laudes et gratias Deo dictas enuntiasse, ita ut qui ad circumcisionem convenerant etiam hoc cantico de Messia et puerulo nato edocerentur. Proinde canticum ad v. 64 arcte est adnectendum; ad narrationem autem absolvendam praeoccupatione quadam antea inserebat evangelista v. 65. 66; v. 67 *et Zacharias pater eius repletus est Spiritu sancto et prophetavit dicens;* « vide quam bonus Deus et facilis indulgere peccatis; non solum ablata restituit sed etiam insperata concedit » (*S. Ambr.*); prophetare generatim is dicitur qui peculiari impulsu Spiritus sancti tamquam Dei interpres vel nuntius loquitur; quare prophetare nullo modo ad unam praedictionem rerum futurarum est restringendum (cf. *Cornely*, Introd. II 2 p. 267 seq. Comment. in 1 Cor. p. 372. 418. 435).

Ab angelo edoctus et illustratus a Spiritu sancto adventum Messiae iam instare novit et bona messiana animo praesagit; unde merito incipit a laude et celebratione Dei qui tanta tamque excelsa dona et beneficia suo populo providit v. 68 *benedictus Dominus Deus Israel* verbis utitur iam a Davide, Salomone, psalmistis consecratis (1 Reg. 25,32. 3 Reg. 1,48; 8,15. Ps. 40,14; 71,18 etc,); laude dignus, laudandus est; vel praedicetur et laudetur; homo scil. benedicit Deo, laudando; Deus homini, benefaciendo (*Luc.*); *quia visitavit,* פקד quam vocem saepius ἐπισκέπτεσθαι reddunt Gen. 21,1; 50,24. Ex. 4,31. Ruth 1,6; dicitur de Deo qui benigne ad aliquem respicit eique beneficia affert et ope gratiaque eum praevenit, *et fecit redemptionem plebis* (*plebi*) *suae* λύτρωσιν cf. גאלה, Deus populum suum liberavit, vindicavit, redemit ab Aegyptiorum oppressione; iterum a iugo et captivitate Babyloniorum; iam vero alia instat liberatio et redemptio, cuius typus illae priores erant, quam describit v. 69 *et erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui* παιδός servi sui עבד servus, cultor Iahve titulus est honoris, qui datur Abraham, Iosue, Iob, David etc. cf. Ps. 18,1; 36,1; 89,4. 21 (hebr.) etc.; cornu symbolum est roboris et potentiae (Deut. 33,17. Ps. 131,17. Ez. 29,21) et Ps. 17,3 Deus appellatur cornu salutis; inde designatur robur et potentia qua salus affertur; erexit הקים; ergo potentissimum salvatorem nobis suscitavit i. e. Messiam in domo David, eo scil. quia Virgo iam concepit. Cum itaque Messiam ex domo David esse dicat, merito inferunt etiam hic b. Virginem dici vel indicari ex familia et stirpe David (cf. *Euth. Luc. Schanz, Weiss, Keil*). In cornu et potentiam et

regnum significari *S. Cyr. Euth. cat. Cr. Theoph. Tol. Ians. Luc. Ipr.* explicant, ad quam acceptionem accommodari potest 1 Reg. 2,10 : dabit imperium regi suo et sublimabit cornu Christi sui; insuper Messias promissus erat et exspectabatur rex, et David promissiones sibi datas ultimis suis verbis ita complexus est ut diceret oriturum esse ex sua stirpe dominatorem (2 Reg. 23,3). Dicit autem Zacharias *visitavit, erexit* quia in mysterio Verbi incarnati iam illud maximum beneficium praestitum est, ex quo reliqua omnia profluunt; proinde non opus est dicere eum loqui prophetice de re futura quasi iam facta.

Laudat Dei fidelitatem qui implet quod promisit v. 70 *sicut locutus est per os sanctorum qui a saeculo sunt prophetarum eius*, a saeculo i. e. a tempore antiquo, hic itaque, cum de salvatore ex domo David sermo institutus sit, a tempore David et deinceps, non ab initio temporis vel ab Adam (*Bed. Alb.*). Dicuntur sancti, quia munere suo Deo peculiari modo erant sacri, consecrati; sanctos appellari, ut distinguantur a pseudoprophetis (*Tol. Luc.*) et quia erant inspirati (*Ians. Luc.*) aliqui arbitrantur. Quod Deus iam a longo tempore per viros sanctos quos suos constituit interpretes et nuntios salutem messianam annuntiandam curavit, insigne est documentum quam praeclara futura sit, quippe quae tanto apparatu praedicatur et longa saeculorum serie excitet atque augeat exspectationem sui et desiderium. Davidi facta est promissio per Nathan prophetam 2 Reg. 7,14 seq. (cf *de Hummelauer*, ad h. l.); Messiam ex domo David oriundum reliqui prophetae annuntiant, dum eum vocant germen quod Davidi Deus suscitet vel eum ipso nomine David designant vel eum sessurum dicunt super solium David vel tabernaculum David iri suscitatum etc. cf. Is. 9,6; 11,1 seq.; 55,3. 4. Ier. 23,5; 33,15. Ez. 34,23. Os. 3,3. Am. 9,11. Mich. 5,2 etc.

Iam accuratius describitur cornu salutis, in qua re robur illud salutem afferens consistat v. 71 *salutem ex inimicis nostris*, hoc refer ad v. 69 tamquam explicationem : in domo David constituit nobis salvationem qua liberamur ab inimicis *et de manu omnium qui oderunt nos* proinde hostes et persecutores populi Dei iri prostratum i. e. quotquot cultores Dei oppugnant, impediunt, persequuntur, opprimunt. Verba ex psalmis petita sunt; cf. Ps. 17,18. 41; 105,10 etc. Regnum enim Messiae describitur regnum pacis hostibus vel subiectis vel deletis, ita ut populus Dei maxima securitate degat atque sine ulla formidine Deo et regi Messiae serviat; cf. Ps. 71,7 seq. Is. 11,6 seq. 14,1. Ier. 30,16. Ez. 34,25. Mich. 7,14 etc. Quare primo et per se de iis sermo fit qui populum Dei opprimunt, de gentibus adversis, quae a cultu Dei alienae sunt et populum Dei infestant et persequuntur. Sed cum auctor et princeps omnis in cultores Dei et in Deum odii et inimicitiae diabolus

sit, verba facile ad omnis generis hostes et terrestres et spirituales transferuntur. Sunt qui *salutem* pertinere velint ad *locutus est* (*Ians. Mald. Lap. Ipr. Grotius, Ewald*), sed praestat cum longe plerisque alia acceptio, ad quam proxime quoque accedunt *Bed. Dion.* iungentes : erexit salutem ex inimicis. Quod quandoque in medium profertur : salutem obvenire ex ipsis inimicis, ita ut inimici ipsi suis machinationibus divina providentia rem dirigente salutem fidelium promoveant, verbis cantici non exprimi manifestum est; idcirco sola accommodatione verba haec in sensum illum a cantico alienum trahi possunt.

Dein explicatur quid Deus dum salutem illam concedit intendat v. 72 *ad faciendam misericordiam cum patribus nostris et memorari testamenti sui sancti* ποιῆσαι ἔλεος, μνησθῆναι, ponuntur infinitivi duo graece, quibus declaratur ad quid tendat actio. Deus itaque salutem concedit quam promisit ut et patribus, patriarchis, maioribus populi misericordiam praestaret, et foederis sui se memorem esse illudque fideliter servare ostenderet. Iam patribus populi olim vita functis misericordiam largitur non solum eo quod promissa illis facta in filiis et posteris implet (*Alb. Dion. Ians. Luc. Ipr.*), qua impletione iis gaudium afferat (*Orig. Theoph. cat. Cr. Luc. Weiss*), sed praecipue eo quod patres in limbo positi etiam fructus redemptionis salutisque messianae reddantur participes (cf. *Theoph. Dion. Cai. Tol. Ians. Mald. Ipr. Schegg, Schanz, Fil.*). Et dum isti redemptione per Christum facta potiuntur beatitudine aeterna, foedus illud cum patribus initum sortitur eventum suum maxime praeclarum; ingrediuntur enim in bona Dei consortes gloriae divinae et plenissime illud habetur : ego merces tua magna nimis (Gen. 15,1). Testamentum vel foedus illud sanctum divinitus confirmatum erat iureiurando; quare gradatione quadam adiungitur ad inviolabilem foederis sanctitatem et stabilitatem efferendam v. 73 *iusiurandum quod iuravit ad Abraham patrem nostrum*, ὅρκον ὅν commode explicabis cum recentioribus ita ut ὅρκον sit appositio ad διαθήκης et propter ὅν attractione quam vocant inversa non ὅρκου sed ὅρκον efferatur; similiter iam *Cai.* sentit : grammatice legendum esset *iurisiurandi* appositive ad *testamenti sui sancti*.

Ceterum ὅρκον vario modo explicare tentabant. Et *Euth.* quidem ὅρκον refert ad μνησθῆναι, indifferenter enim, inquit, hoc verbum a genetivo transit ad accusativum, cui *Luc.* quoque consentit et similiter *Ians. Ipr.*; ad *erexit* pertinere *Tol.* arbitratur; alii appositionem explicant : testamenti, quod est iusiurandum (*Mald. Dion. Luc.* quoque); alii referunt ad *locutus est* vel explicant accusativum ita ut κατὰ supplendum sit : secundum iusiurandum etc. In textu latino hom. 10 *Orig.* legitur *iuramenti* quod iuravit; pariter in textu graeco uti editus est *Theoph.* habetur ὅρκου οὗ ὤμοσε

ergo illa exprimitur attractionis forma οὗ quae usitata est et ὅρκου refertur ut nova quaedam determinatio ad διαθήκης, ad quam vocem simul addit gradationem.

Foedus autem appellatur iusiurandum quia a Deo apposito iuramento confirmatum et sancitum est; vide Gen. 22,16-18; 26,3; τοῦ δοῦναι *daturum se* etc., hisce nequit indicari quid iuramento contineatur, cum ipsis iuramenti vel foederis verbis eiusmodi sententia non enuntietur. Exprimitur itaque, uti in v. 72, quo divino consilio ad impletionem foederis et iuramenti salus concedatur, ut scil. daret nobis quomodo serviamus ab omni timore liberi. Foedus cum Abraham initum et promissio de terra danda iuramento divino saepius confirmata (Ex. 33,1. 1 Num. 11,12; 14,16. 23. Deut. 1,8 etc.) id utique spectabat, ut libere et secure Deo servirent; praesto enim erat iis dummodo mandata Dei observarent auxilium Dei praepotens ad hostes propulsandos. Sed merito singulari ratione id effertur pro tempore quo foedere illo ad plenam impletionem adducto cornu salutis, salvationis potentia, erigitur, λατρεύειν ἐνώπιον αὐτοῦ שרת לפני יהוה (cf. Num. 18,2. 1 Sam. 2,11; 3,1) officium ac ministerium dicit sacrum, sacerdotale; quod enim de vetere populo Dei valet: vos eritis mihi in regnum sacerdotale (Ex. 19,6), potiore iure de populo messiano erit asserendum (1 Petr. 2,9 regale sacerdotium), v. 75 *in sanctitate et iustitia,* utrumque frequenter apud prophetas de tempore messiano praedicatur (Is. 11,4 seq. 54,14. Ier. 23,5; 24,7; 31,23); ὁσιότης pietatem dicit erga Deum et studium ac religionem in servandis pietatis officiis, unde ad cultum potissimum refertur (cf. *Theoph. Euth. Alb. Luc. Ipr.*); δικαιοσύνη illum rectum statum quem Deus hominibus inesse vult haud raro significat, quo scil. quis iustus coram Deo eique acceptus constituitur; unde complexum quendam virtutum designat (*Euth. Ipr.*); *omnibus diebus nostris* bene advertit *Mald.* hisce significari statum hunc vitae evangelicae non alium habiturum finem nisi consummationem saeculi; tempus et beneficium messianum fore perpetuum; foedus prius populi sceleribus est violatum; regnum autem Messiae perpetua sanctitate est conspicuum neque populus messianus, Ecclesia Christi, unquam a Deo abiicietur, sicut abiecit populum foederis antiqui (cf. Ier. 31,31 seq.). Notandum est quam praeclare indicet Zacharias indolem regni messiani spiritualem, in qua re vestigiis insistit prophetarum (cf. Comment. in Is. II p. 265. 277. 323 etc. etc.).

Priore loco, uti decet, salutem praedicavit messianam vel potius ipsum Messiam, cornu salutis, in domo David oriundum; iam sermonem dirigit ad eius praecursorem. Cum autem suum videat ad talem dignitatem evectum filium, filium in senectute sibi natum peculiari Dei dono, quid mirum, si maior patris affectus in ipso loquendi modo

sese prodit? profecto mirum, si non appareret; unde filiolum alloquens ait v. 76 *et tu puer* καὶ σὺ δὲ παιδίον (sed etiam tu, puer; καὶ-δὲ novam inducit notionem, quae quidem partim cum antecedente conveniat καὶ, partim ab ea discrepet δὲ) etiam de puero quaedam magnifica sunt annuntianda, ipse quoque in salute illa erigenda suas habet partes; *propheta Altissimi vocaberis;* ita merito angeli verba interpretatur Zacharias; cum enim Ioannes dicatur replendus Spiritu sancto, in spiritu et virtute Eliae acturus, incredulos conversurus, Domino plebem perfectam paraturus, munus describitur nuntii Dei qui nomine et missione Dei mandata Dei ad populum perfert; est propheta sensu quoque eminentiore, quia cum aliorum prophetarum fuisset Messiam a longe annuntiare, eius est advenientem proxime praecedere : *praeibis enim ante faciem Domini parare vias eius;* cf. v. 17. Is. 40,3. Cum Zacharias puerulum alloquatur, veteres saepius concluserunt puerulum usu rationis praeditum prophetiam patris audivisse et intellexisse (cf. *Orig. Ambr. cat. Cr. Theoph. Alb. Cai.*) ; sed aliam etiam dari posse rationem, iam *Beda* indicat qui huic opinioni haec adiungit : « nisi forte putandus est Zacharias propter eos potius qui aderant instruendos futura sui filii munera praedicare voluisse » et alii, uti *Tol. Dion. Salm.*, etiam advertunt non esse novum in Scriptura sermonem haberi ad res inanimatas; quare duo posse dari responsa, cur puerum alloquatur. Et *Ians.* quidem recte putat : « simplicius fuerit dicere Zachariam puerum etiam non intelligentem allocutum more prophetarum qui etiam irrationabilia et futuros quasi iam praesentes alloquuntur, idque ad instructionem audientium et legentium », quam sententiam admitti posse etiam *Mald. Luc.* censent. Atque ex vehementia affectus apostrophe satis explicatur neque opus est novum adstruere miraculum.

Et quo tendat illud *praeibis* et quid sibi velit *parare vias eius* declaratur v. 77 *ad dandam scientiam salutis plebi eius in remissionem* (*in remissione*) *peccatorum eorum;* debebit itaque populum adducere ad cognitionem salutis messianae ἐν ἀφέσει i. e. eos docere, ut sciant salutem messianam dari in remissione peccatorum, ut remissione peccatorum sibi offerri veram salutem et liberationem agnoscant. Proinde indolem spiritualem salutis messianae debebit efferre ; idque praeclare fecit praedicatione sua : poenitentiam agite. Cum ipse Ioannes minime daret remissionem peccatorum quae soli Christo attribuitur (Matth. 1,21; 3,11 etc.) illud ἐν ἀφέσει nequit adiungi cum *Keil, Weiss* ad δοῦναι : ut daret ope remissionis peccatorum scientiam salutis ; sed ipsa salus (*Euth. Cai. Ians. Tol.*) vel scientia salutis i. e. γνῶναι σωτηρίαν (*Schanz*) determinatur dum additur ἐν ἀφέσει etc. Istud autem beneficium obtinget

v. 78 *per viscera* διὰ σπλάγχνα propter viscera *misericordiae Dei nostri* i. e. propter ardentissimam Dei misericordiam (*Tol.*), magna cum auxesi, ut *Luc.* ait, viscera misericordiae dicuntur, ut significetur intimus misericordiae affectus, viscera plena misericordia, quibus Deus quasi condoleat et mederi studeat malis humanis. Summa itaque Dei erga nos misericordia declaratur. Pertinere autem διὰ σπλάγχα et arcte adiungi ad ἐν ἀφέσει plerique censent (cf. *Euth. Tol. Mald. Ians. Bisp. Schegg, Schanz, Fil.*), dum alii id referunt ad salutem vel etiam ad ea quae in v. 76. 77 proponuntur (cf. *Lap. Lamy, Keil, Weiss*).

Hisce misericordiae visceribus nobis obtingit salus messiana : *in quibus* i. e. per quae, ex misericordia, pro misericordiae visceribus quibus erga nos afficitur, *visitavit nos oriens ex alto,* ἀνατολή ortus; cum in v. 79 dicatur *illuminare* etc. ἀνατολή explicare oportebit de sole, de luce, quemadmodum salus messiana et ipse Messias lucis solisque nomine et symbolo saepius designatur; vide Is. 9,2 populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbrae mortis lux orta est eis, ad quae verba Zacharias aperte in v. 79 alludit; praeterea Is. 42,6; 49,6; 60,1. Mal. 4,2 sol iustitiae. Illud *ex alto* aliqui referunt ad *visitavit,* ex alto coelorum habitaculo nos visitat, vel ex alto divinitatis suae ad nos descendit visitandos et iuvandos (cf. *Theoph. Euth. Tol. Ians. Luc.* e coelo delapsus), alii ad ἀνατολή; ita *cat. Cr.* ὁ ἐξ οὐρανοῦ ἀνατείλας ἡμῖν ἥλιος δικαιοσύνης; ita *Cai.* (oriens Sol ex excelso coelo vel Patris sinu) *Lap. Mald.* quia rectis quasi lineis de coelo ad nos usque descendit originem habens e coelo; sim. *Fil. Reischl;* alii comparationem exprimi putant stellae quae ex alto coelo lucem emittens cernitur (*Keil, Weiss*). Messiae nomen apud prophetas etiam fertur *germen*, cuius nominis ratio iam enuntiatur a Davide 2 Reg. 23,5 et quod adhibetur ab Is. 4,2. Ier. 23,5; 33,15 et praeprimis Zach. 3,6 et 6,12, ubi hebr. germen צֶמַח legitur et apud LXX ἀνατολή[1], vulg. Oriens. Quare aliqui putarunt etiam ad hos locos alludi et *germen* esse retinendum (cf. *Ians. Luc. Wetstein, Lightfoot*). Quamvis Messias bene dici possit germen ab alto, tamen hoc loco id non admitti posse videtur, ne molesta habeatur troporum commixtio propter v. 79.

Messias itaque ut lux annuntiatus est, ipse se dicit lucem mundi, ipse illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (Ioan.

1. Ad hanc versionem notanda sunt duo; ἀνατέλλειν dicitur quoque notione progerminandi, crescendi (cf. Gen. 3, 18. Lev. 13, 37; 14, 13. 2 Reg. 10, 5. 1 Par. 19, 5. Ez. 17, 6; 29, 21); quare intelligitur cur ἀνατολή fortasse possit germen significare. Porro צמח *aramaice* est splendere, lucere; unde ex altera parte etiam explicatur, cur Is. 4, 2 LXX habeant ἐπιλάμψει et cur alias ἀνατολή ponatur.

1,9; 8,12); eodem modo iam de eo prophetat Zacharias: visitavit vel (vide lect. var.) *visitabit* (quod tempus hoc loco aptum est quia de praecursore sermonem instituit, proin ipsum Messiam ut venturum considerat; dein cum de praecursore v. 76 futuro tempore loquatur, eo magis id de Messia hoc loco fieri debebit), atque ad quid visitaturus sit declarat v. 79 *illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent;* cf. Is. 9,2; cum apud Isaiam de Galilaea gentium sermo fiat i. e. de regione quae magnam partem ab alienigenis incolebatur, cum insuper gravissimae hae dictiones de tenebris et densissima caligine quae quasi simulacrum mortis sit, vix a Zacharia censendae sint dici de conditione ignorantiae et summae peccatorum miseriae sui populi, mihi omnino probabile videtur hisce Messiam designari lucem gentium et proinde minime constare quod aliqui volunt, Zachariam non agnoscere Messiam nisi pro suo populo, e contra puto, eum, uti postea Simeon (2,32) palam annuntiare salutem gentibus quoque destinari. Et profecto gentes apte dici possunt immersae tenebris errorum et idololatriae et offusae caligine mortis et occupatae iam imperio mortis et in eius ditione versantes et ruentes in interitum; sed tale quid enuntiari de populo Dei qui cognitionem, cultum, legem, templum veri Dei habet, videtur durum. Ad quid visitaturus sit Messias populum Israel exprimitur altero membro τοῦ κατευθῦναι, *ad dirigendos pedes nostros in viam pacis;* nos visitat et illuminat, ut sine offendiculo eam ingrediamur teneamusque viam quae sit via pacis, quae ad pacem, ad bonum illud messianum toties a prophetis praedictum (Is. 9,7. Mich. 4,3; 5,5. Ps. 71 etc.) nos perducat (cf. *Ians. Tol. Mald. Luc. Fil.*). Proinde nos Messias adiuvat, docet, illuminat, ad eam vitae rationem instituendam et persequendam, ut veram consequamur pacem hisce in terris et pacem illam in patria coelesti adipiscamur. Itaque in hac quoque parte Zacharias egregie effert indolem spiritualem bonorum messianorum. Eam clare indicat officio praecursoris in v. 77, eam describit munere Messiae pro gentibus et Iudaeis in v. 79; omnia autem bona nobis obvenire monet propter summam Dei nostri misericordiam qua eius paterna viscera in nos commoveantur v. 78.

Demum similiter uti in v. 56, narrationem de nativitate praecursoris absolvit brevissime commemorata eius vita usque ad officium praecursoris palam susceptum v. 80 *puer autem crescebat* corpore *et confortabatur spiritu*, cum corpore simul crescebat spiritale donum; quanto magis aetate proficiebat, tanto magis vis et efficacia (ἐνέργειαι) Spiritus in eo ostendebatur (*Theoph.*); crescebat itaque aetate et gratia et meritis coram Deo et continuo virtutum exercitio et incremento, *et erat in desertis*, in deserto Iudaeae, et uti numero plurali indicari vi-

detur, in variis locis illius deserti per multos illos annos commoratus est. Procul ab hominum consuetudine uni Deo vacabat. « Praedicator poenitentiae futurus opportunum iustumque est ut solitudinis aspera sequatur, et quo liberius iuvenis auditores suos a mundi illecebris erudiendo sustollat, ipse etiam primaevam squalidus in desertis vitam transigat » (*Bed.*). De vitae eius ratione vide Matth. 3,4. Marc. 1,6. Erat autem in solitudine et locis desertis *usque in diem ostensionis suae ad Israel,* quo scil. verbum Dei ad eum factum est ut praedicaret poenitentiam et palam se populo manifestaret tamquam qui pararet viam Messiae (cf. 3,2. Matth. 3,1. Ioan. 1,23. 27). Ex aetate qua Iesus venit ad baptismum Ioannis elucet Ioannem usque ad annum vitae trigesimum in solitudine se ad munus praecursoris praeparasse. Diu itaque ad subeundum munus exercebatur. In solitudine quippe et in commercio cum Deo viri ad magna in Dei servitio praestanda eruduntur; ita Moyses, Elias, Ioannes; ita ipse Iesus exemplo praeire voluit commoratione in deserto per quadraginta dies antequam praedicationem auspicaretur. — Aliqui fabulantur puerulum mox a nativitate in desertum secessisse vel occasione infanticidii ab Herode imperati esse in desertum delatum (cf. *Orig.* hom. 11; *Nicephorus*, hist. 1,14; *Baronius* ad an. 1 n. 52 qui eius rei testem affert Petrum episcopum alexandrinum); verum id difficile esse creditu, *Tol.* notat.

f) Iesus nascitur 2,1-7.

2,1. Factum est autem in diebus illis, exiit edictum a Caesare Augusto, ut describeretur universus orbis. 2. Haec descriptio prima facta est a praeside Syriae Cyrino; 3. Et ibant omnes ut profiterentur singuli in suam civitatem. 4. Ascendit autem et Ioseph a Galilaea de civitate Nazareth, in Iudaeam; in civitatem David, quae vocatur Bethlehem, eo quod esset de domo et familia David, 5. Ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore praegnante. 6. Factum est autem, quum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret. 7. Et peperit filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in praesepio : quia non erat eis locus in diversorio.

2,1. Ἐγένετο δὲ ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις, ἐξῆλθεν δόγμα παρὰ Καίσαρος Αὐγούστου ἀπογράφεσθαι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην. 2. αὕτη ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου. 3. καὶ ἐπορεύοντο πάντες ἀπογράφεσθαι, ἕκαστος εἰς τὴν ἑαυτοῦ πόλιν. 4. Ἀνέβη δὲ καὶ Ἰωσὴφ ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας, ἐκ πόλεως Ναζαρὲτ, εἰς τὴν Ἰουδαίαν, εἰς πόλιν Δαυεὶδ ἥτις καλεῖται Βηθλεὲμ, διὰ τὸ εἶναι αὐτὸν ἐξ οἴκου καὶ πατριᾶς Δαυεὶδ, 5. ἀπογράψασθαι σὺν Μαριὰμ τῇ ἐμνηστευμένῃ αὐτῷ, οὔσῃ ἐγκύῳ. 6. Ἐγένετο δὲ ἐν τῷ εἶναι αὐτοὺς ἐκεῖ, ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι τοῦ τεκεῖν αὐτήν· 7. καὶ ἔτεκεν τὸν υἱὸν αὐτῆς τὸν πρωτότοκον, καὶ ἐσπαργάνωσεν αὐτὸν, καὶ ἀνέκλινεν αὐτὸν ἐν φάτνῃ· διότι οὐκ ἦν αὐτοῖς τόπος ἐν τῷ καταλύματι.

In v. 1 ken ut censum profiterentur; a b ff² l q ut profiteretur. In v. 2 αυτη απογ ℵ B D; pler codd αυτη η απ.; εγενετο πρωτη ℵ* D Ti; *professio* facta est rush, b c d ff² l q r; praeside (non a praeside) Ambr Aug am ben fuld ger for med per corp f q r, et ita

Wordsworth; d ducatum agente; rell codd vulg a praeside; κυρηνιου praebent pler codd; pauc κηρυνιου, B* κυρεινου; quirino ept lich harl; ev hier quando cyrinus erat in Syria. In v. 4 *patria* David gat a b c d f ff² l q r. In v. 5 addunt γυναικι A C² Γ Δ Λ unc 9 al pler it vulg syr (p) aeth Eus Chr Chron; non addunt ℵ B C* D L Z 1. 131. e f sax sah cop syr (sch) ev hier arm Eus; add praegnante de spiritu sancto lich ken gat. In v. 7 e obvolverunt illum; posuit ger per b c f ff² l q r; in *stabu.* e; τη φατνη Γ Δ Λ unc 9 al pler Amphil Chr Cyr Chron (sin v. 1 et factum est in diebus illis, imperavit Augustus Caesar; v. 5 ipse et Maria uxor eius tum praegnans, ut ibi describerentur quia duo hi erant ex domo David).

Ex domo Zachariae et Elisabeth b. Virgo reversa est Nazareth. Eo tempore accidit quod Matth. 1,18 seq. narratur. Iesus qui thronum David a Patre erat accepturus (1,32), tamquam alter David in civitate David nasci debuit; ita vaticinatus erat Michaeas (5,2), ita exspectabant principes sacerdotum et scribae populi (Matth. 2,5), ita fieri debere etiam multi ex turba sciebant: nonne Scriptura dicit, quia ex semine David et de Bethlehem castello ubi erat David venit Christus (Ioan. 7,42)? Atque Deus pro sua providentia qua attingit a fine usque in finem fortiter et disponit omnia suaviter, cursum rerum eo direxit modo, ut partus virgineus ederetur in civitate David. Ad quod inservire voluit ipsum imperii romani gubernatorem summum quo clarius constaret omnia subdi divinae dispositioni et ad divina consilia exsequenda omnes debere etiam inscios et nolentes suas conferre partes; v. 1 *factum est autem in illis diebus* (cf. Matth. 3,1), qua dictione sat generali non ipsum nativitatis Ioannis tempus designatur, verum generatim maius comprehenditur temporis spatium, ita ut accurata temporis determinatio evitetur; posset itaque eventus qui eo modo inducitur accidisse vel diu post rem proxime narratam; *exiit edictum a Caesare Augusto ut describeretur universus orbis;* exiit cf. Dan. 2,13. Esth. 1,19; decretum promulgatum est; Augustus constituit, ἀπογράφεσθαι proprie est in tabulas referri et distinguitur ἀπογραφή plerumque ab ἀποτιμήσει; illa vox dicitur de censu provinciarum, haec plerumque de censu civium romanorum, qui a censu vel professione provinciarum erat diversus. Census enim civium romanorum eo tempore non instituebatur ad tributa vel vectigalia exigenda, a quibus illi liberi erant, sed ut constaret quae cuique iura competerent et ut fierent expiationes consuetae (cf. *Wieseler*, Beitraege p. 21); census autem provinciarum potissimum spectabat tributum. Notum est imperium romanum saepius nomine orbis terrarum οἰκουμένη designari; ita v. g. Polybius scribit: Romani exiguo tempore totum terrarum orbem (πᾶσαν τὴν οἰκουμένην) sibi subiecerunt (6,48; 8,4. 2; cf. *Wetstein*); quare ex hoc aliisque loquendi modis colligi videtur eo nomine etiam solas intelligi provincias subiectas.

Iam de rebus ab Augusto gestis ea referuntur ex quibus necessario sequitur Caesarem Augustum praecepisse et ordinasse eiusmodi descriptionem. Praeambula quaedam ad eam fuisse videntur ea quibus initae sunt mensurae regionum et agrorum. Et de illa quidem regionum mensione quae iam incepta est anno 44 a. Ch. et per 24 annos producta, sat multa exstant apud Plinium qui ea ex commentariis Agrippae desumpsit accurate describens quot passus longae lataeque sint regiones baetica, narbonensis; quantum distet Creta a Cyrene, Caulon a Lacinio etc. etc. Agrippa et cum eo divus Augustus, ut Plinius loquitur, orbem terrarum orbi spectandum proposuit (hist. nat. 3,2. 16. 17; cf. *Marquardt*, Handbuch der roemischen Alterth. 3,2 p. 165). Mensuras agrorum descripserunt agrimensores; memoriae proditum est de Balbo mensore qui temporibus Augusti omnium provinciarum et formas civitatum et mensuras compertas in commentariis contulit et legem agrariam per diversitates provinciarum distinxit et declaravit (*Marquardt* l. c.). Sed propius ad rem nostram accedunt quae Tacitus (Annal. 1,11), Suetonius (Aug. 28. 102), Dio Cassius (53,33; 56,33) referunt de rationario vel breviario imperii quod Augustus ipse conscripserat. Et Tacitus quidem in isto libello qui in senatu post Augusti mortem recitatus est haec esse exposita scribit: « opes publicae continebantur; quantum civium sociorumque in armis, quot classes, regna, provinciae, tributa aut vectigalia et necessitates ac largitiones; quae cuncta manu sua perscripserat Augustus ». Iam vero, ut haec omnia haberet Augustus comperta necesse erat inquisivisse accurate in conditionem et vectigalia. Quae inquisitio pro ea cura quam Augustus reditibus imperii et aerario impendere solebat profecto non facta fuit fortuito et in incertum, sed eo modo qui ad census rationem requirebatur.

Porro a nullo negatur actum esse ab Augusto ter censum civium romanorum annis ab u. c. 726. 746. 767; quare si opus esset, orbis terrarum de toto imperio inclusis civibus romanis posset intelligi, quamvis ratio census alia fuerit pro provinciis, alia pro civibus romanis. Pro generali illa acceptione posset adduci Dionysium halic. 4,15 de censu romanorum quoque civium uti verbo ἀπογράφεσθαι; attamen non illo solo; ait enim: ἐκεύλεσεν ἅπαντας Ῥωμαίους ἀπογράφεσθαί τε καὶ τιμᾶσθαι. Certum insuper est censum ab Augusto actum esse in variis provinciis; id quoque *Schürer* concedit qui ceteroquin descriptionem orbis a Luca narratam impugnat; ait enim (Geschichte des jüdischen Volkes im Zeitalter J. Ch. Leipzig 1890 I p. 437): concedere possumus tempore Augusti in multis provinciis censum esse actum; immo postea p. 454 fieri potuisse ait, ut in plerisque provinciis Augustus censum agendum curaverit. Quodsi ita, etiam sane decretum ab Augusto editum est, ut eiusmodi census fierent, et si in plerisque provinciis fiebant, totum imperium Caesarem Augustum voluisse eo modo describi haud immerito dici potest. Nam Lucas solum refert eum constituisse, edidisse edictum, ut totum imperium describeretur. Non addit eam Caesaris voluntatem in omni omnino regione esse exsecutioni mandatam neque Lucas ullo modo dicit uno eodemque tempore censum ubique esse actum. De eius edicti exsecutione nihil aliud refert nisi quod ad Iudaeam spectat.

De censu in aliquibus provinciis acto vide apud Livium, Epitome 134 : census a tribus Galliis quas Caesar pater vicerat actus, et Revue des questions historiques tom. 2 p. 29 seq. et *Friedlieb*, das Leben Jesu Ch. 1887 p. 290. Ad eiusmodi descriptionem referuntur quoque numeri apud Plinium; ita v. g. hist. nat. 3, 3. 28 : « in his sunt Gigurri, Paesici, Lancienses, Zoelae; numerus omnis multitudinis ad CCXL M liberorum capitum » ita de Asturibus in Hispania; eodemque loco : « lucensis conventus populorum est XVI praeter Celticos et Lemavos, liberorum capitum ferme CLXVI M; simili modo Bracarum XXIII civitates CCLXXXV M capitum » etc. (edidit Lud. Janus vol I p. 129); Iosephus quoque refert Aegyptum alere quinquaginta et septingentas myriades hominum praeter Alexandriae incolas, ut coniicere est ex tributo quod in capita singuli pendunt (ὡς ἔνεστιν ἐκ τῆς καθ' ἑκάστην κεφαλὴν εἰσφορᾶς τεκμήρασθαι); cf. *Marquardt* l. c. 3, 2 p. 169. Hisce addi possunt alia quoque testimonia. Apud Cassiodorium (Variarum lib. 3,52; *M.* 69,608) habetur epistola : consulari viro illustri Theodoricus rex, quam epistolam Cassiodorius scripsit et in qua haec leguntur : « Augusti siquidem temporibus orbis romanus agris divisus censuque descriptus est, ut possessio sua nulli haberetur incerta quam pro tributorum susceperat quantitate solvenda. Hoc auctor Hyrummetricus (emendant alii : Hyginus gromaticus, vel solum grumaticus) redegit ad dogma conscriptum, quatenus studiosus legendo possit agnoscere quod deberet oculis absolute monstrare ». Concedit *Schürer* l. c. p. 434 Cassiodorium usum esse scriptis antiquioribus praesertim libris agrimensorum; sed quaerit : quis nos certos reddet eum illud de censu non hausisse ex Luca? Sed ista dubitatio movetur gratuito. Nam verba ipsa non sunt ea quibus Lucas usus est apud quem de *censu* nihil dicitur; neque id cur orbis romanus censu descriptus sit depromptum est ex Luca; demum non Lucam allegat eius rei auctorem sed gromaticum quendam. Neque omnino seponendum est testimonium *Suidae* quamvis sit ex tempore posteriore (10 saeculo p. Ch.); nam refert electos esse ab Augusto viros viginti τοὺς ἀρίστους τὸν βίον καὶ τὸν τρόπον et missos esse ad omnem subditorum τῶν ὑπηκόων terram δι' ὧν ἀπογραφὰς ἐποιήσατο τῶν τε ἀνθρώπων καὶ οὐσιῶν, αὐτάρκη τινὰ προστάξας τῷ δημοσίῳ μοῖραν ἐκ τούτων εἰσφέρεσθαι. Dein pergit utens utique quattuor verbis e Luca : αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο, τῶν πρὸ αὐτοῦ τοῖς κεκτημένοις τί μὴ ἀφαιρουμένων, ὡς εἶναι τοῖς εὐπόροις δημόσιον ἔγκλημα τὸν πλοῦτον (Lexicon, s. v. ἀπογραφή). Contendit quidem *Schürer* esse evidens hoc testimonium dependere a Luca. Sed quam multa affert *Suidas* de quibus nihil apud Lucam? nihil apud eum de 20 viris, neque solam terram *subditorum* esse describendam, nihil de modo descriptionis neque ad quid ordinetur descriptio, nihil demum de ratione qua antea actum sit cum iis qui possessiones habebant, ita ut opulentis divitiae evaderent accusatio publica. Suidam autem res adeo particulares commentum esse, quae ratio probabilis afferri potest? Num, ut narrationi Lucae fidem auctoritatemque conciliaret? At nemo tum temporis eam in quaestionem vocabat. Itaque ex monumentis ea didicisse dicendus est.

Ex iis quae *Aberle* disputat loco quoque ex Strabone (17,25) allegato

satis redditur probabile e re nostra esse quae scripsit Dio Cassius 54, 35 : Αὔγουστος ἀπογραφὰς ἐποιήσατο πάντα τὰ ὑπάρχοντά οἱ καθάπερ τις ἰδιώτης ἀπογραψάμενος καὶ τὴν βουλὴν κατελέξατο. Nam ostendit πάντα τὰ ὑπάρχοντά οἱ non intelligi de palatiis vel villis, sed de provinciis quae speciali modo eius erant et ad quas administrandas ipse mittebat familiares domus suae, equites et libertos tamquam procuratores; unde eo nomine comprehendi Aegyptum, Iudaeam, Kappadociam, Mauretaniam, Pontum (Theol. Quartalschrift, Tübingen 1874 p. 665 seq.), cui sententiae etiam *Marquardt* l. c. p. 169 accedit explicans de omnibus quae Augusto erant subiecta. Et si idem Dio narrat 54,6, Augustum profectum esse in Siciliam, ut eam et omnes alias ad Syriam usque provincias ordinaret (καταστήσασθαι), certe supponere licet descriptione facta tributum quoque ac vectigalia fuisse ordine constituta. Provinciae enim teste Cicerone (in Verrem 2, 3. 7) veluti *praedia* considerabantur; proinde maxima ratio redituum earum habebatur. Neque omittendum est quod ex celebri monumento ancyrano colligitur, quo ipse Augustus res a se gestas recenset; legitur ibi : omnium provinciarum... quibus finitimae fuerunt gentes, quae n..... o fines auxi. Quem locum ita supplent : omnium provinciarum statum ordinavi (alii : censum egi) et earum quibus finitimae fuerunt gentes quae nondum parebant populo romano fines auxi. Ex quo rite concludit *Wieseler* utrocumque modo legatur semper exsistere ibi documentum census communem provinciarum esse habitum tempore Augusti (cf. Synopse p. 92; Beitraege p. 57). Praeterea idem Dio 53, 17 Augusto et generatim imperatoribus ius esse attributum scribit census agendi, ἀπογραφὰς ποιοῦνται, et *Schürer* quoque concedit idem iis etiam fuisse in provinciis senatorias, cum ex iis quoque provinciis certa tributa aerario imperatoris essent solvenda (l. c. p. 436).

Quare cum et de iure et de re facta constet, nullo modo potest merito in dubium vocari quod Luc. 2, 1 refertur. At dicunt : scriptores rerum romanarum de tali edicto plane silent. Ad quod respondendum est 1° sufficit, ut referant census actos in provinciis, ut ea narrent ex quibus pateat census esse habitos; si enim habiti sunt, etiam de edicto et voluntate Caesaris constat; 2° Taciti annales initium ducunt a Tiberio; ergo non mirum est si non omnia de Augusto enarrantur. In libro porro 55 Dionis Cassii ea iniuria temporum perierunt quae res gestas 748-752 u. c. continuerunt. Suetonium autem in vita Octaviani Augusti de tali censu communi et generali non facere mentionem non magis est mirum quam quod neque Livius neque Polybius commemorent *legis actiones*, de quibus tandem Gaii institutionibus edocemur (cf. *Keil*). Ceterum 3° eorum silentium etiam facile explicatur, si census illi non uno eodemque tempore ubique simul habebantur. Quod utique nullo pacto opus est. Si autem habebantur alio tempore in aliis provinciis, cum census haberi non esset res adeo singularis, facile patet cur non de uno decreto generali mentionem iniecerint. — Ceterum verissime dicit *Aberle* Lucam adhiberi a rationalistis multo iniquius quam ullum scriptorem profanum, apud quem si eius decreti mentio fieret nemo rem in quaestionem vocaret (Theol. Quartalschrift 1865 p. 148). Cur itaque Lu-

cae qui omnia diligenti cura inquisivisse se testatur (1, 3) et qui rei narratae exstitit fere aequalis et ab iis qui censum illum obierunt rem accepit, fides denegetur? Est sane iniqua iudicandi ratio!

Utrum illud Caesaris decretum in omnibus imperii romani provinciis sit in opus deductum necne, vel quando sit exsecutioni mandatum, num ubique eodem tempore aut alibi alio, haec evangelista non tangit quippe quae ad sacram historiam minime spectent. Unum ex illo decreto generali affert quod pertinet ad regnum Herodis in quo degebat b. Virgo; v. 2 *haec descriptio prima facta est a praeside Syriae Cyrino*, ἡγεμονεύοντος nota non explicite dici graece eam factam *a* praeside, sed uti legunt *S. Ambr. Aug. Mald.* et codices omnino boni (cf. lect. var.) facta est praeside Syriae Cyrino; *Schegg* vertit aliter : haec descriptio prima erat praesidis Syriae Cyrini vel Cyrini Syriam administrantis. Cum articulus ἡ in codd. melioribus desit, sensus est : ita factum est ut descriptio prima institueretur praeside Cyrino; mentione facta praesidis Syriae iam docet evangelista se loqui non de descriptione universae terrae, sed de descriptione quadam particulari. Eam autem vocans *primam* praeside Cyrino declarat se nosse alteram quoque eodem praeside factam, quae ab eo ἡ ἀπογραφὴ appellatur Act. 5,37 (de qua *Iosephus*, Ant. 18,1. 1) et quae post decem circiter annos habita est. Non itaque dicitur eam primam fuisse omnium in Iudaea sed solum eam primam fuisse praeside Cyrino, ut distinguatur ab altera magis nota quippe qua tumultus non modicus excitabatur. Cum Syria esset provincia imperatoria, praesides eius titulum gerebant legati Caesaris pro praetore, quamvis a rerum scriptoribus etiam proconsules et propraetores vocentur; ἡγεμών in novo testamento et etiam apud Iosephum de procuratore q uoque dicitur (vide quae notavi ad Matth. 27,2 et cf. Act. 23,24; 24,1; 26,30).

Quod hoc loco dicitur, impugnatur ex duplice capite. Et primo quidem quia etsi decretum Augusti esset editum, eiusmodi descriptio non potuisset extendi ad Palaestinam quippe quae Herodi regi socio esset attributa (*Schürer* l. c. p. 439; *Weiss*); dein quia Cyrinus ante Iesu nativitatem non fuit praeses Syriae. Haec duo igitur discutienda sunt. Profecto ei qui considerat quando Lucas scripserit et quam accurate se profiteatur in singula inquisivisse, plane persuasum est rem ita se habere ut evangelista narrat. Sed cum ea quoque in re eius auctoritas in dubium vocetur vel omnino negetur necesse est ea diluere quae obiiciuntur.

Et primo quidem falsum est quod *Schürer* obiicit Herodem fuisse regem socium eo tempore. Nam Herodes qui a partibus steterat Antonii eo devicto

post pugnam ad Actium factam iam non erat rex socius, sed rex restitutus i. e. regnum suum debuit gratiae et amicitiae Caesaris Octaviani Augusti. Omnes enim reges qui Antonium adiuverant si iis regna reddebantur ab Augusto in ordinem regum restitutorum redigebantur (cf. *Sueton.* Octav. 48). Herodes quoque Rhodum ad Caesarem victorem magnis itineribus contenderat et ubi in urbem pervenerat diadema deposuerat, quod ei postquam apte suam tuitus est causam Octavianus rursum imposuit eumque inter amicos recepit (cf. *Iosephus*, Ant. 15,6. 6 et 7). Ex eo tempore Herodes erat rex non iure proprio, uti erant reges socii, sed solum titulo amici Caesaris et quidquid possidebat, ex sola gratia Caesaris possidebat. Quodsi haec amicitia Caesaris desiit (et Appiano teste ὀλίγη πρόφασις ad id sufficiebat, b. Mithr. 121), etiam id quod ei concessum erat amisit et de eo Caesar pro arbitrio disponebat. De qua re bene tractat *Aberle* (l. c. 1874 p. 668) quem *Keil* secutus est. Uti *Aberle* notat, eiusmodi rei conditio vocabatur fiducia cum amico contracta vel fiducia amicitiae causa. Verum id iuris erat ut Caesar quandocumque libuisset regnum tali amico auferre posset. Unde quamvis Herodes esset rex et regis instar in sua ditione agere posset, tamen revera ratione habita Caesaris non erat nisi *procurator* Caesaris, sicuti Iosephus narrat eum a Caesare esse constitutum procuratorem ἐπίτροπον Syriae (Bell. iud. 1,20. 4; cf. Ant. 15,10. 3). Reges illi amici, vel uti quoque appellabantur, socii non aequo foedere, generatim censebantur procuratores Caesaris; cf. Sallustius, Iug. 40 : « Micipsa pater meus moriens praecepit, uti regnum Numidiae tantummodo *procuratione* meum existumarem, ceterum ius et imperium apud vos esse » (cf. *Marquardt* l. c. 3,1 p. 180; *Wieseler*, Beitraege p. 89). Eiusmodi reges vocantur apud Strabonem ὑπήκοοι, inservientes apud Tacitum, apud Sallustium in fide et clientela, quibus omnibus conditio subditorum clare enuntiatur (*Schegg*).

Atque Herodem omnino obnoxium fuisse imperio Augusti aliis quoque documentis elucet. Iudaei debebant iurare se Caesaris regisque rebus fauturos esse (Ant. 17,2. 4) idque iuramentum praestitum erat, uti videtur, tempore quo Sentius Saturninus praeses erat Syriae (744-748 u. c. cf. Ant. 17,3. 2 et 17,5. 2). Uti *Schürer* quoque concedit, non inveniuntur nummi ab Herode cusi nisi aerei (l. c. p. 332; *Wieseler* l. c. p. 83); quare ei non concedebatur ius cudendi nummos aureos et argenteos, id quod documento est eum fuisse nullatenus sui iuris, verum Caesari subiectum. Ad quod accedit quod iudaici nummi Augusti reperti sunt qui cudebantur annis 30. 33. 35 i. e. antequam Iudaea in formam provinciae romanae redigebatur; iamvero qui in aliqua regione nummos cudendi ius habebat eo ipso manifestabat et profitebatur eius regionis dominium penes se esse; vide quae notavi ad Matth. 22,20; Marc. 12,16; vide quoque *Marquardt* l. c. 3,2 p. 175. Porro Herodes etiam suam subiectionem profitebatur veneratione illa qua Augustum et Romam prosequebatur; instituit enim in honorem Caesaris pugilum ludos quinquennales (certamen musicum, et ludos gymnicos indixit; gladiatorum magnum numerum et ferarum praeparavit cursusque equorum, Ant. 16,5,1), theatrum aedificavit in urbe et in campo maximo

amphitheatrum; immo Augusto dedicavit templa Samariae et Paneade et Caesareae (ubi posuit statuam Augusti tamquam Iovis olympiaci et statuam Romae tamquam Iunonis); et *Iosephus* generatim narrat eum regiones et urbes extra Iudaeam templis et simulacris instruxisse et ornasse et apud Iudaeos id indigne ferentes se purgasse quod non sua sponte sed ex iussu et mandato haec faceret (Ant. 15,9. 5. 6; 15,10. 3; 16,5. 1. Bell. iud. 1,21. 3-8).

Dein in quantum eius potestas gratia Caesaris constituerctur, inde quoque elucet, quod venia petenda erat a Caesare ut ei liceret in filios rebelles animadvertere; eorum causa acta est Saturnino, viro consulari et tribus eius filiis primum dicentibus sententiam (Ant. 16,11. 1-7. Bell. iud. 1,27. 1-6). Etiam Antipater, Herodis filius, consedente in iudicio Varo ab Herode accusatus est et Herodes de eo litteras misit Romam ad Caesarem et una homines qui eum verbis de Antipatri malitia docerent, et secundo quoque legatos et litteras ad Caesarem misit ad filium accusandum (Ant. 17,5. 3-8. Bell. iud. 1,32. 1-7). Atque testamentum quoque Herodis debuit ut vim obtineret auctoritate Caesaris confirmari, id quod Archelaus conscenso suggestu sublimis in aurea sella residens palam coram conferta populi multitudine edixit; neque enim testamentum poterat esse ratum nisi prius inspectum esset a Caesare. Atque Archelaus testamentum Caesari misit et Ptolemaeum herodianae pecuniae rationes sigillumque ferentem; demum Archelaus ipse ad Caesaris pedes se abiecit et ipse et Antipas suam quisque causam coram Caesare agebat (Ant. 17,8. 2. 4; 17,9. 3-6. Bell. iud. 2,2. 1-6).

Terram iudaicam Caesari fuisse subiectam documento quoque est sacrificium quotidianum quod teste Philone (legat. ad Cai. 36. 40) pro Augusto in templo offerebatur; nam eo modo Iudaei eum agnoscebant qui erat dominus regionis (cf. Esdr. 6,9. Bell. iud. 2,17. 2; *Wieseler* l. c. p. 92). Aliud eiusdem subiectionis documentum continetur tributo quod Herodes Caesari solvebat. Iudaea enim iam a Pompeio vectigalis facta est Romanis (Ant. 14, 4. 4) et *Iosephus* distincte refert quae tributa Caius Caesar solvenda imposuerit (Ant. 14, 10. 5. 6) neque ullo verbulo commemorat Herodem liberatum esse a tributo quo imposito ab Antonio rex erat constitutus (*Appianus*, Bell. civ. 5,75). Verum si Antonius a cuius partibus Herodes stetit ei tributum imposuit, sane incredibile videtur illud tributum ab Augusto, cuius fuit adversarius et qui sola gratia ei regnum restituit, Herodi fuisse donatum; incredibile pariter est Iosephum id quod ad gloriam Iudaeorum maxime spectasset silentio praeteriisse postquam tributa a Pompeio et Caio Caesari imperata diligenter recitavit (cf. Studien und Kritiken 1875 p. 541 seq.; *Vigouroux*, Le nouveau Testament et les découvertes archéologiques modernes, Paris 1890 p. 95 seq.). Praeterea quantum Herodes a voluntate nutuque Romanorum penderet, constabat quoque, cum eius ditio a latronibus infestaretur receptum et praesidium iis praestante Syllaeo, Arabum duce. Primo enim re cum Saturnino et Volumnio Caesaris ducibus (ἡγεμόσιν) collata latrones ad supplicium depoposcit; postea iisdem ducibus permittentibus, ut contumaces etiam armis persequeretur, bellum movit.

Quod cum Augusto esset delatum duxisse Herodem exercitum, ira exarsit scripsitque acerbius Herodi et inter alia haec erat teste Iosepho litterarum summa : se eum aliquando in amicis habuisse, nunc pro servo habiturum, ὅτι πάλαι χρώμενος αὐτῷ φίλῳ, νῦν ὑπηκόῳ χρήσεται (Ant. 16,9. 1-3). Et prior legatio quam Herodes ad se purgandum Romam misit ne audita quidem ab Augusto est et etiam cum legati iterum venirent re infecta remissi sunt. Mittit dein Herodes litteras cum muneribus et in his auream coronam multa talenta pendentem; Caesar vero ne hos quidem legatos audire dignatus est, sed nullo accepto dono remisit. Interea Herodes Caesarem habens iratum omnes contumelias ab hostibus illatas perpeti cogebatur et cum nullum finem videret malorum, Romam iterum mittere decrevit, si quid aequius amicorum gratia et precibus apud Caesarem posset obtinere. Cui demum legationi a Nicolao damasceno susceptae res melius cessit (Ant. 16,9. 4; 16,10. 8. 9).

Quae cum ita se haberent, apparet non posse consistere quod *Schürer, Reuss* aliique affirmant Herodem regem ita fuisse sui iuris, ut Augustus eum descriptionem facere non potuerit iubere. Atque descriptionem factam esse Herode rege, inde iam colligere licet, quod mortuo Herode Iosephus accurate recensere potest quos reditus singulae regni eius partes afferant; ita Peraea et Galilaea quotannis pensitabant ducenta talenta; Batanaea, Trachonitis, Auranitis centum etc. (cf. Ant. 17,11. 4). Neque putari potest omni destitui auctoritate quod *S. Iustinus* in prima sua apologia πρὸς Ἀντωνῖνον τὸν εὐσεβῆ Romanis dicit, Christum natum esse Bethlehem, « quemadmodum etiam discere potestis ex descriptionibus quae sub Cyrenio primo vestro in Iudaea praeside (ἐπιτρόπου) confectae sunt » (Ap. 1,34; *M.* 6,384); scribit enim ad imperatores, et cum eos remittat ad ἀπογραφάς, eiusmodi tabulas Romae praesto fuisse necessario supponit neque assumi potest eum temere et non sine periculo documenta appellare quae nullibi possent reperiri. Accedit quod *Tertullianus* quoque censum Augusti vocat testem fidelissimum dominicae nativitatis quem romana archiva custodiunt (c. Marc. 4,7; *M.* 2,370); neque dici potest Tertullianum id coniectura dixisse ex Lucae narratione; nam scribit (c. Marc. 4,19; *M.* 2,405) : « sed et census constat actos sub Augusto nunc in Iudaea per Sentium Saturninum apud quos genus eius inquirere potuissent ». Ita loquitur confidenter contra adversarios; deinde censum esse actum per Saturninum, non hausit e Luca; unde igitur rem proponit quae videtur contraria narrationi evangelicae? Certe censendus est eius rei documentum fidum cognovisse et cum antea adeo fidenter asseruerit censum Augusti custodiri romanis archivis, ex iis quoque Saturninum didicisse non erit improbabile.

Unde praeter Lucae testimonium (quod gravissimum est et solum iam sufficit) sat multa in medium proferri possunt ex quibus conficitur Augustum et potuisse Herodi imponere ut census ageretur in Iudaea et revera censum habitum esse.

Iam ad alterum quod obiicitur transeamus, fieri non posse ut descriptio haberetur ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου. Quae utique quaestio difficilior

est atque obscurior priore. Sed nihilominus quae obiiciuntur satis possunt dilui. Primo enim constat et ab omnibus admittitur, Cyrinum, vel (ut proprie vocatur) P. Sulpicium Quirinium, in partibus orientis et Syriae fuisse et celebritate haud mediocri notum fuisse diu antequam anno 759 u. c. eam Syriae administrationem suscepit de qua Iosephus loquitur (Ant. 17,13. 5; 18,1. 1; 2,1). Nam, ut Tacitus refert, consulatum sub divo Augusto, mox expugnatis per Ciliciam Homonadensium castellis insignia triumphi adeptus datusque rector Gaio Caesari Armeniam obtinenti (Annal. 3,48). Sed consulatum gessit anno 12 a. Ch.; post consulatam et antequam rector esset iuventutis Gaio Caesari (anno 3 p. Ch.) Homonadensis devicit. Iam ex eo quod bellum gessit contra eos sat multi concludunt eum fuisse eo tempore praesidem Syriae, cum lege romana expeditio militaris esset suscipienda a praeside illius provinciae, in qua bellum erat gerendum. Iam Homonadenses, incolae Tauri montium, probabilissime accensebantur ad Ciliciam partem Syriae provinciae (— de provinciis Asiae, Pamphiliae, Galatiae nequit cogitari, quippe quae non habebant legiones, ita ut earum praesides bella gerere non possent —), et proin cum Quirinius iis arma inferret, praeses erat Syriae provinciae. De qua re vide *Zumpt*, Comment. epigr. II, 90-98; Das Geburtsjahr Christi p. 43-62, Revue des qu. hist. II p. 22; *Schürer* l. c. p. 260; *Vigouroux* l. c. p. 117; *Friedlieb* p. 292; *Bisp. Schanz*, *Cornely*, Introd. III p. 157.

Quirinium itaque praesidem Syriae esse statuunt ab anno 750 u. c. usque ad 753; cui sententiae omnino congruit quod pro eo tempore (i. e. post Varum et usque ad annum 753) nullus Syriae praeses alius monumentis nobis servatus est. Verum in ea quoque sententia id difficultatis restat, quod Varus usque ad mortem Herodis, immo etiam aliquo tempore post eius mortem munere suo functus est; proinde Quirinius eo tempore quo Iesus natus est nondum erat Syriae legatus. Varum autem etiam mortuo Herode in Syria magistratum gessisse et, ut *Iosephus* dicit, Συρίας στρατηγόν (Ant. 17, 10. 1) fuisse, indubium redditur ex testimoniis et Iosephi et Taciti. Et Iosephus quidem varia narrat a Varo eo tempore gesta Ant. 17,9. 3; 17, 10. 1. 9-10; 17,11. 1. Bell. iud. 2,3. 1 seq. 2,5. 1 seq.; Tacitus autem narrat (Hist. 5,9) : « post mortem Herodis Simo quidam nihil exspectato Caesare regium nomen invaserat; is a Quintilio Varo obtinente Syriam punitus » (de quo Simone narrat Iosephus Ant. 17,10. 6). In hac itaque sententia fatendum est descriptionem nominari ab eo a quo ad finem perducta est; neque id mirum videri potest; dicit enim Lucas eam fuisse *primam* Cyrino praeside. Nominavit Cyrinum quia ille magis notus erat, cum et postmodum legatione fungeretur in Syria et censum perageret in Iudaea. Neque ex modo narrationis necessario sequitur eo tempore ascendisse Iosephum et b. Virginem in Bethlehem quo Cyrinus esset praeses. Porro notandum est facillime fieri potuisse, ut illa descriptio apud populum nomen haberet ab eo sub quo illa absoluta erat, praesertim quia idem postea alterum censum egit. Unde etsi non tota eo praeside peracta est, nihil relinqui potest admirationis quod prima Cyrini praesidis appellatur.

Verum sunt qui Quirinium bis legatum Syriae fuisse solum incertis coniecturis affirmari contendant. Ita v. g. *Kellner* (Zeitschrift f. kath. Theologie, Innsbruck 1888 p. 477). Quodsi eam sententiam amplecti volueris, dicere poteris cum *Kellner*, Quirinium qui iam muneribus functus esset in oriente et Syriam bene cognitam haberet omnino idoneum fuisse cui census agendi cura ea in regione demandaretur. Quam sententiam ita alii enuntiant, ut dicant Quirinium cum imperio extraordinario in eam regionem missum esse ad censum habendum. Neque id improbabile dici potest. Nam ad census peragendos mittebantur legati Caesaris censuum accipiendorum (vel ad census accipiendos, a censibus accipiendis), censitores. Eiusmodi legati munere suo fungebantur auctoritate propria a Caesare accepta. Huius explicationis fautores vide apud *Vigouroux* l. c. p. 105. Verum ea in opinione non satis apparet cur τῆς Συρίας apponatur (id quidem syr hr omittit). Quare videtur addendum Quirinium praesidi Syriae fuisse adiunctum tamquam eius legatum et quaestorem, eo fere modo quo Ant. 16,9. 1. 2 sermo est de Saturnino et Volumnio ἡγεμόσιν, quo Ant. 17,9. 3 mentio fit praeter Varum Sabini, Caesaris in Syria rerum procuratoris ἐπιτρόπου; eadem ratione dicuntur ἡγεμόνες Bell. iud. 1,27. 2 et Ant. 16,9. 1 Saturninus et Volumnius vocantur οἱ Συρίας ἐπιστατοῦντες, similiter Ant. 16,10. 9 ἡγεμόνες et Bell. iud. 1,27. 2 Volumnius etiam appellatur ἐπίτροπος procurator. Unde modo haud absimili Quirinius dici potest τῆς Συρίας ἡγεμονεύων, etsi Varo additus erat ut legatus et quaestor cui munus habendi censum incumberet (cf. *Patritius*, de evangeliis diss. XVIII cap. 2 n. 16).

Ei autem descriptioni in Iudaea suam quoque curam impendisse Quirinium suadetur tum narratione Lucae tum quia, etsi Herodes erat rex, tamen more Romanorum ei addi poterat magistratus romanus ad negotia quaedam peragenda. Ita Archelao, regi Cappadociae, additus erat ab Augusto procurator romanus (Dio 57,17; cf. *Marquardt* l. c. 3,1 p. 158). Et quomodo reges quoque auctoritati praesidis Syriae cederent et obedirent, ostensum est quando Marsus Syriae praeses venit ad Agrippam qui quinque reges apud se multa magnificentia exceperat. Marsus enim cui eorum concordia suspecta esset imperavit, ut sine mora domum quisque suam discederet (Ant. 19,8. 1). Cum Tertullianus (c. Marc. 4,19) Sentii Saturnini mentionem faciat per quem census actus sit, dicendum erit Saturninum eius negotii quoque administrum fuisse et adiutorem. Cum enim tabulae descriptionis essent conficiendae multis in locis, complures huic negotio fuisse praefectos nemo negare poterit[1]. Quis ille Sentius Saturninus fuerit, cum Tertullianus praenomen non adiungat, determinari nequit. Quare dici nequit eum fuisse C. Sentium Saturninum Syriae legatum Caesaris proconsulari potestate (9-6 a. Ch.; cf. *Kellner* l. c. p. 472).

Duobus itaque modis explicari potest quod Lucas dicit; neuter modus est improbabilis; uter autem verus sit quis certo affirmare audebit?

1. Notum est ex vetere inscriptione Quintum Aemilium Secundum iussu Quirinii censum egisse Apamenae civitatis; cf. Civiltà cattolica XI, 5 p. 716; *Vigouroux* l. c. p. 108.

Nodum alii aliter solvere conabantur. Cum enim sibi persuasissent Quirinium semel dumtaxat ordinaria cum potestate legati pro praetore Syriae praefectum esse ab Augusto et tum solum ab eo descriptionem Iudaeae esse habitam, cum Archelao Herodis filio tetrarcha in exsilium pulso ab Augusto ipsam regionem in provinciae formam redigendi censendique cura ei esset demandata (Ant. 17,13. 5; 18,1. 1), eandem sententiam verbis Lucae imponere omni conatu studebant. Et alii quidem alio modo id tentabant. Aliqui totum versiculum ut interpolatum reiecerunt; alii coniecturis ei mederi volebant legentes pro Κυρηνίου vel Κυιντιλίου vel Κρονίου (i. e. Saturnini) vel Σατουρνίνου, vel πρώτη ἐγένετο πρὸ τῆς ἡγεμονεύοντος etc. (cf. *Weiss*). Alii verba quidem retinent eadem; at aliter ea explicant; ita *Ebrard :* ipsa ἀπογραφή tamquam prima fiebat praeside Quirinio (Wissenschaftliche Kritik der evang. Geschichte p. 177, Erlangen 1850), et rem ita intelligit ut prius solum numerus incolarum eorumque redituum in tabulas sit relatus, ipse vero census postmodum sit actus, ad quem censum demum verba Lucae spectent; similiter *Godet :* ipsa illa descriptio prima postea habita est sub Quirinio, quando Iudaea iam Syriae provinciae erat attributa. Quam explicationem non posse admitti iam eo elucet quia ἀπογραφή non potest alio sensu accipi quam ἀπογράφεσθαι v. 1 et 5. Si id Lucas voluisset, debuit censum designare voce propria ἀποτίμησις, dein cur hoc loco id insereret quod ad narrationem minime spectaret? Alii iique non pauci notarunt πρῶτος quandoque adhiberi eo modo quo πρότερος; unde verti posse : haec descriptio facta est prior quam Cyrinus erat Syriae praeses (cf Civiltà l. c. p. 223. 726, ubi haec interpretatio approbatur enumeratis eius patronis compluribus; alios patronos recitat *Vigouroux* l. c. p. 106; Revue des qu. hist. II p. 59). Multo studio eam interpretationem defendit *Wieseler* (Chronologische Synopse p. 116 seq., Beitraege p. 26 seq., Studien und Kritiken 1875 p. 546 seq.) et viros linguae graecae peritissimos, Schoemann, Curtius, Ewald, secum omnino sentire neque ex natura et indole linguae quidquam obstare iisdem iudicibus affirmat. Ad quam interpretationem demonstrandam varia quoque congessit exempla, quorum unum ex melioribus est illud Platonis : Λακεδαιμόνιοι ὕστεροι ἀφίκοντο τῆς ἐν Μαραθῶνι μάχης γενομένης μίᾳ ἡμέρᾳ et illud ex Iosepho, Ant. 2,15. 2 τῆς Ἰακώβου μεταναστάσεως εἰς τὴν Αἴγυπτον γενομένης ὕστερον. Verum quidem est πρῶτος quandoque adhiberi cum genetivo πρῶτός τινος prior aliquo; ita Ioan. 1,15. 30; 15,18. Sed eo sensu nunquam apud Lucam et certe fatendum esset, si dicere voluisset : prius quam Cyrinus praeses erat, eum selecturum fuisse modum loquendi plane ambiguum, ne dicam quo omnes in errorem inducti sunt, donec difficultas ex ratione temporis mota est. Et tamen Lucas laudatur propter dicendi genus perspicuum, et qua erat linguae graecae peritia, certo nitide et clare expressisset, si illud intelligi voluisset.

Narrationem Lucae etiam eo falsam esse probare volunt quod Iosephus de ea descriptione plane taceat (*Schürer* l. c. p. 443). Praeclarum profecto argumentum! quasi non omnibus notum esset alia quoque eaque multo graviora ab eo premi silentio; vide quae notavi in Comment. Matth. I p. 106 nota 1. Haec descriptio facta est more apud Iudaeos usitato. Alterius autem mentionem facere omitti non poterat, quia cum more romano census ageretur tumultus et seditio oriebatur. Simile enim apud Iudaeos accidit quod Tacitus narrat de Clitarum natione Cappadoci Archelao subiecta quae « quia *nostrum in modum* deferre census, pati tributa adigebatur » (Annal. 6, 41) id aegerrime tulit et in iuga Tauri montis abscessit et locorum ingenio sese contra regis copias tutabatur. Qui sese illi censui opponebant dictitabant censum illum nihil minus secum afferre quam manifestam servitutem, et ita populum ad rebellionem concitabant (Ant. 18,1. 1). Et quomodo Iosephus etiam res sibi valde notas non semper commemoret, exemplo nobis est ipse hic census, quem in suo opere priore de

bello iudaico minime commemorat, quamvis narret de Coponio (qui simul cum Quirinio missus erat ad censum agendum, Ant. 18,1. 1) et de Iuda Galilaeo qui ignavos dicebat si Romanis tributum pendere sustinerent (Bell. iud. 2,8. 1). Ceterum vide *Wieseler*, Synopse p. 98; Beitraege p. 95; *Aberle*, Theol. Quartalschrift 1874 p. 672.

Cum Lucas eam descriptionem vocet *primam* ratione habita alterius in Iudaea factae, de qua Act. 5,37, etiam clarum est eum in v. 2 solum loqui de descriptione in eadem regione Iudaeorum, quare v. 3 *et ibant omnes*, non extendi oportet ad Syriam (ut *Schanz* vult), *ut profiterentur, singuli in suam civitatem;* descriptio facta est more Iudaeorum secundum tribus et familias. Stemmata autem tabulis publicis fuisse consignata, patet ex Esdr. 2,59. 62, patet ex ipsa genealogia in evangelio Matthaei et Lucae recitata, et *Iosephus* quoque affirmat se generis sui successionem in tabulas publicas relatam invenisse (Vita 1) ἐν ταῖς δημοσίαις δέλτοις. Per se manifestum est singulari cura genus sacerdotum et familiae David esse in tabulis consignatum (cf. *Iosephus*, c. Apion. 1,7). Caesar Augustus foederatis uti maiorum suorum institutis permisit (τῷ πατρίῳ τρόπῳ ἀεὶ ἄρχεσθαι, Dio 54,9) atque in universum notum est Romanos solitos esse parcere institutionibus, legibus, moribus, consuetudinibus populorum (cf. *Marquardt* l. c. 3,1 p. 265); quid sibi velit *in suam civitatem*, declaratur exemplo Ioseph v. 4 *ascendit autem et Ioseph a Galilaea de civitate Nazareth in Iudaeam in civitatem David quae vocatur Bethlehem, eo quod esset de domo et familia David;* ascendere, uti עלה, significat ire ad locum sive natura ac situ, sive dignitate eminentiorem (*Patritius*); uti ex libro Ruth discimus, progenitores David vivebant in Bethlehem, ibi vivebat eius pater Isai (1 Reg. 16,4), ibi unctus est David iuvenis a Samuel et directus est Spiritus Domini in die illa in David et deinceps (1 Reg. 16,13; cf. 17,12. 15) et iam 1 Reg. 20,6 dicitur Bethlehem civitas David; πατριά apud LXX saepius ponitur pro משפחה familia (Ex. 6,15. Lev. 25,10. Deut. 29,17) sed etiam pro בית אבות Num. 1,18. Tribus enim Israel quae a filiis Iacob nominantur dividebantur in cognationes, cognationes in domos patrum, domus patrum autem in familias (cf. Ios. 7,14 seq.) vel viros; ita Ios. 7,16 seq. ex tribu Iuda inventa est cognatio (familia) Zare, ex ea domus Zabdi, ex domo Zabdi divisa in viros inventus est Achan. Ioseph erat ex domo David i. e. ex familia quae a David descendit, et ἐξ πατριᾶς et pertinebat ad eandem domum patrum vel cognationem.

Ascendit autem v. 5 *ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore praegnante;* cum dicatur ἀπογραφή, ἀπογράψασθαι, census hic videtur fuisse census capitum et numeratio populi, qui census capitum praeprimis inserviebat ad tributum capitis exigendum (*Wieseler*,

Synopse p. 107, *Zumpt*). Ad quid referendum sit *cum Maria,* disceptant; alii referunt ad *ascendit* (*Mald. Schanz, Weiss*) neque obstat quod plura in medio sunt inserta; ea enim necessario requiruntur ad iter Ioseph bethlehemiticum declarandum. Quare etiam dicunt Mariam propter descriptionem non debuisse ascendere (*Schegg, Schanz, Ed.*); rationem autem cur Ioseph eam comitem habere voluerit indicari eius conditione utpote gravidae, vel eam ascendisse simul ex singulari impulsu Spiritus sancti. Alii opinabantur propter tributum capitis mulieres quoque debuisse se sistere ad descriptionem (cf. *Wieseler,* Beitraege p. 47) vel Mariam debuisse ascendere et profiteri quippe quae esset filia heres. Res itaque in incerto erit relinquenda. Ad censum qui romano modo habebatur mulieres non se debebant sistere; in vetere quoque testamento si quando populus numerabatur, mulierum non habebatur ratio. Alter census qui post decem fere annos habitus est appellatur a Iosepho ἀποτίμησις τῶν οὐσιῶν (cf. Ant. 18,1. 1); quare ex nominis quoque diversitate colligi potest hanc descriptionem non fuisse censum facultatum. Quod autem *Schürer* (l. c. p. 437) obiicit censu romano non potuisse Ioseph induci ad iter bethlehemiticum, verum esset si census ille more ac modo Romanorum esset actus. At nemo potest probare Romanos non permisisse Herodi eum modum quem Lucas indicat scil. modum Iudaeis usitatum, praesertim cum Romani consuetudinum et institutionum variarum gentium prudenter rationem habere solerent.

Dicitur Maria *desponsata* (*uxor*), ut uxorem virginem et conceptum designaret virgineum (*S. Cyr. Cai.*); recte potest addi uxor, quia verum exsistebat inter Ioseph et Mariam matrimonium; v. 6 *factum est autem cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret,* cui danda erat sedes David patris eius, is in civitate David, ut alter David, nasci debuit. Uti David ex conditione humili et obscura ad regnum a Deo evectus est, eodem modo Iesus qui a prophetis David est appellatus (Os. 3,5. Ez. 34,23) non in urbe regia nascitur, sed in viculo, qui sua obscuritate optime adumbrat tabernaculum David quod decidit (Am. 9,11) et truncum illum sub terra absconditum qui de sublimi cedro relictus est (cf. Is. 11,1. Ez. 17,3. 9) v. 7 *et peperit filium suum primogenitum,* de primogenito vide quae notavi in Comment. Matth. I p. 69; *et pannis eum involvit et reclinavit eum in praesepio, quia non erat eis locus in diversorio;* ob multitudinem eorum qui descriptionis causa affluxerant non erat iis locus in publico hospitio; « haec ut opinor potissima fuit causa, sed altera etiam fuit summa et omnibus odiosa paupertas; nam si divites fuissent, non dubito quin iis locus non fuisset defuturus; quo enim pecunia non penetrat » (*Mald.*)? neque ultimi omnium advenerant,

quam causam alii afferunt; indicatur enim v. 6 satis clare per aliquot dies antequam Maria pareret ibi fuisse (*Mald.*). Si cum textu recepto legendum esset ἐν τῇ φάτνῃ (vid. lect. var.), intelligi posset Mariam devertisse in parte inferiore hospitii, in qua iumenta commorabantur. Superior enim pars domuum in Palaestina incoli solet ab hominibus, inferior animalibus reservatur. Et ita aliqui rem concipiunt[1]. Ex voce ἐν φάτνῃ certum est Iesum in aliquo stabulo esse natum. Et antiquissima et certa traditio est eum esse natum in aliquo specu prope Bethlehem. Sunt prope vicum complures specus qui stabulorum loco inserviebant pastoribus. In eiusmodi specu Iesum esse natum iam tradit *S. Iustinus* (c. Tryph. 78; *M.* 6,657 ἐν σπηλαίῳ τινι); eam speluncam monstrari in Bethlehem asserit *Origenes :* « atque hoc in locis illis pervulgatum est atque etiam apud fidei hostes celebratum, in illa spelunca natum esse eum quem Christiani adorant et admirantur Iesum » (c. Celsum 1,51; *M.* 11,756) et Eusebius narrat a Constantino templum esse dedicatum πρὸς τῷ τῆς γεννήσεως ἄντρῳ (Vita Const. 3,43; *M.* 20, 1101) atque in demonstratione ev. (7,22; *M.* 22,540)[2] affirmat a Bethlehemiticis eum locum demonstrari ex traditione a maioribus accepta (ὡς ἐκ πατέρων εἰς αὐτοὺς κατελθούσης παραδόσεως); in specu natum esse Iesum etiam legitur in apocryphis, in protoevangelio Iacobi cap. 18 et in Pseudo-Matthaei evangelio cap. 13,2 (cf. *Tischendorf*, evangelia apocrypha p. 32. 74); idem indicat *S. Hieronymus* (ep. 46,10 et 108,10; *M.* 22,490. 884), et specus ille peregrinantium frequentia et pietate debito honore colitur.

Virgo beata Iesum peperit sine dolore. Ita iam explicite docet *S. Zeno*, de nativ. serm. 2; *M.* 11, 413; item *S. Ambrosius*, in Ps. 47 n. 11; *M.* 14, 1150; nam postquam n. 10 saepius dixit parturire coniungi cum doloribus allegans Ps. 47, 7 et Gal. 4, 19 et Ioan. 16, 21, scribit : « ideo eum Maria non parturivit, sed peperit, quia et Dominum et salutare sciebat ex se esse generandum, sicut ipsa testatur dicens : magnificat anima mea Dominum et laetatus est spiritus meus in Deo salutari meo »; idem affirmat *S. Gregorius naz.* in carmine de Christo patiente v. 63. 64. 70; *M.* 38, 142 et eodem modo docet *S. Gregorius nyss.* or. 1 de resurrectione : ἀπόνως γέγονεν ἡ ὠδίς, *M.* 46, 604; item *S. Ioannes damascenus* de fid. orth. 4, 14; *M.* 94, 1160 ἀνωδίνως. Ad quam doctrinam commendandam etiam ea valent quae *S. Augustinus* habet c. Faust. 29, 4; ea clare affirmatur a *Venantio Fortunato*, Miscell. lib. 8 cap. 7; *M.* 88, 282 : nec pariendo doles; item a *S. Petro Damiano*,

1. Ita *Tristram* (Land of Israel p. 72) : « his earthly parents were compelled to take refuge in some poor cottage and they were not received in the upper platform, but were left below in the portion usually allotted to the cattle ».

2. Verum ibi mendose legitur τοῦ ἄγρου δείξεως pro τοῦ ἄντρου, quod mendum in versione latina etiam habetur.

serm. 3 de nativitate Mariae, *M.* 144, 760; a *Ruperto*, abbate tuitiensi, lib. 13 in Ioan. ad 19, 25; *M.* 169, 789; pariter idem affirmatur in sermone de nativitate, qui olim S. Cypriano adscribebatur (in editione opp. S. Cypr. Parisiis 1726 p. LXXX) et in sermone 194 in appendice opp. S. Augustini (olim s. 18 de sanctis) *M.* 39, 2105, et in homilia 4 de laudibus Mariae apud *Amedium*, *M.* 188, 1319 etc.

Eadem doctrina tamquam communis et certa traditur a theologis; et profecto convenientissimum erat et dignitati prolis et sanctitati matris, ut mater Christi non subiaceret maledictioni illi in Evam peccatricem dictae : in dolore paries. Ceterum vide *S. Thom.* p. 3 qu. 35 art. 6 et *Suarez* disp. 13 sect. 2 in eam quaestionem S. Thomae; praeterea *Salm.* t. 3 tract. 33; *Tol. Mald. Lap. Sylv.* lib. 2 cap. 1 qu. 5, et frequenter ex eo etiam arguunt praeter alias rationes graviores quod ipsa infantulum pannis involvit et reclinavit in praesepio, quae tamen ratio non nimis urgeatur necesse est, cum mulieres in regionibus calidioribus multo facilius parere dicantur. — Maxime admiranda est Iesu mundum ingredientis humilitas, paupertas, patientia. Iam nos docet quibus armis expugnandi sint animi hostes; propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis, ut ait apostolus (2 Cor. 8, 9). Frequenter meditari solent veteres Iesum natum in Bethlehem i. e. in domo panis; ita *Beda* : « locus in quo Dominus nasceretur domus panis ante vocatus est, quia futurum profecto erat ut ille ibi per materiam carnis appareret qui electorum mentes interna satietate reficeret et ipse est qui ait : ego sum panis vivus qui de coelo descendi ». Porro plurima sunt in hoc mysterio quae non tam explicatione quam contemplatione et consideratione indigent. Inter alia v. g. haec habet *S. Ambr.* : « ille igitur parvulus, ille infantulus fuit, ut tu vir possis esse perfectus; ille involutus in pannis, ut tu mortis laqueis sis absolutus; ille in praesepibus, ut tu in altaribus; ille in terris ut tu in coelis; ille alium locum in eo diversorio non habuit, ut tu plures haberes in coelestibus sedibus mansiones. Meum ergo paupertas illa patrimonium est (cf. 2 Cor. 8, 9), et infirmitas Domini mea est virtus; maluit sibi egere, ut omnibus abundaret; me illius infantiae vagientis abluunt fletus, mea lacrymae illae delicta laverunt. Plus igitur, Domine Iesu, iniuriis tuis debeo quod redemptus sum, quam operibus quod creatus sum. Non prodesset nasci, nisi redimi profuisset ». Neque ab eiusmodi considerationibus seiungenda est ipsa b. Virgo quae ingenti gaudio filiolum excepit neque b. Ioseph qui divinorum mysteriorum testis et adiutor est electus.

Uti de anno nativitatis Christi veteres non consentiunt — assignatur enim annus imperii Augusti 40. 41. 42. 43. 44? 45 (vide quae magna eruditione congessit *Patritius*, diss. XIX p. 244 tabula *I* — *V*) — ita quoque de die in varias abierunt sententias; assignatur enim dies 19 vel 20 aprilis, 20 maii, 21 maii, 20 iunii, 6 ianuarii; sed frequentissime et a tempore S. Chrysostomi unice dies 25 decembris (cf. *Patritius* l. c.). Satis superque notum est etiam recentiores de anno nativitatis dominicae non inter se consentire et assignari annos u. c. 747-752, de qua quaestione (interminabilis quae vi-

detur) hic non est agendum. Sufficiat monuisse longe plerosque statuere Herodem mortem obiisse anno u. c. 750 et cum magi non statim post nativitatem advenerint (vide Matth. 2, 16; Comment. in Matth. I p. 72), nativitas Domini uno alterove anno ante mortem Herodis collocanda erit. A sententia satis communi recessit *Riess*, qui Herodem obiisse censet vere anni 753 u. c; vide Das Geburtsjahr Christi, ein chronologischer Versuch... mit zwoelf mathematischen Beilagen, 1880.

g) Pastores veniunt ad Iesum natum 2,8-20.

2,8. Et pastores erant in regione eadem vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum. 9. Et ecce Angelus Domini stetit iuxta illos, et claritas Dei circumfulsit illos, et timuerunt timore magno. 10. Et dixit illis Angelus : Nolite timere; ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo : 11. Quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David. 12. Et hoc vobis signum : Invenietis infantem pannis involutum, et positum in praesepio. 13. Et subito facta est cum Angelo multitudo militiae coelestis laudantium Deum, et dicentium : 14. Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis. 15. Et factum est, ut discesserunt ab eis angeli in coelum, pastores loquebantur ad invicem : Transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. 16. Et venerunt festinantes; et invenerunt Mariam, et Ioseph, et infantem positum in praesepio. 17. Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc. 18. Et omnes qui audierunt, mirati sunt : et de his, quae dicta erant a pastoribus ad ipsos. 19. Maria autem conservabat omnia verba haec, conferens in corde suo. 20. Et reversi sunt pastores glorificantes et laudantes Deum in omnibus quae audierant et viderant, sicut dictum est ad illos.

2,8. Καὶ ποιμένες ἦσαν ἐν τῇ χώρᾳ τῇ αὐτῇ, ἀγραυλοῦντες καὶ φυλάσσοντες φυλακὰς τῆς νυκτὸς ἐπὶ τὴν ποίμνην αὐτῶν. 9. καὶ ἄγγελος Κυρίου ἐπέστη αὐτοῖς, καὶ δόξα Κυρίου περιέλαμψεν αὐτούς· καὶ ἐφοβήθησαν φόβον μέγαν. 10. καὶ εἶπεν αὐτοῖς ὁ ἄγγελος, Μὴ φοβεῖσθε· ἰδοὺ γὰρ εὐαγγελίζομαι ὑμῖν χαρὰν μεγάλην, ἥτις ἔσται παντὶ τῷ λαῷ· 11. ὅτι ἐτέχθη ὑμῖν σήμερον σωτὴρ, ὅς ἐστιν Χριστὸς Κύριος, ἐν πόλει Δαυείδ. 12. καὶ τοῦτο ὑμῖν σημεῖον· εὑρήσετε βρέφος ἐσπαργανωμένον καὶ κείμενον ἐν φάτνῃ. 13. Καὶ ἐξαίφνης ἐγένετο σὺν τῷ ἀγγέλῳ πλῆθος στρατιᾶς οὐρανίου, αἰνούντων τὸν Θεὸν, καὶ λεγόντων, 14. Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίας. 15. Καὶ ἐγένετο, ὡς ἀπῆλθον ἀπ' αὐτῶν εἰς τὸν οὐρανὸν οἱ ἄγγελοι, οἱ ποιμένες ἐλάλουν πρὸς ἀλλήλους, Διέλθωμεν δὴ ἕως Βηθλεὲμ, καὶ ἴδωμεν τὸ ῥῆμα τοῦτο τὸ γεγονὸς, ὃ ὁ Κύριος ἐγνώρισεν ἡμῖν. 16. καὶ ἦλθαν σπεύσαντες, καὶ ἀνεῦραν τήν τε Μαριὰμ καὶ τὸν Ἰωσὴφ, καὶ τὸ βρέφος κείμενον ἐν τῇ φάτνῃ. 17. ἰδόντες δὲ ἐγνώρισαν περὶ τοῦ ῥήματος τοῦ λαληθέντος αὐτοῖς περὶ τοῦ παιδίου τούτου. 18. καὶ πάντες οἱ ἀκούσαντες ἐθαύμασαν περὶ τῶν λαληθέντων ὑπὸ τῶν ποιμένων πρὸς αὐτούς. 19. ἡ δὲ Μαριὰμ πάντα συνετήρει τὰ ῥήματα (ταῦτα) συμβάλλουσα ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῆς. 20. καὶ ὑπέστρεψαν οἱ ποιμένες, δοξάζοντες καὶ αἰνοῦντες τὸν Θεὸν ἐπὶ πᾶσιν οἷς ἤκουσαν καὶ εἶδον, καθὼς ἐλαλήθη πρὸς αὐτούς.

In v. 9 και sine ιδου ℵ B L Z e g^1 go sah syr (hr) arm aeth Eus. In v. 11 natus est *nobis* dub^{c} ger wil corp lind. In v. 12 το σημειον codd fere omnes, excipe B Z. In v. 13 exercitus coelestis ger rush a c ff^2 l q r gat; militiae coelestis exercitus dub lich;

exercitus coelestium b e. In v. 14 ευδοκιας ℵ* A B* D it vulg go Cyr (hr) Ir Or Ath Aug; ευδοκια ℵ^{c} B^{3} L P Γ Δ Λ Z unc 8 al omn cop syr (utr) arm aeth Thaum Eus Bas Cyr Epiph Const al tat pax et spes bona hominibus; similiter sin; *in* hominibus am big cav fuld ger ing for med ox val corp harl d; d consolationis. In v. 17 videntes autem *retulerunt* e. In v. 18 omnes qui *aderant* q. In v. 19 ταυτα om B et aliq minusc, intuebatur r, committens a d. In v. 20 laudantes et benedicentes d (sin v. 17 et narraverunt quod dictum est ad eos de puero v. 18 omnes qui audierunt a pastoribus quando narrabant de iis quae viderant et audierant admirati sunt et stupefacti; v. 19 posuit in corde suo conferebat in mente sua; v. 20 laudantes Deum et loquentes de iis quae viderant et audierant).

In propria venit et sui eum non receperunt. Id iam videmus impleri coeptum esse, dum b. Virgini et Ioseph non erat locus in diversorio adeoque Iesus non in domicilio hominum, sed in stabulo nasci debuit. Eo quidem tempore Bethlehemitae eum repudiarunt nescii; postea populus eum reiiciet sciens ac volens; quare in prima hac inhospitalitate et in nativitate quae fit extra civitatem iam cernere licet triste praesagium. Verum Deus non repulit plebem suam quam praescivit (Rom. 11,2) sed, uti prophetae olim vaticinati erant, reliquiae salvae fient. Hae reliquiae quasi in typo nobis proponuntur in paucis pastoribus quibus primus affertur nuntius de nato Messia. Iesus a David pastore descendens et ut pastor bonus a propheta annuntiatus (cf. Is. 40,11. Ez. 34,23) et se ipsum declarans pastorem pastoribus primo manifestatur, pastores primo ad se per nuntios coelestes invitat v. 8 *et pastores erant in regione eadem vigilantes* ἀγραυλοῦντες sub dio, in agro agentes *et custodientes vigilias noctis super gregem suum*, φυλάσσειν φυλακάς etiam apud profanos saepe dicitur (cf. *Wetstein*) et similiter apud Hebraeos שמר משמורת Num. 1, 53 etc.; τῆς νυκτός alii referunt ad φυλακάς (*Weiss*), alii explicant notione temporali : noctu servabant vigilias (*Schanz*, *Fil.*). Quoniam statim ubi descripta est Iesu nativitas, sequitur de pastoribus quod erant in agro excubantes per quod satis significatur eodem illo tempore quo Christus natus sit haec geri, consequitur Christum nocturno tempore natum esse, id quod verbis quoque angeli demonstratur : natus est hodie. Immerito contendit *Weiss* eo quod pastores cum gregibus noctu sub dio in campo versentur ostendi Iesum non posse esse natum mense decembri, uti habet constans traditio a saeculo quarto. Nam testimonio multorum qui eam regionem visitarunt constat mense decembri exeunte tempestatem esse satis bonam et serenam, immo eo tempore post primos imbres temporaneos gramina luxuriare (cf. Tobler, Schubert, Ritter apud *Schanz*, *Fil.* et vide *Schegg*, *Keil*).

Dum Iesus in paupertate summa et obscuritate latet in stabulo, Deus Pater per angelos coelesti splendore fulgentes incarnati Filii sui nati-

vitatem et maiestatem manifestat v. 9 *et ecce angelus Domini stetit iuxta illos*, ἐπέστη de subita dicitur apparitione (24,4. Act. 12,7) et, ut *Cai. Ians.* aliique notant, magis significat angelum imminuisse ex alto super illos; in aere tamquam e coelo descendens illis subito e sublimi visus est *et claritas Dei circumfulsit illos* δόξα κυρίου dicitur manifestatio illa Dei in nube lucida, quae super tabernaculum saepius cernebatur, vel generatim ille modus quo Deus suam praesentiam singulari ratione reddit conspicuam (Ex. 24,17. 3 Reg. 8,11). Declaratur itaque illa Dei per angelum apparitio, qua Deus in vetere testamento sese manifestare solebat per angelum Iahve (cf. Act. 7,30. Gal. 3,19. Hebr. 2,2; 13,2). Apparuisse Gabrielem aliqui censent (cf. *Tol. Schegg, Fil.*), cum Gabriel et Danielem edocuerit de Messia (Dan. 9,24 seq.) et Messiam annuntiaverit Zachariae et b. Virgini; qui itaque nasciturum saepius nuntiavit, eius esse videtur ut natum quoque reddat manifestum; *S. Cyr.* archangelum pastoribus adstitisse existimat. Hanc angeli apparitionem eximio splendore fuisse insignem (id quod aliis in apparitionibus angelorum non legitur) notatur ad Christi maiestatem declarandam. Lux autem ista affulgens simul fidem addidit verbis angeli tamquam a Deo missi (*Mald.*). Iam hic considerare convenit, monet *Ians.*, quam tota nativitatis Christi humilitas plena sit magnificentiae : nascitur enim ex paupere matre, sed tamen virgine; putativum habet patrem fabrum, sed idem patrem habet naturalem Deum; nascitur in obscuro stabulo, sed idem coelesti lumine fulget et ab angelis praedicatur pastoribus; in praesepi collocatur, sed eidem angelici famulantur exercitus; et ita semper permixta sunt admiranda humilibus, ut simul et illius pro nobis suscepta humilitas et eiusdem divinitas commonstretur.

Uti pro infirmitate humana fieri solet in coelesti apparitione, *et timuerunt timore magno;* subito circumfusi luce splendidissima obstupescunt et quid ea re portendatur inscii velut exanimes redduntur; v. 10 *et dixit illis angelus : nolite timere,* « non fuit autem verbum hoc angeli solum significativum, sed etiam efficax; nam verbo significavit pastoribus ut timorem deponerent et ipsius efficacia verbi, qua nuntius Dei erat, operatus est et effecit, ut timorem abiicerent; merito autem timor hic a pastorum cordibus est expulsus, ut tranquillo animo mysterium annuntiandum facilius perciperent » (*Tol.*). Ipsum autem hunc terrorem haud incongrue dixeris animorum praeparationem ad nuntium fide suspiciendum indubitata; *ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo,* v. 11 *quia natus est vobis hodie salvator qui est Christus Dominus in civitate David;* angelus aperte alludit ad oraculum Isaiae (9,4 seq.) : parvulus enim natus est

nobis; salvatorem quoque descripsit Isaias : iugum oneris eius et virgam humeri eius et sceptrum exactoris eius superasti; Dominum eum describit : et factus est principatus super humerum eius; Christum vero : super solium David et super regnum eius sedebit etc. In ipso nomine salvatoris, cum angelus aramaice loquatur, nomen exprimitur et continetur Iesu (cf. Matth. 1,21; Comment. in Matth. I p. 62).

Civitas David est parvus vicus, et tu Bethlehem parvulus es in millibus Iuda (Mich. 5,2 i. e. minor es quam ut censearis inter chiliarchias Iudaeae), stirps davidica iam ex longo tempore in obscuritate degit et paupertate; soboles eius praeclarissima, Messias rex, hanc obscuritatem paupertatemque quam maxime subit; unde v. 12 *et hoc vobis signum : invenietis infantem pannis involutum et positum in praesepio;* signum hoc loco certe accipiendum est pro signo distinctivo, ut *Ians.* ait (sim. *Cai.*), quo scil. natus iam infans internosci possit ab aliis, quo indicio pastores certi reddantur se invenisse eum de quo angelus locutus sit. Alii hoc signo dari volunt pignus et confirmationem quandam rei annuntiatae, dari argumentum quod fidem faciat (cf. *Euth. Bon. Schegg*). Sed difficillimum intellectu videtur quomodo hoc pastoribus signum esse possit quo cognoscant verum esse id quod annuntiatum est, scil. Messiam venisse. Sed dici potest cum aliis signum hoc distinctivum habere simul aliquid probationis quia eo absentia revelantur et futura praedicuntur; « nam non poterat angelus certo scire infantem fore fasciatum et in praesepi positum, quando pastores eo pervenissent, nisi Deus ipsi revelasset; facillime enim infans e praesepi auferri et in ulnas accipi aut in sinu collocari fasciaeque dissolvi potuissent antequam pastores eo pervenissent » (*Luc.* sim. *Mald. Tol. Fil.*).

Ut non ambigerent de maiestate pueri quem erant in praesepi visuri nec putarent, ut *S. Leo* ait, quod in sola natura hominis esset editus, ei supernae militiae famulatur occursus et pastores coelestis exercitus sunt claritate circumdati (serm. 5 de epiphania; *M.* 54,250) v. 13 *et subito facta est cum angelo multitudo militiae coelestis,* unius angeli testimonium pastoribus a multis confirmatur; nati infantis gloriam et maiestatem chorus angelorum festive apparens manifestat; στρατιὰ οὐράνιος, צבא השמים exercitus coeli dicuntur angeli qui throno Dei assistunt cf. 3 Reg. 22,19. 2 Par. 18,18. Ps. 148,2. Vocantur autem hoc loco apte *militia,* exercitus, « tum quia hoc nomen plus maiestatis habet principatumque nati infantis etiam super angelos explicat, tum quia adventus Christi qualitatem significat; venit enim adversum diabolum bellum gerere et fortem armatum fortior ipse superveniens vincere, tum etiam quia angelorum multitudo maior hoc adiecto militiae verbo exprimebatur » (*Tol.*), *laudantium Deum,* dum Deus

fundaret terram et mensuras eius poneret, laudabant eum simul astra matutina et iubilabant omnes filii Dei (Iob 38,7), « praeclara sane et magnifica scena : Deus lapidem ponit angularem terrae, stellae lucidissimae laeto splendore assistunt gaudentes, angeli laudes Creatoris iubilantes concinunt » (Comment. in Iob p. 427). Quam maxime itaque decuit, ut summum opus sapientiae, potentiae, misericordiae Dei, adventus Verbi incarnati ad redimendum genus humanum celebraretur laudibus angelorum, *et dicentium:* v. 14 *gloria in altissimis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis;* supple non *sit* (*Ians.*) sed cum plerisque *est;* Deo in coelis est gloria, in terra hominibus εὐδοκίας (divini beneplaciti) est pax. Hisce duobus enim totum perfectissime complectuntur angeli quod adventu et opere Verbi incarnati efficitur : Deo in summo coelo praestatur *gloria,* qua maior concipi nequeat quandoquidem unusquisque actus amoris, obedientiae, adorationis quem Iesus ponit ob dignitatem personae divinae est pretii ac meriti infiniti, unde maior gloria Dei externa concipi nequit quam ea quae ei a Iesu tribuitur eique ab opere redemptionis et sanctificationis hominum exsistit. Hominibus autem adventu et opere Verbi incarnati praestatur *pax,* qua voce iam apud prophetas summa bonorum messianorum exprimitur : reconciliatio cum Deo et beatitas. Vocatur quippe Messias princeps pacis (Is. 9,6), orietur in diebus eius iustitia et abundantia pacis (Ps. 71,7) et pacis non erit finis (Is. 9,7 ; cf. Is. 32,17; 48,18; 52,7; 53,5; 54,10 etc.) immo appellatur Messias : et erit iste pax (Mich. 5,5). Quae bona itaque adventu Messiae procurentur in coelo et in terra, in tempore et pro aeternitate, hoc angelorum cantico declaratur.

Et cum dicatur ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίας in hominibus beneplaciti (divini), simul ostenditur fore ut homines iam non sint filii irae, sed filii gratiae, quos Deus scil. amat, qui ei placent quos Deus bona sua voluntate et gratia prosecutus est (*Mald.*). Hoc enim sensu de divino beneplacito εὐδοκία et etiam *bona voluntas* est accipienda, uti recte accipiunt plerique (cf. *Cord. Mald. Salm. Tol. Ians. Lap. Luc. Sa, Estius, Bellarminus, Mariana, Ipr. Lap. Menochius, Tirinus, Lamy, Schegg, Bisp. Reischl, Grimm, Schanz, Fil.*); εὐδοκία enim, ut recte advertunt, de divino beneplacito, de gratuita Dei erga nos benevolentia dicitur; cf. Matth. 11,26 (vulg. quia sic fuit *placitum* ante te), idem Luc. 10,21; Eph. 1,5 (vulg. secundum *propositum* voluntatis suae) 1,9 (*beneplacitum* eius), Phil. 2,13 (pro bona voluntate). Neque enim, ut notat *Ians.*, εὐδοκία unquam tribuitur homini respectu Dei, sed frequenter Deo respectu hominum. Immerito aliqui vocem hanc ad pacem describendam trahunt : pax bonae voluntatis i. e. pax ex beneplacito Dei, pax proveniens non ex hominum meritis, sed ex gratuita et propensa Dei erga nos

benignitate (*Ians. Salm. Tol.*). Retinenda est lectio εὐδοκίας; vide lect. var.; lectio enim εὐδοκία qua tria membra efficiuntur et sensum et cantici concinnitatem turbat. Cum pax sit summa bonorum messianorum quae hominibus obtingat, quid sibi vellet ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ita ut haec pax fiat super terram, hominibus vero obveniat εὐδοκία? quibus tandem destinaretur pax, bonum messianum? Pariter deficeret concinnitas. Inter se enim respondet : gloria in altissimis Deo, et : pax super terram hominibus (non quidem ex se vel suis meritis, sed gratia et benevolentia Dei) quibus scil. Deus suam benignitatem tribuit; proinde habetur in utraque parte membrum triplex : gloria, pax scil. bonum quod sequitur, in altissimis, super terram scil. ubi bonum illud possidetur, Deo, hominibus beneplaciti, quibus scil. illud bonum conveniat. Unde cum hominibus obveniat non per se, non naturae necessitate, non hominum opera et meritis, oportuit addi εὐδοκίας, qua voce addita declaratur quo tandem modo homines illius boni evadant participes.

Explicat *Theoph.* εἰδοκίαν, τουτέστιν ἐπανάπαυσις τοῦ Θεοῦ, requievit enim Deus et bene sibi complacuit (εὐηρεστήθη) in hominibus; *Euth.* autem : in hominibus nunc est ἡ εὐδοκία τοῦ Πατρός, hoc autem est, ut incarnaretur Filius ac salvaretur homo perditus; nunc enim completum est quod olim illi complacuit (εὐδόκησεν) sive quod definivit, voluit. Patet etiam quod in vulg. habetur *bonae voluntatis* explicari debere de benigna Dei voluntate, quo sensu bona voluntas etiam dicitur v. g. Ps. 5, 13 scuto bonae voluntatis tuae (εὐδοκίας) coronasti nos, Ps. 50, 20 benigne fac Domine in bona voluntate tua (ἐν τῇ εὐδοκίᾳ σου). Paucissimi sunt qui *bonae voluntatis* ad hominis voluntatem referant; sed ita referunt, ut voluntatem illam bonam in hominibus a Deo effectam innuant; ita intelligendum est quod *Beda* habet : bonae voluntatis, hoc est eis qui suscipiunt natum Christum. Eodem modo accipi debet quod legitur in sermone 3 de nativitate (olim qui adscribebatur S. Ambrosio; *M.* 17, 612) : pax non in quibuscumque hominibus, « sed bonae voluntatis hominibus, ut intelligas pacem Christi non debiti esse sed meriti; non enim eam meretur conditio, sed voluntas »; sed quae voluntas? utique voluntas gratia instructa et adiuta. Eodem modo accipi debet quod habet *Alb.* : hominibus voluntatem in bonum dirigentibus, et *Cai.* : bonam voluntatem Deo efficit hoc mysterium, qua genus humanum sine Christo carebat et caret, et *Gordonus* : quibus Deus per gratiam dedit bonam voluntatem, ut hinc mererentur gloriam; item *Dion.* qui dicit talem bonam voluntatem habent qui in statu salutis, seu in caritate et gratia sunt. Neque aliter *S. Augustinus* qui bonam voluntatem nostram ita explicat, ut dicat eam debere esse sanam; fore autem sanam si medicum non refugiat, cuius solius gratia sanari possit (epist. 127, 5; *M.* 33, 485) et etiam in serm. Dom. in monte 2, 21 dicit bonam voluntatem nostram eam quae vocantem sequitur (*M.* 34, 1278). Alii duplicem explicationem proponunt; ita *Calm.* : « pax

hominibus bonae voluntatis qui recto animo sunt et Liberatoris adventum sollicite praestolantur, qui parati sunt ipsum excipere bonaeque mentis habitudine eum sequuntur; quos gratia praevenit Deus, quos amavit, elegit totaque ab aeternitate praenovit mero misericordiae suae beneficio (sim. *Sylv.* lib. 2 cap. 2 qu. 28). Quare bene attendendum est ne falso explicentur versiones in linguis vernaculis quae communiter feruntur: aux hommes de bonne volonté, die guten Willens sind, to men of good will (cf. *Lohmann*, Das Leben unseres Herrn etc. Paderborn 1889 p. 26).

Quamdiu angeli cernuntur, pastores eorum admiratione capti ibidem consistunt; sed v. 15 *ut discesserunt ab eis angeli in coelum* (his dictis coeli secreta revisunt, *Iuvencus* 1,175), *pastores loquebantur ad invicem: transeamus usque Bethlehem et videamus hoc verbum quod factum est,* ῥῆμα aliqui accipiunt noto hebraismo pro re gesta (*Ians. Schanz*, *Keil*), sed propter v. 17 melius erit notionem verbi retinere: videamus id quod dictum est nobis, *quod Dominus ostendit nobis*, notum fecit nobis. Quanto animorum gaudio verbis angeli obsecuti sint plena fide credentes, ipsa eorum festinatione declaratur v. 16 *et venerunt festinantes et invenerunt Mariam et Ioseph et infantem positum in praesepio*, uti angelus dixerat. De eo quod ad praesepe Domini sisti solent bos et asinus, vide quae dixi ad Hab. 3,2 in Comment. Proph. min. II p. 96. Quibus animorum affectibus pastores infantem inviserint eiusque beatam matrem salutaverint, nobis colligendum relinquit evangelista ex iis quae in v. 17. 18. 20 narrat; evadunt enim pastores nuntii et praedicatores eorum quae ipsis dicta sunt, Deum laudant et eius gloriam extollunt et aliorum animos secum in admirationem rapiunt. Ex hisce non erit difficile coniicere quanta animorum exsultatione, quanta fide, consolatione infantem sint venerati, quanto gaudio salutaverint salvatorem et quot donis spiritualibus ab eo sint ditati; v. 17 *videntes autem cognoverunt de verbo,* ἐγνώρισαν notum fecerunt verbum, et hoc modo esse explicandum, etiam ex v. 18 patet, *quod dictum erat illis de puero hoc;* participes facti nuntii optimi et salutaris etiam alios in communionem beneficii vocare student; est enim bonum, ut aiunt, diffusivum sui; praeterea audierant ab angelo fore istud gaudium omni populo, qua voce se quoque admonitos putabant, ut faustissimo nuntio aliis allato tempus salutis iam adesse significarent; v. 18 *et omnes qui audierunt mirati sunt et de his quae dicta erant a pastoribus ad ipsos;* in bonis itaque spes salutis excitata est et ita nativitas Iesu gaudium attulit. Sed nuntium hunc apud haud multos esse fide susceptum neque fere extra fines Bethlehem esse pervulgatum, discimus ex Matth. 2,3; neque id mirum videri potest, cum modus adventus salvatoris in tanta paupertate et obscuritate quam longis-

sime recederet ab exspectatione Iudaeorum et ceteroquin tempore subsequente nihil cerneretur in puerulo quod iterum iterumque admirationem moveret. Pauci itaque illi qui credebant cum silentio exspectabant salutare Domini; reliqua turba longe aliis curis occupata rem mox neglexit.

B. Virgo autem fuit arca continens divinorum eloquiorum arcana (*S. Bon.*) v. 19 *Maria autem conservabat omnia verba haec*, πράγματα rite explicat *Theoph.*, res gestas scil. et dictas, *conferens in corde suo;* quae scil. a pastoribus dicta et narrata erant de nuntio angelico et cantico, quae alii audientes admirabantur, haec omnia in animo reposuit eaque etiam comparabat iis quae iam ipsa edocta et experta erat, mysteriis nempe quae ei angelus nuntiaverat et quae tunc impleta erant. Omnia maxime consona esse inter sese intelligebat; admirabatur quomodo Deus qui mysterium et Elisabeth et Ioseph revelaverat, dignitatem infantis angelico ministerio patefecisset pastoribus; inde profecto et maximam hausit laetitiam et novis argumentis fidem quam ab initio conceperat confirmavit (cf. *Tol.*). Haec omnia quae fiebant fideliter custodivit in corde de iis secum meditans eaque pie recolens, ut postea, cum tempus advenisset, ea nota faceret apostolis. En quomodo hisce verbis ipse evangelista clare indicat unde tandem ea acceperit quae ἄνωθεν narrat. Bene iam *Cai.* notat : conservabat omnia, relatura post glorificationem Iesu apostolis.

Pastores sicut antea commendati sunt fide, pietate, evangelizandi studio, ita nunc commendantur in ipsorum gratiarum actione v. 20 *et reversi sunt pastores glorificantes et laudantes Deum in omnibus quae audierant,* quae scil. ad praesepe Domini narrata acceperant, *et viderant,* utraque autem quae ibi compererunt et oculis spectarunt, omnino congruebant iis de quibus ab angelis edocti erant, *sicut dictum est ad illos;* alii referunt *audierant* ad solum angeli nuntium, sed cum pastores revertantur a praesepio, cum *viderant* spectet ad eorum in loco nativitatis commorationem et aptius subiungatur *sicut dictum est,* si pertineat ad utrumque, prior acceptio erit praeferenda. Sed obiiciunt non esse narratum quidquam de sermonibus habitis ad praesepe quibus pastores discere potuissent aliqua ad nuntium angeli confirmandum. Verum ibi colloquia esse habita elucet ex v. 19; Maria scit et secum perpendit quae pastores narrabant de angeli nuntio etc.; et quis negaverit b. Virginem aliqua adiunxisse quibus fides et laetitia pastorum augeretur et nuntius angeli corroboraretur?

Angelorum apparitiones rationalistae ad fabulas reiiciunt. In annuntiatione et nativitate Iesu eas esse conflictas quandoque asserunt secundum

eum modum quo iam in vetere testamento conceptio et nativitas Samsonis per angelum annuntiatur (Iud. 13, 3). Porro cum Matth. 1, 25 et 2, 1 solum referatur Iesum natum esse in Bethlehem, ansam arripiunt hanc narrationem Lucae traducendi ut mythum posteriorem, quo res magis soleant augeri et miraculis ornari. Ad quod confirmandum monent inter alia, apud Matthaeum 1, 20 angelum solum apparere in somnio, apud Lucam vero vigilantibus, noctu et interdiu (1, 11. 28). Verum omnes eiusmodi obiectiones deprehenderentur frivolae, si agnoscere vellent in Iesu Filium Dei incarnatum. Nam tum non offenderentur conceptu virginali; non offenderentur talem conceptum et nativitatem per angelos annuntiari; tum quam maxime credibile esset quod Lucas postquam omnia sedulo ab initio perquisivit mira verborum perspicuitate et simplicitate (quod est veri indicium) refert. Tum ut negarent conceptum virgineum non recurrerent ad miserrima illa effugia quae afferri solent, ut probent in parte narrationis quae antiquissima sit nihil de eo contineri, immo eum plane excludi. Afferuntur enim Mariam dici uxorem, coniugem, sermonem esse de patre Iesu, de conceptu virgineo, nihil sciri a Nazarethanis; proinde hos locos nobis referre sententiam pristinam, quam « redactor posterior » omnino exstirpare voluerit inventis et insertis iis quae nunc apud Matthaeum et Lucam legantur ad conceptum virgineum probandum. Sed haec sane excogitata sunt ingenio sat rudi. Nam ille « redactor » voluit sententiam illam priscam removere, et quo efficacius illam amoveret finxit sat multa, et tamen adeo hebes erat et stupidus, ut relinqueret variis in locis *parentes, patrem* etc.? En tali sententiae subscribunt « critici »! Addunt parthenogenesin a Graecis antiquae mythologiae peritis esse invectam, inter Iudaeos fuisse quoque Essenos qui matrimonium minime honorarent, immo fabulas talmudicas narrare de matre Moysis virgine — quare explicari, cur Christiani demum in eandem pervenerint opinionem, quam ipse Iesus nunquam de se profiteatur. Sed merum ac putidum commentum est in Ecclesia apostolica prisca sententiam de conceptu virginali fuisse incognitam. Quid apostoli docuerint nobis prostat in evangeliis et doctrina evangeliorum est doctrina prisca et antiquissima. — Ceterum, ut dixi, omnes eiusmodi obiectiones enascuntur ex eo quia fidem in Iesum, Filium Dei, abiecerunt. Ad hanc fidei negationem fulciendam vel cohonestandam inventae sunt illae hypotheses de « redactore » qui veterem opinionem de partu naturali sua nova sententia de supernaturali destruere vult et tamen adeo incautus fuit et imprudens et negligens et caecus, ut quod plane ex omnium mente vellet delere nihilominus in compluribus locis intactum reliquerit — ad solatium puto et institutionem rationalistarum.

h) Puer Iesus factus sub lege 2,21-40.

2,21. Et postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus, quod voca-

2,21. Καὶ ὅτε ἐπλήσθησαν ἡμέραι ὀκτὼ τοῦ περιτεμεῖν αὐτόν καὶ ἐκλήθη τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἰησοῦς, τὸ κληθὲν ὑπὸ τοῦ ἀγγέλου

tum est ab Angelo priusquam in utero conciperetur.

22. Et postquam impleti sunt dies purgationis eius secundum legem Moysi, tulerunt illum in Ierusalem, ut sisterent eum Domino. 23. Sicut scriptum est in lege Domini : Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur. 24. Et ut darent hostiam secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.

25. Et ecce homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon, et homo iste iustus et timoratus, exspectans consolationem Israel : et Spiritus sanctus erat in eo. 26. Et responsum acceperat a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. 27. Et venit in spiritu in templum. Et quum inducerent puerum Iesum parentes eius, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo. 28. Et ipse accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum, et dixit : 29. Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace : 30. Quia viderunt oculi mei salutare tuum, 31. Quod parasti ante faciem omnium populorum : 32. Lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuae Israel. 33. Et erat pater eius et mater mirantes super his quae dicebantur de illo. 34. Et benedixit illis Simeon, et dixit ad Mariam matrem eius : Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum, cui contradicetur. 35. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.

36. Et erat Anna prophetissa, filia Phanuel, de tribu Aser; haec processerat in diebus multis, et vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua. 37. Et haec vidua usque ad annos octoginta quatuor : quae non discedebat de templo, ieiuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die. 38. Et haec, ipsa hora superveniens, confitebatur Domino, et loquebatur de illo omnibus qui exspectabant redemptionem Israel.

πρὸ τοῦ συλληφθῆναι αὐτὸν ἐν τῇ κοιλίᾳ.

22. Καὶ ὅτε ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι καθαρισμοῦ αὐτῶν, κατὰ τὸν νόμον Μωυσέως, ἀνήγαγον αὐτὸν εἰς Ἱεροσόλυμα, παραστῆσαι τῷ Κυρίῳ, 23. καθὼς γέγραπται ἐν νόμῳ Κυρίου, Ὅτι πᾶν ἄρσεν διανοῖγον μήτραν ἅγιον τῷ Κυρίῳ κληθήσεται· 24. καὶ τοῦ δοῦναι θυσίαν, κατὰ τὸ εἰρημένον ἐν τῷ νόμῳ Κυρίου, Ζεῦγος τρυγόνων ἢ δύο νοσσοὺς περιστερῶν.

25. Καὶ ἰδοὺ, ἄνθρωπος ἦν ἐν Ἱερουσαλὴμ, ᾧ ὄνομα Συμεὼν, καὶ ὁ ἄνθρωπος οὗτος δίκαιος καὶ εὐλαβὴς, προσδεχόμενος παράκλησιν τοῦ Ἰσραὴλ, καὶ Πνεῦμα ἦν Ἅγιον ἐπ' αὐτόν· 26. καὶ ἦν αὐτῷ κεχρηματισμένον ὑπὸ τοῦ Πνεύματος τοῦ Ἁγίου, μὴ ἰδεῖν θάνατον πρὶν (ἢ) ἂν ἴδῃ τὸν Χριστὸν Κυρίου. 27. Καὶ ἦλθεν ἐν τῷ Πνεύματι εἰς τὸ ἱερόν· καὶ ἐν τῷ εἰσαγαγεῖν τοὺς γονεῖς τὸ παιδίον, Ἰησοῦν, τοῦ ποιῆσαι αὐτοὺς κατὰ τὸ εἰθισμένον τοῦ νόμου περὶ αὐτοῦ, 28. καὶ αὐτὸς ἐδέξατο αὐτὸ εἰς τὰς ἀγκάλας καὶ εὐλόγησεν τὸν Θεὸν καὶ εἶπεν· 29. Νῦν ἀπολύεις τὸν δοῦλόν σου, δέσποτα, κατὰ τὸ ῥῆμά σου, ἐν εἰρήνῃ· 30. ὅτι εἶδον οἱ ὀφθαλμοί μου τὸ σωτήριόν σου; 31. ὃ ἡτοίμασας κατὰ πρόσωπον πάντων τῶν λαῶν· 32. φῶς εἰς ἀποκάλυψιν ἐθνῶν, καὶ δόξαν λαοῦ σου Ἰσραήλ. 33. Καὶ ἦν ὁ πατὴρ αὐτοῦ καὶ ἡ μήτηρ θαυμάζοντες ἐπὶ τοῖς λαλουμένοις περὶ αὐτοῦ. 34. καὶ εὐλόγησεν αὐτοὺς Συμεὼν, καὶ εἶπεν πρὸς Μαριὰμ τὴν μητέρα αὐτοῦ, Ἰδοὺ, οὗτος κεῖται εἰς πτῶσιν καὶ ἀνάστασιν πολλῶν ἐν τῷ Ἰσραὴλ, καὶ εἰς σημεῖον ἀντιλεγόμενον· 35. καὶ σοῦ αὐτῆς τὴν ψυχὴν διελεύσεται ῥομφαία· ὅπως ἂν ἀποκαλυφθῶσιν ἐκ πολλῶν καρδιῶν διαλογισμοί.

36. Καὶ ἦν Ἄννα προφῆτις, θυγάτηρ Φανουὴλ, ἐκ φυλῆς Ἀσήρ· αὕτη προβεβηκυῖα ἐν ἡμέραις πολλαῖς, ζήσασα μετὰ ἀνδρὸς ἔτη ἑπτὰ ἀπὸ τῆς παρθενείας αὐτῆς· 37. καὶ αὐτὴ χήρα ἕως ἐτῶν ὀγδοήκοντα τεσσάρων, ἡ οὐκ ἀφίστατο τοῦ ἱεροῦ, νηστείαις καὶ δεήσεσιν λατρεύουσα νύκτα καὶ ἡμέραν· 38. καὶ αὐτῇ τῇ ὥρᾳ ἐπιστᾶσα ἀνθωμολογεῖτο τῷ Θεῷ καὶ ἐλάλει περὶ αὐτοῦ πᾶσιν τοῖς προσδεχομένοις λύτρωσιν Ἱερουσαλήμ.

39. Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilaeam in civitatem suam Nazareth. 40. Puer autem crescebat et confortabatur, plenus sapientia; et gratia Dei erat in illo.

39. Καὶ ὡς ἐτέλεσαν πάντα τὰ κατὰ τὸν νόμον Κυρίου ἐπέστρεψαν εἰς τὴν Γαλιλαίαν, εἰς πόλιν ἑαυτῶν Ναζαρέτ. 40. Τὸ δὲ παιδίον ηὔξανεν καὶ ἐκραταιοῦτο πληρούμενον σοφίᾳ· καὶ χάρις Θεοῦ ἦν ἐπ' αὐτό.

In v. 21 pler αυτον; add *puer* sin syr tat dub ept (marg) hub theod lich ken rush tol wil. In v. 22 αυτων codd pler q go syr (utr) tat aeth Cyr (hr) Cyr Or; αυτου D Chron, αυτης perpauci minusc cat Ps-Ath; ken ut adsignarent; a r offerrent. In v. 24 hostias ken rush; sacrificium d e f r; pullos columbinos e q big. In v. 25 e timens, d metuens, r timens Deum (pro timoratus.) In v. 28 in manus cav tol c e f l q; manibus ger for b r, alas d, amplexum a. In v. 29 dimittes hub theod harl*; dimitte dub ept (marg) lich ken rush gat b e r. In v. 32 ad revelationem oculorum b e Ir. In v. 33 ιωσηφ και η μητηρ αυτου A F G H K M S U V Γ Δ Λ Π al pler a b c e f ff² l q go syr (sch) ev hier tat ger lich; sed retinendum πατηρ cum ℵ B D L pler verss sin Cyr Hier Aug Or; tol parentes eius. In v. 34 lich contradicitur. In v. 37 serviens deo dub ept lich rush gat; domino e. In v. 38 λυτρωσιν εν ιερουσαλημ A D L X Δ Λ Π unc 8 al pler gat syr (p) Amphil Ps-Ath ev hier; sed male εν insertum est; λυτρ ιερ retinendum est cum ℵ B Z aliq minusc verss pler sin Ir Aug; redemptionem hierusalem it codd vulg; Israel a r ger lich; etiam add *in* am dub lich corp. In v. 40 confortabatur aetate per; add πνευματι A X Γ Δ Λ Π unc 8 al pler f q go syr (utr) tat aeth Caesar; ev hier statura בקומתא; gloria med; cum illo dub* ept* ox ken corp* gat b c d l q; super eum a; εν αυτω D; in illo f ff² Aug. (sin v. 23 omnis primogenitus; v. 24 sicut scriptum est in lege; v. 25 Simeon rectus erat et iustus et exspectans etc. v. 29 sicut dixisti; v. 34 in signum contentionis et oblocutionis; v. 36 septem dies solum cum viro erat post virginitatem suam et reliquum vitae suae in viduitate erat annos 84; in ieiunio et oratione et supplicatione; v. 39 Ioseph autem et Maria quando perfecerunt in templo super primogenitum omne quod scriptum est in lege etc.).

Quod S. Paulus de Filio Dei Iesu Christo dicit : semetipsum exinanivit formam servi accipiens in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo ; humiliavit semetipsum factus obediens (Phil. 2,7) et : debuit per omnia fratribus similari (Hebr. 2,17), id sicut in eius nativitate expressum cernitur, in reliquae quoque vitae ratione nobis palam proponitur. Iam evangelista secutus vestigia et doctrinam eius quem magistrum habuit, S. Pauli dico, ostendit Iesum factum sub lege ut eos qui sub lege erant redimeret (Gal. 4,5; cf. *S. Cyr. Ambr. cat. Cr.*) v. 21 *et postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer* scil. die octavo quo oportuit fieri circumcisionem (Gen. 17,12); ea caerimonia fiebat quis membrum populi Dei; erat ea signum foederis quod Deus iniit cum suo populo (Gen. 17,13) et sollemnis sponsio ab eo qui eam suscepit se esse debitorem universae legis faciendae (Gal. 5,3). Et qua talis circumcisio signum quoddam est gratiam portendens et symbolum circumcisionis cordis, qua mali affectus et concupiscentiae pravae cohibentur atque purgantur (*S. Cyr.*). Ex qua eius significatione simul patet quatenus Iesus se humiliaverit

hanc subiens caerimoniam. Non quidem dici potest cum aliquibus (*Lap.* v. g.) circumcisionem esse signum peccati eiusque quasi stigma et cauterium; nam appellatur a S. Paulo signaculum iustitiae fidei (Rom. 4,11) et qui circumciduntur, opprobrium Aegypti abstulisse dicuntur (Ios. 5,9); nihilominus cum significet necessitatem circumcisionis cordis, habet aliquam ad peccatum habitudinem ideoque Iesus eam suscipiens personam quasi peccatoris induit spondetque se legem observaturum et pro peccatoribus dolorem et mortem subiturum, ut eos a maledicto legis redimat eisque adoptionem filiorum Dei tribuat. Quod in suscipiendo baptismo postea dixit : sic enim decet nos implere omnem iustitiam (Matth. 3,15), id re ipsa iam in circumcisione opere explet. Primitias fundit sanguinis pignus totius sanguinis pro nobis effundendi. — Notandum est quam consulto evangelista efferat Iesum factum sub lege monens de lege Moysis eiusque mandatis v. 22. 23. 42; idem hoc loco innuit scribens ἡμέραι ἐκτὼ τοῦ περιτεμεῖν; genetivo enim significatur ad quid tendat illud temporis spatium vel qua re complendum sit ac determinandum.

In circumcisione nomen imponebatur; vide ad 1,59; *vocatum est nomen eius Iesus,* καὶ ἐκλήθη explicant καὶ vel tamquam particulam inducentem apodosin (cf. hebr. ו quandoque; veluti : tum vocatum est, da wurde genannt; cf. *Schanz, Keil*) vel notione *etiam :* postquam consummati sunt... etiam nomen ei impositum est (*Weiss*); de nomine Iesu vide ad Matth. 1,21; prae multis illis ac praeclaris nominibus quibus Messias apud prophetas designatur (Is. 7,14; 9,6. Ier. 23,5. 6. Ez. 34,23. Os. 3,5. Mich. 5,5. Zach. 3,8), nomen elegit quod totum spirat Dei miserentis clementiam et peccatoribus spem salutis quam maxime praebet; eo nomine quoque impletum iri enuntiatur quod in Iosue et Iesu sacerdote (Zach. 3,5 seq.) portendebatur; *quod vocatum est ab angelo, priusquam in utero conciperetur;* cf. 1,31; voluit evangelista docere nec casu nec humano consilio, sed divino factum fuisse, ut Christus ita vocaretur (*Mald. Tol.*); nomen esse coelitus inditum et proinde Christi opus et officium, eius pro hominibus naturam et destinationem eo nomine declarari; neque enim aliud nomen nobis datum est in quo oporteat nos salvos fieri (Act. 4,12). Ipso nomine iam edicitur Christum esse totum in nostrum bonum, in nostram expensum salutem. De eo nomine vide *Salm.* t. 3 tract. 37, *Cord.* cat. p. 46 seq. Aptissime quoque in effusione sanguinis vocatur Iesus, quoniam sanguinis sui effusione et oblatione factus est causa salutis omnibus obtemperantibus sibi (Hebr. 5,9).

Die quadragesimo post partum duo praecepta legis implevit b. Virgo; unum quod habetur Lev. 12,2. 4. 6 seq. praeceptum scil. purificationis

pro matre; alterum praeceptum pro primogenito Ex. 13, 2. Num. 18, 15. Uti Iesus circumcisionem subiit legem adimplens, ita mater eius quaecumque lege praescripta erant mulieribus post partum fideliter observavit. Ipsa quidem erat sanctissima neque quidquam in partu occurrerat quod immunditiem legalem contrahere poterat, erat quippe virgo in partu; at cum hoc mysterium esset plane absconditum, b. Virgo ne quis offenderetur (*Mald.*), iam tenebatur legis praeceptum mulieribus impositum implere neque qua erat humilitate et simplicitate, ullo modo se ab ea lege eximere volebat; v. 22 *et postquam impleti sunt dies purgationis eius* i. e. dies quadraginta post editum puerulum (Lev. 12,2. 4), *eius* ad b. Virginem erit referendum; et cum ad praeceptum illud mosaicum alludatur, eadem verba adhibentur Lev. 12,6; graece plerumque αὐτῶν; intelligi Mariam et Ioseph opinantur *Euth. Schanz, Fil. Keil, Weiss.* At nescio quo sensu de Ioseph asseri possit aliquid quod ad notionem καθαρισμοῦ accedat; censent quidem eius, utpote qui pater existimabatur, fuisse ut primogenitum quinque siclis redimeret (*Schegg, Fil. Keil*); sed etsi id concesserimus nondum habetur quod ad significationem καθαρισμοῦ trahi possit. Id vero cerni potest sine ullo negotio in oblatione primogeniti qui Domino sistendus erat et ipsa hac oblatione significatione quadam consecrabatur, quae consecratio haud difficile nomine καθαρισμοῦ comprehendi potest. Quare αὐτῶν ad matrem et infantem — uterque quippe consecratione quadam Domino sistebatur — spectare dicendum erit (uti variis de causis censent *Orig. Cai. Salm.*); *secundum legem Moysi*, Lev. 12,2 seq.; *tulerunt illum* scil. parentes eius; cf. v. 27; *in Ierusalem, ut sisterent eum Domino* v. 23 *sicut scriptum est in lege Domini: quia omne masculinum adaperiens vulvam* i. e. primogenitum quod primo e vulva egreditur aliisque quasi viam egrediendi aperire censetur (cf. *Mald. Luc. Lap. Ipr.*), *sanctum Domino vocabitur;* Ex. 13,2. Num. 18,5. Pro primogenitis filiis totius populi Deus levitas in ministerium sacrum assumpsit; v. 24 *et ut darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum aut duos pullos columbarum,* quae hostia offerenda erat pro matre Lev. 12,8. Haec oblatio pauperum erat; alii enim agnum anniculum debebant offerre. Quare ex hac oblatione merito infertur b. Virginem filiam David ad tantam esse egestatem redactam, ut non invenerit manus eius nec potuerit offerre agnum. Ecce tabernaculum David quod decidit (Am. 9,11). Iesus autem, ut apostolus monet, cum esset dives, propter nos egenus factus est, ut illius inopia nos divites essemus (2 Cor. 8,9). Iam in parentibus amplectitur Iesus paupertatem, quam postea beatam praedicaturus est et tamquam adiumentum perfectionis laudaturus et consulturus.

Cum in vulg. legatur Lev. 12, 2 : mulier si suscepto semine pepererit masculum etc., LXX γυνὴ ἥτις ἐὰν σπερματισθῇ etc., multi collegerunt b. Virginem quae ut virgo conceperat ipsis legis verbis eximi a praecepto purgationis, immo consulto esse positum divina providentia *suscepto semine*, ut conceptus virgineus portendatur et ab ea lege liberetur (cf. *S. Cyr. Bed. Theoph. Euth. cat. Cr. Tol. Salm. Cord. Luc. Ipr.*). Verum notandum est esse valde dubium sitne talis significatio textus originalis. Iam *Ians. Mald.* monent textum hebr. potius vertendum esse : si prolem (semen) produxerit et genuerit masculum; eiusque acceptionis quoque mentionem faciunt *Salm. Luc.* eamque recentiores, uti Knobel, Keil, Dillmann (ad Lev. 12, 2) omnino sequuntur explicantes כִּי תַזְרִיעַ si semen (prolem) produxerit (cf. Gen. 1, 11 seq.). Neque immerito advertit *Ians.*, si Moyses eam excepisset, quomodo dici posset secundum eius legem dies purgationis esse impletos? Sed per se patet b. Virginem in conceptu et partu ab aliarum mulierum conditione plane alienam nullo modo indiguisse aliqua purgatione. Verum ut filius eius factus est sub lege, ita ipsa quoque omnem legem observabat. Et cum mysterium conceptus esset ignotum, morem ac consuetudinem aliarum debuit sequi.

Cum dicatur : omne primogenitum adaperiens vulvam (Ex. 13, 2), putarunt haud pauci eam legem nullatenus spectare ad Iesum, utpote qui ex virgine sine ulla virginitatis laesione natus sit (cf. *Alb. Cai. Tol. Salm.*); alii e contra ea lege unum designari Iesum arbitrabantur; nam reliqua primogenita iam apertam invenire vulvam, « solus autem Christus nondum apertam supernaturaliter aperuit et clausam naturaliter servavit » (*Euth. Theoph.*). Verum hoc alterum subtilius excogitatum esse, ut reliqua mittam, patet legenti Num. 18, 15. Atque quod spectat ad prius, iam *Mald. Lap. Luc. Ipr.* advertunt eam dictionem adhiberi ad primogenitum designandum. Iesus autem ei quoque legi se subiecit quia eum decuit omnem implere iustitiam.

Iesus qui teste S. Paulo ingrediens mundum dixit : corpus aptasti mihi, ecce venio, ut faciam Deus voluntatem tuam (Hebr. 10,5. 6), cum in templo sisteretur, hanc suam ad Patrem pro hominum redemptione oblationem instauravit eique oblationi se comitem ac sociam adiunxit b. Virgo quae et filium suum et se ad omne beneplacitum Patris pientissimo animi effectu sistebat et offerebat. Verum dum Maria cum summa animi demissione communem mulierum immundarum morem sequeretur atque divinus quoque puerulus quasi esset unus de communi hominum stirpe sisteretur Domino ac quinque siclis redimeretur, Deus Filium suum incarnatum denuo singulari modo praedicari et agnosci vult, ita ut sicut in praesepio, hic quoque ex humili quasi involucro resplendeat ac cernatur divina maiestas; v. 25 *et ecce homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon et homo iste iustus et ti-*

moratus, εὐλαβής apud LXX Mich. 7,2 pro hebr. חסיד pius, sanctus, religiosus (cf. Lev. 15,31 pro hebr. הזיר se separare ab immunditie; 2 Mach. 6,11 εὐλαβῶς reverenter; cf. *Schleusner*, Thes. II p. 558); unde designatur is qui iustus est non communi quadam ratione, sed qui omnia maxima religione ac reverentia Dei observat quae ad iustitiam coram Deo spectant (cf. *Schanz*); *exspectans consolationem Israel* i. e. salutem messianam; nam Messias consolabitur lugentes in Sion (Is. 61,2; cf. 40,1) indeque apud rabbinos quoque unum ex nominibus eius est *menachem* consolator (cf. *Schoettgen*, Horae hebr. II p. 18; *Ed.* I p. 155. 175. 198) et salus et liberatio messiana consolatio נחמה appellatur (cf. *Lightfoot* ad h. l. *Wetstein*, *Wünsche* p. 418). Neque tamen dicendus est cum *cat. Cr.* Simeon exspectasse liberationem populi a iugo Herodis et Romanorum (forte id quoque, ait *Theoph.*); nam aliud ipse nobis cantico suo manifestat.

Notat Wetstein: « cum hic mentio fiat Simeonis, cuius pietas eo tempore celebrata fuit, vix alius intelligi potest quam Simeon pater Gamalielis de quo Act. 5, 34, et filius Hillelis quem Iosephus Pollionem appellat ». Hunc Simeonem praesidem synedrii fuisse dicunt anno 13. Proinde ad nostrum Simeonem qui mox e vivis se excessurum sperat nullo modo tempus congruit. Ceterum esse valde incertum exstiteritne iste Simeon pater Gamalielis, contendit *Schürer* l. c. II p. 299 argumentis non omnino levibus; cf. etiam *Ed.* I p. 198. In Protoevangelio Iacobi cap. 24 scribitur eum fuisse sacerdotem. Verum si fuisset evangelista rem non tacuisset, cum alias eius conditiones tam accurate explicet (*Ians.*). Ceterum nomen Simeon erat frequentissimum. In Pseudo-Matthaei evangelio scribitur cap. 13 eum fuisse annorum centum duodecim.

Quanta pietate fuerit Simeon, etiam apparet ex sequentibus : *et Spiritus sanctus erat in eo* v. 26 *et responsum acceperat a Spiritu sancto*, χρηματίζειν oracula edere; unde divino oraculo erat edoctus et ab ipso Spiritu sancto didicerat, *non visurum se mortem* (cf. Ps. 88, 49. Ioan. 8,51. Hebr. 11,5; similiter Ps. 15,10; 48,11. Eccl. 8,16 hebr. etc.) *nisi prius videret Christum Domini;* ab eodem autem Spiritu sancto etiam edoctus erat de vera natura salutis messianae. Et nunc eius peculiari impulsu motus ad templum accessit; v. 27 *et venit in spiritu in templum*, ἐν τῷ πνεύματι cf. Matth. 22,43 similiter 12,28. Et eodem s. Spiritu doctore in puerulo a pauperibus parentibus inducto agnoscit Messiam; *et cum inducerent puerum Iesum parentes eius*, quo sensu *parentes*, elucet ex 1,35, est modus brevis loquendi quem evangelista post 1,35 et 2,5 adoptare potest sine ullo periculo erroris inducendi; insuper haec erat eo tempore opinio omnium qui

videbant sacram familiam, esse vere parentes, neque aliter esse tum potuit; quare hac quoque de causa ita evangelista loqui potuit, *ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo*, Ex. 13,2 et Num. 18, 16, v. 28 *et ipse accepit eum in ulnas suas*, maiore donatur favore; promissionem habuit videndi Christum, iam permittitur ei tangere eum et amplexari. Quanta exsultatione amoris animus eius abundaverit, cum manibus tenebat puerulum divinum, concludi potest ex eo quod tali gaudio perfusus iam ultra nihil hisce in terris desiderat, sed unice mortem in votis habet.

Deo itaque laudes dixit et gratias egit : *et benedixit Deum* εὐλόγησεν laudibus celebravit et de ipso puerulo praeclarissimum edit testimonium quod non poterat discere nisi a Spiritu sancto; *et dixit* v. 29 *nunc dimittis servum tuum Domine secundum verbum tuum in pace*, nunc cum expletum est quod Spiritus s. ei promisit, cum scil. vidit Christum Domini, *dimittis*, me e statione et servitute dimittis; cum dicat *servum tuum*, haec videtur esse explanatio maxime obvia; est quippe vita quasi servitus Deo praestanda, est servitus ob vitae molestias saepe dura, a qua discedendi iam copia ei fit *secundum verbum tuum*, ex oraculo scil. concludit se moriturum simul ac Christum viderit; alii supplent : me dimittis e vita (*Euth. cat. Cr. Luc.*), vel e vinculis quasi et carcere (*Orig. Ambr. Cyr. Theoph. Ians.*). Cum enim e promissione Spiritus s. vita ei non alia de causa producta esse videatur nisi ut Christum videret (*Mald.*), merito dicit tempore praesenti : nunc dimittis; animo vero quieto et tranquillo et plane felix e statione discedit *in pace*, in pace cogitationum, intrepiditatis, gaudii (*Euth.*), animo scil. laeto et voti compote (*Luc. Ians.*); simili modo olim locutus est Iacob patriarcha viso Ioseph filio quem ut mortuum planxerat : iam laetus moriar quia vidi faciem tuam (Gen. 46,30); in pace v. 30 *quia viderunt oculi mei salutare tuum;* emphasis est, ut *Ians.* ait, in eo quod dicit *oculi mei :* non iam fide solum et mente vidi salutare tuum, quemadmodum patres mei, sed hisce meis corporalibus oculis. Valet quippe de eo quoque quod Christus postmodum de apostolis dixit : vestri beati oculi quia vident..., amen dico vobis, quia multi prophetae et iusti et reges cupierunt videre quae vos videtis et non viderunt (Matth. 13,16. Luc. 10,24); v. 31 *quod parasti ante faciem omnium populorum*, salutem messianam omnibus destinari Simeon clare enuntiat et ea re simul ostendit quam bene doctus a Spiritu sancto intellexerit oracula prophetarum (Is. 2,2 seq. 11,10; 19,24; 25,6; 40,5; 42,4; 60,5 seq. Ez. 16,61. Am. 9,12. Mich. 4,1 seq. Ps. 86,4 etc.) et quam longe absit ab ea Iudaeorum invidia qua gentes in societatem salutis messianae admitti nolebant (cf. Act. 13,45; 17,5. 13. 1 Thess. 2, 16).

Salutem messianam a Deo omnibus proponi ait; sed quod omnibus est commune, gentibus et Iudaeis, id utrique appropriat ratione speciali singulis propria : v. 32 *lumen ad revelationem gentium*, gentibus quae vera Dei cognitione et revelatione divina carebant apte dicitur allatum iri lumen, quo tenebrae errorum et ignorantiae dissipentur mentesque veritatis luce illustrentur. Notum est salutem messianam et Messiam a prophetis iam annuntiari lucem gentium (cf. Is. 9,2; 25,7; 42,6; 49,6; 52,10; 60,3). Habet, ut *Alb.* ait, alia littera (lectio varians) : ad illuminationem gentium, et ita exponunt *revelationem* ἀποκάλυψιν *Theoph. Bed. Ipr. Schanz;* alii : lumen quod gentibus manifestum fieri debebit (*Mald. Luc. Weiss*) vel lumen quod revelationem divinam afferet gentibus (*cat. Cr. Ians. Keil*). Iudaeis qui institutione divina iam aliquatenus edocti erant Messias praeprimis et salus messiana erit materia gloriae *et gloriam plebis tuae Israel*, est enim salus a Iudaeis (Ioan. 4,22) et gentes conversae « debitores sunt eorum » (Rom. 15,27) iisque primo salus messiana est annuntianda (Act. 13,46. Rom. 1,16) et ea ratione illum gerunt principatum de quo prophetae quandoque loquuntur (Is. 14,1. 2; 49,22 seq. 60,10. Ier. 31,7. Am. 9,12. Zach. 14,16); praeterea iam a prophetis praedictum est fore ut gloria Domini tempore messiano eximie reveletur in Ierusalem (Is. 4,5. 6; 35,2; 40,5; 46,13; 52,1; 60,1. 2. 19. Os. 14, 7. Agg. 2,8. 10. Zach. 6,13), et ipse Messias insignem attulit eis gloriam, quod ex illis sit propagatus, ut indicat apostolus (Rom. 9,4. 5: *Euth. Theoph. Bed.*), quod suam illis solis praesentiam exhibuerit, apud eos solos miracula fecerit et prophetias eis datas impleverit (*Mald.*). Quod ultimo loco mentio fit Israel, aliqui acceperunt ideo quia caecitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret et demum in fine Israel salvus fieret (Rom. 11,25. 26; *Bed. Alb.*). Verum id ex ea collocatione erui nequit; praemittitur enim salutem messianam esse a Deo omnibus populis, ergo etiam Iudaeis, paratam et palam propositam.

Uti *S. Bon.* notat, laudatur Christus eo in cantico ut salus, lux, gloria; et in his ait consistere perfectam Christi commendationem et magnificentiam, immo totius evangelicae historiae quandam brevissimam comprehensionem.

Fuit mirandi argumentum non minimum quod audirent puerulum agnosci et praedicari tamquam salutem omnibus a Deo propositam, et perciperent in ipsa urbe Ierusalem Spiritum sanctum mysterium hoc iam pio seni revelasse v. 33 *et erat pater eius*, quod in aliis legitur *Ioseph*, emendatione ortum est ab iis quibus patris nomen immerito erat offensioni; at bono sensu vocari potest pater, non solum quia ab

omnibus tum temporis mysterii adhuc ignaris pater aestimabatur adeoque, ut *Beda* dicit, opinionem exprimebat vulgi quae vera historiae lex est, sed potissimum, quia pater erat legitimus (*Ians.*) ex lege coniugii et Iesus erat filius proprius et legitimus, ipsi legitime ex uxore virgine in sanctissimo coniugio divino munere datus (*Luc.;* similiter S. Aug. de cons. ev. 2,1; *Bed.;* vide quae adnotavi in Comment. Matth. I p. 43) *et mater mirantes super his quae dicebantur de illo;* Simeon enim non solum agnovit Messiam, sed etiam quod angelus non enuntiavit clare profitetur eum fore salvatorem omnium, lucem gentium, gloriam Israel. Etsi b. Virgo haec non ignoravit, tamen mirari poterat quod iis conditionibus, modo inexspectato, a sene simulac puerulum vidit praedicantur. Insuper verum est quod *Luc.* advertit, eiusmodi mysteria quoties in memoriam et considerationem revocentur, toties novam admirationem et gaudium excitare.

Simeon autem qui adeo exsultat puerulo conspecto, quomodo non gratularetur parentibus eius eosque beatos praedicaret? v. 34 *et benedixit illis Simeon* εὐλόγησεν; inde aliqui concluserunt Simeonem fuisse sacerdotem (*Cai. Tol. Dion. Salm. Sylv.*); verum iam *Ians.* notat plane inefficax esse argumentum, cum simpliciter accipi possit senem illis fausta adprecatum esse vel eos felices praedicasse quod tanti pueri parentes esse meruerint; quo sensu etiam *S. Bon.* verbum accipit. Iam coeptum est impleri illud : beatam me dicent etc., sed simul matri indicat fore ut filius plurima sustineat et ipsa acerbissimo dolore sit percutienda; *et dixit ad Mariam matrem eius : ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel;* a prophetis praedictum erat solum reliquias fore salvas, Dominum fore infidelibus in Israel et Ierusalem in lapidem offensionis, in laqueum et in ruinam, tempus salutis messianae fore etiam tempus ultionis, inimicos Dei et Messiae iri prostratum; frustra populum incredulum ad salutem capessendam provocari (Is. 8,14; 10,22; 49,26; 50,11; 51,23; 61,2). Si autem salus oblata reiicitur, eo maior erit damnatio, quo maior salus et opportunitas ea potiundi exsistebat. Dicitur *positus in ruinam* eo modo quo Christus quoque loquitur : in iudicium in hunc mundum veni, ut qui non vident videant et qui vident caeci fiant (Ioan. 9,39) et : si non venissem et locutus fuissem eis, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo (Ioan. 15,22; cf. Rom. 9,33. 1 Cor. 1,18). Misit Deus Messiam quamvis certo sciret maiorem Iudaeorum partem impacturam in eo, iri offensum eius humilitate, scandalo crucis; qua praescientia non obstante dum exhibuit eum, dicitur eum posuisse in ruinam, quo modo saepe loqui solent s. litterae. Verum si illud *in ruinam* triste quid sonat, alterum *in resurrec-*

tionem gaudium annuntiat multos ex conditione miseriae et mortis spiritualis ad veram et beatam vitam iri adductum.

Porro explicat, unde alii sibi ruinam et exitium sint ipsi machinaturi (*Cai. Ians.*) *et in signum cui contradicetur* ἀντιλεγόμενον cui contradicitur; est σημεῖον, ignorari nequit, omnibus se offert conspicuum; verum in iis qui pereunt quia caritatem veritatis non receperunt (2 Thess. 2,10) Christus eiusque doctrina et opera odium reperiunt implacabile. Nam hominum superbia et malae concupiscentiae intumescunt in eum qui submissionem, abnegationem exigit. Quantopere contradictio et oppositio in eum aucta sit, narrationibus evangelicis satis proditur neque post Iesu in coelum ascensionem cessavit. Ipse eiusque Ecclesia semper infidelibus est signum cui contradicitur, sicuti crux Iesu et mors, pretium redemptionis et fons gratiarum, Iudaeis est scandalum et gentibus stultitia (1 Cor. 1,23). Quod Iesus expertus est, etiam eius experientur discipuli; recogitate enim eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem; ut ne fatigemini animis vestris deficientes (Hebr. 12,3).

Et si filius oppugnationibus, persecutionibus est expositus, quae erit matris pars? v. 35 *et tuam ipsius animam pertransibit gladius*, non corporis transfixio et tormenta, sed animae significantur; uti contradictio adversus Iesum culmen et fastigium attigit in crucifixione, ita anima matris gladio doloris transfixa est, dum stabat mater dolorosa iuxta crucem videns filii cruciatus et mortem acerbissimam; « gladio enim propemodum sancta Virgo transfigebatur, dum crucifixum videret quem ipsa secundum carnem genuerat » (*S. Cyr.*); gladium enim nominat dolorem acutissimum maximeque dividentem qui penetravit cor matris, dum filius eius cruci affixus est (*Euth.* sim. *Bed. Alb. Bon. Cai. Dion. Salm. Lap. Sylv. Cord. Calm. Schegg, Schanz, Fil.* cf. *Suarez* in 3 p. qu. 27 disp. 4 s. 3 n. 5. 6). Alii gladium intelligunt ferrum quo Christus transfixus est et quo simul anima matris est vulnerata (*Tol. Mald. Luc.* qui duplicem gladium linguae et ferri ingerit); sententia quidem haud multum discrepat, sed modus explicandi est aequo subtilior. Reiici autem debet quod habet *Orig. cat. Cr.* auctor quaest. novi et vet. test. qu. 73 (*M.* 35,2268, quem non esse S. Augustinum notandum est contra *Fil.*) intelligi gladium dubitationis in fide, quae sententia iniuriam b. Virgini infert[1]; insuper tropus esset

1. Quam sententiam alii quoque in catena Corderii proponunt, uti S. Basilius, Metaphrastes. Ibi recitatur locus quoque Origenis plane contrarius ei opinioni quam in hom. 17 in Lucam exprimi certum est; omnis quippe dubitatio ab anima eius excluditur et gladius solum explicatur de acutissimo dolore. Hanc explicationem etiam *Theoph.* habet, sed simul addit : fortassis (τάχα) gladium dicit scandalum quo offensa fuit videns crucifigi Dominum.

satis mirus neque ullo modo cum antecedentibus cohaerens. Alii gladium contradictionis explicant (*Ians.*); sed non erit omittendum quo demum facinore contradictio illa sit ad culmen perducta. En quae sit pars et sors b. Virginis futura. Praedicatur beata; at eius in hac vita beatitas etiam in eo consistere dicitur, ut intimis animi doloribus particeps evadat perpessionum Christi. Annuntiatur pastoribus gaudium, matri gladius doloris acerbissimi. Quo quis propior est Iesu, eo magis hisce in terris socius erit perpessionum, postea utique gloriae.

Christi autem persona et opus et persecutiones quibus impetitur in eum a Deo diriguntur finem, *ut revelentur ex multis cordibus cogitationes;* refertur hoc, ut bene notat *Luc.*, ad totum id quod praecedit significatque *ut* non solum eventum et consecutionem, sed causam et finem. Cum enim Christus appareret, manifestum factum est qui sint vere cultores Dei; secreta cordium, malitia ducum et principum in Israel eorumque perversitas et apostasia a Deo pariter nota fiebant. Simulac lux venit in mundum, opera hominum manifestabantur, dilexerunt homines magis tenebras quam lucem; erant enim opera eorum mala (Ioan. 3,19). Magna quaedam itio in partes effecta est, uti Christus dixit non pacem se mittere, sed gladium; Iudaeis quoque larva pietatis detracta est, quia manifesta opera Dei attribuebant diabolo, ita ut Christus eos diceret ex patre diabolo esse et huius patris desideria facere (Ioan. 8,44). Eo tempore demum patebat quantopere deflexissent plerique ab illa notione instaurationis messianae quam prophetae tradiderunt consistere potissimum in vera iustitia et sanctitate. Simili modo dicit apostolus : oportet et haereses esse, ut qui probati sunt manifesti fiant (1 Cor. 11,19). Atque hodiedum persecutiones et tribulationes quas vel singuli vel Ecclesia experiuntur Christi ad exemplum lapis sunt quasi lydius quo vera pietas a fucata discernatur.

« Prophetavit itaque Simeon, prophetaverat Virgo, prophetaverat copulata coniugio; debuit etiam vidua, ne qua aut professio deesset aut sexus; et ideo Anna et stipendiis viduitatis et moribus talis inducitur, ut digna plane fuisse credatur quae redemptorem omnium venisse nuntiaret » (*S. Ambr. Bed.*) v. 36 *et erat,* tum temporis exsistebat, non ut aliqui volunt, tum aderat in templo; nam id demum refertur in v. 38 *Anna prophetissa,* spiritu prophetico praedita (cf. נביאה Ex. 15,20. 2 Reg. 22,14. 2 Chron. 34,22), quo spiritu hominibus sermo fit ad aedificationem et exhortationem et consolationem (1 Cor. 14,3) et etiam futura quandoque praedicuntur et occulta manifestantur (1 Cor. 14,25); *filia Phanuel de tribu Aser;* propter historiae certitudinem et fidem conciliandam nomen eius proprium ac patris tribusque refe-

runtur, utque ab aliis quae eodem nomine vocabantur secerneretur (*Tol.*); *haec processerat in diebus multis* (hebraismus est; cf. Gen. 18, 11. Ios. 23,1 et supra 1,7; additur *multis*, ut provectae admodum aetatis fuisse significetur) *et vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua;* virgo itaque nubilis, forte annorum 15, uti fere assolebat, in matrimonium erat collocata; post septem annos vidua est facta neque secundas contraxit nuptias, quamvis esset vidua satis iuvenis. Eiusmodi continentia celebratur laude; cf. Iudith 15,11 confortatum est cor tuum eo quod castitatem amaveris et post virum tuum alterum nescieris, et apud gentes quoque honori ducebatur, uti *Iosephus* (Ant. 18,6.6) narrat Antoniam magno in honore fuisse apud Tiberium, quia florente adhuc aetate vidua manserit; tales viduae etiam apud Christianos in honore habebantur (cf. 1 Tim. 5,9); v. 37 *et haec vidua usque ad annos octoginta quattuor,* non anni 84 viduitatis exprimuntur (*Ambr.*) sed aetatis, uti fere omnes explicant (cf. *Alb. Mald. Tol. Ians. Lap. Schegg, Schanz, Fil. Weiss*); quia ut ait *Luc.*, eo adhuc tempore vacasse nocte ac die ieiuniis et orationibus dicitur, non fit verisimile eam annos circiter 106 habuisse, cum aetas centenaria non videatur continuos huiusmodi labores ferre posse.

Haec vidua in se iam expressit quod praecipit apostolus : quae vere vidua est, instet obsecrationibus et orationibus nocte ac die (1 Tim. 5,5), *quae non discedebat de templo ieiuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die,* λατρεύουσα cultum Deo exhibens religiosum ieiuniis et orationibus, idque assiduitate maxima et constantia; non discedebat de templo, dicitur locutione vulgari per hyperbolen, sicut qui valde familiaris alicui est, dicitur ab eius latere nunquam recedere (*Mald.*); proin frequentabat templum assidue et plurimum temporis ibi orationi dabat, simili modo quo apostolus scribit : non cessamus pro vobis orantes (*Tol. Ians.*). Ita plerique; aliqui tamen eam accolam templi fuisse et in exteriore templi parte, ubi exedrae seu cellae aedificatae erant, habitasse existimant, eo fere modo quo dicitur Ex. 38,8 (mulieres excubabant in ostio tabernaculi) et 1 Reg. 2,22 (cf. *Baronius,* Apparatus ad ann. eccl. n. 50 et ad annum 1 n. 41; *Luc. Lamy, Keil*). Commendatur itaque a spiritu prophetico, ab aetatis maturitate, a continentia, a cultu divino assiduo, ab abstinentia; « devotae conversationis et venerandae pariter aetatis dignaque per omnia quae Domino incarnato testimonium ferret Anna fuisse docetur » (*Bed.*) v. 38 *et haec ipsa hora superveniens confitebatur Domino* ἀνθωμολογεῖτο vicissim laudibus celebrabat Deum, scil. de Messiae adventu, id quod ex sequentibus pariter colligitur, sicut ex antecedentibus (v. 30 seq.) patet; *et loquebatur de illo,* scil. de puerulo, *omnibus qui exspectabant redemptionem*

Israel; simul ac ipsa novit salutare Dei, nuntium adeo faustum sollicita est cum iis communicare qui eandem spem messianam fovebant. Legitur in codicibus : *redemptionem Ierusalem* (vide lect. var., quam lectionem esse genuinam iam *Luc.* perspexit; eam autem mutatam esse ex eo explicat quia de redemptione Israel passim in Scriptura legatur); consideratur enim Ierusalem eodem modo quo apud prophetas saepe ponitur pro regno messiano; idque fit merito, quia in urbe principali et centro theocratiae vel regni Dei facillime totum Dei regnum significatur (cf. Is. 40,2; 51,17; 52,1; 60,1 etc.; vide quae notavi in Comment. Ez. p. 514). Qualem autem redemptionem pii exspectaverint, colligitur ex verbis Zachariae (1,77) et Simeonis.

Denuo monet evangelista omnia ex legis praescripto esse peracta, scil. in purificatione legali matris, in primogeniti oblatione et redemptione v. 39 *et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilaeam in civitatem suam Nazareth* (cf. 1,26; 2,4). Modo loquendi innui videtur, si sensu obvio res consideratur praesentatione facta eos reversos esse in Nazareth. Neque hoc videtur esse improbabile. Cum autem Ioseph redux ex Aegypto habitare vellet in Bethlehem (Matth. 2,22), assumendum erit eum rediisse in Nazareth ut rebus ibi compositis domicilium transferret in Bethlehem, ubi revera post praesentationem cum magi advenirent sacra familia habitavit; vide quae dixi in Comment. Matth. I p. 110. Sed alia quoque explicatio probabilis afferri potest. Cum enim evangelista in v. 40 statim transeat ad pueritiam Iesu describendam, censeri omnino poterit mentionem intulisse de Nazareth in v. 39 quia ibi puer adolevit; proinde eum omissa narratione de adventu magorum et de fuga in Aegyptum et reditu properasse ad designandam urbem in qua Iesus adolevit (*S. Aug.* de cons. ev. 2,5; *Luc. Schegg, Schanz, Fil. Keil*); v. 40 *puer autem crescebat et confortabatur;* haec duo ad corpus pertinent; crescebat corporis mole et confortabatur membrorum robore; temporis progressu et statura procerior et membra robustiora efficiebantur (*Tol.*); iam quae ad animam spectabant : *plenus sapientia et gratia Dei erat in illo* ἐπ' αὐτό super illum; humanus Iesu intellectus instructus est scientia ex visione Dei hausta, scientia infusa; est plenus sapientia ab initio, uti communis est doctrina theologorum scholasticorum (cf. ex interpretibus v. g. *Alb. Cai. Tol. Mald. Luc. Lap.*); anima eius humana ornata est maximo quodam gradu gratiae sanctificantis; non enim ad mensuram dat Deus spiritum (Ioan. 3,34). Unde Deus Pater quoque ei testimonium perhibet : hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui (Matth. 3,17. Luc. 3,22). Atque Messiam fore plenum sapientia et gratia, iam

Isaias significavit 11,2 seq. 42,1; 52,13; 61,1; ceterum vide infra ad v. 52.

Obiiciunt aliqui rationalistae ea quae Lucas narret de pastoribus, de Simeone et Anna et de reditu in Nazareth nullatenus posse conciliari cum iis quae referat Matthaeus de adoratione magorum et de fuga in Aegyptum (*Strauss, Meyer, Keim*); nam apud S. Lucam puerulum plane alio modo coli, scil. non a magis, sed a pastoribus, neque ullum cerni periculum vel persecutionis vestigium seu indicium. Porro secundum Matthaeum domicilium Ioseph et Mariae fuisse in Bethlehem; eos enim eo voluisse reverti cum ex Aegypto reduces essent, dum e contra secundum Lucam habitassent in Nazareth (ita *de Wette, Strauss, Schenkel, Bleek, Meyer, Keim*).

Verum haec inter se conciliare non est difficile, dummodo non falsum illud supponatur unumquemque rerum scriptorem *omnia* narrasse quae evenerint. Utique cultus a pastoribus et a Simeone et Anna exhibitus puerulo alius est ab eo quem magi praestiterunt. Sed quomodo inde sequatur alterutrum debere ad fictionem quandam referri, nemo intelliget nisi rationalista. Cum Herodes a bimatu et infra secundum tempus quod exquisierat a magis pueros iubeat interfici, tempus nequit deesse quo et praesentatio in templo et adventus magorum evenire poterat (vide quae disputavi in Comment. Matth. I p. 72 seq.). Quomodo itaque unus modus puerulum venerandi alterum excludat, nulla ratio afferri potest. Et quod ad alteram obiectionem spectat, ex eo quod Ioseph ex Aegypto redux secedere voluit in Bethlehem, non necessario sequitur, eum et Mariam non antea habuisse domicilium in Nazareth. Nam cum divina dispositione factum esset, ut puerulus nasceretur in civitate David, cum insuper parentes eius scirent ipsi datum iri thronum David patris eius, facillime poterant opinari esse quoque ex Dei voluntate, ut puerulus in eadem civitate David adolesceret. Nam sicut sacerdotes et scribae sciunt ex oraculo prophetico Messiam nasci debere in Bethlehem (Matth. 2,5), ita parentes eius poterant existimare eum ex eodem vaticinio ibi quoque adolescere debere, ut impleatur quod dictum est: ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israel (Mich. 5,2. Matth. 2,5). Quomodo autem Luc. 2,39 non sit contrarium iis quae a Matthaeo narrantur supra iam ostensum est.

Tota itaque obiectio solum ex eo oritur quod contendunt vel supponunt Lucam debuisse *omnia* narrare et pariter Matthaeum. Sed quis id *serio* affirmare audebit? Matthaeus ea potissimum ex infantia Christi seligit quibus vaticinia esse impleta constat. Lucas ea profert quibus apparet Iesum esse Filium Dei qui factus sit ex semine David secundum carnem et factus sub lege; qua in re ad amussim explicat et probat doctrinam apostoli cuius erat socius (Rom. 1,3. Gal. 4,4). Idcirco refert ex una parte quae ad Iesu gloriae manifestationem pertinent (1,32 seq. 41 seq. 76; 2,9-14; 2,26-38), et ex altera quae ad observantiam legis spectant (2,21. 22-24, 39. 41 seq.). Atque quam falso ex silentio unius evangelistae concludatur vel eum rem nescisse vel id non contigisse quod tacet, tum aliis ostenditur tum iis quae

S. Ioannes adnotat 21,25; idem patet si Luc. 24 et Act. 1 inter se contuleris. Proinde nisi quis firmiter apud se statuerit necesse esse ut evangelistae inter se committantur et ut omnis alicuius contradictionis species et umbra quam maxime augeatur ad eorum fidem labefactandam, debebit concedere sacris scriptoribus quod nulli negatur profano, ut scil. cuique liceat ex copia rerum ea seligere et enarrare quae ad suum cuiusque consilium atque finem apta et consentanea videantur.

i) Iesus duodennis in templo 2,41-52.

2,41. Et ibant parentes eius per omnes annos in Ierusalem, in die solemni Paschae. 42. Et quum factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis Ierosolymam secundum consuetudinem diei festi, 43. Consummatisque diebus, quum redirent, remansit puer Iesus in Ierusalem, et non cognoverunt parentes eius. 44. Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, et requirebant eum inter cognatos et notos. 45. Et non invenientes, regressi sunt in Ierusalem, requirentes eum. 46. Et factum est, post triduum invenerunt illum in templo, sedentem in medio doctorum, audientem illos, et interrogantem eos. 47. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia et responsis eius. 48. Et videntes admirati sunt. Et dixit mater eius ad illum : Fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te. 49. Et ait ad illos : Quid est quod me quaerebatis? nesciebatis quia in his, quae patris mei sunt, oportet me esse? 50. Et ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad eos. 51. Et descendit cum eis, et venit Nazareth; et erat subditus illis. Et mater eius conservabat omnia verba haec in corde suo. 52. Et Iesus proficiebat sapientia, et aetate, et gratia apud Deum et homines.

2,41, Καὶ ἐπορεύοντο οἱ γονεῖς αὐτοῦ κατ' ἔτος εἰς Ἱερουσαλὴμ τῇ ἑορτῇ τοῦ πάσχα. 42. καὶ ὅτε ἐγένετο ἐτῶν δώδεκα ἀναβαινόντων αὐτῶν κατὰ τὸ ἔθος τῆς ἑορτῆς, 43. καὶ τελειωσάντων τὰς ἡμέρας, ἐν τῷ ὑποστρέφειν αὐτοὺς, ὑπέμεινεν Ἰησοῦς ὁ παῖς ἐν Ἱερουσαλήμ· καὶ οὐκ ἔγνωσαν οἱ γονεῖς αὐτοῦ· 44. νομίσαντες δὲ αὐτὸν εἶναι ἐν τῇ συνοδίᾳ, ἦλθον ἡμέρας ὁδὸν, καὶ ἀνεζήτουν αὐτὸν ἐν τοῖς συγγενέσιν καὶ τοῖς γνωστοῖς· 45. καὶ μὴ εὑρόντες ὑπέστρεψαν εἰς Ἱερουσαλὴμ, ἀναζητοῦντες αὐτὸν. 46. Καὶ ἐγένετο μετὰ ἡμέρας τρεῖς εὗρον αὐτὸν ἐν τῷ ἱερῷ, καθεζόμενον ἐν μέσῳ τῶν διδασκάλων, καὶ ἀκούοντα αὐτῶν καὶ ἐπερωτῶντα αὐτούς. 47. ἐξίσταντο δὲ πάντες (οἱ ἀκούοντες αὐτοῦ) ἐπὶ τῇ συνέσει καὶ ταῖς ἀποκρίσεσιν αὐτοῦ. 48. Καὶ ἰδόντες αὐτὸν ἐξεπλάγησαν· καὶ εἶπεν πρὸς αὐτὸν ἡ μήτηρ αὐτοῦ Τέκνον, τί ἐποίησας ἡμῖν οὕτως; ἰδοὺ, ὁ πατήρ σου κἀγὼ ὀδυνώμενοι ἐζητοῦμέν σε. 49. καὶ εἶπεν πρὸς αὐτοὺς, Τί ὅτι ἐζητεῖτέ με; οὐκ ᾔδειτε ὅτι ἐν τοῖς τοῦ πατρός μου δεῖ εἶναί με; 50. καὶ αὐτοὶ οὐ συνῆκαν τὸ ῥῆμα ὃ ἐλάλησεν αὐτοῖς. 51. Καὶ κατέβη μετ' αὐτῶν, καὶ ἦλθεν εἰς Ναζαρέτ· καὶ ἦν ὑποτασσόμενος αὐτοῖς. καὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ διετήρει πάντα τὰ ῥήματα ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῆς. 52. καὶ Ἰησοῦς προέκοπτεν τῇ σοφίᾳ καὶ ἡλικίᾳ, καὶ χάριτι παρὰ Θεῷ καὶ ἀνθρώποις.

In v. 41 Ioseph et Maria ger a b c ff² l r (c ff² add mater eius). In v. 42 αναβαινοντων ℵ A B K L X Π aliq minusc f q vulg; al pler αναβαντων, ascendissent ger b c ff² r, ascenderunt a d e; non add εις ιεροσολυμα in ℵ B D L aliq minusc sah cop syr (sch). In v. 43 εγνωσαν οι γονεις αυτου ℵ B D L minusc aliq sah cop syr (hr) vulg; Ioseph et mater eius it pler ger secundum Δ C Ξ Γ Δ Λ Π unc 8 go syr (sch) (tat aeth. In v. 37 e et omnes qui audiebant admirabantur prudentiam et os et responsa; d intellecto, a

sapientia. In v. 48 c nam et propinqui tui et ego; dolentes et tristes a d e ff^2 l q r dub (marg) gat syr (cu) ger lich; D οδυν. καὶ λυπουμενοι. In v. 49 οιδατε D, nescitis it Ir Tert gat Cyr Thdrt. In v. 51 absque ταυτα א* B D M a c arm. In v. 52 aetate et sapientia pler it lich, uti D L cop syr (cu, sch, hr) Or Epiph Cyr Amphil Thdrt; addit ev hier et in intelligentia (ובבורנויתא), sin tat statura et sapientia et gratia (sin v. 41 in festo azymorum pascha; v. 47 audiebant et stupebant de sapientia eius etc. v. 48 et quando invenerunt eum parentes eius, stupebant; in dolore multo quaerebamus).

Pergit evangelista Iesum ostendere factum sub lege, et simul probatur quam recte modo dixerit eum plenum sapientia (v. 40; ita nexum adstruunt *Orig. Cyr. cat. Cr. Theoph. Ians.*); Iesus autem nunc ipse primum divinitatis suae specimen exhibet (*Mald.*); sicut enim antea conditio eius humilis et per angelos et per Simeonem Annamque coelesti revelatione est illustrata et ornata gloria, ita nunc ipse dum legis praeceptum humilis et obediens subit aliquem suae dignitatis radium emittit hominesque ad tempus plenae suae manifestationis praeparat; v. 41 *et ibant parentes eius per omnes annos in Ierusalem in die sollemni paschae* τῇ ἑορτῇ in festo vel ad festum; cf. Ex. 34,23. Deut. 16,16; feminae quidem non tenebantur lege eundi in urbem; religionis ac pietatis causa poterant ire, id quod b. Virginem non omisisse hoc loco docemur. Vix enim verbis narrationis permittitur sentire cum *Schegg*, b. Virginem hoc demum anno cum Iesus prima vice ascenderet etiam ascendisse, non autem annis praeteritis, ne scil. per aliquot dies a filio separaretur; obstat ei opinioni quoque in v. 42 ascendentibus illis secundum consuetudinem; unde bis idem de parentibus asseritur; v. 42 *et cum factus esset annorum duodecim*, qua scil. aetate ex rabbinorum quoque placitis puer initiandus erat ad ieiunandum et ad observationem legis, censebatur maturus (cf. *Lightfoot* ad h. l.; *Wetstein, Patritius,* de evan. lib. 3 diss. 38 cap. 1; *Wünsche*) et appellabatur בֶּן הַתּוֹרָה filius legis, *ascendentibus illis Ierosolymam secundum consuetudinem diei festi* ἀναβαινόντων participium praesens coniunctum cum ὑπέμεινεν ponitur pro tempore imperfecto; unde explica: dum ea vice iter ad festum facerent, accidit ut puer remaneret (cf. *Winer* l. c. § 45,1), subest quippe notio eiusdem temporis quo uterque eventus contigit, v. 43 *consummatisque diebus*, non erat necesse per dies septem remanere in urbe, per quos dies panes azymi erant comedendi (Lev. 23,6. Deut. 16,6 seq.), sed iam licuit die tertio discedere (*Lightfoot* ad h. l.), *cum redirent, remansit puer Iesus in Ierusalem;* quaerunt ascenderitne Iesus ea aetate prima vice. Eum iam antea saepius ascendisse aliqui censent (cf. *Iuvencus* 1 v. 284; *Bed. Mald. Tol. Fil.*) et *Mald.* inde arguit quia dicitur eo anno remansisse, quasi insinuet evangelista aliis annis ascendisse quidem sed non remansisse. Sed con-

venientius omnino videtur ut Iesus prima vice cum in templo se sisteret aliquem maiestatis suae ederet splendorem et cum adeo accurate annus notetur, evangelista idem indicare censendus erit (cf. *Schegg, Schanz, Weiss*) [1].

Iesus certo consilio remansit insciis parentibus. Ostendit scil. quale esset suum officium ad quod peragendum a Patre missus erat et in quo soli Patri erat subditus. Erant enim, ut *Tol. Cord.* huc adnotant, operationes Christi in duplici differentia; aliae communes, propriae aliae, quas scil. ut redemptor faciebat et quae magis ad eius divinitatem pertinebant. In communibus voluit subiici parentibus, in propriis vero soli Patri erat subditus. Voluit ergo parentibus insciis remanere, ut qui in multis hactenus obedierat, significaret se habere quaedam alia in quibus non ipsis subdebatur, sed Patri coelesti. Et ad demonstrandum apte tempus elegit pueritiae, in quo magis quam in aetate adulta filii obedire debent; *et non cognoverunt parentes eius,* non adverterunt eum remansisse; fuerunt quidem ex acatholicis qui Mariam gravissimi peccati et negligentiae accusarent quod filium perdidisset. At hodie generatim de ea accusatione silent. Atque nullam ea in re intervenisse parentum culpam, S. Lucas satis declarat v. 44 *existimantes autem illum esse in comitatu* [2], cum sociis itineris, quia turmatim proficisci solebant in eiusmodi occasione, *venerunt iter diei,* iter diei peregerunt; noverant filii virtutem et sapientiam; insuper puer annorum duodecim in regione orientali iam satis est maturus; proin non erat cur eum cum aliis proficisci vel parum antecedere non putarent aut cur ea de re essent solliciti. Vespere autem cum variae turmae in mansione vel in hospitio colligerentur *requirebant eum inter cognatos et notos,* v. 45 *et non invenientes regressi sunt in Ierusalem,* altero scil. die iter peractum remensi sunt *requirentes eum* v. 46 *et factum est post triduum,* scil. ex quo profecti erant ab urbe, unum diem consumpserunt iter diei facientes ab urbe, alterum dum reverterentur; tertio die eum invenerunt; ita communiter explicant; cf. *Euth. Alb. Cai. Ians. Tol. Mald. Lap. Luc. Ipr. Lamy, Calm. Schegg, Grimm, Schanz, Fil. Keil, Weiss,*

1. Ad quam sententiam confirmandam notat *Patritius* l. c. id colligi ex verbis Lucae qui narret parentes ivisse per omnes annos, non tamen Christi una cum eis illuc euntis meminisse, etsi potior causa esset, cur huius quam illorum mentio fieret. « Hoc autem posito vix dubitare est notationem aetatis Christi eodem pertinere quo notationem diei octavi, ubi Ioannis baptistae atque ubi Christi circumcisionem idem ipse Lucas narravit, et dierum quadraginta, ubi Mariae purificationem descripsit, ut tempus videlicet designaretur lege aut consuetudine praefinitum his rebus gerendis ».

2. Inde elucet non esse sentiendum cum *Bed. Alb. Bon.* seorsum viros et seorsum feminas iter fecisse et pueros cum utrolibet parente incedere potuisse ideoque beatam Mariam et Ioseph vicissim putasse Iesum cum altero parente esse reversum. Iam *Suarez* monet illum itinerandi modum esse incertum (l. c. disp. 4 s. 3 n. 4).

Sp. et haud immerito notat *Luc.* : « crediderim quod mox ut licuit summo mane parentes Iesu templum adierint, persuasi illic fore potius quam alibi, si sponte Ierusalem remanserit, ob singularem eius quam perspectam habebant erga Deum pietatem; et fieri potest, ut erat templum vastum, quod diu quaesierint in templo ». Neque enim cogitandum est parentes eius per duos vel tres dies cursitasse per domos notorum vel per hospitia, diversoria, regiones urbis eum quaerentes et tertio demum die illis venisse in mentem ut ingrederentur templum. Verum quo dolore affecti sint, dum vespere in hospitio Iesum non invenerint, quam tristem egerint noctem, quo animorum cruciatu iter remensi sint, sane difficile verbis explicabitur. Sine dubio b. Virgo oraculi Simeonis recordata iam doloris gladio animam suam transfigi persensit. Cum scirent quis esset puer ignorare quidem non poterant id neque casu neque negligentia pueri accidisse, verum subesse consilium divinum. At quia subito ipsis insciis puer ab eis recessit, quid tandem rei subesset eos maxime sollicitos et incertos habebat.

Post tres igitur dies, ex quo remanserat in urbe, *invenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum audientem illos et interrogantem eos*, ἐν μέσῳ i. e. inter doctores, « nec enim ut opinor significatur illum loco doctorum consedisse, ut quidam intelligunt; nam nec evangelista tamquam doctorem sed tamquam discipulum sedisse indicat, cum audisse tantum et interrogasse dicit, quae sunt discipuli partes » (*Mald.*) et Iesum sedisse inter eos tamquam discipulum explicant *Bed.* (quasi exemplar humilitatis audire prius et interrogare doctores quam instruere quaerit indoctos) *Tol. Ians. Salm. Lap. Luc. Ipr. Lamy, Calm.* (« perperam a pictoribus exhibetur more magistri honestissimo in loco sedens ») *Patritius* l. c. cap. 2 n. 15; *Fil.;* alii malunt eum doctoris partes egisse et in loco honorifico consedisse (cf. *Schegg, Grimm*[1], *Schanz*). Iesus sane eas posuit interrogationes et interrogatus eas dedit responsiones quibus alios fructuose doceret. Fuisse autem disputatum de tempore, adventu, officio Messiae aliqui haud improbabiliter existimant; in evangelio infantiae arabico disputatio inchoatur a quaestione Iesu : Messias cuius est filius (et sequitur illud apud Matth. 22,43 seq.), dein Iesus explicat libros et legem et praecepta et statuta et mysteria quae in libris prophetarum continentur; sed tum tractatur astronomia, numerus sphaerarum etc., etc. (cap. 50-52). In more positum erat, ut

1. Dicit *Grimm* eandem sententiam proponi a Salmeron. Distinctione opus esse videtur. Ait enim *Salm.* : « et Christus quidem Dominus prius egit excellentem discipulum (siquidem audiebat et interrogabat) quam egerit doctorem vel praeceptorem, quamquam suum illud interrogare docere esset ». Locum autem ei datum esse dicit postquam sapientia sua animos doctorum sibi conciliasset in medio quo commodius ab omnibus audiretur.

discipuli vel quicumque aderant doctorem de re quapiam tractantem interrogarent eique varia proponerent dubia. Eiusmodi disputationes habebantur non in ipso sanctuario, sed sive in atrio gentium sive in conclavibus vel exedris quae ad templum proprie dictum adiecta erant; ἱερόν dicitur totum templi aedificium, ναός saepius solum sanctuarium. Apud talmudistas sermo est de domo doctrinae prope templum (בית מדרש).

Iesum autem non modo aliorum discipulorum se habuisse, verum aliquid naturae suae altioris manifestasse, ita ut omnes admiratione summopere percellerentur quasi viso grandi miraculo, declaratur v. 47 *stupebant* ἐξίσταντο quasi ecstasi capti et sui prae obstupefactione iam non compotes, *autem omnes qui eum audiebant super prudentia et responsis eius,* quod scil. puer duodennis tanta rerum sacrarum intelligentia praeditus esset; et cum audissent doctores eum sapientissime interrogantem, ipsi quoque ei quaestiones ponebant, quibus supra aetatem et opinionem respondebat, ita ut omnes in suam verterit admirationem non intelligentes qui fieri posset, ut puer de tantis rebus tam accurate cogitaret et plus quam senilem sapientiam proderet comitatam rara adeo vultus, gestus, linguaeque modestia. Quo tempore pueri sapientiae capaces esse incipiunt, voluit admirandae sapientiae intus in se latentis gustum dare et futuri muneris sui specimen edere, tum ut doctores excitaret ad cogitandum et inquirendum de Christi adventu, tum ut cum postea doceret facilius ab ipsis reciperetur, quod ait *Euth.* (*Luc.*). Uti scil. narratione pastorum, uti per Simeon et Annam, ita iam per seipsum dari voluit documentum quo pii Israelitae admonerentur instare tempus redemptionis Israel; sunt haec quasi quoddam diluculum et lucis appropinquantis indicia, quibus solem iustitiae mox esse oriturum significatur.

Parentes autem Iesu cum omnes admiratione attonitos a Iesu ore pendere cernerent v. 48 *videntes admirati sunt* ἐξεπλάγησαν obstupuerunt, subita rei novitate perculsi; nam eousque puer nihil palam ediderat quo suam declararet dignitatem. Quam si manifestandi tempus iam adsit, cur id coniunctum esse debet cum summo parentum dolore? *et dixit mater eius ad illum,* quod mater prae affectus magnitudine prior loquatur, nemo mirabitur : *fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te;* verba haec non sunt cum *S. Bon.* dicenda corripientis matris, sed manifestantis affectum suum et dolorem, quod filius parentibus inconsultis cum tanto eorum dolore remanserit (*Ians.*); vel potius interrogatio est admirantis et causam ignorantis cur sic cum parentibus egerit et dolorem iis attulerit (*Tol.*). Causam quam ignorat et propterea admiratur ex filio, quem utpote irrepre-

hensibilem noverat nihil absque iusta causa agere, intelligere desiderat (*Luc. Mald. Lap.*). Notant quoque ne in ordine quidem nominis Mariam primas sibi partes attribuisse neque se Iosepho praetulisse sed sibi eum utpote maritum praeposuisse, quamvis non natura sed sola coniugii lege et fama esset pater. Sunt qui putaverint haec matrem dixisse cum dimissis doctoribus solus esset cum parentibus puer (*Ians. Mald. Tol. Lap.*). Sed dubito num recte. Nam in responsione Iesu aliud continetur indicium suae dignitatis altioris et cum totus iste eventus ad indicandam Iesu naturam divinam dirigatur, hoc insigne documentum non poterit censeri quasi intra parietes domesticos latuisse. Dein affectus quoque vehementia suadetur matrem simul ac filium viderit in ea prorupisse verba.

Iesus ad duo quae mater dixerat respondet; incipit autem ab ultimo (*Tol.*) v. 49 *et ait ad illos*, utrumque parentem alloquitur, quia mater utrumque nominaverat, pro utroque locuta, ut causa utrique communis erat (*Luc.*), *quid est quod me quaerebatis?* non erat causa vobis me quaerendi; « non sunt haec verba reprehensionis, sed instructionis, consolationis et defensionis cuiusdam; instructionis, docet enim quod factum est consilio ac mysterio divino gestum esse; consolationis, quia causam dolendi et sollicite inquirendi non fuisse dicit; defensionis, quia causam illis dolendi et anxie quaerendi se dedisse tacite negat, quasi diceret : non ego vobis causam huius cruciatus et inquisitionis dedi; non enim feci quidquam propter quod revera me dolentes quaerere debuissetis; vos pro amore vestro et quia ignorabatis rei mysterium causam vobis ministrastis » (*Tol.*). Idque clarius enuntiatur et probatur et simul ad priora matris verba respondetur : *nesciebatis quia in his quae Patris mei sunt oportet me esse?* quasi dicat : merito vobis in mentem venire debebat quod alioquin sciebatis (*Ians.*), scire et cogitare poteratis ex iis quae de me perspecta habetis, me dum a vobis recesserim nihil aliud potuisse facere nisi obsequi voluntati Patris mei et ea agere quae Patris mei sunt; hinc colligere poteratis causam absentiae meae simulque non esse cur de me essetis anxii et solliciti. Simul respondet ad illud : cur fecisti nobis sic? nimirum quia oportet me esse in his quae Patris mei sunt, in quibus a vobis non pendeo. Dicens *Patris mei* « simpliciter et aperte qui sit verus sibi pater nobis pariter et illis insinuat » (*Bed.*) et merito scribit *S. Cyr.* : hic primum veri Patris manifestius mentionem infert suamque detegit deitatem (*Theoph. Euth. Tol. Ians.* etc.); nam loquitur de *suo* patre quem plane alium esse a Ioseph ipso loquendi modo patet, dicit se esse debere in iis quae Patris sui sint, dum in templo versatur et in domo Dei, unde etsi τὰ τοῦ πατρός μου latiore modo explicanda sint de negotiis

et muneribus quae Pater ab eo exigat, tamen ex ipso loco quo est et loquitur et Patris sui rebus occupari se asserit Deum Patrem esse intelligendum haud difficile consequitur. Sunt quidem qui τὰ τοῦ πατρός μου de templo explicent, ita ut Christum dicere putent : debuistis scire me esse in templo, quare non opus erat me quaerere (cf. *Orig. Cyr. Leo,* ep. 16,2; *M.* 54,697; *Euth. Dion. Fab. Calm. Lamy, Schanz, Keil, Weiss, Sp.*, immo versio syriaca praebet : in domo patris mei). Dictione quidem graeca potest templum designari (cf. *Wetstein,* et *Iosephus* c. Ap. 1,18 ex Menandro ἐν τοῖς τοῦ Διός templum Iovis nominat), qua in notione tamen numerus pluralis rarissimus est. Insuper videtur expositio nimis arcta neque satis consentanea, si statuitur parentes ex iis quae de Iesu sciebant debuisse unice concludere eum esse in templo. Magis obvia, amplior, verbis quoque magis accommodata est acceptio plurimorum agi de iis generatim ad quae peragenda a Patre missus sit, de negotiis Patris quae pertineant ad munus a Patre sibi demandatum, uti Christus alibi dicit : me oportet operari opera eius qui misit me; sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio; quae placita sunt ei facio semper (Ioan. 8,29 ; 9,4 ; 14,31). Qua significatione *Cai. Salm. Mald. Tol. Luc. Lap. Ipr. Cord. Sylv. Patritius, Bisp. Schegg, Reischl, Grimm, Fil.* verba accipiunt; alii, ut *Alb. Ians.* utramque explanationem proponunt.

Sed totam et perfectam horum verborum significationem eo tempore nondum assecuti sunt v. 50 *et ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad eos;* dici nequit cum *Beda* non eos intellexisse verbum quod de divinitate sua, de Patre, locutus sit, neque cum *Euth.* non intellexisse de templo esse sermonem; sed eos sensum verborum non perfecte apprehendisse (*cat. Cr. Ians.*) neque plane perspexisse quae sint negotia Patris (*Salm. Mald. Cord.*) vel potius non attigisse rationem qua munus suum esset obiturus neque rationem eorum quae iam tum ab eo agebantur (*Tol. Luc. Lap. Ipr. Calm.*) quibus praemonstravit quoque fore ut matris anima doloris gladio transfigeretur, neque quo pacto ista cum doctoribus disputatio pertineret ad negotia Patris et ad Iesu munus et officium, quod separatione a parentibus facta esset obeundum. « Nec est inconveniens ullum affirmare b. Virginem non omnia mysteria a principio intellexisse, sicut enim in gratia et caritate suscepit augmentum, ita et in fide, non quantum ad certitudinem et firmitatem, quia semper constantissime credidit, sed quantum ad dilatationem et extensionem quandam quia multa temporis successu novit quae prius non noverat » (*Tol.* sim. *Ians. Salm. Sylv.*).

Notat. *Tol.* : « durum videtur quibusdam recentioribus verbum hoc, idcirco

violentas et singulares proferunt expositiones. Quidam asserunt referendam esse hanc sententiam non ad b. Virginem et Ioseph sed ad auditores illos de quibus superius dictum est : stupebant qui eum audiebant, hosque dictos non intellexisse affirmant. Quae expositio quam dura sit nemo non videt, cum relativum (ipsi) proximas personas referat. Quidam alii de solo Ioseph interpretantur, per synecdochen positum esse utrumque pro uno solo affirmantes. Haec expositio parum est accommodata; nam sicut ad utrumque sermo Christi factus narratur absque synecdoche, ita etiam de utroque simul dictum est quod sequitur ». Ad hos quos *Tol.* carpit pertinet *Cai.* qui scribit : « si parentes monstrantur, intellige verum per synecdochen; quia Ioseph non penetravit haec; beata autem Virgo intellexit, quae plenius didicerat divinitus incarnati Verbi mysterium. Si autem audientes monstrantur, patet sensus; quoniam non intellexerunt ipsum esse naturalem filium Dei ». Verum ad b. Virginem quoque verba referenda sunt cui attribuitur solum, ut *Suarez* ait, carentia scientiae alicuius rei, quae ad ipsam illo tempore minime spectaret (in 3 p. qu. 38 disp. 19 s. 6 n. 7).

Postquam praeludium quoddam futurorum exhibuit et quodam maiestatis suae radio templum illustravit hominibusque lucem messianam manifestavit, ad vitam communem et obscuram revertitur v. 51 *et descendit cum eis et venit Nazareth et erat subditus illis*, ipse, Verbum incarnatum, parentibus; uti in paupertate et obscuritate mundum ingressus est, ita vitae suae adeo pretiosae spatium longe maximum transigit in humili obedientia et subiectione ὑποτασσόμενος. Inobedientia primus Adam peccavit, obedientiam nos docet is qui venit instauraturus quae per Adam amiseramus. Superbia homo a Deo recessit, humilitate eam superbiam expiat et vincit Salvator. Et cum longe maxima hominum pars vitam degere debeat in conditione communi, in submissione, in labore, eam conditionem Servator suo exemplo consecrare voluit ratione singulari. In quibus subiectus fuerit parentibus, patet ex ratione vitae quam degit familia pauper et obscura. Insuper id satis clare demonstratur eo quod incolae Nazareth eum non aliter norunt nisi tamquam filium fabri et fabrum (vide quae notavi ad Matth. 13,55 et Marc. 6,3). Humiliavit semetipsum factus obediens, exinanivit semetipsum formam servi accipiens et habitu inventus ut homo (Phil. 2,7. 8); *et mater eius conservabat omnia verba (haec) in corde suo*, cf. v. 19; cuncta quae dici et geri videbat de Iesu et a Iesu. Quanta cum admiratione divini consilii consideraverit vitam Iesu humilem eiusque obedientiam et submissionem, potius meditandum erit quam verbis explicandum Angelus adeo magnifica de eius prole annuntiavit : dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius etc.; et ecce filius tamdiu manet in oppido contempto contemptae regionis

Galilaeae in vitae conditione obscura! estne hoc praeludium et via ad thronum David erigendum et ad populum suum a peccatis faciendum salvum? Contemplans talia divini consilii mysteria b. Virgo adorat divinam voluntatem sese ei subdens : ecce ancilla Domini.

Quid Iesus gesserit usque ad annum trigesimum, brevissimo compendio describit evangelista; quoad parentes : erat subditus illis; quoad se, manifestat triplicem progressum v. 52 *et Iesus proficiebat sapientia et aetate et gratia apud Deum et homines;* distinguunt theologi in anima Christi scientiam triplicem : visionis beatae, infusam, acquisitam. Progressus solum esse poterat in scientia acquisita seu experimentali. De qua re ita *S. Thomas,* scientiam beatam et infusam a principio habuisse Christum perfectam; « sed scientia acquisita causatur ab intellectu agente qui non simul totum operatur sed successive; et ideo secundum hanc scientiam Christus non a principio scivit omnia, sed paulatim et post aliquod tempus, scil. in perfecta aetate; quod patet ex hoc quod evangelista simul dicit eum profecisse scientia et aetate » (3 p. qu. 12 art. 2 ad 1) vel, ut verbis utar *Suarez :* dico, animam Christi non habuisse a principio creationis suae eam humanam cognitionem quae in experientia rerum consistit atque adeo successione temporis in ea profecisse. Christum non solum in sensuum experimento, verum etiam in intellectu acquisivisse mediis sensibus novam aliquam experimentalem cognitionem et species intelligibiles ad illam necessarias quas ab initio non habuit, est vera conclusio et communis theologorum (in 3 p. qu. 12 disp. 30 s. 2 n. 9). Alii profectum quoque eo explicant quod aetate procedente magis sapientiam sibi inditam manifestavit; fuisse profectum quoad ostensionem, sicut dicimus solis augeri splendorem, quando nobis lucidior apparet, quamvis in se eius splendor semper sit idem (cf. *Orig. Euth. cat. Cr. Bon.*) vel eum profecisse non habitu sapientiae, sed actibus, operibus, verbis, quia procedente aetate opera sapientiora edebat et verba sapientiora loquebatur (cf. *Cai. Tol.*). Profecit ἡλικίᾳ, qua voce et aetas et statura corporis designatur. Utro sensu accipienda sit difficile decernitur, cum utraque notio aptum fundat sensum. De statura vocem interpretatus est Syrus et eam acceptionem praeferunt *Fil. Keil, Weiss,* dum alii explicationem interpretis latini adoptant, Profecit χάριτι *gratia apud Deum,* quia toto tempore maxima virtutis opera perficiebat; quare multitudine et excellentia operum Deus sibi in eo complacuit et opera illa gratissima habuit. Neque tamen internum gratiae augmentum in anima Christi est admittendum. Profecit gratia *apud homines,* quia pro ratione aetatis in dies magis illas virtutes, dona, opera exhibuit quibus puerulus, puer, iuvenis aliis exsistit carus omniumque in se amorem, benevolentiam, laudem convertit.

Sententias Patrum de hoc loco sollerter collegit *Petavius*, de Incarnatione Verbi lib. XI cap. 2; earum compendium proponit hoc : complures illorum Patrum qui inscitiae aliquid in homine Christo initio fuisse significant et videlicet sciendi accessionem et profectum, magis id κατὰ συγχώρησιν et concessione quadam usurpasse, ut Arianos et Eunomianos abundantiore vi argumentationis obruerent quam quod revera et ex animi sui sententia istud asseveraverint. Sunt tamen plerique qui profectum illum Christi in scientia et gratia sic interpretantur, ut ad speciem referant et ostensionem, id est φανέρωσιν, quod pedetentim maioribus ac perfectioribus indiciis latentem in se gratiam ac sapientiam proderet. — De iisdem Patrum sententiis vide quae scripsit *Stentrup*, de Verbo incarnato, Oeniponte 1882, II p. 1141 seq. qui subinde ostendit Petavium aliquorum Patrum mentem ac sententiam non recte explicasse; praeterea vide p. 1084. 1094. 1267. De plenitudine scientiae et gratiae in Christo et de modo quo profectus asseri potest vide *S. Thomam*, opus. 1 c. 224; 3 p. qu. 7-12; et ad eam partem *Suarez* disp. 18 et 25 seq., *Vasquez* disp. 41 et 50 seq.; *de Lugo* disp. 16-21. Ex recentioribus cf. *Lieber*, über das Wachsthum Iesu etc. Mainz 1850; Card. *Franzelin*, de Verbo incarnato, thes. 41, III n. 4 et thes. 42, II; Romae 1874 p. 410. 427 seq.; *Pra* in periodico Études religieuses etc. anno 22. ser. 6 vol. 2 p. 204 seq. (1878, II); *Scheeben*, Handbuch der katholischen Dogmatik, 1882, III p. 181. 186 etc. — De eadem re ego quoque scripsi in periodico Stimmen aus Maria-Laach XVI p. 8 seq.

2. *Proxima ad ministerium Christi praeparatio* 3,1-4,13.

a) Praedicatio praecursoris 3,1-20.

3,1. Anno autem quintodecimo imperii Tiberii Caesaris, procurante Pontio Pilato Iudaeam, tetrarcha autem Galilaeae Herode, Philippo autem fratre eius tetrarcha Ituraeae et Trachonitidis regionis, et Lysania Abilinae tetrarcha, 2. Sub principibus sacerdotum Anna et Caïpha: factum est verbum Domini super Ioannem, Zachariae filium, in deserto. 3. Et venit in omnem regionem Iordanis, praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum. 4. Sicut scriptum est in libro sermonum Isaiae prophetae : Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini; rectas facite semitas eius. 5. Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur; et erunt prava in directa, et aspera in vias planas; 6. Et videbit omnis caro salutare Dei. 7. Dicebat ergo ad turbas quae exi-

3,1. Ἐν ἔτει δὲ πεντεκαιδεκάτῳ τῆς ἡγεμονίας Τιβερίου Καίσαρος, ἡγεμονεύοντος Ποντίου Πειλάτου τῆς Ἰουδαίας, καὶ τετραρχοῦντος τῆς Γαλιλαίας Ἡρῴδου, Φιλίππου δὲ τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ τετραρχοῦντος τῆς Ἰτουραίας καὶ Τραχωνίτιδος χώρας, καὶ Λυσανίου τῆς Ἀβειληνῆς τετραρχοῦντος, 2. ἐπὶ ἀρχιερέως Ἄννα καὶ Καϊάφα, ἐγένετο ῥῆμα Θεοῦ ἐπὶ Ἰωάνην τὸν Ζαχαρίου υἱὸν ἐν τῇ ἐρήμῳ· 3. καὶ ἦλθεν εἰς πᾶσαν περίχωρον τοῦ Ἰορδάνου, κηρύσσων βάπτισμα μετανοίας εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν· 4. ὡς γέγραπται ἐν βίβλῳ λόγων Ἡσαΐου τοῦ προφήτου, Φωνὴ βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ, Ἑτοιμάσατε τὴν ὁδὸν Κυρίου· εὐθείας ποιεῖτε τὰς τρίβους αὐτοῦ. 5. πᾶσα φάραγξ πληρωθήσεται, καὶ πᾶν ὄρος καὶ βουνὸς ταπεινωθήσεται· καὶ ἔσται τὰ σκολιὰ εἰς εὐθείας, καὶ αἱ τραχεῖαι εἰς ὁδοὺς λείας. 6. καὶ ὄψεται πᾶσα σὰρξ τὸ σωτήριον τοῦ Θεοῦ· 7. Ἔλεγεν οὖν τοῖς

bant ut baptizarentur ab ipso : Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira? 8. Facite ergo fructus dignos poenitentiae, et ne coeperitis dicere : Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae. 9. Iam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur.

10. Et interrogabant eum turbae, dicentes : Quid ergo faciemus? 11. Respondens autem dicebat illis : Qui habet duas tunicas, det non habenti; et qui habet escas, similiter faciat. 12. Venerunt autem et publicani ut baptizarentur, et dixerunt ad illum : Magister, quid faciemus? 13. At ille dixit ad eos : Nihil amplius, quam quod constitutum est vobis, faciatis. 14. Interrogabant autem eum et milites, dicentes : quid faciemus et nos? Et ait illis : Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis; et contenti estote stipendiis vestris.

15. Existimante autem populo, et cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne, ne forte ipse esset Christus, 16. Respondit Ioannes, dicens omnibus : Ego quidem aqua baptizo vos; veniet autem fortior me, cuius non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum eius; ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni; 17. Cuius ventilabrum in manu eius, et purgabit aream suam, et congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili. 18. Multa quidem et alia exhortans evangelizabat populo. 19. Herodes autem tetrarcha, quum corriperetur ab illo de Herodiade uxore fratris sui, et de omnibus malis quae fecit Herodes, 20. Adiecit et hoc super omnia, et inclusit Ioannem in carcere.

ἐκπορευομένοις ὄχλοις βαπτισθῆναι ὑπ' αὐτοῦ, Γεννήματα ἐχιδνῶν, τίς ὑπέδειξεν ὑμῖν φυγεῖν ἀπὸ τῆς μελλούσης ὀργῆς; 8. ποιήσατε οὖν ἀξίους καρποὺς τῆς μετανοίας· καὶ μὴ ἄρξησθε λέγειν ἐν ἑαυτοῖς, Πατέρα ἔχομεν τὸν Ἀβραάμ· λέγω γὰρ ὑμῖν, ὅτι δύναται ὁ Θεὸς ἐκ τῶν λίθων τούτων ἐγεῖραι τέκνα τῷ Ἀβραάμ. 9. ἤδη δὲ καὶ ἡ ἀξίνη πρὸς τὴν ῥίζαν τῶν δένδρων κεῖται· πᾶν οὖν δένδρον μὴ ποιοῦν καρπὸν καλὸν ἐκκόπτεται καὶ εἰς πῦρ βάλλεται.

10. Καὶ ἐπηρώτων αὐτὸν οἱ ὄχλοι, λέγοντες, Τί οὖν ποιήσωμεν; 11. ἀποκριθεὶς δὲ ἔλεγεν αὐτοῖς, Ὁ ἔχων δύο χιτῶνας μεταδότω τῷ μὴ ἔχοντι· καὶ ὁ ἔχων βρώματα ὁμοίως ποιείτω. 12. Ἦλθον δὲ καὶ τελῶναι βαπτισθῆναι, καὶ εἶπον πρὸς αὐτὸν, Διδάσκαλε, τί ποιήσωμεν; 13. ὁ δὲ εἶπεν πρὸς αὐτοὺς, Μηδὲν πλέον παρὰ τὸ διατεταγμένον ὑμῖν πράσσετε. 14. Ἐπηρώτων δὲ αὐτὸν καὶ στρατευόμενοι λέγοντες, Τί ποιήσωμεν καὶ ἡμεῖς; καὶ εἶπεν αὐτοῖς, Μηδένα διασείσητε, μηδὲ συκοφαντήσητε· καὶ ἀρκεῖσθε τοῖς ὀψωνίοις ὑμῶν.

15. Προσδοκῶντος δὲ τοῦ λαοῦ, καὶ διαλογιζομένων πάντων ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν περὶ τοῦ Ἰωάνου, μήποτε αὐτὸς εἴη ὁ Χριστὸς, 16. ἀπεκρίνατο λέγων πᾶσιν ὁ Ἰωάνης, Ἐγὼ μὲν ὕδατι βαπτίζω ὑμᾶς· ἔρχεται δὲ ὁ ἰσχυρότερός μου, οὗ οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς λῦσαι τὸν ἱμάντα τῶν ὑποδημάτων αὐτοῦ· αὐτὸς ὑμᾶς βαπτίσει ἐν Πνεύματι Ἁγίῳ καὶ πυρί· 17. οὗ τὸ πτύον ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ διακαθᾶραι τὴν ἅλωνα αὐτοῦ· καὶ συναγαγεῖν τὸν σῖτον εἰς τὴν ἀποθήκην αὐτοῦ, τὸ δὲ ἄχυρον κατακαύσει πυρὶ ἀσβέστῳ. 18. Πολλὰ μὲν οὖν καὶ ἕτερα παρακαλῶν εὐηγγελίζετο τὸν λαόν. 19. ὁ δὲ Ἡρῴδης ὁ τετράρχης, ἐλεγχόμενος ὑπ' αὐτοῦ περὶ Ἡρωδιάδος τῆς γυναικὸς τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ, καὶ περὶ πάντων ὧν ἐποίησεν πονηρῶν ὁ Ἡρῴδης, 20. προσέθηκεν καὶ τοῦτο ἐπὶ πᾶσιν, κατέκλεισεν τὸν Ἰωάνην ἐν φυλακῇ.

In v. 1 D Eus Chron ἐπιτροπεύοντος Ποντίου, cui voci accuratiore respondet *procurante* it vulg; Πειλάτου A B* D; Ἀβειληνης A B. In v. 2 ἀρχιερεως praebent codd unc Eus Thdrt b e aeth; pluralem numerum aliq minusc it pler vulg cop go tat Chron Or; Caiapha in am fuld hub theod med ken; verbum *Dei* a b c f am cav fuld med ox ken

tol harl. In v 5. ευθειας B D a b c ff² l vulg arm Or Ti W H; al pler ευθειαν. In v. 8 pler codd vulg quia potest Deus; potens est hub theod car med corp it Ir Ambr. In v. 9 ad radicem *arboris* car corp steph sixt; non faciens fructum sine addit am ger hub* med ox per ken corp lind a ff²* Or Ir (et ita edidit Wordsworth, sicut etiam *exciditur, mittitur* secundum am ger med corp harl). In v. 13 *exigatis* (pro faciatis) it dub ger mt. In v. 15 *sperante* autem populo f, cum speraret e, arbitrante a mt. In v. 16 D επιγνους τα νοηματα αυτων ειπεν; εν υδατι D aliq minusc mt; in aquam poenitentiae e; add in poenitentia a b c d ff² l q r ger mt ken rush gat, uti C D εις μετανοιαν; pler codd vulg *venit* fortior me. In v. 17 διακαθαραι ℵ* B Ti W H, similiter a (ad purgandam aream) e (ut emundet) cop arm Ir; συναγαγειν item fere. In v. 19 φιλιππου του αδελφου αυτου A C K X Π al mu cop syr (utr) aeth tat (sin v. 1 in regione Ituraea; v. 2. 3 filium Zachariae et praedicabat in deserto et in omni loco circa Iordanem baptismum poenitentiae; v. 4 in prophetia Isaiae prophetae; dirigite in planities vias Deo nostro; v. 6 et revelabitur honor Domini et videbunt eum pariter omnis caro; in v. 12 om magister; v. 15 et qui audierunt eum, cogitabant apud se de Ioanne et dicebant etc. v. 19 cum corriperet eum Ioannes propter Herodiadem uxorem fratris sui Herodis).

Secundum S. Marcum (1,1) initium evangelii Iesu Christi computatur a praedicatione Ioannis baptistae. Idque merito; nam Ioannes non solum in Spiritu et virtute Eliae praecessit ante eum parare Domino plebem perfectam (Luc. 1,17), verum summa eius praedicationis : poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum (Matth. 3,2) erat eadem a qua Christus quoque suum praedicandi officium exorsus est (Matth. 4,17). Hoc itaque initium evangelii Iesu Christi evangelista diligenter notat sedulo rationem habens temporis et principum. Uti prophetae diligenter notant tempus regum ad oraculorum veritatem comprobandam, ita Lucas quoque historiographus, quemadmodum 1,1-4 indicato suae inquisitionis fonte et studio fidem suae narrationi conciliavit, eodem modo nunc designatione temporis rem quam refert auctoritate donat et fide. Et si apud homines rerum eventus et vicissitudines describi solent addito nomine principis et anno regni eius adiecto, ut certa et firma eorum habeatur memoria, quae res gesta dignior est quae annalibus omnium gentium commendetur et inscribatur quam salutaris evangelii praedicationis initium? v. 1 *anno autem quintodecimo imperii Tiberii Caesaris*, notatu dignum est quod habet *Orig.* : « quando ad Iudaeos tantum sermo propheticus mittebatur, iudaici reges ponebantur in titulo,... quando vero sacramentum evangelii praedicandum erat et in toto orbe disseminandum, cuius princeps Ioannes in eremo erat, tunc imperium Tiberii Caesaris adscribitur et in quintodecimo anno eius factum esse verbum Domini ad Ioannem refertur ».

A quo vero termino iste annus computandus sit quaeri potest. Augustus imperator diem obiit a. d. 14 Kal. septembr. (die 19 mensis augusti) anni

767 u. c. vel 14 p. Ch.; unde si eius imperium a morte Augusti computandum est, annus eius quintus decimus initium habuit a. d. 14 Kal. sept. vel 15 Kal. octobr. an. 781 u. c. (cf. *Patritius* l. c. diss. 39). Praedicatione Ioannis per aliquod tempus facta Iesus venit ad eum cum esset quasi annorum triginta. Iam ex opinione quae fere communiter recepta est Herodes mortuus est anno 750 u. c.; quare si Christus demum anno 782 ad baptismum venit, vix dici potest eum tunc fuisse quasi annorum triginta, cum iam fere 33 esse deberet. Unde non contemnenda erit eorum sententia, qui ἡγεμονίαν Tiberii ab eo tempore determinandam esse statuunt quo provinciis cum imperio praeesse coepit. Ut enim Suetonius narrat, lex per consules lata est, ut provincias cum Augusto communiter administraret (Tib. c. 20. 21), idque ut Velleius memoriae tradidit factum est postulante Augusto (hist. rom. 2, 121; cf. *Patritius* l. c. diss. 39 cap. 1). Hoc autem posito annus eius quintus decimus pro Iudaeis incepit a neomenia tisri mensis 778 u. c. (plura de ea re vide apud *Patritium* l. c. *Wieseler,* Beitraege p. 178 seq.) et cum Lucas ea quae narrat ab apostolis Christique discipulis, Iudaeis gente, didicerit neque sit quod nos credere cogat eum curasse ut rationem computandorum annorum quam Iudaei sequebantur ad illam redigeret quae erat Romanorum, iure etiam creditur annum illum quintumdecimum sic posuisse, sicut acceperat. Neque merito opponi potest ei sententiae alias computari annos Tiberii imperatoris a morte Augusti. Nam annos imperii aliter computari ab aliis res est non adeo insueta, cuius documentum v. g. habetur eo quod initium imperii Augusti ab antiquis sumebatur modo ab obitu Caesaris, modo a tempore quo primo consulatum gessit vel quo erat triumvir, modo a pugna apud Actium facta, modo ab expugnatione Alexandriae; tum a die 7 ianuarii 711 u. c., quo die titulo propraetoris imperium adeptus est vel a die 16 aprilis 711; tum a die 17 ianuarii 727 quo titulum Augusti sibi attribuit (a quo die Dio Cassius 53,17 computat) vel a die 27 iunii 731 quo potestatem tribunitiam nactus est (cf. *Marquardt* l. c. 2,3 p. 299 n. 1228).

Cum Herode mortuo regnum eius ab Augusto divideretur, Archelaus nactus erat Iudaeam (proprie dictam) cum Samaria et Idumaea; sed cum tyrannidem exerceret intolerabilem, anno decimo principatus eius primores Iudaeorum et Samaritanorum eum apud Augustum accusarunt. Inde factum est, ut Archelaus Romam evocatus et principatu spoliatus in exsilium sit abactus Vienna Galliarum urbe in commorandi locum ei assignata (cf. *Iosephus*, Ant. 17,13. 2). Ex eo tempore Iudaea provinciae Syriae est attributa et per procuratores administrata, quorum primus erat Coponius, quintus autem Pontius Pilatus (an. 26-36 p. Ch.); unde *procurante Pontio Pilato Iudaeam*, ἡγεμονεύοντος dicitur sensu quodam latiore, quo etiam quandoque ἡγεμών dicitur (cf. Ant. 18,3.1 et quae notavi ad Matth. 27,2); proprius titulus est ἐπίτροπος procurator; quare lectio ἐπιτροπεύοντος rem acu tan-

git; *tetrarcha autem Galilaeae Herode;* in illa ditionis Herodis divisione Herodes Antipas, filius Herodis et Malthaces, adeptus erat Galilaeam et Peraeam; appellatur in novo testamento, uti etiam in numis et saepe apud Iosephum Herodes solum; tetrarchiam tenuit usque ad annum 39 p. Ch. (vide ad Matth. 14,1); τετράρχης (vel ut alii scribunt secundum cod. ℵ τετραάρχης) proprie est is qui quartae regni parti imperat. Quem in modum Strabo haec de Galatia memoriae tradidit : cum autem sint tres gentes eadem utentes lingua..., singulas earum quattuor in partes diviserunt quarum unamquamque tetrarchiam vocarunt quae proprium habebat tetrarcham (cf. *Patritius* l. c. diss. 42 n. 2). Sed mox nomina haec usurpari coepta sunt, ubi ditio non unius regni quarta parte continebatur, sed vel totam gentem vel quamcumque huius partem comprehendebat, latiore itaque modo.

In illa divisione aliam partem nactus est Philippus, filius Herodis ex Cleopatra, *Philippo autem fratre eius tetrarcha Ituraeae et Trachonitidis regionis,* ex variis locis *Iosephi* (Ant. 17,8. 1 et 11. 4; 18,4. 6; Bell. iud. 2,6. 3; cf. *Schürer* l. c. I p. 353) colligitur Philippo attributas esse regiones has : Batanaeam, Trachonitidem, Auranitidem, Gaulanitidem, Paniadem; sed eius tetrarchiam solitam esse designari una alterave ditione nominata patet tum ex Iosepho qui nullo loco omnes simul regiones enumerat, tum ex epistola Agrippae apud Philonem in qua integra Philippi tetrarchia designatur ἡ Τραχωνῖτις λεγομένη (*Schürer* l. c. p. 354). Simili modo tetrarchia Herodis Antipae solo nomine Galilaeae tamquam a parte potiore appellari solet. Quae sit Ituraeae regio hoc loco nominata disceptatur. Olim Ituraei in montibus Antilibani habitabant; Eusebius (Onom. ed. Lagarde p. 268. 298) Ituraeam eandem esse dicit regionem cum Trachonitide; verum Lucas clare utramque distinguit. Ituraeam esse Auranitidem Patritius censet, non quidem totam, sed eam quae in montes adsurgat partem (diss. 42 n. 13); alii arbitrantur eo nomine designari Paniadem regionem quae olim ad regnum Ituraeorum pertinebat (*Schürer* l. c. p. 354. 600). Trachonitis, regio aspera, protenditur a Damasco meridiem versus fere usque ad Bostram; vocatur hodie ea regio El Ledscha. Demum evangelista tetrarchiam nominat a Damasco septemtrionem versus sitam *et Lysania Abilinae tetrarcha,* est Abilene regio ab urbe Abila nuncupata, quae urbs 18 millia passuum a Damasco distans in via qua Heliopolin (Baalbek) itur sita erat; hodie vicus appellatur Suk ad rivum Barada. Intelligitur Lysanias ille de quo saepius Iosephus mentionem facit (cf. Ant. 18,6. 10; 19,5. 1; 20,7. 1; Bell. iud. 2,11. 5; 2,12. 8). Imperatore Caligula regio illa quae fuit tetrarchia Lysaniae iam attributa est regno Agrippae; unde apparet quam accurate Lucas

de tempore edoctus fuerit de quo scribit mentionem faciens tetrarchiae quae eo tempore quo scribebat evangelium iam diu desierat exsistere.

Cum Iosephus non nominet Ituraeam, cum de tetrarchia Philippi refert, non defuerunt qui Lucam erroris accusarent. Sed perperam. Nam Iosephus eas regiones varie enumerat alia et alia omissa. Porro obiicit *Schürer* l. c. p. 354 : Ituraei annis 38-49 p. Ch. regebantur a quodam Soemo (Dio Cass. 59,12. Tacit. 12,23), dum eo tempore Agrippa I *totam* tetrarchiam Philippi possidebat (Iosephus, Ant. 18,6. 10; 19,8. 2); unde apparet Ituraeam non potuisse pertinere ad ditionem Philippi (cf. *Keim*, Bibellex. ed. Schenkel III p. 41). Verum haec argumentatio non consistit. Neutro enim loco *Iosephus* dicit *totam* Philippi tetrarchiam Agrippae esse datam. Dein quod Ituraei ab anno 38 Soemo obediebant, non impedimento est quominus antea Philippo essent subditi. Ceterum ipsa regio Ituraeorum alium alio tempore habebat ambitum, de qua varietate ipse *Schürer* pluribus agit l. c. p. 596-608.

Quae de Lysania olim a rationalistis movebatur difficultas, hodie ab ipsis rationalistis exploditur. Iosephus scil. (Ant. 15,4. 1) et Dio Cassius (49,32) referunt de Lysania, filio Ptolemaei, rege Chalcidis ad montem Libanon quem Antonius instigante Cleopatra interfecit. Unde ab aliquibus clamatum est Lucam insigni errore Lysaniam iam ab annis 60 mortuum constituere tetrarcham. Ita v. g. asserere Strauss aliosque non puduit quamvis iam Baronius errorem illorum interpretum correxisset qui utique ad locum Lucae quandoque mentionem iniecerunt de Lysania filio Ptolemaei. Nam Baronius scribit ad an. 31 n. 6 : errore eos labi constat qui Lysaniam hunc illum putant esse filium Ptolemaei Mennaei, cuius Iosephus meminit; nam eiusdem auctoris testimonio expressum habetur eundem Lysaniam Cleopatrae arte fuisse necatum, ut eius potiretur ditione quae erat apud Libanum posita, idque Dione auctore contigisse constat sub consulatu Publicolae et Nervae anno 718 u. c.; dein n. 7 Baronius monet Iosephum de alio quoque Lysania mentionem facere. Atque Lucam nullo modo ea in re errasse hodie fatentur omnes; cf. *Schürer* l. c. p. 601 seq.; neque solo testimonio Lucae et Iosephi constat exstitisse Lysaniam iuniorem, sed etiam inscriptione ad Abilam inventa : ὑπὲρ τῆς τῶν κυρίων Σε(βαστῶν) σωτηρίας καὶ τοῦ σύμ(παντος) αὐτῶν οἴκου Νυμφαῖος Λυσανίου τετράρχου ἀπελε(ύθερος) τὴν ὁδὸν κτίσας etc.; cum in ea de duobus Augustis sermo sit, inscriptio ante tempus Tiberii non potest esse posita; nam ante eum non erant plures Augusti simul, sed primum Σεβαστοί appellabantur Tiberius eiusque mater Livia (cf. *Schürer* l. c. p. 603). De tota hac quaestione vide *Vigouroux*, le nouveau Testament et les découvestes archéologiques p. 123-133; *Cornely*, Introd. III p. 155; *Wieseler*, Beitraege p. 196 seq.

Cur autem S. Lucas tetrarchae Lysaniae quoque mentionem fecerit, ratio probabilis non deest. Ditio enim Lysaniae a Caligula (an. 37) attributa est Agrippae I (*Iosephus*, Ant. 18,6. 10), cui Claudius quoque imperator eandem possessionem confirmavit (Ant. 19,5. 1; Bell. iud. 2,11. 5). Agrippa I

mortuo eius ditio ab anno 44-53 per procuratores romanos administrabatur; sed anno 53 tetrarchia Philippi et tetrarchia quae fuit Lysaniae a Claudio imperatore attributa est Agrippae II (Ant. 20,7. 1. Bell. iud. 2,12. 8). Unde cum *Patritio*, *Reischl* dicere possumus voluisse Lucam memoriae prodere quinam illa aetate cuius historiam scriberet dominarentur in regionibus, tum quibus ante eos Herodes magnus, tum quibus cum ipse Lucas scriberet Agrippa II Herodis pronepos potiebatur. *Wieseler* existimat Lysaniam religione Iudaeum fuisse ideoque a Luca esse nominatum (l. c. p. 204).

Post magistratus civiles eos quoque nominat evangelista qui in rebus sacris auctoritate et dignitate principatum gerebant v. 2 *sub principibus sacerdotum Anna et Caipha* ἐπὶ ἀρχιερέως sub summo sacerdote Anna et Caipha; nomen et appellatio summi sacerdotis tribuebatur iis qui olim revera eo munere functi erant et iis quoque qui ex eorum familiis sacerdotes exsistebant (cf. quae notavi ad Matth. 2,4). Quare si Annas vocatur summus sacerdos, nondum sequitur eum revera eo tempore pontificatum gessisse. Erat Annas pontifex an. 6-15 p. Ch., Ioseph Caiphas an. 18-36 p. Ch.; Annas autem primo loco nominatur propter auctoritatem qua inter populares pollebat et qua ex suo arbitratu per Caipham fere omnia administrabat. Quantae enim Annas fuerit auctoritatis ex *Iosephi* verbis licet concludere : seniorem hunc Ananum aiunt felicissimum exstitisse; nam quinque filios habuit hisque omnibus contigit Deo in pontificatu ministrasse, cum et ipse in primis ea dignitate in tempus longissimum functus esset; id quod nulli unquam apud nos pontifici contigit (Ant. 20,9. 1). Eum totius gentis Aaronitarum principatum habuisse ideoque nominari loco priore Patritius arbitratur (l. c. diss. 28 cap. 2 n. 21). Auctoritatis igitur gratia eum primum occupare locum, quod iam *Lap.* censuit, probabilissimum est; quod aliis placuit, cum fuisse praesidem synedrii (נָשִׂיא; cf. *Baronius* ad an. 31 n. 10, *Selden, Hammond, Wieseler* l. c. p. 205) vel eum fuisse סגן vicarium pontificis, qui scil. substitui solebat pontifici vespere diei expiationis, ut in promptu esset ad fungendum officio diei, si qua forte immunditie pontifex arceretur (*Lightfoot* ad h. l.) nequit probari. Atque multo minus asseri debet eos alternis annis pontificatu functos esse (*Ians. Mald.*), id quod falsum omnino est et certis documentis refellitur. Ex lege mosaica pontifex statuitur ad tempus vitae. Ex eo autem quod pro arbitrio procuratorum romanorum pontifices nominabantur et dignitate iterum spoliabantur, idque non sine culpa sacerdotum, cernere iam licet in quantum res religiosae Iudaeorum in deteriorem conditionem delapsae sint.

Fuit homo missus a Deo (Ioan. 1,6), eumque missum esse eo modo

quo Deus olim prophetas mittere et verba in ore eorum ponere solebat, ipso narrandi modo edicitur : *factum est verbum Domini super Ioannem, Zachariae filium, in deserto,* « evangelista ut Ioannem prophetam esse indicaret eis locutionibus usus est quibus et prophetae » (*Tol.*); cf. Is. 38,4. Ier. 1,2. 4. 11; 2,1; 7,1 etc. Ez. 1,3. Os. 1,1. Ioel 1,1 etc.; *in deserto,* ibi enim adoleverat 1,80 : et erat in desertis usque ad diem ostensionis suae ad Israel; qui sit ille dies, hic declaratur. Cum haec sententia *factum est* etc. intime iungatur cum antecedentibus, illa temporis designatio necessario referri debet ad mandatum Ioanni divinitus datum, ut munere praecursoris fungi incipiat, proin ad initium praedicationis eius (v. 3). Quare neutiquam dici potest cum Sanclemente assignari annum mortis Christi (contra eam opinionem cf. *Patritius* l. c. diss. 39 cap. 2) neque cum *Wieseler* denotari quando Ioannes missus sit in carcerem, neque cum *Schegg,* quando Ioannes occisus sit. Quale mandatum a Deo factum sit, exponitur narratione v. 3 *et venit in omnem regionem Iordanis,* περίχωρον in omnem regionem circumiacentem Iordanis, ad quam ex parte desertum quoque accensebatur (cf. 7,24. Matth. 3,1. Marc. 1,4) i. e. regio non quidem agriculturae, sed gregibus pascendis apta, incultior, a paucis habitata; neque uno in loco constitit cf. Ioan. 3,23; 10,40. Non caret significatione quod initium evangelii (Marc. 1,1) ponitur in deserto et ad regionem Iordanis. In deserto enim praeparabatur populus olim ad possidendam terram promissam, quae terra erat pignus et typus regni messiani; ex regione Iordanis inceperunt ingredi in hereditatem suam; quare ex eadem regione illis primo annuntiatur iam appropinquare regnum Dei; *praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum* i. e. sua praedicatione in populo excitare studet μετάνοιαν, mentis mutationem coniunctam cum dolore de male admissis (de qua notione vide in Comment. Matth. I p. 117), seu poenitentiam, in cuius signum suscipiebant a Ioanne baptismum, immersionem in Iordanem, ut ea ablutione exprimerent desiderium purgationis a peccatis et propositum sese ab illis expediendi; quare dicitur *in remissionem peccatorum*, quia illa poenitentia disponebantur ad remissionem accipiendam. Cor enim contritum et humiliatum Deus non despiciet. Plura de Ioannis baptismo dixi l. c. p. 123 seq. Praedicatione autem poenitentiae et indoles regni messiani declaratur et ea indicatur praeparatio quam olim iam prophetae in vaticiniis de instauratione regni Dei postulaverant; cf. Ier. 3,21-25. Ez. 16,61. Dan. 9,5 etc. Mich. 7,9.

Evangelium ante iam promissum esse a Deo per prophetas suos in scripturis sanctis, apostolus docet (Rom. 1,2). Quod et Ioannes baptista ipse indicat (Ioan. 1,23) et evangelistae pariter nos monent cum prae-

dicationem eius fieri ex vaticinio tradant v. 4 *sicut scriptum est in libro sermonum Isaiae prophetae : vox clamantis in deserto : parate viam Domini, rectas facite semitas eius!* cf. Is. 40,3; est metaphora sumpta ab adventu magni principis cui solent viae parari per quas venturus est in urbem. Illis verbis Isaias annuntiat instaurationem theocratiae eamque messianam, uti statim patet ex 40,5 et ex eo quoque quod in subsequentibus (cap. 42. 49 etc.) hanc liberationem messianam potissimum celebrat cuius praeambulum et praeparatio est prior illa ex exsilio babylonico; vide quae notavi ad Is. 40,3 (Comment. II p. 67; Comment. Matth. I p. 119). Iam quid ea exhortatione efficiendum sit ulterius declaratur v. 5 *omnis vallis implebitur et omnis mons et collis humiliabitur et erunt prava in directa,* tortuosa erunt in vias rectas, reddentur viae rectae, *et aspera in vias planas;* Is. 40,4; « quattuor difformitates viarum per quas corporaliter gradimur corrigendas dicit propheta ad hoc ut via sit omnino suavis; difformitas est vel propter montes et colles quos oportet ascendere vel propter valles in quas oportet descendere, vel propter obliquitatem vel asperitatem viarum » (*Cai.*). Quae facile ad animorum praeparationem transferuntur, ut scil. omnia removeantur obstacula et impedimenta vitiorum et cupiditatum, quibus adventus Domini praecludatur et ab animo arceatur; varia in eam rem afferunt *Orig. Cyr. Euth. Bed.;* merito iidem aliique monent eiusmodi impedimenta ablatum et remotum iri per Salvatorem (*Tol. Cai. Schanz*) vel humiles ab eo exaltatum iri, superbos depressum iri (vide ad Is. 40,4 l. c. p. 68). Iamque appropinquare salutem illam omnibus a Deo propositam v. 6 *et videbit omnis caro,* omnis homo, *salutare Dei;* Is. 40,5 LXX; hebr. et videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est; vide ad 2,30. 31.

Lucas rationem vivendi Ioannis, quam satis iam ab angelo esse indicatam narraverat 2,15, hic non refert (cf. Matth. 3,4. Marc. 1,6), sed uno alterove exemplo ostendit quomodo officio suo sit functus. Narrat enim quomodo egerit cum Iudaeorum turbis, cum publicanis, cum militibus. Quanta in populo, cum subito Ioannes surgeret propheta, facta sit animorum commotio, ex triplice hoc hominum genere quod ad eum confluxit satis apparet. Dum Matthaeus pro suo instituto statim duces populi moribus suis a baptista describi refert, Lucas rem magis generatim proponit, sed ut iam in praecursore depingat curam Salvatoris de peccatoribus et salutem alienigenis per evangelium oblatam, narrat baptistam et publicanos, hominum genus Iudaeis exosum tamquam peccatis onustum, et milites qui ex alienigenis conscribebantur (cf. Comment. Matth. II p. 508) benigne suscepisse et edocuisse v. 7 *dicebat ergo,* scil. prout munere suo postulabatur quod modo v. 4-6

descriptum est, *ad turbas quae exibant ut baptizarentur ab ipso*, ad caerimonias externas prompti erant Iudaei iisque facile ita acquiescebant ut iis peractis omnia esse rite acta putarent vel sibi persuaderent (cf. Is. 1,11 seq. 58,5. Ier. 7,10. Zach. 7,5 seq. Matth. 15,2 seq. 23,23 seq. Luc. 18,12) et de morum emendatione nihil essent solliciti. Tales itaque ad se venire perspexit Ioannes qui quidem libenter vellent caerimoniam baptismi subire, minime tamen pietatem virtutemque sequi. In quos merito modo veterum prophetarum invehitur graviter : *genimina viperarum*, malae soboles malorum parentum actiones imitantes (*Bed.*), « acris reprehensio quae et gravitatem et antiquitatem peccati indicat; gravitatem eo quod viperas appellat, est enim animal hoc venenosum; antiquitatem eo quod progenies seu genimina viperarum vocat quasi hereditario quodam scelere patres et maiores malos imitarentur » (*Tol.*), *quis ostendit vobis fugere a ventura ira?* « quasi diceret : ita vestris malis operibus inhaeretis, quasi quispiam vobis viam aliquam ostenderit evadendi supplicium a Deo inferendum; quis ergo hoc ostendit? profecto nemo, cum fieri nequeat ut evadatis iram Dei, si in peccatis perseveratis » (*Tol.*). Similiter *S. Cyr.* sentit haec dici prophetice, cum praevideret Ioannes illos sibi fidem denegaturos et venenatam linguam moventes convicium facturos. Aliter *S. Ambr.;* ostendi scil. his Dei miseratione infusam prudentiam, ut gerant suorum delictorum poenitentiam futuri terrorem iudicii provida devotione metuentes. Sed si ita esset, certe eos non adeo dure compellasset genimina viperarum. Alia vide ad Matth. 3,7.

Vocat autem venturam iram iudicium Dei peccatoribus imminens, quale prophetae quoque simul cum regno messiano vaticinati sunt (Is. 50,11; 56,9 seq. 63,4; 66,15. Mal. 3,2.3) et ipse quoque v. 9 indicat. Quam ultionem Dei si evadere volunt revera, monet ut longe ab omni animorum praesumptione mores sedulo emendent v. 8 *facite ergo fructus dignos poenitentiae* talia edant opera talesque se vita et conversatione praebeant, ut manifestum sit eos et male actam vitam cum dolore detestari et veram iam amplecti pietatem et virtutem. Quale impedimentum auferendum sit et quod superbiae vulnus curandum docet : *et ne coeperitis dicere : patrem habemus Abraham,* ne scil. admonitioni illi occurrant funesta illa et fatali persuasione : cum simus filii Abraham quem Deus elegit et quocum iniit foedus sempiternum, nunquam a Deo abiiciemur, iure ad nos pertinet regnum Dei (cf. Ioan. 8,33). Eandem superbiam et praesumptionem filii prae se ferunt quam in patribus prophetae reprehenderant; vide Ier. 7,4. Mich. 3,11 et cf. ad Matth. 3,9. Utique Abraham et semini eius facta sunt promissa; verum quam inanis sit illa male secura fiducia, graviter declarat : *dico*

enim vobis : quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae τῷ Ἀβραάμ; nam non omnes qui ab Abraham descendunt eius benedictionis esse participes, vetus iam docet testamentum in Ismael, in filiis Ceturae, in Esau. Filii demum illi censentur qui indolem patris exprimunt, qui fidem et obedientiam Abraham imitantur, ut Christus dicit : si filii Abrahae estis, opera Abrahae facite (Ioan. 8,39; cf. Rom. 4,12. Gal. 3,7. 9). Proinde baptista iam illud detegit vulnus letale Iudaeorum quo de propagatione ab Abraham elati et sibi iustitiam arrogabant (Ioan. 8,33. 41. Rom. 2,17-20; 10,3) et gentes excludi volebant a regno messiano (Act. 13,46. 50; 17,5; 18,6 etc.). Retundit eorum superbiam et arrogantiam docens Deum ad regnum suum condendum minime eorum ope indigere; Deum posse etsi omnes obedientiam detrectaverint, sibi filios Abraham, qui scil. uti Abraham fide et obedientia excellant creare *de lapidibus istis*, quos scil. digito eis monstrat ad eorum fastum deprimendum; cf. Matth. 3,9.

Atque quanta instet iis necessitas, ut ab hac praesumptione avellant animos et fructus dignos faciant poenitentiae, iis inculcat v. 9 *iam enim securis ad radicem arborum posita est;* iam instat iudicium, quo Deus populum iudaicum reiecturus est nisi toto corde ad eum revertantur et pro gratiis sibi datis fructus afferant; cf. Ier. 11,16; securi ad radicem posita indicatur fore excidium, ita ut exspectari nequeat instauratio; proin instare ruinam populi non talem qualis erat olim, cum in exsilium eiicerentur ex quo iterum revocati et restituti sunt civitate iudaica denuo erecta. Dein quod in universum minatus est, singulis quoque dici perhibet tamquam consequens ex iudicio ingruente : *omnis ergo arbor non faciens fructum bonum excidetur et in ignem mittetur,* exciditur, mittitur vel proiicitur; tempore praesenti periculum imminens maiore declaratur emphasi, cum non statuatur quid futurum sit, sed quid regula normaque generali fiat fierique debeat ex axiomate communi et ab omnibus assumpto. Eandem parabolam Iesus explicat 13,6 seq.; vir iustus comparari solet arbori frugiferae Ps. 1,3. Ier. 17,8. Poena denuntiatur ea quae Ier. 11,16, quaeque igne gehennae inexstinguibili postea declaratur cf. v. 17. Matth. 13,40. 42. 50; 18,8. Marc. 9,41.

Admonitiones eius non caruisse fructu apud turbas — omnes enim habebant Ioannem sicut prophetam Matth. 21,26; aliter duces populi sentiebant : daemonium habet, Matth. 11,18 — patet tum ex eo quod baptizabantur ab eo confitentes peccata sua Matth. 3,6 tum ex v. 10 *et interrogabant eum turbae dicentes : quid ergo faciemus?* quae v. 10-14 dicuntur Lucae propria sunt; quare quaerunt sintne haec deprompta ex eodem fonte seu documento ex quo narrationem cap. 1 et 2 hause-

rit, vel ex alio scripto, vel ex traditione orali aliis alii opinioni adstipulantibus. Ex qua varietate iam deprehenditur id inquiri quod sciri nequeat. Unum certo scitur, scil. quod 1,2. 3 legitur, et profecto non deerant ex quibus Lucas haec et alia discere poterat; v. 11 *respondens autem dicebat illis : qui habet duas tunicas det non habenti et qui habet escas similiter faciat;* opera misericordiae et caritatis commendat; nam beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Similiter Daniel dedit consilium regi : peccata tua eleemosynis redime et iniquitates tuas misericordiis pauperum (Dan. 4,24); nam eleemosyna resistit peccatis (Eccli. 3,33). Uno exemplo declarat quomodo fructus poenitentiae faciendus sit; qui durus erat in alios, qui sprevit pauperes, qui avarus erat et opibus inhiabat, is iam fiat misericors, opem ferat egenis, libenter de suis tribuat indigentibus. Commendat caritatem; nam qui fratrem suum quem videt non diligit, Deum quem non videt quomodo potest diligere (1 Ioan. 4,20)? Operibus istis placatur Deus ut amplas tribuat gratias ad veram agendam poenitentiam. Et praecursor Iesu ei quoque mandato praeludit quod Iesus suum appellat mandatum. Haec etiam opera in iudicio ultimo tamquam norma sententiae iudicis exhibentur (Matth. 25,35 seq.). Neque immerito dicit *S. Ambr.* : « misericordia communis est usus, ideo commune praeceptum; omnibus officiis, omnibus aetatibus necessaria et ab omnibus deferenda ».

« Quantam beati baptistae sermo virtutem habuerit, quantumque mentes concusserit audientium, hinc probatur, cum etiam publicanos et milites ad consilium salutis suae coegerit inquirendum » (*Bed.*); v. 12 *venerunt autem et publicani ut baptizarentur et dixerunt ad illum : magister quid faciemus?* τελῶναι, intelligendi sunt non publicani proprie, quippe qui plerumque ordinis equestris emerunt vel conduxerunt vectigalia, sed portitores, vectigalium exactores quorum opera publicanus (qui vectigalia unius provinciae vel regionis conduxerat) in exigendis vectigalibus utebatur. Iudaeis portitores erant maxime exosi et propter officium quo pro alienigenis vectigalia exigebant et propter avaritiam, fraudulentiam, vexationem qua lucri cupidi pecuniam extorquebant. Cum Ioannem baptistam salutent magistrum et quaerant quid sibi sit praestandum, ostendunt se ad baptismum venire vera poenitentia ductos et ad vitae emendationem paratos. Neque reprehenduntur, ut turbae v. 7, sed benigne suscipiuntur v. 13 *at ille dixit ad eos : nihil amplius quam quod constitutum est vobis faciatis* πράσσετε exigatis; proinde ut intra limites iustitiae se contineant et lucri iniusti cupiditatem et avaritiam penitus ex animis excludant, exhortatur et postulat. Nihil itaque ab eis poscit

severius quo deterreantur, solum ut officio suo fungantur sine iniustitia. Iam in eo se praebet praecursorem eius cuius iugum suave et onus est leve, neque ullo modo refert agendi modum pharisaeorum, qui onera gravia et importabilia in humeros hominum imponunt, digito autem suo nolunt movere (Matth. 23,4). In hac de publicanis narratione iam praeformatur id quod Christus postea pharisaeis exprobravit publicanos credidisse Ioanni, illos autem non egisse poenitentiam, quare fore ut publicani eos praecedant in regnum Dei (Matth. 21, 31. 32).

Simili modo agit Ioannes cum militibus v. 14 *interrogabant autem eum et milites dicentes : quid faciemus et nos?* illis quoque id unum inculcat, ut intra limites iustitiae sese continentes munus suum obeant; *et ait illis : neminem concutiatis,* διασείσητε, notio verbi generatim est turbare, molestiam inferre; sed speciatim incusso terrore aliquid extorquere, uti etiam concussio iurisconsultis crimen est, si aliquid terrore potestatis illicite extorquetur et aufertur (cf. *Wetstein* ad h. l.); quae significatio ad agendi modum militum in regione subiecta certe apta est; *neque calumniam faciatis,* μηδὲ συκοφαντήσητε; συκοφάνται dicebantur olim ii quorum erat eos deferre qui ficus ultra atticae ditionis fines exportarent; unde verbum notionem induit deferendi, et falso deferendi, calumniandi, vexandi, defraudandi; *et contenti estote stipendiis vestris;* iis itaque quae ipsis iure debentur et dantur; cum frumentum, carnes, fructus stipendii loco militibus saepe darentur, ὀψώνιον (edulium) dici consuevit de stipendio militari. — Notat *Tol.* probare ex hoc loco *S. Ambr.* serm. 7 et *S. Aug.* c. Faustum 22,74 licere bellum Christianis; idque ulterius confirmat ex Matth. 8,10 quod Iesus centurionem laudet nec militiam vitio dederit et quod Act. 10 Cornelius centurio commendetur, baptizetur nec ei militia interdicatur.

Tamquam praecursor Domini qui paret vias eius (1,76) etiam ipsum Messiam qui iam venturus sit annuntiare et eius munus designare debuit. Id fit v. 16. 17. Quantam animorum commotionem Ioannes in habitu et modo prophetae se sistens populo excitaverit et quam sibi auctoritatem conciliaverit, eo quoque declaratur quod existimabant eum forte esse Messiam; neque id turbae tantum coniiciebant, verum ipsi synedristae mittebant sacerdotes et levitas ad eum qui de eadem re eum interrogabant (id quod Ioan. 1,20 satis indicatur eo quoque quia respondet : non sum ego Christus). Insuper cum eo tempore exspectatio messiana satis esset communis (cf. Comment. in Danielem p. 265) neque memoria eorum quae in Bethlehem et in templo ante annos haud ita multos evenerant apud omnes posset plane esse ex-

stincta, facile explicatur cur haec opinio nasci potuerit; v. 15 *existimante autem populo* προσδοκῶντος, i. e. cum exspectarent, cum essent animis suspensis, *et cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne, ne forte ipse esset Christus,* v. 16 *respondit Ioannes dicens omnibus : ego quidem aqua baptizo vos; veniet autem fortior me;* nota edi ab eo vaticinium; unde norma illa Deut. 18,21. 22 statuta applicari potest, qua dignosci voluit Deus a populo prophetam vere a se missum; et quantae ille dignitatis sit indicat : *cuius non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum eius;* i. e. ne inter ultimos quidem eius servos qui numerer et assumar dignus sum. Ita loquitur is quem turbae maxima veneratione suspiciunt et quem adeo colunt ut eum esse Messiam suspicentur. Unde ex eius loquendi modo necesse erat turbis indi summam quandam de fortiore illo existimationem.

Quam opinionem confirmat et auget addens : *ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni,* ipse animos imbuet Spiritu sancto; uti ego corpora immergo in aquam, ita ille animos perfundet sancto Spiritu, itaque largietur Spiritum sanctum. Sed quis potest propria auctoritate dare Spiritum sanctum, nisi ipse Deus solus? Quare divinitas Messiae declaratur. Communicatio sancti Spiritus vel Spiritus Dei symbolo effusionis vel baptismi iam a prophetis pro tempore messiano clare effertur; vide Is. 43,3. Ez. 11,29; 36,26; 39,29. Ioel 2,28. Zach. 12, 10. Et quae sit huius largitionis vis et efficacia, significatur *igni.* Quae dictio pariter ex prophetis satis explanatur. Deus ipse dicitur ignis consumens (Deut. 4,24), dicitur lavare sordes Ierusalem spiritu ardoris (Is. 1,25; 4,4); Messias appellatur ignis conflans, Messias sedebit conflans et emundans (Mal. 3,2. 3; cf. Comment. in Matth. I p. 130 seq., ubi de variis quoque acceptionibus egi). Unde satis declaratur animos effusione Spiritus sancti mundari, et in divinam quandam similitudinem transformari. Etsi dicatur *baptizabit,* tamen patet communicationem Spiritus quae fit per Christum minime uno baptismo concludi.

Messiam fore iudicem quoque et prophetae iam annuntiarunt (Is. 63,3. Mal. 3,2) et Simeon in templo vaticinatus est (2,34). Baptista idem monet simul declarans venturam iram quam in v. 7 comminatus erat v. 17 *cuius ventilabrum in manu eius et purgabit aream suam et congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inexstinguibili;* cf. Matth. 3,12 et vide parabolam Matth. 13,30; mentione ignis inexstinguibilis a parabola transitur ad rem designatam. Primo declaratur iudicium Iudaeis imminens et abiectio et interitus eorum qui Messiam non susceperint; neque enim est aliud nomen in quo nos oporteat salvos fieri (Act. 4,12). Neque tamen area ad solos

Iudaeos coarctanda est; nam regnum messianum fore universale et prophetae clare docuerunt et Simeon vaticinatus est (cf. Is. 2,2 seq. 42,6; 49,6 etc.); quare area eius, hereditas, possessio eius sunt gentes et termini terrae (Ps. 2,8). Erit itaque denuo cribratio populi, similis illi quam exsilio fore Amos olim dixerat (9,9; cf. Comment. in Proph. min. I p. 331). Hisce evangelista specimina quaedam dedit concionum praecursoris quibus quo modo functus sit munere assignato sibi (1,16. 17. 76) adumbrat v. 18 *multa quidem et alia exhortans evangelizabat populo*, et quanta intrepiditate principum quoque et potentium vitia insectatus sit et normam morum defenderit, ostenditur eius denuntiatione incestarum nuptiarum Herodis Antipae (cf. Matth. 14,4); v. 19 *Herodes autem tetrarcha* (cf. v. 1) *cum corriperetur ab illo de Herodiade uxore fratris sui et de omnibus malis quae fecit Herodes*, v. 20 *adiecit et hoc super omnia et inclusit Ioannem in carcere;* de illis nuptiis cf. *Iosephus,* Ant. 18,5. 1 et Comment. in Matth. II p. 3 seq.; quod aliqui codices addunt *Philippi fratris eius* glossa est ex Matth. 14,3 graece et Marc. 6,17 transumpta; erat Philippus filius Herodis ex Mariamne, filia Simonis pontificis. Eiusmodi nuptiae lege prohibebantur (Lev. 18,16 et 20,21) et multo maius scelus erat uxorem vivo fratre ad adulterium et incestum pellicere. Mores eius Lucas ulterius delineat addens *de omnibus malis* etc.; Iesus eum vulpem appellat (13,32); moribus enim non erat absimilis Herodi patri.

b) Iesus baptizatur; texitur stemma 3,21-38.

3,21. Factum est autem quum baptizaretur omnis populus, et Iesu baptizato et orante, apertum est coelum; 22. Et descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum; et vox de coelo facta est : Tu es filius meus dilectus : in te complacui mihi. 23. Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Ioseph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat, 24. Qui fuit Levi, qui fuit Melchi, qui fuit Ianne, qui fuit Ioseph, 25. Qui fuit Mathathiae, qui fuit Amos, qui fuit Nahum, qui fuit Hesli, qui fut Nagge, 26. Qui fuit Mahath, qui fuit Mathathiae, qui fuit Semei, qui fuit Ioseph, qui fuit Iuda, 27. Qui fuit Ioanna, qui fuit Resa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri, 28. Qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Cosan, qui fuit Elmadan, qui fuit Her, 29. Qui fuit Iesu, qui fuit

3,21. Ἐγένετο δὲ ἐν τῷ βαπτισθῆναι ἅπαντα τὸν λαὸν, καὶ Ἰησοῦ βαπτισθέντος καὶ προσευχομένου, ἀνεῳχθῆναι τὸν οὐρανὸν, 22. καὶ καταβῆναι τὸ Πνεῦμα τὸ Ἅγιον σωματικῷ εἴδει ὡς περιστερὰν ἐπ' αὐτὸν, καὶ φωνὴν ἐξ οὐρανοῦ γενέσθαι, Σὺ εἶ ὁ υἱός μου ἀγαπητὸς, ἐν σοὶ εὐδόκησα. 23. Καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ἀρχόμενος ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα, ὢν υἱὸς, ὡς ἐνομίζετο, Ἰωσὴφ, τοῦ Ἡλεὶ τοῦ Ματθὰτ, 24. τοῦ Λευεὶ τοῦ Μελχεὶ τοῦ Ἰανναὶ τοῦ Ἰωσὴφ, 25. τοῦ Ματταθίου τοῦ Ἀμὼς τοῦ Ναοὺμ τοῦ Ἐσλεὶ τοῦ Ναγγαὶ 26. τοῦ Μαὰθ τοῦ Ματταθίου τοῦ Σεμεεὶν τοῦ Ἰωσὴχ τοῦ Ἰωδὰ, 27. τοῦ Ἰωανὰν τοῦ Ῥησὰ τοῦ Ζοροβάβελ τοῦ Σαλαθιὴλ τοῦ Νηρεὶ, 28. τοῦ Μελχεὶ τοῦ Ἀδδεὶ τοῦ

Eliezer, qui fuit Iorim, qui fuit Mathat, qui fuit Levi, 30. Qui fuit Simeon, qui fuit Iuda, qui fuit Ioseph, qui fuit Iona, qui fuit Eliakim, 31. Qui fuit Melea, qui fuit Menna, qui fuit Mathatha, qui fuit Nathan, qui fuit David, 32. Qui fuit Iesse, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naasson, 33. Qui fuit Aminadab, qui fuit Aram, qui fuit Esron, qui fuit Phares, qui fuit Iudae, 34. Qui fuit Iacob, qui fuit Isaac, qui fuit Abrahae, qui fuit Thare, qui fuit Nachor, 35. Qui fuit Sarug, qui fuit Ragau, qui fuit Phaleg, qui fuit Heber, qui fuit Sale, 36. Qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sem, qui fuit Noe, qui fuit Lamech, 37. Qui fuit Mathusale, qui fuit Henoch, qui fuit Iared, qui fuit Malaleel, qui fuit Cainan, 38. Qui fuit Henos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.

Κωσὰμ τοῦ Ἐλμαδὰμ τοῦ Ἤρ, 29. τοῦ Ἰησοῦ τοῦ Ἐλιέζερ τοῦ Ἰωρεὶμ τοῦ Μαθθὰτ τοῦ Λευεὶ, 30. τοῦ Συμεὼν τοῦ Ἰούδα τοῦ Ἰωσὴφ τοῦ Ἰωνὰμ τοῦ Ἐλιακεὶμ, 31. τοῦ Μελεὰ τοῦ Μεννὰ τοῦ Ματταθὰ τοῦ Ναθὰμ τοῦ Δαυεὶδ, 32. τοῦ Ἰεσσαὶ τοῦ Ἰωβὴλ τοῦ Βοὸς τοῦ Σαλὰ τοῦ Ναασσὼν, 33. τοῦ Ἀδμεὶν τοῦ Ἀρνεὶ τοῦ Ἐσρὼν τοῦ Φαρὲς τοῦ Ἰούδα, 34. τοῦ Ἰακὼϐ τοῦ Ἰσαὰκ τοῦ Ἀβραὰμ τοῦ Θάρα τοῦ Ναχὼρ, 35. τοῦ Σεροὺχ τοῦ Ῥαγαῦ τοῦ Φαλὲκ τοῦ Ἔϐερ τοῦ Σαλὰ, 36. τοῦ Καϊνὰμ τοῦ Ἀρφαξὰδ τοῦ Σὴμ τοῦ Νῶε τοῦ Λάμεχ, 37. τοῦ Μαθουσάλα τοῦ Ἐνὼχ τοῦ Ἰαρὲτ τοῦ Μαλελεὴλ τοῦ Καινὰν, 38. τοῦ Ἐνὼς τοῦ Σὴθ τοῦ Ἀδὰμ τοῦ Θεοῦ.

In v. 21 it pler Amb cum baptizatus esset; similiter 28. Chron μετα το βαπτ. In v. 22 complacuit Wordsworth ex codd longe pler; complacui dub car val wil sixt; e f dub add bene. Pro συ ει ευδοκησα habet D υιος μου ει σὺ, εγω σημερον γεγεννηκα σε, item a b c d ff² l r Hil (ter) filius meus es tu, ego hodie genui te; item testatur Aug de nonnullis codd, et legit Iuvencus : alloquitur : te nate hodie per gaudia testor Ex me progenitum, placet haec mihi gloria prolis (1,363); similiter Clem Method. In v. 23 αρχομενος ωσει ετ. τριακ. ℵ B L X pl minusc it vulg Or Eus Ath Epiph Amb; Epiph etiam αρχομενος ειναι ως ετ.; ωσει ετ. τρ. αρχομενος A D Γ Δ Λ Π unc 8 al pl go Cyr Chron; a fere annorum XXX incipiens; ων υιος ως ενομ. ℵ B L Or Eus Ath Epiph al Ti W H; a filius ut existimabatur; ων ως ενομ υιος A X Γ Δ Λ Π unc 8 al pler vulg cop arm aeth; D ως ενομ. ειναι υιος, quod putabatur esse filius c ff² ger; quod videbatur (et dicebatur b) esse filius q, qui putabatur esse filius Amb; ιωσηφ sine articulo codd longe pler; loco qui fuit habent e f filii etc. In v. 26 iosech big cav dub ger theod car med tol; iosec am ept hub lind harl; ιωσηφ A X Δ Λ Π unc 8 al pler a f q vulg go syr (utr) aeth. In v. 36 D d om cainan; sin loco cainan habet elam (עילם) (sin v. 22 vox de coelo audita est : tu es filius meus et dilectus et in te complacui; v. 23 appellatus filius Ioseph).

Cur Iesus quoque ad baptismum suscipiendum accesserit, ipse nobis explicat verbis illis apud Matth. 3,15; et sicut ipsius erat omnem iustitiam implere, ita Patris erat Filium suum glorificare et sollemni modo eum manifestare; v. 21 *factum est autem cum baptizaretur omnis populus et Iesu baptizato et orante apertum est coelum;* magna hic cernitur humilitas Iesu; voluit baptizari quasi indigeret poenitentia, et baptizari a Ioanne minore se et una cum ceteris de plebe quasi unus ex eis et baptismo suscepto orat, quo se Patre inferiorem profitebatur (*Tol.*). Unus Lucas orationis Iesu hic mentionem facit (uti saepius quoque 5,16; 6,12; 9,18. 28; 11,1; 22,32 etc.), qua oratione Christus censen-

dus erit ea Patri commendasse quae baptismo suscepto significare voluit. Eo autem Iesus declarat se personam induere peccatorum et in se suscipere peccata aliorum et ipsa immersione profitetur se velle mortem subire ad peccata expianda (vide ad Matth. 3,15). Suo quoque baptismo aquam quasi mundavit et consecravit, « ut abluta per carnem Christi quae peccatum non cognovit baptismatis ius haberet » (*S. Ambr.*), « ut tactu suae mundissimae carnis vim regenerativam conferret aquis, sicut in quolibet tactu suo aliquid operatus est divinum; tetigit leprosum et sanatus est » etc. (*Alb.*), quae ratio frequenter affertur a Patribus (cf. *Tol.* in h. l. annot. 45, ubi aliae quoque causae recensentur). Bene autem notat *S. Ambr.* evangelistam sumpto compendio intelligendum magis quod a Ioanne Dominus baptizatus sit quam expressum reliquisse. Sed quo profundius Iesus se humiliat, eo gloriosius exaltatur; subditur enim clarificatio in exhibitione testimonii, ut ait *S. Bon.*, quemadmodum fieri advertimus in humilitate nativitatis, oblationis in templo.

Dum itaque Christus orat opus suum suosque Patri commendans *apertum est coelum*, splendor quidam in regione superiore apparuit, quasi coelorum apertura, ut et columbam et vocem coelitus mitti omnibus manifestaretur; v. 22 *et descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum;* uti in apostolos igneis linguis, ita in Christum quoque visibili quadam forma descendit; in illos quidem, ut eos sua virtute imbueret; in Iesum autem ut palam manifestaretur plenitudo gratiae in eo inhabitans (cf. Is. 11,2; 61,1. Col. 2,9). Speciem vero columbae elegit, ut quemadmodum olim columba olivae ramum gestans tamquam pacis nuntia apparuit (*Bed. Bon. Theoph.*), ita per Iesum mundo reconciliationem pacemque tribui significaretur (cf. ad Matth. 3,16). Species columbae in eum descendit modo visibili, ne cui dubium esse posset ad quem vox illa dirigeretur; *et vox de coelo facta est : tu es filius meus dilectus* ὁ ἀγαπητός, id quod cum emphasi additur, ut iste filius ab aliis filiis quos Scriptura vocat secernatur et modo quodam eminentiore atque adeo plane singulari filius declaretur; id quod maxime significatur si adverteris apud LXX hebr. יְחִיד *unicus, unigenitus* saepius exprimi voce ἀγαπητός (Gen. 22,2. 12. 16. Ier. 6,26. Am. 8,10. Zach. 12,10. Prov. 4,3), quae vocis notio etiam apud profanos reperitur[1]; *in te complacui mihi,* qua voce is pariter designatur qui iam ab Isaia 42,1 praedictus erat tamquam eadem salutatione a

1. Ita Pollux 3, 2 : καλοῖτο δ' ἂν υἱὸς ἀγαπητὸς ὁ μόνος ὢν πατρὶ ἢ μητρί, ὥςπερ καὶ ἀγαπητὴ θυγάτηρ ἡ μονογενής, καθ' Ἡσίοδον. Et scholiastes ad Homer. Il. ζ' v. 400 ἀγαπητὸν explicat μονογενῆ; eadem quoque explicatio nomine Hesychii fertur; cf. *Wetstein* ad Matth. 3, 16; *Schleusner,* Thes. I p. 15; *Schmidt*, Hesychii alex. lexicon, edit. alt. Ienae 1867 p. 10 (28).

Deo compellatus. Et cum Deus Pater in hoc uno sibi quam maxime complaceat qui modo spopondit se pro expiatione hominum mortem subiturum, etiam consequitur eos demum gratos acceptosque Deo fore qui Christum induerint, qui conformes fuerint imagini eius (cf. Rom. 8,29; 13,14. Gal. 3,27. Col. 3,10). In iis quae ad Iesu baptismum facta sunt, sancti baptismatis vim, ut *S. Cyr.* ait, cognoscere possumus; sordes peccatorum abluuntur, reconciliatio et pax cum Deo datur, Spiritus sancti gratia et ipse Spiritus sanctus tribuitur, homo declaratur et fit filius Dei et ut talis heres coeli. Haec symbolis et verbis in Iesu baptismo exhibentur.

Ea manifestatione coelesti publicum Iesu munus inauguratur et Iesus palam declaratur is per quem coeli aperiuntur generi humano reconciliatione facta et adoptione filiorum communicata. Uti evangelista aliquam temporis determinationem in antecedentibus adiecit ad narrationem eventuum (1,5. 26. 39. 59; 2,1. 21. 22. 42; 3,1-2), ita hoc quoque loco non omittit notare, quando Christus munus salutiferum docendi et patrandi miracula auspicatus sit v. 23 *et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta,* ipse scil. cui divina illa testificatio data est, erat cum inciperet, ἀρχόμενος, cum scil. munus sibi a Patre designatum aggrederetur quasi vel circiter annos natus triginta. Esse ἀρχόμενος explicandum de initio muneris messiani publice obeundi, patet, uti iam *Tol. Ipr.* aliique monent, ex modo quo Lucas loquitur Act. 1,1. 22 et 10,37, et longe plerique ita quoque exponunt; *Orig.* hom. 28 : quando enim baptizatus est... tunc dicitur incepisse; item *Hippolytus,* in Proverbia cap. 30 : perfectum hominem in mundo renovans prodigia edidit ἀρξάμενος a Ioannis baptismate, uti evangelium testatur, et affertur locus noster; cf. *Mai,* nova bibil. Patrum t. 7 p. 2 p. 74; item *Eusebius* ad Stephanum qu. 1,1; *M.* 22,881; *Bed. Euth.* ἀρχόμενος τῆς εἰς τὸν λαὸν ἀναδείξεως, τῆς φανερᾶς πολιτείας ἤτοι τῶν σημείων καὶ τῆς διδασκαλίας, *Bon. Alb. Tol. Ipr. Ians. Lap. Sa, Menochius, Tirinus, Calm. Schegg, Reischl, Bisp. Patritius* diss. 47 cap. 2 n. 23, *Schanz, Fil. Keil, Weiss, Sp.;* eademque acceptio etiam exprimitur in Chronic. pasch. (*M.* 92,512) dum dicitur : συμπληρώσας ἐτῶν ἀριθμὸν τριάκοντα. Determinatio est tamen aliquantulum vaga, quia ὡσεί *quasi,* circiter, fere annorum 30 fuisse scribitur; et 9, 28 quidem ὡσεὶ ἡμέραι ὀκτώ dicitur tempus quod sex diebus Matth. 17,1 et Marc. 9,1 continetur. Quare fieri potest ut Iesum nondum attigisse annum tricesimum significetur. Cur ea aetate voluerit Iesus incipere magisterium, explicant ex eo quia haec sit aetas virilis perfectissima, ad quaevis opera viro digna apta, nullum relinquens illi calumniae locum, quae adolescentiam facile contemnat (*Luc.*). Praeterea monent Iosephum anno tricesimo praeesse

Aegypto coepisse (Gen. 41,46); Davidem annos 30 natum coepisse regnare (2 Reg. 5,4), et eodem anno tricesimo Ezechielem vidisse coelos apertos (Ez. 1,1?), etiam a triginta annis esse recensitos filios Merari (Num. 4,30) et numeratos filios Levi tempore Davidis (1 Par. 23,3; cf. *Orig. Tol. Luc.*). Etiam apud Graecos haec aetas reputatur ἀκμὴ vitae (cf. Xenophon, Memorab. 1; Dion halic. hist. 4,1; *Wieseler*, Beitraege p. 165,2; *Far.*).

Alio modo *Wieseler* l. c. p. 165 concipit ἀρχόμενος, scil. initio, primo tempore post baptismum Iesus erat circiter annos 30 natus, ita ut tacite intelligendum sit, postremo cum crucifigeretur illam aetatem iam excesserat. Dubito an haec explicatio invenerit laudatorem. Alii saepius referunt verbum ad ipsam aetatem : incipiebat esse annorum 30 circiter; ita certe Epiphanius qui duobus in locis textum ita exhibet ἦν ἀρχόμενος εἶναι ἐτῶν τριακ. (haer. 51,10. 16; *M.* 41,908. 920), dum alio loco illud εἶναι omittit (haer. 69,22; *M.* 42,237). Immerito aliqui, uti *Wieseler*, etiam *Eusebio*, hist. eccl. 1,10 eam attribuunt sententiam, cum tamen eo loco textus verba solum recitet et ad Stephanum qu. 1,1 alteram explicationem prodat : mortalis aetatis tricesimum annum agens sistit se ad Ioannis baptisma atque hinc facit initium ἀπάρχεται magisterii sui ac prodigiorum (*M.* 22,881). Sed *incipiens* ad annorum numerum pertinere volunt *Dion. Luc. Erasmus* (incipiebat esse), *Vatablus* (ingrediebatur tricesimum annum), *Stephanus* (annum fere 30 ingrediebatur), *Grotius* (erat quasi incipiens esse), quibus iam praeivit *Irenaeus* vel eius interpres latinus : Iesus autem erat quasi incipiens triginta annorum, i. e. qui inciperet esse tamquam triginta annorum, qui nondum triginta annos impleverat (adv. haer. 2,22. 5)[1]. Et recentiore tempore verba explicuit *Riess :* fere incepit esse annorum 30, referens ὡσεί ad ἀρχόμενος, id quod vocis collocatione minime commendatur (cf. Geburtsjahr Christi p. 81).

Verum huic interpretationi merito opponit *Patritius :* « quid quaeso est *quasi annos triginta incipere?* equidem *esse quasi annorum triginta* quid sit intelligo; quid *annum tricesimum incipere* et hoc scio; *quasi annos triginta incipere* nescio. Mentio quidem *initi* anni annum hunc mihi plane definit, quem annum particula ὡσεί *quasi* minime certum ac definitum esse ostendit. Adde quod si Lucas id narrare voluisset, non ἐτῶν τριάκοντα, sed ἔτους τριακόστου apud eum legeremus, qua ratione simul illud refutatur quod aliquis opponere mihi posset particulam ὡσεί non ad ἐτῶν τριάκοντα sed ad participium ἀρχόμενος pertinere, ac si sensus esset, Christum ad Ioannem

1. In eadem sententia fuisse videtur *Cosmas* Indicopleustes libro 5, *M.* 88, 197, cum solummodo scribat ἀρχόμενος ἐτῶν τρ.; eodem modo semel quoque S. Athanasius scribit in sermone maiore de fide n. 21, *M.* 26, 1273; sed n. 32 textum exhibet integrum, uti integer quoque affertur apud Ioseppum, lib. mem. (Hypomnest.) cap. 136, *M.* 106, 144. Quare istis ea sententia non recte adscribitur.

advenisse anno tricesimo nondum inito, sed fere » (diss. 47 cap. 1 n. 3). Cum itaque sensus sit Iesum fuisse annorum 30 plus vel minus, ex hoc loco argumentum ad tempus nativitatis *accurate* eruendum haberi nequit. Accedit quod nescimus quando Christus venerit ad baptismum, utrum scil. mox postquam Ioannis inceperit praedicare an longiore temporis spatio interposito. Nescio possitne ex 1,26 in mense autem sexto colligi, Iesum etiam mense sexto post Ioannem munus suum inchoasse.

Recensetur genealogia Moysis Ex. 6,16 seq. tum cum publico munere legati Dei ad pharaonem fungi incipit; similiter Lucas hoc loco quo Iesus coelesti testimonio demonstratus iamiam munus suum aggreditur eius inserit genealogiam, *ut putabatur filius Ioseph qui fuit Heli* ὢν υἱὸς, ὡς ἐνομίζετο, Ἰωσὴφ τοῦ Ἡλεί, ut scil. a Iudaeis, mysterii ignaris putabatur; « et primum omnium neminem movere debet quod ita scriptum est : qui putabatur esse filius Ioseph; bene enim putabatur quia natura non erat; sed ideo putabatur quia eum Maria quae Ioseph viro suo erat desponsata generaverat; sic enim habes : nonne hic est filius Ioseph fabri » (Matth. 13,55; *S. Ambr.*)? ὡς ἐδόκει τοῖς Ἰουδαίοις (*Euth.*); illud ὡς ἐνομίζετο quasi per parenthesin inseritur, ne illud ὢν υἱὸς Ἰωσήφ perperam intelligatur. Ioseph autem filius Heli, τοῦ scil. υἱοῦ; « ubi autem de Ioseph fecit mentionem ascendit et ad patrem Ioseph, dein etiam ad avum eius et ad proavum et abavum et ita consequenter regrediens ascendit usque ad Adam » (*Euth.*). Notum est graece omitti solere nomen filii vel filiae et solum poni articulum sequente genetivo; ita legitur apud Herodotum 7,204 : Λεωνίδης ὁ Ἀναξανδριδέω τοῦ Λέοντος τοῦ etc.; unde elucet Lucam genealogiam ex usu graeco conscripsisse et τοῦ Ἡλεί non in unam confluere dictionem ex articulo et substantivo conflatam, sed τοῦ poni loco substantivi et Ἡλεί esse genetivum ab illo articulo rectum, uti veteres versiones rite exprimunt : Ioseph qui fuit Heli, vel Ioseph filii Heli (vide lect. var.); similiter syr : existimabatur filius Ioseph filii Heli etc.

Unde sequitur nomina propria quae sequuntur omnia poni in genetivo et articulum τοῦ supplere nomen υἱοῦ; quare ὢν υἱὸς... Ἰωσὴφ τοῦ Ἡλεί solum verti potest : cum esset filius... Iosephi filii Heli, et nullo modo : cum esset (ut putabatur Iosephi) filius Heli etc.; Ἰωσήφ itaque secundum codices longe plerosque caret articulo quia ponitur υἱός, sicut reliqua nomina propria in tali enumeratione carent articulo [1]. Alterum eius rei exemplum praebet Herodotus 8,131 : στρατηγὸς καὶ ναύαρχος ἦν Λευτυχίδης ὁ Μενάρεος τοῦ Ἡγησίλεω τοῦ Ἱπποκρατίδεω τοῦ etc.; ponitur hoc quoque loco, uti 7,204,

1. Similem dicendi modum deprehendis apud LXX, 1 Reg. 1, 1 Ἑλκανὰ υἱὸς Ἱερεμεὴλ υἱοῦ Ἠλίου υἱοῦ Θωέ et Esdr. 7, 1 seq. Ἔζρας υἱὸς Σαραίου υἱοῦ Ἀζαρίου υἱοῦ etc. et Iudith 8,1 Ἰουδὶθ θυγάτηρ Μεραρὶ υἱοῦ Ὠξ υἱοῦ Ἰωσὴφ υἱοῦ etc. — Solum pro υἱοῦ posuit Lucas ex usu

undevicies τοῦ. Proinde hac proprietate attenta excluditur sententia eorum qui ex textu hoc eruere volunt Iesum dici filium Heli i. e. nepotem, indeque ostendere recenseri genealogiam b. Virginis. Plane enim arbitrarium est ὢν υἱός adiungere ad τοῦ Ἡλεί proinde primum hoc τοῦ omnino aliter accipere quam in sequenti enumeratione. Porro arbitrarium est τοῦ Ἡλεί explicare ita ut avus designetur, cum eadem dictio in subsequentibus constanter patrem enuntiet. Insuper dici debet modum loquendi esse plus quam mirum, si Lucas diceret : Iesum existimatum quidem fuisse filium Ioseph, at revera fuisse filium Heli. Unde ea explicatio quam proponunt *Suarez* 3 p. qu. 27 disp. 2 s. 3 n. 9, *Calm. Reischl*, *Wieseler*, *Keil* aliique quos Keil enumerat (ad Matth. 1,17) nequit sustineri.

Pariter excluditur explicatio altera, quae iam reperitur apud auctorem quaestionum veteris et novi testamenti (qu. 56; *M.* 35,2253), quamque Lightfoot (ad Luc. 3,23) Bengel aliique quos enumerat Wolfius (curae criticae in Luc. l. c.), Riggenbach (Studien und Kritiken 1845 p. 585), Weiss proponunt, Iesum dici filium Ioseph, filium Heli, filium reliquorum omnium, ita ut τοῦ semper referendum sit ad υἱός. Simile quid etiam iam cerni videtur apud Epiphanium (haer. 51,11; *M.* 41,908), cum dicat Iesum dici in hac genealogia filium Dei.

Neque admitti potest Ioseph dici filium Heli eo quod gener eius fuerit, ita ut Heli pater significetur esse b. Virginis et Ioseph ratione uxoris appelletur filius Heli et genealogia recenseatur Mariae, quam sententiam propugnant *Ians. Cord. Luc. Calm.* quoque (simul cum priore) *Bisp. Fil.* Cum enim evangelista nullibi indicet patrem Mariae fuisse Heli, nemini eius rei in mentem venire poterat; neque eo in contextu τοῦ Ἡλεί ullo modo accipi potest nova illa et alias inaudita significatione. Negant quoque recentiores patrem b. Virginis apud talmudistas unquam vocari Eli.

Recensetur itaque genealogia Ioseph et Ioseph dicitur filius Heli. Etiam Matth. 1,16 proponitur genealogia Ioseph et ibi pater Ioseph vocatur Iacob et exceptis Salathiel et Zorobabel usque ad David regem alii maiores ac progenitores enumerantur. Ad utriusque genealogiae diversitatem commode explicandam praesto est documentum antiquum Iulii Africani qui illud ab ipsis Iesu cognatis traditum esse affirmat. Fuerunt scil. Heli et Iacob fratres uterini (ab eadem matre), ita ut Heli per patrem descenderet a Nathan, filio David, Iacob autem a Salomone. Heli mortuus est uxore sine liberis relicta; ex lege leviratus eam duxit frater eius Iacob, ut fratri suo secundum legem (quam eo tempore valuisse deprehendimus Matth. 22,23 seq.) semen excitaret. Ex qua unione procreatus est Ioseph, qui proinde habet patrem legalem Heli, naturalem Iacob. Matthaeus itaque genealogiam recenset secundum patrem naturalem Iacob ex stirpe salomonica, Lucas secundum patrem legalem ex progenie Nathan. Haec exponit Iulius Africanus in epistola ad Aristidem quam vide apud Mai, nova bibl. Patrum IV p. 231; pariter *M.* 10,53;

apud Graecos accepto articulum τοῦ. Quod si attenderis, plane perspicies nullo modo quas ex traiectione quadam posse iungi ὢν υἱὸς τοῦ Ἡλεί in textu nostro. Immo *Krüger* (Griech. Sprachlehre II § 47, 5. 3) dicit ab usu graeco plane abhorrere formam Κῦρος τοῦ Καμβύσου

apud *Eusebium,* hist. eccl. 1,7; *M.* 20,89 (et quaestiones ad Stephanum 4,2; *M.* 22,901). Ipse autem Africanus vocatur ab Eusebio ἀνὴρ λόγιος καὶ τοῖς ἀπὸ τῆς ἔξωθεν παιδείας ὁρμωμένοις ἐπιφανής qui multos egregios libros conscripserit. Vide quoque *Cornely,* Introd. III p. 198 seq.

Legitur in codicibus et versionibus, uti habetur in vulg. *Heli qui fuit Matthat qui fuit Levi qui fuit Melchi;* at Iulius Africanus l. c. etiam Eusebius (qu. ad Steph. 4,2), Ambr. (lib. 3 n. 15 expos. in Luc.) et Gregorius naz. (carmen de Chr. genealogia 18,26; *M.* 37,481) scribunt Heli fuisse filium Melchi. Unde hi videntur duo nomina intermedia non legisse. Convenit utraque genealogia eo quod Zorobabel filius Salathiel dicitur. Et cum Salathiel a Matthaeo dicatur filius Iechoniae, a Luca vero filius Neri, ad eandem leviratus legem discrepantia haec erit exigenda; « mirum enim nemini videbitur quod in decursu decem saeculorum quae a Davide usque ad Christum defluxerunt in eadem familia haec lex saepius locum suum habuerit » (*Cornely* l. c.); ceterum vide quae de Zorobabel filio Salathiel notavi in Comment. Matth. I p. 39. Dein Lucas genealogiam texuit per alium Zorobabelis filium, per Resa, dum apud Matthaeum Abiud nominatur; quare alia nomina apud utrumque leguntur. Eodem modo Lucas seriem ducit per Nathan, filium David (2 Reg. 5,14. 2 Par. 3,5), dum Matthaeus per Salomonem enumerans reges recenset usque ad exsilium. A Davide usque ad Abraham utraque genealogia eodem texitur modo. Et in Abraham patre Iudaeorum sistit Matthaeus qui Iudaeis genere suum conscripsit librum; Lucas autem ulterius ascendit per nomina patriarcharum usque ad primam generis humani originem, ut declaret salutem afferri omnibus, Iesum verum hominem pertinere ad totum genus humanum quod sicut ab uno originem habet ita ab uno salute donatur. Porro sicut Adam non habet patrem nisi Deum, ita Iesus modo quidem plane sublimiore : tu es filius meus dilectus; unde Iesus alter est Adam, parens et reparator generis humani, qui ad reparandum damnum ab Adam illatum venit in mundum et qui Adamo iam promissus erat; primus itaque homo de terra terrenus, secundus homo de coelo coelestis (1 Cor. 15,47; cf. *Euth. Theoph. Mald.* ad Matth. 1,16).

Uti generatim apud Semitas, ita apud Iudaeos quoque genealogiae sedulo observabantur et custodiebantur. Documento est quoque 2,36. Cum Lucas scriberet, consanguinei Iesu erant superstites et ipse Lucas cum Paulo apostolo in urbe conversatus est cum Iacobo fratre Domini (Act. 21,18). Usque ad finem primi saeculi cognati Iesu in urbe Ierusalem munia gerebant ecclesiastica (cf. Hegesippus apud Eusebium, hist. eccl. 3,11, 4,22; aliaque commemoravi in Comment. Matth. I

p. 25). Etiam *Iosephus* testatur se generis sui successionem in medium attulisse prout eam in tabulis publicis descriptam (ἐν ταῖς δημοσίαις δέλτοις) invenerit (Vita 1) et quanta cura sacerdotum genealogiae conficiantur et asserventur et ex Aegypto, Babylone aliisque regionibus Hierosolyma transmittantur, idem narrat c. Ap. 1,7. Iam certe concludendum erit non minore cura genus David esse in tabulas relatum. Quare a vero omnino alienum est quod Bleek, Meyer aliique contendunt, ex diversitate genealogiarum constare ne nomen quidem patris Ioseph tunc notum fuisse cum evangelia conscriberentur. E contra iam ex tot nominibus aliunde plane incognitis quae uterque et praeprimis Lucas recenset concludi oportet genealogias esse e tabulis publicis vel privatis depromptas.

Dicit quidem *S. Hilarius*, multos velle generationem quam enumerat Lucas, deputari Mariae (cf. *Mai*, Nova bibl. P. I p. 477); at neminem ex iis nominat neque ipse eis assentitur (cf. in Matth. 1; *M.* 9, 919). Alii quandoque eam acceptionem ab Epiphanio innui affirmant; at id haer. 51,11 (*M.* 41,908) minime asseritur. Verum, uti *Patritius* scribit, Patres omnes quotquot de istis genealogiis scripserunt omnesque bibliorum interpretes qui fuere ante saeculum 16 docuerunt utramque genealogiam ad Ioseph pertinere; atque illud quoque animadvertendum est, quod etsi Patribus controversia haec de duplici Christi genealogia implexa satis ac difficilis videretur, nec raro manus eos conserere oporteret cum iis haereticis qui ex his genealogiis argumenta corradebant quibus Mariam integra virginitate peperisse negarent, nunquam tamen aliquis eorum hoc sibi effugium quaesiverit, ut diceret Matthaeum quidem Iosephi, Lucam vero Mariae edidisse patremque nominasse atque adeo ab uno Luca, non a Matthaeo, Christi genus enarrari; quo iam lis omnis esset dirempta (diss. 9 cap. 19 n. 4. 18). Et si genealogia ex tabulis publicis vel privatis erat descripta, eo ipso ostenditur esse genealogiam Ioseph; nam virorum, non mulierum genealogiae texebantur. Neque quidquam momenti tribuendum est quod (in Hieros. Chagigah, fol. 77,4; Lightfoot ad Luc. 3,23) Maria, uti ibidem videtur, dicitur filia Heli עלי. Ex traditione christiana pater eius vocatur Ioakim; sed עלי neque cum Ioakim neque cum Eliakim (אליקים) ullam habet cognationem.

Cur autem merito detur genealogia Ioseph, vide quae exposui in Comment. Matth. I p. 42; quibus addo quae notavit *Patritius*: « cum itaque argumenta non desint ex Scripturis simul atque ex Patribus deprompta quibus probemus Mariam Iosephi agnatam fuisse, eoque agnationis gradu huic propinquam, ut omnes fere Iosephi maiores Mariae quoque maiores atque adeo Christi ipsius fuerint, cumque inde

appareat veram Christi prosapiam in duabus genealogiis integram ferme contineri, ergo, utut evangelistae illas ad Iosephum potius quam ad Mariam perduxerint, eas tamen Christi genealogias vere dici Christique genus ex iisdem his nos discere posse et evangelistarum consilio satis per eas factum esse tandem concludemus » (diss. 9 cap. 20 n. 26). Similia habet *Didon*, Jésus Christ, Appendice C. Ex hisce omnibus simul conficitur nullum esse argumentum eorum qui dicunt eo quod Lucas inserat : ut putabatur filius Ioseph iam aperte significari eum nolle tradere genealogiam Ioseph. Certe si Lucas dicere voluisset Iesum esse nepotem Heli vel si genealogiam Mariae tradere ei propositum fuisset, id clare expressisset pro eo perspicuo dicendi genere quo alias uti solet. Atque revera ad finem usque saeculi 15 ea obtinuit sententia de Iosephi genealogia descripta. Noli mirari, ait *S. Ambr.*, quod Ioseph origo descripta est; etenim secundum carnem natus usum debuit sequi carnis et qui in saeculum venit saeculi debuit more describi, maxime cum in Ioseph origine etiam origo sit Mariae. Atque *S. Bon.* apposite monet propter duplicem modum paternitatis secundum naturam et secundum legem (qui apud Iudaeos obtinuit) genealogias Iesu esse descriptas, apud Matthaeum secundum naturam, secundum legem apud Lucam.

Immerito aliqui existimarunt Zorobabel et Salathiel esse distinguendos ab iis qui in vet. test. et apud Matthaeum commemorantur. Lege leviratus solvitur difficultas quam movent. In v. 36 recitatur Cainan, uti revera legitur apud LXX Gen. 10,24 et 11,12, neque tamen in nostro textu hebraeo.

Iam *S. Aug.* advertit : in eo numero qui est penes Lucam et ipse Christus a quo incipit enumeratio et Deus ad quem pervenit connumerantur et fit numerus septuaginta septem quo significatur omnium prorsus remissio et abolitio peccatorum, quam etiam ipse Dominus per huius numeri mysterium evidenter expressit dicens remittendum esse peccanti non solum septies sed etiam septuagies septies (de cons. evang. 2,4. 12 et c. Faust. 3,4; *M.* 34,1077; 42,216). Idemque *Beda, Alb.* aliique adnotant. Etiam e recentioribus *Weiss* monet esse genealogiam ita contextam, ut evadant membra undecies septena; ter septena ab Adam ad Abraham usque, bis septena ab Abraham ad David, ter septena usque Salathiel i. e. usque ad exsilium et ter septena usque ad Iesum. — Aliter Schegg : decem generationes ab Adam ad Noe et decem a Sem ad Thare; quattuordecim ab Abraham ad David, viginti a Nathan ad Neri, viginti a Salathiel ad Heli. — Sed cum Lucas non sicut Matthaeus aliquam numerorum divisionem et computationem instituat, dubito sintne eiusmodi partitiones ab ipso intentae.

Matthaeum recitasse generationem Christi regiam, Lucam autem sacerdotalem, sententia est S. Hilarii (*M.* 9,919), Ambrosii (in Luc. lib. 3 n. 15) Augustini (de cons. evang. 2,2. 4 et 83 quaest. qu. 61; *M.* 34,1072 et 40 49), Gregorii naz. (carm. de geneal. carm. 18,11; *M.* 37,481), Bedae, Bon.

ad h. l. Alb. Thomae (in 3 p. qu. 31 art. 3 ad 3) et ex recentioribus Grimm (Leben Jesu II p. 155 seq.). Cuius tamen sententiae rationes aliae ab aliis proponuntur. Et *S. Bon.* quidem sacerdotium Christi describi censet eo quod post baptismum quo nostra regeneratio et adoptio significetur ponatur genealogia eaque usque ad Deum a quo adoptemur ascendat. Ad quam sententiam *Alb.* quoque accedit, sed insuper addit rationem a Nathan petitam, quem putat Nathan prophetam redarguentem David de peccato et annuntiantem peccati remissionem. Eandem etiam protulerat *S. Aug.* de cons. ev. 2,4. 12 et qu. 61 ex 83 : Lucas qui tamquam ascendentem post abolitionem peccatorum sacerdotem Christum insinuat, per Nathan ascendit ad David, quia Nathan propheta missus fuerat cuius correptione David ipsius peccati abolitionem poenitendo impetravit »[1], idemque sentit *S. Thomas* l. c. Verum evidens est a Luca non commemorari Nathan prophetam, sed Nathan filium David quem David ex Bethsabee genuit (1 Par. 3,5) qui itaque Davidem de peccato contra Uriam admisso non poterat reprehendere, utpote nondum conceptus. Alii exinde rem deducunt quod Nathan fuerit sacerdos; ita S. Hilarius, Gregorius naz., Ambr., etiam Aug. l. c. et Grimm, qui omnino arguit ex 2 Reg. 8,17-18 et 3 Reg. 4,5. Ultimo hoc loco legitur : Zabud filius Nathan sacerdos amicus regis. Sed esse sermonem de Nathan filio David, nullatenus certum est; alii ex eo loco deducunt Nathan prophetam fuisse ex tribu Levi. Proinde iste locus ineptus est ad sacerdotium Nathan filii David probandum. De altero adverte, 2 Reg. 8,18 utique legi : filii autem David sacerdotes erant, כֹּהֲנִים; at LXX iam vertere αὐλάρχαι, unde habere veterem latinam versionem : principes aulae regiae, interpretem syrum et chald. paraphrasten : magnates; et quod maioris est momenti, in loco parallelo 1 Chron. 18,17 ferri etiam in hebr. : et filii David *primi ad manum regis*, qua dictione itaque explicatur quid sibi velit sacerdos regis. Nam Sanctius iam monet eo quod sacerdotes *regis* (cf. 2 Reg. 20,26. 3 Reg. 4,5) praeter sacerdotes Dei seu pontifices recensentur, ostendi officium a dignitate vere sacerdotali fuisse alienum (vide *de Hummelauer*, Comment. in libros Samuel p. 333). Et Lucam sacerdotale genus narrare *Tol. Mald.* (ad Matth. 1,16) iam satis refutant.

Censet *S. Aug.* quoque l. c. Nathan filium David ex tribu sacerdotali uxorem duxisse et ita effecisse, ut Maria de utraque tribu, de regia et sacerdotali cognationem duceret. Sed merito notat *Tol.* non apparere, unde hoc hauserit cum s. Scriptura nihil de ea re tradat. Alias s. doctor sacerdotale Mariae genus ex eo deducit, quod cognata eius esset Elisabeth quae erat de filiabus Aaron; unde concludit firmissime tenendum esse carnem Christi ex utroque genere propagatam, et regum scil. et sacerdotum (de cons. ev. 2,2. 4). Sed potuit esse cognata Elisabeth sine ullo sanguinis communione. Cur Lucas non, ut Matthaeus, ab initio libri, neque deorsum versus genealogiam descripserit pariter explicat s. doctor ex indole sacer-

1. Sed bene dicit in retractationum libro 2 cap. 16 (ad locum de cons. evang.) : per cuius nominis prophetam dicere debui ne putaretur idem fuisse homo.

dotali. Ad sacerdotem enim pertinere mundationem et abolitionem peccatorum; quare incepisse Lucam a baptismo, ubi peccatorum mundatio praefiguretur, originem prosequi, et quidem sursum versus, ut Iesum post abolitionem peccatorum tamquam ascendentem insinuaret (qu. 61 ex 83) vel ut *S. Bon.* dicit : Lucas scribit ascendendo quia gratia est principium reducendi, Matthaeus descendendo, quia natura est principium propagandi.

Quod olim *S. Aug.* proposuit ad discrepantiam declarandam, Ioseph habuisse unum patrem a quo genitus, alterum a quo adoptatus esset (de cons. evang. 2,3. 5; quaest. evang. 2,5; *M.* 34,1073; 35,1335), re melius perpensa postea correxit, cum Iudaeis adoptio esset ignota (Retract. 2,7; *M.* 32,633; cf. *Cornely* l. c. p. 197). Quae correctio eo quoque notanda est quia in breviario romano ad festum patrocinii S. Ioseph lect. 7 et 8 sententia ponitur de adoptione lectionibus ex libro 2 de cons. evang. de sumptis.

c) **Iesus tentatur a diabolo 4,1-13.**

4,1. Iesus autem plenus Spiritu sancto regressus est a Iordane; et agebatur a Spiritu in desertum 2. diebus quadraginta, et tentabatur a diabolo. Et nihil manducavit in diebus illis : et consummatis illis esuriit. 3. Dixit autem illi diabolus : Si filius Dei es, dic lapidi huic ut panis fiat. 4. Et respondit ad illum Iesus : Scriptum est : Quia non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei. 5. Et duxit illum diabolus in montem excelsum, et ostendit illi omnia regna orbis terrae in momento temporis, 6. Et ait illi : Tibi dabo potestatem hanc universam et gloriam illorum : quia mihi tradita sunt, et cui volo, do illa. 7. Tu ergo si adoraveris coram me, erunt tua omnia. 8. Et respondens Iesus, dixit illi : Scriptum est : Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. 9. Et duxit illum in Ierusalem et statuit eum super pinnam templi, et dixit illi : Si filius Dei es, mitte te hinc deorsum. 10. Scriptum est enim quod angelis suis mandavit de te, ut conservent te : 11. Et quia in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. 12. Et respondens Iesus, ait illi : Dictum est : Non tentabis Dominum Deum

4,1. Ἰησοῦς δὲ πλήρης Πνεύματος Ἁγίου ὑπέστρεψεν ἀπὸ τοῦ Ἰορδάνου· καὶ ἤγετο ἐν τῷ Πνεύματι ἐν τῇ ἐρήμῳ 2. ἡμέρας τεσσαράκοντα, πειραζόμενος ὑπὸ τοῦ διαβόλου. καὶ οὐκ ἔφαγεν οὐδὲν ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις· καὶ συντελεσθεισῶν αὐτῶν ἐπείνασεν. 3. εἶπεν δὲ αὐτῷ ὁ διάβολος, Εἰ υἱὸς εἶ τοῦ Θεοῦ, εἰπὲ τῷ λίθῳ τούτῳ ἵνα γένηται ἄρτος. 4. καὶ ἀπεκρίθη πρὸς αὐτὸν ὁ Ἰησοῦς, Γέγραπται, ὅτι οὐκ ἐπ' ἄρτῳ μόνῳ ζήσεται ὁ ἄνθρωπος, [ἀλλ' ἐπὶ παντὶ ῥήματι Θεοῦ.] 5. Καὶ ἀναγαγὼν αὐτὸν ἔδειξεν αὐτῷ πάσας τὰς βασιλείας τῆς οἰκουμένης ἐν στιγμῇ χρόνου· 6. καὶ εἶπεν αὐτῷ ὁ διάβολος, Σοὶ δώσω τὴν ἐξουσίαν ταύτην ἅπασαν καὶ τὴν δόξαν αὐτῶν· ὅτι ἐμοὶ παραδέδοται, καὶ ᾧ ἂν θέλω δίδωμι αὐτήν· 7. σὺ οὖν ἐὰν προσκυνήσῃς ἐνώπιον ἐμοῦ, ἔσται σοῦ πᾶσα. 8. καὶ ἀποκριθεὶς αὐτῷ εἶπεν Ἰησοῦς, Γέγραπται Κύριον τὸν Θεόν σου, προσκυνήσεις, καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις. 9. ἤγαγεν δὲ αὐτὸν εἰς Ἰερουσαλήμ, καὶ ἔστησεν ἐπὶ τὸ πτερύγιον τοῦ ἱεροῦ, καὶ εἶπεν αὐτῷ, Εἰ υἱὸς εἶ τοῦ Θεοῦ, βάλε σεαυτὸν ἐντεῦθεν κάτω· 10. γέγραπται γὰρ, ὅτι τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ ἐντελεῖται περὶ σοῦ, τοῦ διαφυλάξαι σε; 11. καὶ ὅτι ἐπὶ χειρῶν ἀροῦσίν σε, μήποτε προσκόψῃς πρὸς λίθον τὸν πόδα σου. 12. καὶ ἀποκριθεὶς εἶπεν αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς,

tuum. 13. Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo, usque ad tempus.

ὅτι εἴρηται, Οὐκ ἐκπειράσεις Κύριον τὸν Θεόν σου. 13. Καὶ συντελέσας πάντα πειρασμὸν ὁ διάβολος ἀπέστη ἀπ' αὐτοῦ ἄχρι καιροῦ.

In v. 1 εν τη ερημω ℵ B D L, in deserto a b d ff² q r cav ept* ger hub theod ing mt ox tol corp harl steph hent. In v. 2 in codd mu (non in ℵ B D L) e Matth legitur υστερον επεινασεν. In v. 3 tol dic ut hii lapides panes fiant; similiter D (uti Matth). In v. 4 add A D Γ Δ Λ Π unc 8 al pler it vulg syr (utr) go arm αλλ επι παντι ρηματι θεου; non add in ℵ B L sah sin cop Ti W H; it pler et mu codd vulg *viret*, et ita Wordsworth. In v. 5 εις ορος υψηλον non add in ℵ B L b sah pler codd vulg; in montem altissimum Hil Ambr c hub theod med; in montem excelsum f l wil; supra montem e; neque add o διαβολος in ℵ B D L aliq minusc e sah arm; v. 5-8 ponunt post 9-12 b c f l q r ger Ambr (ex ordine scil. Matth); a et adduxit eum hierusalem et statuit eum supra pinnam templi et ostendit illi omnia regna etc. In v. 6 do *illam* tol. In v. 7 tu ergo *procidens* am lind steph sixt; si *procidens* a b e (prostratus) f ff² l q r Ir ger; cadens ken; πασα codd gr longe pler. In v. 8 praemittttur υπαγε οπισω μου σατανα in A Γ Δ Λ Π unc 9 al pler b e l q syr (p). In v. 9 supra pinnaculum rush wil. In v. 10 *mandabit* am cav hub theod car tol lind Wordsworth. In v. 12 D οτι γεγραπται et similiter it Or (sin v. 1 et duxit eum Spiritus sanctus et exire fecit in desertum ut tentaretur a satana; v. 2 et erat ibi dies quadraginta et postquam 40 dies ieiunavit, esuriit et dixit ei diabolus; v. 5 et duxit et ascendere fecit eum satanas et ostendit ei omnia regna terrae in parvo tempore, v. 6 et dixit ei : haec omnia regna et gloria eorum mihi tradita sunt; tibi do dominium hoc totum et gloriam quoniam mihi (data sunt); v. 11 ne offendas ad saxum).

Christus promulgaturus orbi legem novam cunctaque innovaturus secessit per quadraginta dies in desertum, ut inde prodiret ad exsequendum munus suum, quemadmodum Moyses fecerat accepturus et populo traditurus veterem legem (Ex. 24,18 et 34,28), sicut Elias rempublicam innovaturus (3 Reg. 19,8), et ut ostenderet evangelium legi et prophetis consentaneum (*Luc.*). Venit Christus ut destrueret eum qui victoria de parente generis humani reportata princeps mundi effectus tyrannide sua homines trahebat in perniciem; quare conveniens erat ut statim ab initio cum eo congressus eum devinceret, qua vincendi ratione omnibus daret spem et exemplum victoriae. Primus Adam e paradiso in desertum, alter e deserto in paradisum regressus est simul omnibus viam pandens et ostendens. Populus Dei peccato in deserto commisso per annos quadraginta ibi versabatur, donec introitus pateret in terram promissam; Christus sua commoratione et victoria viam sternit ad regnum Dei fundandum; v. 1 *Iesus autem plenus Spiritu sancto regressus est a Iordane;* Christus homo a primo conceptionis momento erat plenus Spiritu sancto; et, ut *Orig.* monet, si apostoli repleti dicuntur Spiritu sancto, vide ne eos aequales putes Salvatori, sed Iesum et apostolos et alium quemlibet sanctum plenos cognosce secundum mensuram vasculi sui. Si iam peculiari occasione dicitur

plenus Spiritu sancto, sensus est istam plenitudinem singulari quoque ratione sese manifestasse vel vultu et habitu eius vel verbis, miraculis totoque agendi modo, ita quidem ut quotquot eum viderint non potuerint non advertere eum coelesti virtute praeditum agere. Quare Lucas dicere vult Iesum ita a loco baptismi recessisse tali vultu et habitu, ut manifesto appareret eum repletum esse Spiritu sancto; in ipsa eius humanitate elucebat splendor quidam divinitatis.

Dein narrat eiusdem Spiritus ductu Iesum versatum esse in deserto *et agebatur a Spiritu* ἐν τῷ πνεύματι (2,27; eo scil. spiritu imbutus ac perfusus) *in desertum* ἐν τῇ ἐρήμῳ, uti ductus est ab eo in desertum, ita ab eo quoque versans *in deserto* regebatur, ducebatur, v. 2 *diebus quadraginta;* numerum istum frequentem esse in Scripturis veteres notant eumque esse celebrem multis Dei operibus, quare Christum numerum explevisse mysticum et symbolicum (cf. Comment. Matth. I p. 145). Eum numerum pertinere ad ἤγετο longe plerique rite statuunt (cf. *Tol. Schegg, Schanz, Fil. Keil, Weiss*); aliqui, ut *Orig. Euth.* (ad Matth. 4,3) *Luc.* referunt πειραζόμενος[1] ad dies 40, ita ut toto illo tempore Christus sit tentatus. Sed perperam. Nam participio praesenti id neutiquam requiritur, cum eo solum enuntietur Iesum esse tentatum dum versaretur in deserto. Id eo quoque confirmatur quod postmodum qua ratione tentatus sit explicite refertur. Lucas itaque, ut bene notat *Tol.*, prius narrat in genere quae gesta sunt in deserto, postea speciatim et distincte explicat quae in genere dixerat; proin tentationes illae non sunt distinctae ab iis quae hoc loco iam innuit, sed quae confuse prius scripserat, postea clarius explicat et edisserit. Merito igitur latina versione *et tentabatur a diabolo* id separatur a diebus 40, ut sensus non sit eum per totum illud tempus esse tentatum a diabolo. Insuper quod *Euth.* vult Iesum iis diebus tentatum esse per somnum, tristitiam, ignaviam et similia, eo iam repudiandum est quia *internam* tentationem in Christo admittere nefas est (cf. *Suarez* in 3 p. qu. 41 disp. 29 s. 3 n. 8).

Illis autem diebus Christus perseverabat in oratione incumbens divinis laudibus, intentus contemplationi et alloquio Dei et opus suum ac nostram salutem Patri commendans (cf. *Luc. Suarez* l. c. s. 1 n. 5); *et nihil manducavit in diebus illis et consummatis illis esuriit,* ergo antea esuriem non sensit; « nam si quis narrat expleto tali tempore aliquid esse factum, plane significat antea non esse factum, ut patet ex similibus locutionibus eiusdem Lucae : postquam consummati sunt dies octo, cap. 2, et cum complerentur dies pentecostes, Act. 1 ; adde hanc

1. Esse explicandam vocem *tentandus* monet *Noesgen* (Studien und Kritiken 1877 p. 452).

esse communem veterum Patrum et expositorum intelligentiam » (*Suarez* l. c. s. 2 n. 5); vide ad Matth. 4,2. Esurie infirmitatem humanae naturae subiit et manifestavit; inde diabolus arripit tentandi occasionem. Iesus autem post ieiunium tentari voluit, ut *S. Thomas* docet (3 p. qu. 41 art. 3), propter exemplum, nos docens oportere per ieiunium nos armari contra diabolum neque nos tutos esse a tentationibus etsi bonis operibus vacemus; v. 3 *dixit autem illi diabolus,* cum Lucas non explicite dicat, ut Matth. 4,3 et accedens tentator concludit *Weiss* in « fonte antiquiore » rem ita esse narratam, ut diabolus non forma visibili ad Iesum accederet, sed sola allocutione interna animum eius tentaret. Sed quam arbitrarie id dicatur, elucet ex ipsa Lucae narratione v. 5. 9 ubi res externe gesta clarissime significatur; *si filius Dei es, dic lapidi huic* quem digito ostendit, vel ut in picturis quandoque exhibetur, quem manu tenens Christo exhibet, hic loquendi modus rem describit magis vivide quam apud Matth. 4,3 (uti lapides isti), *ut panis fiat;* vult explorare diabolus sitne Iesus revera Filius Dei (cf. *S. Cyr. Bed. Bon. Cai.*); unde ei suggerit: si revera is es qui in baptismo es declaratus, sane minime te decet esuriem pati; utere ergo tua potentia. Iesu igitur persuadere vult, ut proprio marte hoc vitae genus eamque molestiam abrumpat sese subducens ductui Spiritus sancti. Proinde sicut protoparentes ad inobedientiam perduxit et ita opus Dei in illis destruxit, ita idem in Iesu tentat quem esse a Deo singulariter electum ad hominum salutem procurandam post ea quae in baptismo acciderant certe suspicatus est. Immo ex secunda tentatione satis iam elucet diabolum eum agnovisse in Iesu cui oraculis prophetarum regna terrae essent promissa. Incepit autem satan, ut *Luc.* ait, inde unde olim vicerat; admovit primum illud gulae telum; v. 4 *et respondit ad illum Iesus : scriptum est quia non in solo pane vivit homo* i. e. non solo pane, non solo cibo vita sustentari potest, verum etiam Dei virtute et voluntate. Atque ita declarat nullo pacto opus esse ut a Dei ductu se eximat. Iesus eo modo respondet quo quivis qui a Deo sibi vitae genus esse praescriptum sciebat merito respondere potuit ac debuit. Quare diabolum exploratorem fallit; quod porro additur *sed in omni verbo Dei,* explicite Deo non deesse subsidia dicit quibus vitam sustentet. Quae verba cum apud aliquos testes desint videntur ex Matthaeo huc esse inserta. Nam facilius explicatur ea esse adscripta quam ea esse omissa. Insuper alii putant ea consulto esse a Luca praetermissa, cum qua occasione ea dicta essent vix illi scirent quibus ipse scribebat (cf. *Schanz*); cf. ad Matth. 4,4.

Ex oraculis prophetarum Messiae promittebantur gentes et termini terrae tamquam possessio; verum simul portendebatur cum istud regnum

multo labore debere sibi acquirere (Is. 49,4; 50,4-8; 53,2-12. Zach. 13,7). Viam facillimam et omni sudore et molestia carentem proponit diabolus v. 5 *et duxit illum diabolus in montem excelsum et ostendit illi omnia regna orbis terrae in momento temporis*, in puncto temporis i. e. uno eodemque puncto temporis oculis eius exhibuit artificio quodam ac praestigio diabolico omnia regna mundi eorumque pompam, gloriam, luxuriem, obiiciendo aspectui eius vi quasi magica opes eorum et magnificentiam, fastum, adorantium obsequia et similia (*Ipr.*) et haec ei exhibens v. 6 *ait illi : tibi dabo potestatem hanc universam et gloriam illorum, quia mihi tradita sunt et cui volo do illa*, αὐτήν scil. ἐξουσίαν, δόξαν; vero plurima admiscet falsa. Cum qui peccatum facit sit servus diaboli (Ioan. 8,34. 2 Petr. 2,19) et creatura vanitati sit subiecta (Rom. 8,20) et diabolus, deus huius saeculi et princeps, excaecet mentes infidelium (2 Cor. 4,4) et gentes ea quae immolant daemoniis immolent (1 Cor. 10,20), vero aliquo sensu diabolus dicere poterat suae tyrannidi subesse maximam orbis terrae partem Deo ita permittente. Sed arrogantius loquitur spiritus superbiae; a quo tradita sint vel potius sibi per aliquod tempus permissa, prudenter et callide tacet; *cui volo do*, impudentissime mentitur decipere et fallere desiderans. Iactat in immensum suam potentiam, quo facilius tanta promissione proposita ei persuadeat ut facili adorationis actu omnem illam gloriam sibi acquirat v. 7 *tu ergo si adoraveris coram me erunt tua omnia*, πᾶσα, scil. ἐξουσία, omne imperium totaque potestas tibi erit. En quam levi negotio ea acquiri posse suadet, quae Deus Messiae non est daturus nisi post labores et mortem ignominia et cruciatu plenam. « Dicit ergo ad Dominum diabolus : ideo venisti, ut adversus me dimices et tollas de imperio meo quos nunc subiectos habeo? nolo contendas, nolo nitaris, ne habeas ullam in certando molestiam; unum est quod precor : procidens adora me et accipe regnum omne quod teneo » (*Orig.*). Uti olim in paradiso, promittens egregie mentitur, totus in deceptionem et fraudem intentus.

Propositum Domino erat humilitate diabolum vincere, non potentia (*Bed. Bon.*); idcirco v. 8 *et respondens Iesus dixit illi : scriptum est : Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies*, Deut. 6,13 et 10,20. Sicut itaque Christus non sua uti voluit potentia ad molestiam famis depellendam, ita opem diaboli ad regnum suum obtinendum repudiat. Simplici autem responsione quam quivis pius Dei cultor daturus esset tentatoris exspectationem fallit. Is enim merito censetur sua promissione arroganti sperasse fore ut vel Iesus, si sit filius Dei, tanta improbitate provocatus se esse dominum omnium et adorandum diceret, vel si sit solum homo, allectus magnificis promissis et possidendi do-

minandique libidine victus suggestioni cederet, quemadmodum protoparentes falsa promissione decepti sunt; ceterum vide ad Matth. 4,8. Merito plerique referunt hanc alteram tentationem ad avaritiam, uti tertiam referunt ad superbiam vel vanam gloriam (cf. *S. Cyr. Bed. cat. Cr. Theoph. Bon. Alb. Thom.* 3 p. qu. 41 art. 4, *Suarez* l. c. disp. 29 s. 4); v. 9 *et duxit illum in Ierusalem,* nota Matthaeum Iudaeis scribentem dicere : assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem 4,5, *et statuit eum super pinnam templi;* verbis clare exprimitur, uti in v. 5, Iesum se permisisse diabolo transferendum et collocandum in fastigio templi, eo scil. loco, ex quo si per aerem descenderet maximam plebis admirationem excitaret quasi coelitus delapsus in templi atrium et a Deo missus legatus; *et dixit illi : si filius Dei es, mitte te hinc deorsum,* et « quia videbat quod Christus semper per Scripturam se defendebat, ideo Scripturam allegat » (*S. Bon.*) v. 10 *scriptum est enim quod angelis suis mandavit* (*mandabit*) *de te, ut conservent te* v. 11 *et quia in manibus tollent te ne forte offendas ad lapidem pedem tuum,* Ps. 90,11; « male interpretatur Scripturas diabolus » (*Bed.*). Declarat enim psalmista piis Dei cultoribus adfore angelorum opem et custodiam in periculis et insidiis inimicorum; verum neutiquam innuit eos iri protectum qui ipsi temere, sine necessitate, immo cum improbitate et vanitate extremum adeant discrimen. Suggerit itaque diabolus illo e fastigio templi descensu viam facillimam qua omnium in se oculos convertat seseque plebi probet nuntium coelitus missum. Proin ea quoque tentatione eum removere ac separare conatur a ductu et voluntate Dei eique persuadere, ut munus sibi commissum proprio marte aggrediatur adeoque exsistat Deo contrarius. Notat *Tol.* forsan diabolum sperasse Christum responsurum id testimonium non esse de se pronuntiatum, ex quo tentatorem deprehensurum fuisse putat eum esse filium Dei.

Sed Christus vero Scripturae testimonio explorationem eludit et exspectationem diaboli fallit v. 12 *et respondens Iesus ait illi : dictum est : non tentabis Dominum Deum tuum,* Deut. 6,16; Deum tentare est experimentum velle capere potentiae, bonitatis, fidelitatis, aut alterius attributi divini, cum quis ex praesumptuosa agat confidentia a Deo exspectans id quod humana ratione assequi potest, aut expetens id quod est praeter omnem necessitatem, vel cum quis ex incredulitate et diffidentia id agere nolit quod Deus postulat (cf. *Luc. Ipr.;* vide quae notavi ad Is. 7,12). Iesus responsione sua de sua divinitate silens et humanitatem recognoscens secundum hanc suam ad Deum subiectionem profitetur (*Suarez*). Christus vincens diabolum nobis vincendi modum ostendit et vincendi fiduciam et gratiam largitur. Et cum

diabolus ipsum Christum tentarit quis se tutum ac securum esse sperare poterit? Neque una alterave victoria reportata de inimico nos in tuto collocat; qui enim ad Christum iterum rediit, quomodo non potius nos continuo infestabit? v. 13 *et consummata omni tentatione diabolus recessit ab illo usque ad tempus* i. e. usque ad tempus opportunum. Omnem tentationem dici *Theoph.* censet quamvis tres solummodo recensitae essent, eo quod omnium tentationum tria sint capita : gula, avaritia, inanis gloria; itemque *Ians.* Illud *usque ad tempus Schegg* ita accipit, ut omnis tentatio pro tempore futuro excludatur : usque ad tempus quod consilio Dei statutum esset; putat quippe superata prima tentatione iam alteram non potuisse exsistere. Quae acceptio uti verbis contradicit, ita quantum scio a nullo est adoptata. Omnes quaerunt quale sit illud tempus opportunum quo satan denuo ad Iesum accesserit. Responsio dari videtur ab ipso Domino, dum ante passionem dicit : venit ἔρχεται princeps mundi huius (Ioan. 14,30) et haec est hora vestra et potestas tenebrarum (Luc. 22,53); cui congruit quod Iudae proditio ad diabolum auctorem refertur : intravit autem satanas in Iudam (22,3. Ioan. 13,2. 27). Quare plerique merito tempus passionis designari existimant (cf. *S. Bon. Alb. Tol. Salmeron* tom. 4 tract. 14, *Ians. Sylv. Luc. Calm. Bisp. Schanz, Fil. Sp.;* vide quae notavi in Comment. Matth. II p. 534). Alii Iudaeorum insidiis et malitia diabolum Christo eiusque discipulis bellum intulisse et eum non tam tentasse quam aperte oppugnasse malunt intelligere (cf. *S. Ambr. Bed. cat. Cr. Euth. Lap. Reischl*).

Plura de his tentationibus exposui in Comm. Matth. I p. 143-155, praesertim etiam de quaestione uter evangelista ordinem rei secutus esse videatur; pariter ibi argumenta adduxi quibus acceptio tertiae tentationis quam hic breviter innui commendetur. Alia quoque doctrinae capita quae colliguntur ex textu sacro ibi proposui.

In hac narratione peculiaria sunt Lucae in v. 5 in puncto temporis, in v. 6 iactantia diaboli, in v. 13 usque ad tempus, neque narrat accessisse angelos et Christo ministrasse. Minora sunt haec : Matthaeus dicit Iesum ieiunasse, Lucas eum nihil manducasse; ille de lapidibus generice loquitur, hic dic lapidi huic; probabiliter in v. 4 non additur : in omni verbo Dei neque in v. 5 in montem excelsum; Lucas nominat Ierusalem; increpatio satanae : vade satana, est peculiaris Matthaeo. Quare nequit dici Lucam hausisse suam narrationem ex libro Matthaei, praesertim cum alium tentationum ordinem proponat.

ALTERA PARS 4,14-9,50.

Hac parte evangelista nobis describit ministerium quod Iesus in Galilaea exercuit. Tria distingui possunt tempora. Et primum quidem ab incepto ministerio usque ad electionem apostolorum 4,13-6,11; alterum ab electione usque ad primam missionem eorum 6,12-8,56; tertium ab eorum missione usque ad discessum ex Galilaea 9,1-50.

Et primo tempore Iesus doctrina et miraculis admirationem populi magnam excitat; at mox sua erga peccatores clementia et misericordia et reiectione traditionum pharisaeorum et scribarum in odium incurrit horum populi ducum. Qui isto odio iam satis superque manifestant se esse ineptos ad regnum Dei. Christus itaque alios duces populo providet; eligit apostolos et prima ponit Ecclesiae suae initia. Ab eo tempore Iesus quidem populum docere pergit; at evangelista ea potissimum effert quae ad apostolorum institutionem spectant, quos Christus ad praedicationem et missionem praeparat. Dein cum sint reduces a missione fidem eorum augere et expolire studet et eos de passione sua edocere incipit.

1. *Primum tempus ministerii in Galilaea* 4,13-6,11.

a) **Iesu in Nazareth praedicatio 4,14-30.**

4,14. Et regressus est Iesus in virtute Spiritus in Galilaeam, et fama exiit per universam regionem de illo. 15. Et ipse docebat in synagogis eorum, et magnificabatur ab omnibus. 16. Et venit Nazareth, ubi erat nutritus, et intravit secundum consuetudinem suam die sabbati in synagogam, et surrexit legere. 17. Et traditus est illi liber Isaiae prophetae. Et ut revolvit librum, invenit locum ubi scriptum erat : 18. Spiritus Domini super me : propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, 19. Praedicare captivis remissionem, et caecis visum, dimittere confractos in remissionem, praedicare annum Domini acceptum, et diem retributionis. 20. Et quum plicuisset librum, reddidit ministro, et sedit. Et omnium in synagoga oculi erant intendentes in eum. 21. Coepit autem dicere

4,14. Καὶ ὑπέστρεψεν ὁ Ἰησοῦς ἐν τῇ δυνάμει τοῦ Πνεύματος εἰς τὴν Γαλιλαίαν· καὶ φήμη ἐξῆλθεν καθ' ὅλης τῆς περιχώρου περὶ αὐτοῦ. 15. καὶ αὐτὸς ἐδίδασκεν ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν, δοξαζόμενος ὑπὸ πάντων. 16. Καὶ ἦλθεν εἰς Ναζαρὰ, οὗ ἦν τεθραμμένος· καὶ εἰσῆλθεν κατὰ τὸ εἰωθὸς αὐτῷ, ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῶν σαββάτων, εἰς τὴν συναγωγὴν, καὶ ἀνέστη ἀναγνῶναι. 17. καὶ ἐπεδόθη αὐτῷ βιβλίον τοῦ προφήτου Ἡσαΐου· καὶ ἀνοίξας τὸ βιβλίον, εὗρεν τὸν τόπον οὗ ἦν γεγραμμένον, 18. Πνεῦμα Κυρίου ἐπ' ἐμέ· οὗ εἵνεκεν ἔχρισέν με· εὐαγγελίζεσθαι πτωχοῖς ἀπέσταλκέν με, [ἰάσασθαι τοὺς συντετριμμένους τὴν καρδίαν], 19. κηρύξαι αἰχμαλώτοις ἄφεσιν καὶ τυφλοῖς ἀνάβλεψιν, ἀποστεῖλαι τεθραυσμένους ἐν ἀφέσει, κηρύξαι ἐνιαυτὸν Κυρίου δεκτόν. 20. Καὶ πτύξας τὸ βιβλίον, ἀποδοὺς τῷ ὑπηρέτῃ, ἐκάθισεν· καὶ πάντων οἱ ὀφθαλμοὶ ἐν τῇ συναγωγῇ ἦσαν ἀτενίζοντες αὐτῷ. 21. ἤρξατο δὲ λέγειν πρὸς

ad illos : Quia hodie impleta est haec scriptura in auribus vestris. 22. Et omnes testimonium illi dabant; et mirabantur in verbis gratiae, quae procedebant de ore ipsius, et dicebant : Nonne hic est filius Ioseph? 23. Et ait illis : Utique dicetis mihi hanc similitudinem : Medice, cura te ipsum : quanta audivimus facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua.

24. Ait autem : Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua. 25. In veritate dico vobis : multae viduae erant in diebus Eliae in Israel, quando clausum est coelum annis tribus et mensibus sex, quum facta esset fames magna in omni terra; 26. Et ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniae, ad mulierem viduam. 27. Et multi leprosi erant in Israel sub Elisaeo propheta; et nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus. 28. Et repleti sunt omnes in synagoga ira, haec audientes. 29. Et surrexerunt, et eiecerunt illum extra civitatem; et duxerunt illum usque ad supercilium montis, super quem civitas illorum erat aedificata, ut praecipitarent eum. 30. Ipse autem transiens per medium illorum, ibat.

αὐτούς, ὅτι σήμερον πεπλήρωται ἡ γραφὴ αὕτη ἐν τοῖς ὠσὶν ὑμῶν. 22. καὶ πάντες ἐμαρτύρουν αὐτῷ, καὶ ἐθαύμαζον ἐπὶ τοῖς λόγοις τῆς χάριτος, τοῖς ἐκπορευομένοις ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ, καὶ ἔλεγον, Οὐχὶ υἱός ἐστιν Ἰωσὴφ οὗτος; 23. καὶ εἶπεν πρὸς αὐτούς, Πάντως ἐρεῖτέ μοι τὴν παραβολὴν ταύτην, Ἰατρέ, θεράπευσον σεαυτόν· ὅσα ἠκούσαμεν γενόμενα εἰς τὴν Καφαρναοὺμ ποίησον καὶ ὧδε ἐν τῇ πατρίδι σου.

24. Εἶπεν δέ, Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι οὐδεὶς προφήτης δεκτός ἐστιν ἐν τῇ πατρίδι αὐτοῦ. 25. ἐπ' ἀληθείας δὲ λέγω ὑμῖν, πολλαὶ χῆραι ἦσαν ἐν ταῖς ἡμέραις Ἠλείου ἐν τῷ Ἰσραήλ, ὅτε ἐκλείσθη ὁ οὐρανὸς ἔτη τρία καὶ μῆνας ἕξ, ὡς ἐγένετο λιμὸς μέγας ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν· 26. καὶ πρὸς οὐδεμίαν αὐτῶν ἐπέμφθη Ἠλίας, εἰ μὴ εἰς Σάρεπτα τῆς Σιδωνίας πρὸς γυναῖκα χήραν. 27. καὶ πολλοὶ λεπροὶ ἦσαν ἐν τῷ Ἰσραὴλ ἐπὶ Ἐλισαίου τοῦ προφήτου· καὶ οὐδεὶς αὐτῶν ἐκαθαρίσθη, εἰ μὴ Ναιμὰν ὁ Σύρος. 28. Καὶ ἐπλήσθησαν πάντες θυμοῦ ἐν τῇ συναγωγῇ, ἀκούοντες ταῦτα. 29. καὶ ἀναστάντες ἐξέβαλον αὐτὸν ἔξω τῆς πόλεως, καὶ ἤγαγον αὐτὸν ἕως ὀφρύος τοῦ ὄρους, ἐφ' οὗ ἡ πόλις ᾠκοδόμητο αὐτῶν, ὥστε κατακρημνίσαι αὐτόν· 30. αὐτὸς δὲ διελθὼν διὰ μέσου αὐτῶν ἐπορεύετο.

In v. 14 egressus in am big rush lind Amb. In v. 16 solum hic habent ℵ B* ναζαρα. In v. 17 ανοιξας A B L Z syr (utr) ev hier sin tat cop arm aeth W H; αναπτυξας ℵ D Γ Δ Λ Π unc 9 al pler it vulg go Or Eus Ti. In v. 18 sanare contritos corde habetur in ger ken val wil, Ir et ιασασθαι etc in A Γ Δ Λ Π unc 9 al pler f go tat syr (utr, hr); omittitur in ℵ B D L Z it pler vulg pler sax cop aeth Or Eus Ath Cyr Ti W H Wordsworth. In v. 19 et diem retributionis (b q redditionis, a redemptionis) additur in it vulg. In v. 22 ουχι υιος ε ιως ουτος ℵ B L Cyr Ti W H. In v. 23 εις την Καφ. ℵ B D L aliq minusc Ti W H; codd pler εν, in patriam tuam ger e; similiter ger in v. 24 patriam suam. In v. 25 codd pler επι ετη; omittunt επι B D aliq minusc. In v. 27 codd pler vulg Neman; Naaman hub[1] theod wil. In v. 29 ωστε ℵ B D L mu minusc; al εις το. In v. 30 transiit... et abiit b q ger (sin v. 15 docuit eos; v. 16 in synagogam et datum est ei scriptum Isaiae prophetae et surrexit ad legendum; v. 18 et misit me ad nuntiandam captivis dimissionem et caecis visum; v. 20 et omnes intuebantur eum; v. 23 quae audivimus te fecisse in Capharnaum, dicetis mihi, fac etiam hic in urbe tua; v. 29 ut eum suspenderent).

Quae immediate post tentationem facta sint a synopticis non tanguntur, verum supplentur, uti *S. Aug.* (de cons. evang. 2,18. 42) *Bed.*

monent, a S. Ioanne 1,29-4,3; quod Ioannes habet : reliquit Iudaeam et iterum abiit in Galilaeam, idem describit iter, de quo, ut alii (Matth. 4,12. Marc. 1,14), Lucas mentionem facit ab eo initium capiens narrationis de Iesu vita publica v. 14 *et regressus est Iesus in virtute Spiritus in Galilaeam;* indicat evangelista Iesum omnibus in rebus actum esse a Spiritu sancto (*Mald.*) et ita rediisse ut iam non ageret vitam privatam, sed ut promente se atque exserente virtute Spiritus palam magno animo praedicandi evangelii negotium aggrederetur et patraret miracula (*Luc.*); unde qualis in eo manifestata sit virtus Spiritus, declaratur : *et fama exiit per universam regionem de illo;* adeo potenter et efficaciter docebat et doctrinam miraculis confirmabat. Longius temporis spatium comprehendi elucet et ex verbis et ex v. 23; v. 15 *et ipse docebat in synagogis eorum* scil. Galilaeorum *et magnificabatur ab omnibus,* celebrabatur laudibus et in omnium admiratione habebatur. Tali initio laetus promitti videbatur successus. Verum mox alia rerum facies apparuit. Funestas mutationis causas non tacet evangelista.

Redux itaque in Galilaeam Iesus per aliquod tempus praedicavit a Galilaeis qui testes erant rerum in Ierusalem gestarum magni habitus; ex eo tempore S. Ioannes nobis refert unum miraculum patratum in favorem reguli (Ioan. 4,46 seq.), dum versaretur in Cana Galilaeae; plura et splendida alia ab eo esse patrata in Capharnaum sermone Nazarethanorum docemur. Evangelistae satis erat ea innuere et nobis colligenda relinquere ex eorum vocibus; v. 16 *et venit Nazareth ubi erat nutritus* (2,51. 52) *et intravit secundum consuetudinem suam die sabbati in synagogam,* morem designari quem a puero servaverit aliqui putant (cf. *Luc. Fil. Meyer, God.*); sed post v. 15 solum indicatur eum in synagoga sabbati diebus solitum esse docere, *et surrexit legere;* Act. 15,21 docemur per omne sabbatum aliquid ex lege Moysis esse lectum in synagogis, et hoc loco discimus etiam ex prophetis lectionem esse factam. Quem morem Iudaei quoque posteriores servabant; sed distributio illa in paraschas et haphtaras tempore Christi nondum exsistebat; postea est introducta et sua cuique sabbato portio assignata (cf. *Cornely,* Introd. I p. 35 2 edit.). Sacris litteris is honor habetur, ut stet qui eas publice populo legit; v. 17 *et traditus est illi liber Isaiae prophetae, et ut revolvit librum,* graece in melioribus codd. ἀνοίξας, sed *revolvit* ἀναπτύξας rem bene exprimit; erant enim Hebraeorum libri volumina, i. e. non erant distinctis foliis compacti, ut sunt libri nostri, sed uno terete baculo circumvoluti et complicati in cylindri formam (cf. מגלה); explicuit itaque Iesus et expandit membranam (cf. *Luc. Calm.*); vel ut *Lamy* rem declarat : volumina quorum usus erat in sy-

nagogis illigabantur duobus teretibus baculis, qui capulos habebant quos manu tenens qui legebat poterat convolvere vel evolvere librum, prout opus erat.

Iesus *invenit locum*, « et hoc providentiae Dei fuit » (*Orig. Euth. Mald. Luc. Fil.*); voluit scil. Christus ut statim sibi occurreret, *ubi scriptum erat* v. 18 *Spiritus Domini super me*, Is. 61,1, ex Is. 11,2 et 42,1 iam apertum est haec Isaiam non dicere de se (ut perperam censet *Schegg*), sed Messiam ipsum inducere loquentem; *propter quod unxit me;* ex hebraeo non Spiritus, sed Iahve intelligitur eum unxisse; unctione fiebat consecratio ad certa quaedam munera theocratica; oleo ungebantur reges, sacerdotes; prophetae spiritu Dei ungebantur. Potiore iure Messias, rex et sacerdos et prophetarum summus, qui in humanitate sua et divinitate unctus est et plenitudine gratiae, Unctus vocatur. Et postquam in baptismo forma visibili Spiritus Dei in eum descendit, quid magis erat consentaneum quam ut se palam profiteretur unctum a Spiritu Domini? Et ad quid sit missus, consecratus, virtute divina imbutus, declaratur : *evangelizare pauperibus misit me*, Iahve scil. ex hebraeo (רוּחַ plerumque gen. femin. est; verbum masculi. formam habet); *pauperes* עניים sunt miseri, afflicti, qui tamen patientia et mansuetudine afflictiones ferunt (vide ad Matth. 5,4 beati *mites*, et ad Is. 61,1); iis itaque qui miseriis pressi salutem exoptant bonus ac salutaris nuntius est deferendus, nam esurientes implevit bonis, *sanare contritos corde* (vide lect. var.), hebr. fractos corde i. e. tristes, deiectos, pusillanimes; proinde missus est, ut animos aegros erigat et confortet; v. 19 *praedicare captivis remissionem et caecis visum* LXX Is. 61,1; iis qui captivitate peccati et erroris tenentur afferet liberationem; oculos rebus coelestibus occlusos aperiet; per Messiam enim sedentibus in umbra mortis lux orietur (Is. 9,2; cf. 42,7; 49,6; 51,14); *dimittere confractos in remissionem*, quae verba ex 58,6 petita hic inserta esse videntur a Luca propter rei affinitatem; ἐν ἀφέσει, ita scil. ut qui miseri erant iam collocentur in felicitate et libertate a pressura. Voluit evangelista, ut *Tol.* ait, rem et sensum explicatius et perfectius distinguere, vel ea tamquam explicationem proximorum verborum addere (*Mald.*), *praedicare annum Domini acceptum* i. e. annum beneplaciti, benevolentiae Domini (hebr.), allusio esse videtur ad annum iubilaei Lev. 25,10. Ez. 46,17; qui annus optime consideratur tamquam typus temporis messiani et eius temporis beneficiorum. Eo quippe anno servi in libertatem asserti aerumnosam et ignobilem conditionem mutabant et qui possessiones suas amiserant pressi aere alieno eas recuperabant; ita tempore messiano captivi a Christo vindice liberantur a peccatis et erroribus et in statum

gratiae et in ius hereditatis coelestis a quo genus humanum exciderat restituuntur. Eo quoque sensu intellige quod in it. vulg. additur *et diem retributionis*, quod membrum graece non habetur, idque bene, cum ex hebr. dies *ultionis* Dei designetur. Quamvis enim Christus veniat non solum in resurrectionem, sed etiam futurus sit in ruinam multorum, tamen hoc loco optime intelligitur cur ea solum legerit ex propheta, quae proxime ad eius missionem spectant et consolationem afferant; non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum (Ioan. 3,17). Ceterum uberiorem loci Isaiae explicationem vide in Comment. Is. II. p. 432 seq.

Ex eo quod propheta et Iesus praelegens prophetam annuntiat annum Domini acceptum enata est apud aliquos veteres sententia Christum revera per unum solum annum praedicasse. Ita scribit Clemens alexandrinus : et quod anno solo oporteret eum praedicare hoc quoque sic scriptum est : annum acceptabilem Domino praedicare misit me; hoc et propheta dixit et evangelium (Strom. 1; *M.* 8,885). Pariter eandem sententiam proferunt ad eundem textum provocantes Philastrius et Gaudentius. Et ille quidem sic habet : « propheta Isaias de anno illo dixit Salvatoris Domini, in quo docuit usque ad passionem et ascensionem in coelum, sicut et beatissimi tradiderunt » ; immo contrariam sententiam inter haereses refert (haer. 106; *M.* 12,1220); Gaudentius autem suam aperit sententiam duplici fultus ratione et quod agnus paschalis debuit esse anniculus (et Christus erat anniculus, quia post baptismum usque ad passionem unius anni tempus impletur) et quod annum Domini placabilem praedicavit (tract. 3; *M.* 20,866). Alii quoque ex veteribus solummodo unum annum vitae Domini publicae assignant, uti fit in Clementis homilia 17,19 (*M.* 2,401) apud Lactantium, Instit. div. 4,10 (*M.* 6,474) et Hilarianum (de die paschae n. 15; *M.* 13,1114), sed non liquet utrum eam opinionem sibi statuerint ex hoc textu an ex modo narrandi synopticorum. Unum quoque annum affirmare videntur Tertullianus (c. Iud. 8), Origenes (de princ. 4,5; *M.* 11,349), Augustinus (de Civ. D. 18,54; *M.* 41,619); at aliis in locis aliam quoque sententiam eamque meliorem statuunt (cf. *Patritius* diss. 19 p. 189. 198. 216).

Ex recentioribus Wieseler censet Christum in Nazareth ea legisse sabbato post festum purim, die 26 mensis martii anni 782 u. c. atque revera usque ad eius mortem (die 7 aprilis 783) annum fluxisse integrum (Synopse p. 272). Verum tota illa eius computatio fallax est et quando Iesus patriam suam visitaverit, accurate nequit determinari. Multo minus ex anno placabili quidquam colligi potest; nam ut dicitur eum esse missum ad *annum* placabilem praedicandum, ita eodem modo statim quoque adiungitur : et ad *diem* retributionis praedicandum.

Teste Philone quicumque doctus erat et peritus, poterat in synagoga facta lectione explanationem vel exhortationem reliquis proponere (cf. de septenario 6; *Schürer* l. c. II p. 376). Iesum cuius fama iam plurimum invaluerat finita lectione verba esse facturum Nazarethani certe exspectabant; alias enim Paulum quoque et Barnabam peregre qui advenerant a principibus synagogae esse invitatos ad sermonem

habendum legimus (Act. 13,15). Iesus itaque v. 20 *cum plicuisset librum* πτύξας cum convolvisset, *reddidit ministro,* חַזָּן apud rabbinos appellatur minister synagogae et sacrorum (cf. *Buxtorf,* Lexicon chald. talm. p. 730) *et sedit,* ut scil. de loco Isaiae verba faceret; *et omnium in synagoga oculi erant intendentes in eum;* fama eius omnium excitabat exspectationem et cum antea in vita communi nihil in Iesu vidissent quod ab ordinaria fabri conditione recederet, eorum studium et cupiditas audiendi quid tandem efficere posset eo magis accendebatur; v. 21 *coepit autem dicere ad illos : quia hodie impleta est haec scriptura in auribus vestris* i. e. id quod legi audistis hodie impletum est; hoc prophetae oraculum nunc impletur. Hoc itaque erat argumentum sermonis Domini quo ostendebat in se, in sua missione, in opere suo omnia illa iam effici et perfici quae propheta litteris consignaverat. Evangelista solum nobis refert rei summam; *in auribus* hebraismus est, cf. Gen. 50,4 loqui in auribus pharaonis, 1 Reg. 18,23, Bar. 1,3 legere ad aures (etc. *Schanz*). Clare itaque et distincte Iesus annuntiat adesse tempus messianum et se esse Messiam, salvatorem afflictorum et doctorem ac consolatorem omnium. Et profecto in verbis illis Isaiae munus Messiae eiusque indoles praeclare describitur, ita ut omnium animi eius desiderio et amore afficiantur necesse sit. Utinam haberemus verba illa quibus ipse Iesus eximium illud oraculum explanavit!

Quanta facundia, unctione coelesti, suavitate Iesus locutus sit, evangelista nobis innuit describens quanta admiratione ab initio Nazarethani verba eius prosecuti sint v. 22 *et omnes testimonium illi dabant* scil. sapientiae, eruditionis, doctrinae; testabantur quae ipsis fama essent allata de Iesu et eius vi et gratia docendi plane veritate niti (cf. *Luc.;* similiter *Tol. Ians. Lamy*) *et mirabantur in verbis gratiae,* in verbis gratia et suavitate plenis, *quae procedebant de ore ipsius;* tenebantur admiratione quanta suavitate, vi, eloquentia disserat, quanta arte suadeat, moveat, placeat (*Calm.*); cf. Ioan. 7,46 nunquam sic locutus est homo. Atque eorum admiratio eo maior erat, quia eum a puero noverant, *et dicebant : nonne hic est filius Ioseph?* verum quod eorum fidem provocare debuit, scil. sapientia illa coelestis quae filium Ioseph revera a Deo mitti et doceri ostendit et humilem quam putant eius originem longissime superat, illis fit scopulus et scandalum. Offenduntur et eorum superbia laeditur quod is quem concivem humilis originis noverant nunc se illis exhibeat tamquam Salvatorem et Messiam; eum, ut *Beda* dicit, ob genus notum, ob generis notitiam contemnunt. Unde ei fidem denegantes id apud se statuunt, ut si quid auctoritatis sibi attribuere et si quid honoris exigere velit, antea ope-

ribus plane miraculosis et magnificis et stupendis probet se merito affectare conditionem sublimiorem.

Illos animorum sensus Iesus perspiciens palam iis exprobrat v. 23 *et ait illis : utique* πάντως, omnino, profecto, *dicetis mihi hanc similitudinem* παραβολήν, bene explicat *Euth.* παροιμίαν, hoc proverbium (cf. מָשָׁל) : *medice cura te ipsum,* quod proverbium apud Iudaeos, Graecos, Romanos esse vulgatum, ostendit *Wetstein;* dicunt ergo : si vis haberi tamquam a Deo missus omnium Salvator, a te ipso prius remove malum quo laboras carens scil. auctoritate et dignitate ; proinde volunt ut factis omnino mirandis sibi conciliet quod ei adhuc desit; et quo sensu illud proverbium proferatur explicatur (ut bene notant *Alb. Cai. Ians. Mald. Tol. Ipr.*) : *quanta audivimus facta in Capharnaum* (εἰς cf. Act. 28,6 εἰς αὐτὸν γινόμενον), quae fecisti erga Capharnaum, pro extraneis, *fac et hic in patria tua;* eo quod hic miracula patras te ipsum iuvas (cf. *Alb. Luc.*); quare merito proverbium illud : medice cura teipsum, cum plerisque explicari potest de miraculis quae Nazarethani pro se postulant i. e. medice sana tuos concives (cf. *Cyr. Theoph. Euth. cat. Cr. Bon. Alb. Cai. Schegg, Schanz, Fil.*) neque obstat quod *Weiss* obiicit σεαυτόν debere cum ἰατρέ unum eundemque designare. Nam eo quod alios sanat se ipsum auctoritate et dignitate apud suos commendat.

Cur autem apud suos non inveniat fidem ideoque etiam non miracula patret (nam ad ea semper fidem postulat et sua beneficia credentibus largitur), rationem affert generalem v. 24 *ait autem;* cum id interponatur, aliqui putant longiorem quandam disceptationem post v. 23 esse secutam et ea finita iterum assumi verba Domini. At id necessarium non est. Nam ita cum aliqua emphasi inducitur responsio ad obiectionem in v. 23 factam (cf. *Schanz*); vel etiam dici posset evangelistam ex compluribus Iesu verbis id prae ceteris velle efferre : *amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua;* cf. Ioan. 4,44; exemplum Ieremiae (11,21 et 12,6) iam *Orig.* commemorat et *S. Cyr.* merito dicit : qui familiaris semperque ob oculos est, ei debitus quoque honor negatur ab ipsius notis. Facile enim noti inflammantur invidia (*S. Ambr.*), si quis maiora quaedam appetere iis videtur, praesertim cum homines peregrina et rara admirari, communia autem et familiaria despicere soleant (*Theoph.*). Familiaritas enim, ut dici solet, contemptum parit; nam familiarem quisque sibi parem existimat; unde aegre fert, si ille ad altiora assurgere velit; gloriam enim familiaris et paris suam arbitratur confusionem (cf. *Luc.*), et propemodum naturale est cives semper civibus invidere (*Bed.*).

Dein ostendit divinum munus nequaquam naturae iure deferri

(*S. Ambr.*). Putarant scil. Nazarethani eo quod Iesus apud ipsos educatus esset eum debere, si quid posset, suam patriam reddere gloriosam eamque suis beneficiis et miraculis ditare et iam aegre tulerant quod patria sua posthabita potius erga Capharnaum beneficum et potentem eum fuisse audierunt, prout Iesus in v. 23 eorum mentes et cogitationes pandit. Quare exemplis allatis ostendit nequaquam iis quasi iure quodam proprio deberi beneficia divina; v. 25 *in veritate dico vobis: multae viduae erant in diebus Eliae in Israel, quando clausum est coelum annis tribus et mensibus sex, cum facta esset fames magna in omni terra*, v. 26 *et ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniae ad mulierem viduam;* illo prooemio : vere dico vobis, Iesus non tam asseverare vult rem revera ita accidisse, sed potius monere, ut doctrinam in re illa gesta contentam bene considerent neve putent frustra eiusmodi sacris litteris consignari. Nam rem vere esse gestam nemo in dubium vocabat; unde eam affirmare adeo explicite non erat necesse; cf. 3 Reg. 17,9 seq. Quando imbres in terram ruunt, cataractae coeli dicuntur esse apertae Gen. 7,11; quando vero pluvia negatur terrae, coelum dicitur clausum; cf. 2 Par. 6,26; 7,13. Illo tempore siccitatibus laboratum esse per annos tres et menses sex etiam Iac. 5,17 dicitur. Quare 3 Reg. 18,1 in anno tertio intellige de commoratione Eliae in Sarepta, ante quam versatus erat ad torrentem Carith, donec ille siccatus erat 3 Reg. 17,5-7. Unde siccitate indicta prius commoratus est ad torrentem Carith; eo siccato iussus est ire in Sarepta Sidoniorum et cum ibi versaretur in anno tertio accepit mandatum : vade et ostende te Achab, ut dem pluviam super faciem terrae. Facile itaque anni tres et menses sex conficiuntur (cf. *Ians. Luc. Calm. Reischl, Schegg, Schanz, Far. Sp.*). Alii etiam provocant ad traditionem iudaicam (Jalkut Schimoni ad 1 Reg. 16; cf. *Weiss*) secundum quam pro re infelici numerus $3\frac{1}{2}$ (dimidia pars numeri sacri septenarii!) adhiberi solebat; quae tamen ratio et explicatio valde incerta est. Alii censent longius temporis spatium effluxisse inter mandatum 3 Reg. 18,1 et Eliae ad Achab accessum et cessationem siccitatis (*Fil.*), id quod parum probabile videtur. Neque probabile est quod *Lightfoot* et *Wetstein* ad h. l. habent : non nisi bis quotannis solebat pluvia cadere in Iudaea, prior mense octobri, posterior aprili; si ergo Deus instante pluviae tempore illam cohibuit per triennium, sex menses praecedentes quibus non pluerat triennio sunt addendi.

Est Sarepta oppidum Phoeniciae inter Tyrum et Sidonem situm; visitur hodie viculus Sarfand meridiem versus a Sidone distans 35 km. (cf. Zeitschrift d. Palaestina Vereins VIII p. 25); vide ad Abd. v. 20.

Viduam itaque gentilem Deus praetulit cunctis viduis israeliticis, ad hanc potius quam ad ullam illarum misso Elia, ut edito miraculo iuvaret illam atque honoraret. Quare? vix solummodo eo quod Elias in Phoenicia tutus lateret, sed quia iam eo tempore ostendere volebat gentes non excludi a beneficiis divinis. Etiam eam afferunt rationem *Tol. Luc.* quia noverat Deus fore ut nulla vidua in Israel tanti faceret prophetam quanti illa; « et certe magni fecit prophetam, quae mox ut ille petivit, expendit in eius cibum ac potum quidquid reliqui habebat aquae, olei, farinae, mortis periculo se suumque filium de cetero exponens, nisi quod verbo prophetae crediderit farinam oleumque non defectura; id quod tamen ut erat per se creditu difficile, quippe excedens omnem naturae rationem, ita evadebat difficilius quod posset illa apud se cogitare : quomodo prospiciet ille mihi de victu qui sibi ipsi non prospicit? tantam ergo fidem coniunctam cum singulari caritate cum non inveniret Deus in Israel, posthabitis Israelitis misit prophetam ad sidoniam viduam; adeo apud Deum plus habet momenti animus quam genus; nec genti largitur sua munera Deus, sed fidei; nec carnis propinquitati, sed promptitudini spiritus » (*Luc.*).

Non eo quod sint contribules deberi iis beneficia divina, altero exemplo probat v. 27 *et multi leprosi erant in Israel sub Elisaeo propheta, et nemo eorum mundatus est nisi Naaman Syrus;* vide 4 Reg. 5,9 seq.; multos itaque ex suo populo electo Deus misere tabescere permittebat morbo hoc horrendo; neminem Elisaeus sanavit; uni alienigenae qui eousque idololatra fuerat miraculo sanitas est restituta. Deus liber est in distributione gratiarum, et quis dicere potest Omnipotenti : cur ita facis (Iob 9,12)? Nazarethani vero culpam cur apud se non fierent miracula non in se ipsos, in suam incredulitatem, invidiam, superbiam reiecerunt, sed impotenti furore in Iesum exarserunt v. 28 *et repleti sunt omnes in synagoga ira haec audientes;* se enim exemplis allatis illudi et irrideri putabant, Iesum dicere alienigenis esse omnia tribuenda, se suis nihil velle concedere. Quod enim illi postulabant : fac et hic in patria tua, videbatur iis Iesus exemplis allatis non solum omnino negasse, verum cum contumelia suorum et acri reprehensione edixisse se velle quidquid posset in aliorum commodum et gloriam impendere et transferre. Unde se despici et illudi ab eo quem sibi parem eousque habebant existimantes in indignationem accendebantur. Et quia Iesum fabri filium habebant neque fama miraculorum fidem in eum conceperant, etiam maiorem in eum furorem ex eo hauriebant quia oraculum Isaiae de se explicasset et se tamquam Messiam palam proposuisset. Rabie plane obcaecati et insanientes v. 28 *surrexerunt*

et eiecerunt illum extra civitatem et duxerunt illum usque ad supercilium montis, super quem ἐφ' οὗ, ad quem, prope quem *civitas illorum erat aedificata;* domus hodie quoque in inferiore parte clivi vel in declivitate montis sitae sunt, *ut praecipitarent eum;* eo fortasse loco quo hodie ecclesia est Maronitarum et praecipitium satis altum (40-50 pedum) cernitur; mons enim praecipitationis qui dicitur fere iter unius horae abest ab oppido; eos autem Iesum in locum adeo dissitum duxisse, iam prae eorum rabie non est probabile, praesertim cum varia praecipitia prope oppidum occidentem versus exsistant. Ceterum traditio illa de monte praecipitationis non est antiqua, cum prima eius mentio fiat saeculo duodecimo (cf. *Ritter,* Erdkunde, XVI p. 744; *Sepp,* das hl. Land II p. 88; *Schegg, Schanz, Fil.*). De simili mortis genere vide 2 Par. 25,12. Tumultuarie occidere tentabant Iesum, uti tumultuarie occisus est postmodum S. Stephanus et occisi sunt Iacobus frater Domini aliique (cf. Act. 7,57. *Iosephus,* Ant. 20,9. 1. *Eusebius* h. e. 2,23). Merito scribit *Beda:* « o peior magistro discipulorum hereditas! diabolus verbo Dominum tentat, Iudaei facto; ille dicit: mitte te, isti adoriuntur ut mittant ».

Quam imbecilles sunt hominum conatus! Iesus iis insigni modo ostendit omnium vires et rabiem in se nihil efficere posse v. 30 *ipse autem transiens per medium illorum ibat;* verba significant eum securum, sine ulla fuga, sine ulla festinatione, per medios hostes gravi lentoque gradu processisse et relictis illis abiisse (*Mald.*); nam iungendum est: cum per medium illorum transisset, abibat (*Ians.*), proficiscebatur quo volebat (*Luc.*). Quod aliqui censent Iesum sese reddidisse invisibilem (*Cai. Mald. Calm.*), nullo modo verbis indicatur. Alii censent Christum eorum oculos mentemque divertisse, vel eos stupefecisse ac continuisse imperio suo manus eorum et pedes, ut quasi stupore percussi non possent ipsum apprehendere (cf. *Lap.*). Id unum scimus Iesum divina sua potestate eorum furorem et conatus impios reddidisse irritos, similiter ut Ioan. 7,30 quaerebant eum apprehendere et nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora eius, 10,39 quaerebant eum apprehendere et exivit de manibus eorum. Abiit, ut *S. Cyr.* dicit, non quia pati vitaret; eius enim rei causa in mundum venerat; sed quia tempus exspectabat idoneum. Simul docemur quando passus est eum passum esse quia voluit; « etenim quando vult capitur, quando vult elabitur; quando vult suspenditur, quando vult non tenetur; et hic in supercilium montis praecipitandus ascenderat, et ecce per medium illorum mutata subito vel obstupefacta furentium mente descendit; nondum enim hora venerat passionis; quin etiam malebat adhuc Iudaeos sanare quam perdere, ut inefficaci furo-

ris exitu desinerent velle quod implere non possent. Vides hic divinitatis esse quod operatus est, et illic voluntatis esse quod captus est » (*S. Ambr.* sim. *Cyr.*).

Miraculum quod Nazarethani postularant ut auctoritatem Iesu agnoscerent v. 23 iam iis praestatur : is quem praecipitare volunt securus et plenus maiestate per mediam furentium turbam abit neque quisquam ei manus inferre potest. Quare subito omnium manus quasi obstupescunt? Miraculum est haud absimile illi quo in templo nemo ausus est vendentium obsistere flagello Messiae (Ioan. 2,15). Num Nazarethani eo signo ad fidem adducti sunt? tam parum quam Iudaei in templo. Sui eum non receperunt. Uti Matthaeus in adoratione magorum et in fuga Iesu iam praesagio quodam indicat regnum Messiae a Iudaeis repulsum ad gentes iri translatum, ita Lucas idem nos monet mox ab initio vitae Christi publicae.

b) Iesus in Capharnaum 4,31-44.

4,31. Et descendit in Capharnaum civitatem Galilaeae, ibique docebat illos sabbatis. 32. Et stupebant in doctrina eius; quia in potestate erat sermo ipsius. 33. Et in synagoga erat homo habens daemonium immundum, et exclamavit voce magna, 34. Dicens : Sine, quid nobis et tibi, Iesu Nazarene? venisti perdere nos? scio te quis sis, Sanctus Dei. 35. Et increpavit illum Iesus, dicens : Obmutesce, et exi ab eo. Et quum proiecisset illum daemonium in medium, exiit ab illo, nihilque illum nocuit. 36. Et factus est pavor in omnibus, et colloquebantur ad invicem, dicentes : Quod est hoc verbum, quia in potestate et virtute imperat immundis spiritibus, et exeunt? 37. Et divulgabatur fama de illo in omnem locum regionis.

38. Surgens autem Iesus de synagoga, introivit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus : et rogaverunt illum pro ea. 39. Et stans super illam, imperavit febri, et dimisit illam. Et continuo surgens ministrabat illis.

40. Quum autem sol occidisset, omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum. At ille sin-

4,31. Καὶ κατῆλθεν εἰς Καφαρναοὺμ πόλιν τῆς Γαλιλαίας· καὶ ἦν διδάσκων αὐτοὺς ἐν τοῖς σάββασιν. 32. καὶ ἐξεπλήσσοντο ἐπὶ τῇ διδαχῇ αὐτοῦ, ὅτι ἐν ἐξουσίᾳ ἦν ὁ λόγος αὐτοῦ. 33. Καὶ ἐν τῇ συναγωγῇ ἦν ἄνθρωπος ἔχων πνεῦμα δαιμονίου ἀκαθάρτου, καὶ ἀνέκραξεν φωνῇ μεγάλῃ, 34. Ἔα, τί ἡμῖν καὶ σοί, Ἰησοῦ Ναζαρηνέ; ἦλθες ἀπολέσαι ἡμᾶς; οἶδά σε τίς εἶ, ὁ ἅγιος τοῦ Θεοῦ. 35. καὶ ἐπετίμησεν αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, λέγων, Φιμώθητι, καὶ ἔξελθε ἀπ' αὐτοῦ. καὶ ῥίψαν αὐτὸν τὸ δαιμόνιον εἰς τὸ μέσον ἐξῆλθεν ἀπ' αὐτοῦ, μηδὲν βλάψαν αὐτόν. 36. καὶ ἐγένετο θάμβος ἐπὶ πάντας, καὶ συνελάλουν πρὸς ἀλλήλους λέγοντες, Τίς ὁ λόγος οὗτος, ὅτι ἐν ἐξουσίᾳ καὶ δυνάμει ἐπιτάσσει τοῖς ἀκαθάρτοις πνεύμασιν καὶ ἐξέρχονται; 37. Καὶ ἐξεπορεύετο ἦχος περὶ αὐτοῦ εἰς πάντα τόπον τῆς περιχώρου.

38. Ἀναστὰς δὲ ἀπὸ τῆς συναγωγῆς, εἰσῆλθεν εἰς τὴν οἰκίαν Σίμωνος· πενθερὰ δὲ τοῦ Σίμωνος ἦν συνεχομένη πυρετῷ μεγάλῳ· καὶ ἠρώτησαν αὐτὸν περὶ αὐτῆς. 39. καὶ ἐπιστὰς ἐπάνω αὐτῆς, ἐπετίμησεν τῷ πυρετῷ, καὶ ἀφῆκεν αὐτήν· παραχρῆμα δὲ ἀναστᾶσα διηκόνει αὐτοῖς.

40. Δύνοντος δὲ τοῦ ἡλίου, ἅπαντες ὅσοι εἶχον ἀσθενοῦντας νόσοις ποικίλαις ἤγαγον αὐτοὺς πρὸς αὐτόν· ὁ δὲ ἑνὶ ἑκάστῳ αὐ-

gulis manus imponens, curabat eos. 41. Exibant autem daemonia a multis, clamantia et dicentia : Quia tu es Filius Dei : et increpans non sinebat ea loqui quia sciebant ipsum esse Christum. 42. Facta autem die, egressus ibat in desertum locum, et turbae requirebant eum, et venerunt usque ad ipsum; et detinebant illum ne discederet ab eis. 43. Quibus ille ait : Quia et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei : quia ideo missus sum. 44. Et erat praedicans in synagogis Galilaeae.

τῶν τὰς χεῖρας ἐπιτιθεὶς ἐθεράπευεν αὐτούς. 41. ἐξήρχετο δὲ καὶ δαιμόνια ἀπὸ πολλῶν, κράζοντα καὶ λέγοντα, ὅτι σὺ εἶ ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ. καὶ ἐπιτιμῶν οὐκ εἴα αὐτὰ λαλεῖν, ὅτι ᾔδεισαν τὸν Χριστὸν αὐτὸν εἶναι. 42. Γενομένης δὲ ἡμέρας, ἐξελθὼν ἐπορεύθη εἰς ἔρημον τόπον· καὶ οἱ ὄχλοι ἐπεζήτουν αὐτὸν, καὶ ἦλθον ἕως αὐτοῦ, καὶ κατεῖχον αὐτὸν τοῦ μὴ πορεύεσθαι ἀπ' αὐτῶν. 43. ὁ δὲ εἶπεν πρὸς αὐτοὺς, ὅτι καὶ ταῖς ἑτέραις πόλεσιν εὐαγγελίσασθαι δεῖ με τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ· ὅτι ἐπὶ τοῦτο ἀπεστάλην. 44. καὶ ἦν κηρύσσων εἰς τὰς συναγωγὰς τῆς Ἰουδαίας.

In v. 31 D addit ad Καφαρναουμ την παραθαλασσιον etc. id quod legitur Matth. 4,13. In v. 33 D πνευμα δαιμονιον ακαθαρτον. In v. 34 εα *sine* non habetur in D pl minusc a b c d e ff^2 l q r syr (hr) cop aeth Tert dub ger ken tol; c sanctus dei filius; dub christus. In v. 35 *illi* nocuit dub cav tol. In v. 36 pavor *magnus* (D μεγας) tat ger per gat b d r. In v. 38 add *et Andreae* D b c e ff^2 l Amb ger ken. In v. 40 codd longe pler εθεραπευσεν; imperf. in B D it vulg Or syr (utr : sanans erat). In v. 41 ο χριστος ο υιος του θεου in A Γ Δ Λ Π unc 8 al pler f q go syr (utr) tat aeth. In v. 44 εις τας συν. ℵ B D aliq minusc Ti W H; ιουδαιας ℵ B C L Q R aliq minusc sin; γαλιλαιας A D X Γ Δ Λ Π unc 9 al pler it vulg go syr (sch) arm tat aeth Ti; utique post v. 14 et 31 exspectatur hic haec lectio; sed propterea lectio haec correctione orta esse videtur et altera lectio melioribus codd et sin fulta erit retinenda. Cui enim in mentem veniret corrigere ιουδαιας, si γαλ. invenisset scriptum? ponitur Iudaea pro Palaestina generatim; cf. 1.5; 7,17; 23,5. Act. 2,9 etc. (*Schanz*); sin v. 38 socrum Simonis tenebat febris magna et obiurgavit febrim et reliquit eam et statim surrexit; v. 40 et omnes eos sanavit.

Iesum tempore ministerii in Galilaea quod obiit potissimum in regione Capharnaum habitasse, ita ut eius appelletur civitas Capharnaum, nos docuit S. Matthaeus (4,13; 9,1). Atque eam urbem ex situ et frequentia populi et commercio valde fuisse opportunam et praedicationi et itineribus in regiones vicinas suscipiendis alibi declaratum est (Comment. Matth. I p. 158); Iesus itaque v. 31 *descendit in Capharnaum* scil. ex regione elatiore Galilaeae, in qua Nazareth situm est, descendit in regionem depressam lacus Genesareth, ubi Capharnaum erat[1], *civitatem Galilaeae*, cum evangelista prima vice eius urbis mentionem infert, in qua provincia sita sit pro suis lectoribus alienigenis addit; *ibique docebat illos sabbatis;* quaerunt sitne hoc dictum de eo quod ex consuetudine facere solebat an de uno eventu. Illud affirmant *Fil. Keil*, hoc *Schanz, Weiss;* propter v. 33 hoc ultimum erit adoptandum, cum in v. 33 de una re gesta sermo sit quae ad unum

1. La différence de niveau entre les villes de Capharnaüm et de Nazareth est d'environ 1.900 pieds (*Fil.*); cf. *Ritter*, Erdkunde XV p. 283 et XVI p. 741.

certum diem referatur et intime cum antecedente coniungatur; v. 32 *et stupebant in doctrina eius, quia in potestate erat sermo ipsius,* plenus scil. auctoritate sicut decet sermonem eius qui est supremus doctor et legislator; ceterum vide ad Matth. 7,29. Marc. 1,22; ea itaque occasione v. 33 *in synagoga erat homo habens daemonium immundum* πνεῦμα δαιμονίου i. e. habens spiritum daemonii immundi; describitur scil. natura spiritualis daemonis immundi, mali (cf. Marc. 1,22). Cum homo ille die sabbati (σάββατα v. 31; numerus pluralis, uti in v. 16 et Act. 13,14 et 16,13, etiam de uno die sabbati adhibetur) in synagogam admitteretur, possessio daemoniaca erat occulta vel saltem daemon neutiquam molesta vexatione hominem torquere solebat. Verum Christi praesentia terrore percellitur et tormenta sustinet et cogitur se prodere, *exclamavit voce magna,* quasi flagellatus (*Euth.*) praesentia Domini, quam sentiens dolorem et tremorem concepit (*S. Bon.*); nam uti *Beda* dicit (ex S. Hieronymo), praesentia Salvatoris tormenta sunt daemonum. Daemon autem exsistens in homine usus est lingua et voce eius ad clamorem et verba, sicuti daemones membris energumenorum abuti solent ad operandum (cf. *Tol.*).

Diabolus iam non tamquam tentator ad Iesum accedit, verum tamquam victus et prostratus victorem timet et ut sibi parcatur efflagitat v. 34 *sine* ἔα, *Euth.* explicat ἄφες ἡμᾶς, at iam *Cai. Tol. Luc. Ians.*, monent adverbium seu interiectionem exclamantis seu dolentis cerni posse, et eo modo recentiores quoque explicant : vah, ah (cf. *Bisp. Schanz, Fil. Weiss.*), *quid nobis et tibi, Iesu Nazarene?* loquitur unus pro omnibus, *nobis,* quasi indicans Christum omnibus bellum indixisse (*Mald. Luc.*); quid tibi nobiscum rei aut causae est? voces sunt conquerentis et deprecantis, ut Christus absistat, ne se quasi illi negotio immisceat neve consilia daemonis turbet; ceterum vide ad Matth. 8,29 et Marc. 1,24; *venisti perdere nos?* dolens et tremens clamat : estne iam tempus quo nostro in homines imperio privamur in abyssum detrudendi? vide ad 8,31 ubi rogant daemones Iesum ne se in abyssum abire iubeat et cf. Comment. in Matth. I p. 334 seq.; *scio te quis sis, Sanctus Dei,* ὁ ἅγιος, non qualicumque modo sanctum vocat, sed unum illum eminenter sanctum Deoque consecratum, uti graeci explanatores articulum urgent : ὁ φύσει καὶ κυρίως ἅγιος (*Euth.* sim. *Theoph.*); cf. Ps. 15,10. Ioan. 10,36. Act. 4,27; eo itaque nomine designat Messiam et Filium Dei; cf. 4,41. Matth. 8,29. Marc. 1,24 et 3,12; v. 35 *et increpavit illum Iesus dicens : obmutesce* φιμώθητι tamquam freno ori iniecto (*Luc.*), capistrare i. e. os tuum capistro obturetur *et exi ab eo;* cur eum iusserit tacere, ratio affertur in v. 41; hic fortasse etiam eo imperavit silentium ne in synagoga dae-

mon loqueretur. Permittit autem daemoni ut manifestum edat suae praesentiae documentum, ut scil. discant circumstantes illum vere habuisse daemonium, cuius fuerint verba etsi hominis lingua ministraverit (*Theoph.*), *et cum proiecisset illum daemonium in medium, exiit ab eo nihilque illum nocuit;* in qua re potentia Domini et daemonis impotentia illustratur; μηδὲν βλάψαν scil. ita ut ei contra exspectationem nihil damni inferret (cf. *Winer* l. c. § 55,5); *illum* (*Alb.* illi, *Cai.* ei vide lect. var.) nocere, uti Num. 5,19. Apoc. 11,5 et similiter Sap. 14,29 (vide *Kaulen,* Handbuch zur Vulg. p. 228).

Iesus solo imperio et nutu voluntatis daemonem fugavit. Qui apud Iudaeos adiuratione daemones eiicere conabantur, variis utebantur incantationibus (vide quae notavi ad Matth. 9,33). Quare Iesu potentiam sacro quodam timore admirantur, qui timor ex manifestatione furoris daemonis non parum augebatur v. 36 *et factus est pavor in omnibus*, θάμβος summa quaedam admiratio et quasi attonita, obstupefactio, *et colloquebantur ad invicem dicentes : quod est hoc verbum,* τίς ὁ λόγος οὗτος; aliqui explicant : quid hoc rei est, quidnam est hoc? cf. *Luc. Fil.;* neque tamen necessarium est; melius notio nativa retinetur; mirantur enim quod verbo suo potentissimo daemonem expulit; unde bene *Theoph. :* « τίς ἡ πρόσταξις αὕτη quod est mandatum hoc quo imperat : obmutesce et exi »? et bene dicit *S. Cyr.* tantae rei spectatores obstupescere ob sermonis potestatem, quandoquidem haud preces fundens nec facultatem a quopiam bene rem gerendi postulans, miracula patraret; atque eos id praeprimis admiratione prosequi quod uno verbo daemonem eiecerit etiam declaratur : *quia in potestate et virtute imperat immundis spiritibus et exeunt?* habet scil. auctoritatem et potentiam hanc sibi commissam et ex ea vim et efficaciam illam ei provenire patet. Hominem a pluribus daemonibus fuisse obsessum neque ex v. 34 *nobis* sequitur neque ex hoc; turbae loquuntur generatim (pluralem categoriae, ut dicunt, adhibentes) et merito concludentes ex uno eum habere potentiam in omnes; vel referunturne forte voces eorum qui iam aliorum eius generis miraculorum testes fuerint? v. 37 *et divulgabatur fama de illo* ἦχος sonitus, strepitus (cf. Act. 2,2. Hebr. 12,9) proin de rumore quo fortiter, quasi magno sono, celebrabatur, *in omnem locum regionis* circumiacentis scil. τῆς περιχώρου; cf. Matth. 4,24. Marc. 1,28.

Et qualis de eo opinio concepta sit in ipsa urbe, duobus exemplis ostenditur, domestico uno, altero publico; v. 38 *surgens autem Iesus de synagoga,* dici *surgens* quia docuisset sedens, aliqui putant (*Keil, Weiss*), at cum addatur ἀπὸ τῆς συναγωγῆς neque immediate antea de eius docendi munere facta sit mentio, melius notione generali conci-

pitur proficiscendi vel sese dandi in viam, *introivit in domum Simonis*, quem evangelista ex institutione iam antea accepta notum esse supponit, idque merito; nam librum ei inscripsit qui de rebus gestis iam eruditus erat (1,4) et generatim scribunt apostoli et eorum discipuli ad eos qui antea doctrina imbuti sunt; *socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus*, πυρετῷ μεγάλῳ Lucas medicus (Col. 4,14) loquitur, uti medici loqui solebant qui morbos omnes febresque in νόσους μεγάλας καὶ μικράς distribuebant (cf. *Wetstein* ad h. l.); *et rogaverunt illum pro ea* ἠρώτησαν ἀντὶ τοῦ παρεκάλεσαν (*Euth.*), induit enim notionem rogandi; cum apud Marcum dicatur : et statim dicunt ei de illa, *Weiss* hic apud Lucam cernit progressionem [1] : « apud Marcum nondum audent rogare, sed solum ei dicunt quid rei sit ». Sed cur ei dicunt de illa? ei quem modo in synagoga miraculum patrasse sciunt? nonne *ei* dicere simul est idem ac petere ut opem ferat? Tres simul evangelistae (cf. Matth. 8,14. Marc. 1,29) narrant istud miraculum, ut *Luc.* notat, non quod per se aliis sit nobilius vel memoratu magis dignum, sed quia in eo Christus domesticum et interius gratiae suae specimen exhibuit discipulis; deinde quod unius mulieris sanatio pluribus occasionem dederit, ut undique ad ipsum confluerent opis petendae causa. Adde eo miraculo etiam Simonem a Domino peculiari favore et honore donari, in cuius domum prae aliis non solum divertit sed quam e luctu transfert in domum gaudii; v. 39 *et stans super illam* i. e. sese supra lectum parumper inclinans, ut scil. eam manu prehenderet, quod alii referunt, *imperavit febri*, ἐπετίμησεν, uti in v. 35, *et dimisit illam:* dixit et factum est. Et in documentum sanitatis integrae restitutae illa *continuo surgens ministrabat illis*, Iesu eiusque discipulis quos comites eius fuisse notum supponitur. Ablata etiam febri laborantibus longo opus est tempore, ut priorem recipiant sanitatem (*Euth.*) et cum naturale sit febricitantibus incipiente sanitate lassescere et aegrotationis sentire molestiam, sanitas quae Domini confertur imperio simul tota redit (*Beda*).

Notat *S. Bon.* : « Dominus alium curavit sine precibus, sicut daemoniacum prius; alium precibus alienis, ut hic; alium precibus propriis, ut leprosum infra; in quo signatur quod tripliciter animas peccatrices curat gratia Salvatoris, nunc intercedente sola benignitate clementiae suae (ignoras quod benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Rom. 2, 4), nunc interveniente oratione Ecclesiae (Iac. 5, 14), nunc vero interveniente proprio gemitu ».

Monet *S. Ambr.* carnem nostram variis criminum febribus languere et di-

1. Nota in sin hanc particulam : et rogaverunt illum pro ea, non legi.

versarum cupiditatum immodicis aestuare illecebris ; « nec minorem febrem amoris esse dixerim quam caloris ; itaque illa animum febris, haec corpus inflammat ; febris enim nostra avaritia est, febris nostra libido est, eo quod ignitae sint cupiditates ; febris nostra luxuria est, febris nostra ambitio est, febris nostra iracundia est » ; quaerendum igitur esse medicum ; sauciae mentis ulceribus neminem posse mederi nisi Salvatorem. « Et nos igitur si Dominum exceperimus, exstinguet nostram febrim irae et concupiscentiae et eriget et corroborabit nos, ita ut ei ministrare valeamus, hoc est facere quae ei placent » (*Theoph.*).

Religiose observant sabbatum (cf. Ioan. 5,10) ; idcirco ad solis occasum asportant aegrotos ad Iesum, ita declarantes suam in Iesum fidem quam ex miraculis patratis conceperant v. 40 *cum autem sol occidisset*, δύνοντος cum occideret, *omnes qui habebant infirmos variis languoribus ducebant illos ad eum ; at ille singulis manus imponens curabat eos ;* dum singulos adit et tangit, unicuique peculiare ostendit et exhibet studium ; sanat imponens manus, signo adhibito externo, ut discamus eum posse signo externo adnectere gratiam, ut sciamus sancta eius carne gestari Verbi potentiam (*S. Cyr.*). Cum apud Marcum dicatur *multos* esse sanatos, aliqui hoc loco deprehendere volunt exaggerationem in eo quod singulis imposuerit manus ; nam tempus diei solum suffecisse ad multos sanandos (*Weiss, Holtzmann*) ; egregiam cavillationem ! ergo unicuique ex *multis* illis apud Marcum manus imposuit, quae impositio tempore brevissimo potuit absolvi ! v. 41 *exibant autem daemonia a multis clamantia et dicentia : quia tu es Filius Dei ; et increpans non sinebat ea loqui quia sciebant ipsum esse Christum ;* noluit Iesus statim innotescere turbis mobilibus tamquam Christus, ne falsa et temporali exspectatione regni messiani excitarentur. Commotionem popularem voluit cohiberi neque ali voluit spem illam fallacem quam de Messia turbae fovebant. Idcirco saepe miracula propagari et in vulgus spargi prohibuit et apostolos quoque vetuit se annuntiare Messiam (vide ad Matth. 8,4 et 16,20). Alii alias reddunt rationes silentii impositi ; noluisse Christum laudari a daemone neque mysterium immundis linguis enuntiari permisisse, vel prohibuisse, ne daemones gloriam apostolici muneris usurparent (*S. Cyr.*) ; diabolum esse improbum magistrum qui veris falsa permisceat, ut specie veritatis testimonium fraudis obtexat ; vel etiam ne gloria Iesu ante tempus praedicata ipsa passio impediretur (*Beda*). Daemones *scisse* eum esse Messiam clare dicitur (cf. Marc. 1,34) neque licet cum *S. Bon.* id solum de aliqua coniectura explicare ; *scisse* eos pluribus quoque Patrum testimoniis ostendit *Tol.* ad h. l. annot. 75.

Iesus autem se turbis subtrahit et aliis quoque civitatibus praedica-

v. 42 *facta autem die egressus ibat in desertum locum*, probabiliter eadem ex causa, ex qua daemonibus imposuerat silentium; *et turbae requirebant eum et venerunt usque ad ipsum;* vide ad Marc. 1,35 seq.; Lucas rem magis summatim refert; *et detinebant illum, ne discederet ab eis;* ostendunt Galilaei animos promptiores quam Iudaei ad Iesum suscipiendum (cf. Ioan. 4,44. 45); v. 43 *quibus ille ait : quia et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei;* vide ad Matth. 4,17; *quia ideo missus sum;* cf. v. 18. 19; v. 44 *et erat praedicans in synagogis Galilaeae;* vide lect. var.; εἰς τὰς συν. uti Marc. 1,39.

Iam si narrationes hae trium synopticorum inter se conferuntur, invenietur ita esse singulas conformatas, ut unaquaeque suum proprium habeat colorem et plura quae apud reliquos non reperiantur. Ex communi itaque traditionis fonte unusquisque hausit; at unusquisque rem proprio marte narrat quibusdam vel explicatius propositis vel succincte indicatis, uti fieri solet si plures eandem rem narrant.

In subsequentibus referuntur aliqua ex commoratione illa et praedicatione per regionem quam evangelista in v. 44 indicaverat. Et primo quidem qua occasione discipulos vocaverit ad *continuam* suam sequelam, ut scil. relictis omnibus constanter sibi adhaererent, postquam iam per longius tempus testes fuerant miraculorum ac praedicationis prima invitatione facta mox post Christi baptismum (Ioan. 1, 35-42).

c) Miraculosa piscatio 5,1-11.

5,1. Factum est autem quum turbae irruerent in eum, ut audirent verbum Dei, et ipse stabat secus stagnum Genesareth. 2. Et vidit duas naves stantes secus stagnum, piscatores autem descenderant, et lavabant retia. 3. Ascendens autem in unam navim, quae erat Simonis, rogavit eum a terra reducere pusillum. Et sedens docebat de navicula turbas. 4. Ut cessavit autem loqui, dixit ad Simonem : Duc in altum, et laxate retia vestra in capturam. 5. Et respondens Simon, dixit illi : Praeceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus; in verbo autem tuo laxabo rete. 6. Et quum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam; rumpebatur autem rete eorum. 7. Et annuerunt sociis, qui erant in alia navi, ut venirent, et adiu-

5,1. Ἐγένετο δὲ ἐν τῷ τὸν ὄχλον ἐπικεῖσθαι αὐτῷ καὶ ἀκούειν τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, καὶ αὐτὸς ἦν ἑστὼς παρὰ τὴν λίμνην Γεννησαρέτ· 2. καὶ εἶδεν πλοῖα δύο ἑστῶτα παρὰ τὴν λίμνην· οἱ δὲ ἁλιεῖς ἀπ' αὐτῶν ἀποβάντες ἔπλυνον τὰ δίκτυα. 3. ἐμβὰς δὲ εἰς ἓν τῶν πλοίων, ὃ ἦν Σίμωνος, ἠρώτησεν αὐτὸν ἀπὸ τῆς γῆς ἐπαναγαγεῖν ὀλίγον· καθίσας δὲ ἐκ τοῦ πλοίου ἐδίδασκεν τοὺς ὄχλους. 4. Ὡς δὲ ἐπαύσατο λαλῶν, εἶπεν πρὸς τὸν Σίμωνα, Ἐπανάγαγε εἰς τὸ βάθος, καὶ χαλάσατε τὰ δίκτυα ὑμῶν εἰς ἄγραν. 5. καὶ ἀποκριθεὶς Σίμων εἶπεν, Ἐπιστάτα, δι' ὅλης νυκτὸς κοπιάσαντες οὐδὲν ἐλάβομεν· ἐπὶ δὲ τῷ ῥήματί σου χαλάσω τὰ δίκτυα. 6. καὶ τοῦτο ποιήσαντες, συνέκλεισαν πλῆθος ἰχθύων πολύ· διερήσσετο δὲ τὰ δίκτυα αὐτῶν, 7. καὶ κατένευσαν τοῖς μετόχοις ἐν τῷ ἑτέρῳ πλοίῳ, τοῦ ἐλθόντας συλλαβέσθαι αὐτοῖς·

varent eos. Et venerunt, et impleverunt ambas naviculas, ita ut pene mergerentur. 8. Quod quum videret Simon Petrus, procidit ad genua Iesu, dicens : Exi a me, quia homo peccator sum, Domine. 9. Stupor enim circumdederat eum, et omnes qui cum illo erant, in captura piscium, quam ceperant; 10. Similiter autem Iacobum et Ioannem, filios Zebedaei, qui erant socii Simonis. Et ait ad Simonem Iesus : Noli timere; ex hoc iam homines eris capiens. 11. Et subductis ad terram navibus, relictis omnibus secuti sunt eum.

καὶ ἦλθαν, καὶ ἔπλησαν ἀμφότερα τὰ πλοῖα, ὥστε βυθίζεσθαι αὐτά. 8. ἰδὼν δὲ Σίμων Πέτρος προσέπεσεν τοῖς γόνασιν Ἰησοῦ, λέγων, Ἔξελθε ἀπ' ἐμοῦ, ὅτι ἀνὴρ ἁμαρτωλός εἰμι, κύριε. 9. θάμβος γὰρ περιέσχεν αὐτὸν καὶ πάντας τοὺς σὺν αὐτῷ, ἐπὶ τῇ ἄγρᾳ τῶν ἰχθύων ὧν συνέλαβον· 10. ὁμοίως δὲ καὶ Ἰάκωβον καὶ Ἰωάνην, υἱοὺς Ζεβεδαίου, οἳ ἦσαν κοινωνοὶ τῷ Σίμωνι. Καὶ εἶπεν πρὸς τὸν Σίμωνα Ἰησοῦς, Μὴ φοβοῦ· ἀπὸ τοῦ νῦν ἀνθρώπους ἔσῃ ζωγρῶν. 11. καὶ καταγαγόντες τὰ πλοῖα ἐπὶ τὴν γῆν, ἀφέντες πάντα, ἠκολούθησαν αὐτῷ.

In v. 1 και ακουειν ℵ A B L X Δ arm aeth; rell του ακουειν. In v. 3 ℵ D εν τω πλοιω εδιδ Ti. In v. 5 D διδασκαλε; τα δικτυα ℵ B D L c e q go cop aeth Amb. item in v. 6, ubi ger quoque retia cum it. In v. 7 ωστε ηδη (D παρα τι) βυθιζεσθαι C*, ita ut *pene* mergerentur c d e r wil steph sixt; sim syr (sch, prope) arm cop (ut inciperent) tat. In v. 8 λεγων, παρακαλω, εξελθε D, oro te c e, rogo f, go tat syr (sch). In v. 9 ων συνελαβον B D X; rell η. In v. 11 e illi autem cum audissent omnia dimiserunt super terram et secuti sunt eum; item D (sin v. 3 una ex iis Simonis erat et ascendens Iesus sedit in ea et dixit ut ducerent eam de arida (terra) pusillum in aquas; v. 5 nunc autem ad verbum tuum iaciemus rete v. 6 et cum iecissent retia; v. 7 eduxerunt pisces et impleverunt duas naves et propter pondus suum pene submersae sunt; v. 8 procidit Simon in faciem suam ante pedes Iesu).

De quaestione sitne hic eventus ad idem tempus referendus de quo Matth. 4,19-22 et Marc. 1,16-20, egi in Comment. Matth. I p. 164. Hic satis erit commemorare qua ratione *Luc. Ipr.* aliique qui narrationes eas ad unum eventum et idem tempus pertinere censent res gestas ordinent. In navi Iesus dicit Petro : eris homines capiens, quae est praedictio, nondum vocatio Petri. Cum autem ad litus pervenisset, tum dixit Petro et Andreae : venite post me, faciam vos piscatores hominum. Navigio egressus pervenit Iesus per oram maris ad stationem, ubi filii Zebedaei naviculam suam collocarant post piscationem illam miraculosam. Quos invenit occupatos in retibus resarciendis et lavandis, cui operi ante piscationem manus admovere coeperant et quod nunc auxilio aliis praestito absolvebant. Hos quoque vocavit Iesus ad sui sequelam. Unde omnes quattuor subductis ad terram navibus et vocatione a Christo accepta secuti sunt eum. Matthaeus et Marcus explicatius narrant ipsam vocationem, Lucas autem narrat miraculum quod praecessit et quo praeparati sunt ad Iesu invitationem prompte amplectendam; vocationem explicite non narrat; eam factam esse satis ipse quoque declarat dicens eos relictis omnibus esse secutos.

Scenam nobis describit Lucas similem illi apud Marcum 3,9; v. 1 *factum est autem cum turbae irruerent in eum* ἐπικεῖσθαι incumbere in eum, eum urgere, *ut audirent verbum Dei* καὶ ἀκούειν et audirent; turbae itaque densae aderant. Laudanda populi assiduitas et aviditas audiendi Iesu praedicationem; non satis erat Dominum sui copiam facere in synagogis, in oppidis, in vicis, verum quocumque se subduceret, eo simul accurrebat promiscua multitudo virorum ac mulierum (*Luc.*). Admirandum quoque est studium Iesu omni utendi occasione ad doctrinam spargendam; *et ipse stabat secus stagnum Genesareth*, λίμνη quo nomine solus Lucas lacum designat; alias mare Galilaeae vocatur vel mare Tiberiadis; de eo vide Comment. Matth. I p. 161; v. 2 *et vidit duas naves stantes secus stagnum*, στῆναι et stare dicitur de navibus portum tenentibus; ita : anchora de prora iacitur, stant litore puppes (Vergilius, Aeneid, 6,902), classem stare ad insulam Macrin legitur apud Livium 37,29 (*Wetstein* praeterea plura refert exempla); quare minime opus est explicare de navibus ad terram subductis; id quidem in v. 11 habetur sed verbis propriis enuntiatur. Hoc autem loco prior explicatio omnino retineri debet, prout elucet ex v. 3 et etiam multo magis ad v. 7 congruit; ex sequentibus quoque colligitur unam navim fuisse Simonis, alteram Ioannis et Iacobi, filiorum Zebedaei; *piscatores autem descenderant* ἀποβάντες e navibus egressi *et lavabant retia* « a limo et ceteris sordibus quas nocturno usu contraxerant (cf. v. 5), ut mundata complicarent ac reponerent in aliud tempus, nulla iam cum esset praedae capiendae spes » (*Luc.*); insinuat evangelista eos tum de piscium captura desperasse prorsus; capturae futurae miraculum iam innuitur (*Tol.*).

Iesus ne multitudine comprimeretur (cf. Marc. 3,9) et ut docens commodius ab omnibus videri et audiri posset, v. 3 *ascendens in unam navim quae erat Simonis rogavit eum a terra reducere pusillum:* « Christi mansuetudinem vide, ἠρώτησεν ἀντὶ τοῦ παρεκάλεσε » (*Theoph.*) et *S. Bon.* : « nota hic humilitatem Domini quia rogabat Petrum servum suum, exemplum relinquens praelatis, ut ipsi rogent subditos »; similiter *Alb.* benignitatem Domini commendari ait; *et sedens docebat de naviculâ turbas;* merito monent non carere mysterio quod Iesus in navim Simonis Petri ascendat et ex hac navi populum doceat. Simonem iam prae aliis praeferri cernimus, eodem modo quo e synagoga non in aliam domum, sed in domum Simonis introivit. Ita scil. Dominus paulatim et Simonem et alios praeparat ratione dignitatis in Simonem conferendae habita. Docet ex navi Simonis, qua Ecclesiam, cuius gubernator sit Petrus, significari vel adumbrari docent, ita ut iam quaedam cernatur praelusio illius : ubi Petrus, ibi Ecclesia;

v. 4 *ut cessavit autem loqui, dixit ad Simonem : duc in altum*, longius a terra; ita ad dominum et gubernatorem navis; dein ad eum et Andream aliosque socios vel famulos (cf. v. 9) *et laxate retia vestra in capturam;* v. 5 *et respondens Simon dixit illi : praeceptor,* ἐπιστάτα, quae vox apud unum Lucam legitur (8,24. 45; 9,33. 49; 17,13), apud alios διδάσκαλε, ῥαββί. Reperitur ea vox saepius apud LXX notione praefecti, ducis, dominatoris (pro hebr. שׂר Ex. 1,11; נגיד 2 Par. 31,12 etc.) et ita vertisse Lucam vocem rabbi adnotat *Luc.* : « nam et *rab* Hebraeis Chaldaeisque principem sive praefectum rebus personisve generaliter significat »; evasit autem honorifica doctorum legis appellatio (vide ad Matth. 23,7), *per totam noctem*, tempore ad pisces capiendos perquam opportuno, *laborantes nihil cepimus; in verbo autem tuo* ἐπὶ scil. tuo verbo confisus *laxabo rete* i. e. quamvis tota nocte nihil ceperimus, tamen tuo solo verbo fretus retia laxabo; « ecce devota obedientia » (*Alb.*). Commemorat se nihil cepisse, non desperatione felicioris iactus, sed ut maiorem in Christum fidem declaret; itaque hoc ipsum auget miraculum quod noctu, cum plures pisces capi solent, nullum ceperit, die vero quo pauciores solent capi, ceperit innumerabiles (*Mald.*). Quare merito ait *Luc.* insignem esse Simonem tum fidem tum obedientiam nomini respondentem (alludit ad שׁמע audire), qua quantum Christo deferat ostendit, cum inani labore fatigatus quod frustra tentaverat de integro aggrediatur, et *S. Bon.* de Petro dici posse illud affirmat : in repromissione Dei non haesitavit diffidentia, sed confortatus est fide, plenissime sciens etc. quibus verbis apostolus fidem Abrahae celebrat (Rom. 4,20. 21).

Et Christi verbum est efficax; « verbum meum quod egredietur de ore meo non revertetur ad me vacuum, sed faciet quaecumque volui et prosperabitur in his ad quae misi illud » (Is. 55,11; *S. Bon.*) v. 6 *et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam; rumpebatur autem rete eorum,* διερήσσετο τὰ δίκτυα (cf. lect. var.) non coepta sunt rumpi retia, sed in eo erat, ut rumperentur (*Schanz*); « laxandum est rete in verbo Dei et tunc fructuosus est labor contra spem, sicut apparet per effectum; verbum enim Domini omnipotens est secundum posse, lucidum secundum nosse, optimum secundum velle et ideo efficax in omni bono fructu et opere » (*Alb.*). Quaeritur quandoque sitne miraculum hoc tribuendum omnipotentiae, qua scil. Dominus voluerit iusseritque pisces plurimos ex omni parte stagni eo in loco congregari vel omniscientiae qua sciverit eo in loco tum adesse copiam piscium. Sufficiat illud revocasse : omnia subiecisti sub pedibus eius, volucres coeli et pisces maris qui perambulant semitas maris (Ps. 8,8. 9; *Schegg*). En quam amplam mercedem recipit Petrus, quia Domi-

num navi exceperat; voluit Christus, ut *Theoph. Mald.* adnotant, Petro pro eius qua usus erat navicula quasi solvere naulum cumulatum eumque ea re quam navi quaerebat remunerari. Verum altius quid Iesum praecipue spectasse ex iis quae post piscationem miraculosam secuta sunt efficitur; v. 7 *et annuerunt sociis qui erant in alia navi, ut venirent et adiuvarent eos;* dici *annuerunt* i. e. signis, nutibus propter nimiam distantiam plerique putant (cf. *Tol. Mald. Ipr. Lamy, Schanz, Fil. Weiss*) vel quod multitudinis stantis in ripa fremitus vocem opprimeret (*Calm.*); alii existimant eos prae stupore, metu, admiratione non potuisse clamare (*S. Cyr. Euth. Theoph. Luc. Ians. Lap.*). Contra quod merito monet *Tol.* Petrum stupore correptum tamen loqui potuisse (item *Mald.*), dein stuporem eos potius invasisse et admirationem maximam, cum viderent tantam esse piscium multitudinem, ut ambae naves implerentur; proin postea; et si stupore vox esset impedita, pariter futurum fuisse ut etiam vires ad retia trahenda impedirentur. Rem sapienter dirimit *Alb.* scribens : annuerunt vocando; *et venerunt et impleverunt ambas naviculas ita ut pene mergerentur;* ita factum, ut miraculum plurium illius artis peritorum testimoniis innotesceret et Iesu virtus fieret testatissima (*Luc. Tol.*); simul ii quos Christus vocare volebat ad vocationis acceptionem et promptitudinem praeparabantur viso miraculo.

Uti centurio prae reverentia Domini se dicit indignum, sub cuius tectum intret Iesus (*S. Bon. Mald. Luc. Fil.*), ita Petrus quoque viso miraculo et Domini maiestate ex eo miraculo manifestata maximum suae indignitatis sensum concipit v. 8 *quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Iesu dicens : exi a me, quia homo peccator sum, Domine;* in miraculo dignitas Iesu eiusque sanctitas et summa apud Deum gratia quasi palpanda exhibetur; quare Petrus tanto hospite se plane indignum profitetur et ut sanctissimus ille a se immundo recedat humili sermone flagitat (cf. *S. Cyr. Theoph. Bon. Alb. Mald. Schanz, Fil.*). Alii verba explicant ex timore quem concepisset ne maiestate Iesu opprimeretur et periclitaretur; provocant scil. ad opinionem, qua v. g. Manue dicebat : morte moriemur quia vidimus Deum, vel ad Is. 6,5 vel ad 3 Reg. 17,18, ubi mulier sareptana ingressui Eliae imputat mortem filii sui, cum viri sancti praesentia secum afferat vindictam iniquitatum (cf. *Euth. Cai. Luc. Ipr. Lamy, Ians. Weiss*). Sed verba id non enuntiant; solum se dicit indignum eius consortio ac praesentia. Etiam minus congruit quod *Tol.* vult cum timuisse periculum imminens submersionis tamquam poenam peccatorum et poenam proprii reatus, quia indignus peccator dignissimum susceperit vectorem. Verum, ut alia mittam, non Petrus prae-

sumptione quadam Iesum ad se invitavit in navim, sed ipse Iesus hanc sibi elegerat navim v. 3; v. 9 *stupor enim circumdederat eum et omnes qui cum illo erant in captura piscium quam ceperant*, qua attonita admiratione (cf. θάμβος) et Petri affectus explicatur et miraculi magnitudo declaratur, cum piscatores tanta rei novitate perculsi ostendant sibi esse persuasum id non arte humana nec fortuito accidisse, sed superna virtute esse effectum; v. 10 *similiter autem Iacobum et Ioannem filios Zebedaei qui erant socii Simonis,* quos explicite nominat evangelista, utpote quos Iesus statim quoque ad perpetuam sui sequelam vocavit.

Quid vero Iesus eo miraculo cumprimis spectaverit iam panditur : *et ait ad Simonem Iesus : noli timere*, ob peccata et tuam indignitatem et meam maiestatem, *ex hoc iam homines eris capiens;* iussus a Iesu ingentem cepit copiam piscium; ab eodem missus longe sublimius opus subibit nec minore successu; homines capiet ad vitam qui pisces ad mortem capere solitus erat. Ad idem itaque artis genus, sed excellentius, a Domino vocatur; mutantur retia in doctrinam, lucri cupiditas in amorem salutis animarum; fit mare terra, navis Ecclesia, pisces homines vagi palantesque in terra, ut in vasto et confuso mari pisces (*Luc.*). Et bene apostolica piscandi instrumenta retia sunt, ait *S. Ambr.,* quae non captos perimunt sed reservant et de profundo ad lumen extrahunt, fluctuantes de infimis ad superna traducunt. Haec piscatio simul erat vaticinium Petrum et socios eius, proinde qui cum eo iuncti sunt, non sua industria, sed Christi imperio et virtute expansis evangelii retibus tantam facturos capturam (*Lamy*). Quid enim sine Christi iussu et ope efficiatur, enuntiat in v. 5 Petrus; « nisi Dominus cor illustraverit auditorum, doctor in nocte laborat; nisi in verbo gratiae supernae laxata fuerint instrumenta disputationum, frustra vocis suae praedicator iaculum mittit » (*Beda*). Eo miraculo praeparati erant, ut ad vocem Domini vocantis iam relictis omnibus constanter ei adhaererent v. 11 *et subductis ad terram navibus relictis omnibus secuti sunt eum;* en fructus miraculi (*Cai.*); quam placide invitati sint a Domino, narrant alii duo evangelistae. Spectat vocatio, ut *S. Bon.* ait, ad immensitatem clementiae qua piscatores pauperculos ad suum consortium attrahebat. Et quid non consecuti sunt gloriae sua ad vocem Domini obedientia? Iam per saecula eorum nomina ubique celebrantur et celebrabuntur semper. Et insuper ad quam gloriam evecti sunt a Iesu in aeternitate? Domino servire regnare est.

Verba Christi de piscatione apostolica multiplici applicatione antiquitas Christiana in ecclesiis, baptisteriis, vasis sacris expressit; vide Comment.

Matth. I p. 164. — Piscatores vocari apostolos *S. Aug.* inter alia etiam ita explicat, ut sint ab omni coactione hominum alieni; « quare apostoli neminem coegerunt, neminem impulerunt? quia piscator est, retia mittit in mare, quod incurrerit trahit; venator autem silvas cingit » etc. (de utilitate ieiunii 9; *M.* 40,714).

In tota hac narratione facile est agnoscere rationem typicam, qua Ecclesiae res praefigurantur. In navi Petri adumbratur Ecclesia cuius gubernator est Petrus; ibi docet Iesus; Petro amplissima datur captura, ad Petrum iuvandum alii advocantur a Petro. Porro notat *S. Cyr.* qui nomine Christi laborent haud iri destitutum mercede laborum. Advertit *Euth.* ante Christum fuisse noctem erroris et ignorantiae; sed « quando ortus est sol iustitiae, tunc ab apostolis laxata sunt retia doctrinae et concluserunt multitudinem copiosam, greges videlicet gentium; socii capturae sunt episcopi et magistri singularum ecclesiarum qui suo labore coopitulantur apostolis »; similiter Macarius et Eusebius in catena Corderii. Alia vide apud *S. Aug.* quaest. evang. lib. 2,2; *M.* 35,1333.

Huius piscationis non est mentio apud duos alios synopticos; piscatio miraculosa altera refertur post Domini resurrectionem Ioan. 21,6 seq. Ex hisce infert *Weiss* unam solum exstitisse piscationem miraculosam et in narratione Lucae perperam piscationem referri ad vocationem Petri (similiter *Ewald*, *Meyer*). Verum haec satis frivole dici patet. Nam narrationes illae duae apud Luçam et Ioannem multum inter se differunt, uti legenti evidens est. Quae narrationi Lucae propria sunt i. e. *omnia et singula* quae a v. 3-11 narrantur plane absunt a narratione Ioannis, in qua ea referuntur quae cum narratione Lucae componi nequaquam possunt. In eo solum conveniunt quod piscatio fit in mari Tiberiadis et Petrus et filii Zebedaei praeter alios nominantur. Num id sufficere potest ad unum eventum statuendum? Nemo talem adoptat normam, si de fontibus rerum gestarum profanis agitur.

d) Sanatio leprosi et paralytici 5,12-26.

5,12. Et factum est, quum esset in una civitatum, et ecce vir plenus lepra, et videns Iesum, et procidens in faciem, rogavit eum, dicens : Domine, si vis, potes me mundare. 13. Et extendens manum, tetigit eum, dicens : Volo : mundare. Et confestim lepra discessit ab illo. 14. Et ipse praecepit illi ut nemini diceret : sed, Vade, ostende te sacerdoti, et offer pro emundatione tua, sicut praecepit Moyses, in testimonium illis. 15. Perambulabat autem magis sermo de illo; et convenicbant turbae multae ut audirent, et curarentur ab infirmita-

5.12. Καὶ ἐγένετο ἐν τῷ εἶναι αὐτὸν ἐν μιᾷ τῶν πόλεων, καὶ ἰδοὺ ἀνὴρ πλήρης λέπρας· ἰδὼν δὲ τὸν Ἰησοῦν, πεσὼν ἐπὶ πρόσωπον, ἐδεήθη αὐτοῦ λέγων, Κύριε, ἐὰν θέλῃς, δύνασαί με καθαρίσαι. 13. Καὶ ἐκτείνας τὴν χεῖρα, ἥψατο αὐτοῦ, λέγων, Θέλω, καθαρίσθητι. καὶ εὐθέως ἡ λέπρα ἀπῆλθεν ἀπ' αὐτοῦ. 14. καὶ αὐτὸς παρήγγειλεν αὐτῷ μηδενὶ εἰπεῖν· ἀλλὰ ἀπελθὼν δεῖξον σεαυτὸν τῷ ἱερεῖ, καὶ προσένεγκε περὶ τοῦ καθαρισμοῦ σου, καθὼς προσέταξεν Μωυσῆς, εἰς μαρτύριον αὐτοῖς. 15. Διήρχετο δὲ μᾶλλον ὁ λόγος περὶ αὐτοῦ· καὶ συνήρχοντο ὄχλοι πολλοὶ ἀκούειν, καὶ θεραπεύεσθαι ἀπὸ

tibus suis. 16. Ipse autem secedebat in desertum, et orabat.

17. Et factum est in una dierum, et ipse sedebat docens. Et erant pharisaei sedentes, et legis doctores, qui venerant ex omni castello Galilaeae, et Iudaeae, et Ierusalem; et virtus Domini erat ad sanandum eos. 18. Et ecce viri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus; et quaerebant eum inferre, et ponere ante eum. 19. Et non invenientes qua parte illum inferrent prae turba, ascenderunt supra tectum, et per tegulas summiserunt eum cum lecto in medium ante Iesum. 20. Quorum fidem ut vidit, dixit : Homo, remittuntur tibi peccata tua. 21. Et coeperunt cogitare scribae et pharisaei, dicentes : Quis est hic, qui loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? 22. Ut cognovit autem Iesus cogitationes eorum, respondens, dixit ad illos : Quid cogitatis in cordibus vestris? 23. Quid est facilius dicere : Dimittuntur tibi peccata, an dicere : Surge, et ambula? 24. Ut autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata (ait paralytico) : Tibi dico surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam. 25. Et confestim consurgens coram illis, tulit lectum, in quo iacebat : et abiit in domum suam, magnificans Deum. 26. Et stupor apprehendit omnes, et magnificabant Deum. Et repleti sunt timore, dicentes : Quia vidimus mirabilia hodie.

τῶν ἀσθενειῶν αὐτῶν. 16. αὐτὸς δὲ ἦν ὑποχωρῶν ἐν ταῖς ἐρήμοις καὶ προσευχόμενος.

17. Καὶ ἐγένετο ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν, καὶ αὐτὸς ἦν διδάσκων· καὶ ἦσαν καθήμενοι οἱ Φαρισαῖοι καὶ οἱ νομοδιδάσκαλοι, οἳ ἦσαν ἐληλυθότες ἐκ πάσης τῆς κώμης τῆς Γαλιλαίας καὶ Ἰουδαίας καὶ Ἱερουσαλήμ· καὶ δύναμις Κυρίου ἦν εἰς τὸ ἰᾶσθαι αὐτόν. 18. καὶ ἰδοὺ ἄνδρες φέροντες ἐπὶ κλίνης ἄνθρωπον ὃς ἦν παραλελυμένος, καὶ ἐζήτουν αὐτὸν εἰσενεγκεῖν καὶ θεῖναι αὐτὸν ἐνώπιον αὐτοῦ· 19. καὶ μὴ εὑρόντες ποίας εἰσενέγκωσιν αὐτὸν διὰ τὸν ὄχλον, ἀναβάντες ἐπὶ τὸ δῶμα, διὰ τῶν κεράμων καθῆκαν αὐτὸν σὺν τῷ κλινιδίῳ εἰς τὸ μέσον ἔμπροσθεν τοῦ Ἰησοῦ. 20. Καὶ ἰδὼν τὴν πίστιν αὐτῶν, εἶπεν· Ἄνθρωπε, ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι σου. 21. καὶ ἤρξαντο διαλογίζεσθαι οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ Φαρισαῖοι, λέγοντες, Τίς ἐστιν οὗτος ὃς λαλεῖ βλασφημίας; τίς δύναται ἁμαρτίας ἀφεῖναι, εἰ μὴ μόνος ὁ Θεός; 22. ἐπιγνοὺς δὲ ὁ Ἰησοῦς τοὺς διαλογισμοὺς αὐτῶν ἀποκριθεὶς εἶπεν πρὸς αὐτούς· Τί διαλογίζεσθε ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν; 23. τί ἐστιν εὐκοπώτερον, εἰπεῖν, Ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι σου, ἢ εἰπεῖν, Ἔγειρε καὶ περιπάτει; 24. ἵνα δὲ εἰδῆτε ὅτι ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐξουσίαν ἔχει ἐπὶ τῆς γῆς ἀφιέναι ἁμαρτίας, (εἶπεν τῷ παραλελυμένῳ,) Σοὶ λέγω, ἔγειρε καὶ ἆρας τὸ κλινίδιόν σου πορεύου εἰς τὸν οἶκόν σου. 25. καὶ παραχρῆμα ἀναστὰς ἐνώπιον αὐτῶν, ἆρας ἐφ' ὃ κατέκειτο, ἀπῆλθεν εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ, δοξάζων τὸν Θεόν. 26. Καὶ ἔκστασις ἔλαβεν ἅπαντας, καὶ ἐδόξαζον τὸν Θεὸν, καὶ ἐπλήσθησαν φόβου, λέγοντες, ὅτι εἴδομεν παράδοξα σήμερον.

In v. 14 D ινα εις μαρτυριον η υμιν τουτο; sim a b c ff² q r Tert Amb; praeterea D add ex Marc 1,45. In v. 16 pler codd vulg *in deserto*. In v. 17 ιασθαι αυτον ℵ B L Z aeth Cyr; ut curaret c e; αυτους A C D X Γ Δ Λ Π unc 6 al pler it vulg syr (utr, hr eos omnes) cop arm go tat; ad sanandos dub med ff². In v. 19 D ανεβησαν επ. τ. δω. και αποστεγαντες τους κεραμους οπου ην καθηκαν τον κραβαττον συν τω παραλυτικω; ger et aperuerunt et; b et discooperuerunt tectum. In v. 20 remissa sunt a b ff² l r ger, dimissa sunt q. In v. 21 D εν ταις καρδιαις αυτων λεγοντες sim b ff² l q ger; c dicentes in cordibus suis; tat in corde suo. In v. 22 quid cogitatis *mala* steph sixt; D πονηρα; sim c e r l (nequam) syr (hr) aeth, ex Matth 9,4 additum. In v. 25 pler codd tulit in quo iacebat; add *lectum* wil steph sixt cum D et a c (grabattum). In v. 26 et repleti sunt *omnes* tol (sin v. 12 venit leprosus plenus lepra; v. 14 sacerdotibus; v. 15 ad audiendum ex eo; a v. 17 deficit textus).

Iesus se manifestat tamquam qui auferat morbos et corporis et animi, lepram et corporalem et spiritualem, sed ita ut fides viva et firma viam sternat sanationi eamque ab ipso impetret; v. 12 *et factum est cum esset in una civitatum*, ubi ei occurrerit leprosus, Matth. 8,2 non indicatur; Marc. 1,45 cum dicatur sanatione facta et sermone de ea sparso Iesum iam non potuisse manifeste introire in civitatem, aliqui putant, ut iam *Tol.*, leprosum non in urbe sed prope urbem ei obviam fuisse et in una civitatum esse idem atque in regione vel vicinia alicuius civitatis. Sed dubito num modo illo loquendi adeo generali apud Marcum id necessario inferri possit. Licuit leprosis intrare in synagogas, solum locus seorsim a reliquis separatus iis assignabatur; unde in urbes quoque venire iis non erat prohibitum; rabbini urbes moenibus cinctas quas aliis sanctiores reputabant leprosis interdicebant (cf. *Lightfoot* ad h. l. *Schegg*); *et ecce vir plenus lepra et videns Iesum et procidens in faciem*, « timuit enim ne morbi deformitas et foeditas aspectui Christi afferret molestiam; idcirco procidit in faciem quasi (quantum fieri a se poterat) se cooperiendo et foeditatem occultando, qui timor reverentiae cuiusdam fuit » (*Tol.*), id quod fortasse subtilius excogitatum est; sufficiet habitum agnoscere supplicantis et Dominum deprecantis *rogavit eum dicens : Domine, si vis, potes me mundare*, quam precationem uno ore omnes merito laudibus extollunt; « laude omni digna est accedentis fides; testatus est enim omnia prospere posse Emmanuelem facere et divinis nutibus liberari se petit, quamquam morbus esset insanabilis » (*S. Cyr.*); declaratur in Domino potestatis auctoritas, in illo fidei constantia; ostendit vulnus, remedium postulat et ipsa religionis et fidei plena confessio est (*S. Ambr. Beda*). Accedit tamquam ad Deum (*Theoph.*) oratione quae insignis fidei modestiaeque index sit (*Luc.*), neque enim dixit : munda me, sed totam rationem et causam impetrandi in affectu eius qui sanare solo voluntatis nutu poterat collocavit (*Tol.*).

Et Iesus eo sanat modo quo fuerat obsecratus (*S. Ambr. Beda*) v. 13 *et extendens manum tetigit eum dicens : volo, mundare;* tactu indicat sanctam suam carnem habere divinam virtutem, ut purificet et vivificet, utpote quae sit caro Verbi (*Theoph.*); maluit tangere ut ostenderet suam benignitatem (*S. Bon.*) et tactu Domini fugatur lepra, *et confestim lepra discessit ab eo;* v. 14 *et ipse praecepit illi ut nemini diceret;* cur ita, variae afferri solent rationes, vel ut exemplum modestiae nobis exhiberetur (*S. Cyr. Bon. Theoph. Euth. Beda*), vel ob sacerdotes, ne si statim propalaretur sanatio, sacerdotes supprimerent miraculum, et ob leprosum, ne divulgaret tamquam dignus habitus tali cura et ita inanem caperet gloriam (*Alb.*). Sed ex Marc. 1,45 po-

tius colligendum erit Christum sicuti alias, ita nunc quoque voluisse evitare vel reprimere turbulentam populi commotionem; ceterum vide ad Matth. 8,4; *sed vade ostende te sacerdoti et offer pro emundatione tua, sicut praecepit Moyses,* legem servari iubet; cf. Lev. 14,2; *in testimonium illis,* id de populo dici aliqui arbitrantur (*Schegg, Schanz, Fil. Keil, Weiss*); sed cum in tota narratione omnino nihil de populo inseratur, nescio quomodo subito *illi* de populo intelligantur. Neque sensus congruit; vult Iesus ut nemini dicat; dein offerre pro emundatione quod a paucissimis spectatoribus et testibus adverti poterit non potest dici esse populo in testimonium. Proinde *illi* sunt sacerdotes (*S. Bon. Theoph. Alb.* etc.), cuius ordinis mentio modo facta est, ita ut grammatice vox referri debeat ad eum ordinem. Sensus quoque praeclarus exsistit. Lepra considerabatur tamquam plaga divinitus inflicta; Iesus mittit leprosum a se sanatum ad sacerdotes; habent itaque testimonium ac documentum ex signo patrato Iesum esse prophetam a Deo approbatum et esse fortiorem illum quem Ioannes baptista annuntiaverit. Plura vide ad Matth. 8,4 et Marc. 1,44.

Leprosus beneficium acceptum non tacuit; id quod Marcus 1,45 explicite narrat et Lucas quoque satis innuit v. 15 *perambulabat autem magis sermo de illo et conveniebant turbae multae ut audirent et curarentur ab infirmitatibus suis;* turbas ad Iesum confluere non solum curationum gratia, sed etiam doctrinae audiendae causa docemur; inde patet eas bene esse affectas et dispositas; quam bonam animorum dispositionem postea utique corrumpebant scribae et pharisaei magnam partem suis calumniis et in Iesum inimicitiis. Ne autem commotione populari falsa de Messia exspectatio i. e. spes regni temporalis foveretur, Iesus se quandoque turbis subtrahit; v. 16 *ipse autem secedebat in desertum* ἐν ταῖς ἐρήμοις versabatur in regionibus solitariis sese subducens turbis *et orabat;* ipso loquendi modo ἦν ὑποχωρῶν καὶ προσευχόμενος et numero plurali satis indicatur ita Iesum facere consuevisse, si turbae importunius agerent. De Christi oratione vide quae dixi in Comment. Marc. p. 59. 60. Notat *Beda* Iesum utriusque vitae, activae et contemplativae, documenta nobis praemonstrare, ut nec contemplationis studio quis proximorum curam negligat, nec cura proximorum immoderatius obligatus contemplationis studia derelinquat (sim. *Cai. Tol.* aliique).

Narratio de paralytico sanato duplice ex capite insignis est et memoria digna. Christus enim totidem verbis declarat se patraturum miraculum, ut omnibus innotescat se habere eam quam sibi attribuat potestatem ac missionem; dein id revera exercet quod a prophetis proprium esse tempori messiano annuntiabatur (Is. 53,11. Dan

9,24. Zach. 13,1) et quod baptista de Messia praedicabat : ecce agnus Dei qui tollit peccatum mundi (Ioan. 1,29). Eo itaque modo non solum se probat legatum a Deo missum, utpote miraculo ad eum finem annuntiato et patrato approbatum, verum etiam Messiam ad peccata auferenda. Utrumque autem fit in celebri consessu et coram iis ipsis qui populi duces ac doctores habebantur v. 17 *et factum est in una dierum* i. e. die quodam; cf. 8,22 et 20,1; non die prima hebdomadis (*Alb. Tol.*) neque enim dictio est eadem quae 24,1 et alibi habetur (una sabbati). Opinatur *Schegg* eam dictionem in institutione apostolorum esse adhibitam, qua varii eventus in Capharnaum et Ierusalem inter se narratione connecterentur. Sed si ita, cur haec formula apud solum Lucam et ter dumtaxat reperitur? *et ipse sedebat docens et erant pharisaei sedentes et legis doctores* νομοδιδάσκαλοι, rabbini, alias qui γραμματεῖς, scribae appellantur, *qui venerant ex omni castello Galilaeae et Iudaeae et Ierusalem;* quantopere fama Iesu iam invaluerit declaratur; non turbae solum adsunt, sed qui se legis et traditionum custodes iactabant officii sui esse censebant ut in Iesu doctrinam et opera inquirerent. Qui a Ierusalem descenderant, a synedrio missi iure existimantur. Itaque iam dudum primores intellexerant Iesum longe maioris esse auctoritatis quam obvium quendam legis doctorem. Et quantae ipse esset dignitatis, clare perspicere poterant ex iis quae coram agebantur *et virtus Domini erat ad sanandum eos* i. e. potentia Dei in eo manifesto apparuit eo quod sanabat; vide lectionem graecam; Κύριος est Deus, Iahve; si Lucas Iesum vocat eo nomine, semper ponit articulum ὁ κύριος (cf. 7,13; 10,1; 11,39; 12,42; 13,15; 17, 5. 6; 18,6; 19,8; 22,61; cf. *Schanz, Keil, Weiss*). Unde sigillo divino, i. e. miraculis, iam satis omnibus declarabatur Iesum esse a Deo approbatum et missum. Id in urbe Capharnaum evenisse docemur Marc. 2,1 et Matth. 9,1.

In consessu adeo illustri Iesus potentiam suam adeo salutiferam voluit manifestari v. 18 *et ecce viri portantes in lecto hominem qui erat paralyticus,* παραλελυμένος membris captus, nervorum resolutione laborans, *et quaerebant eum inferre et ponere ante eum;* docebat scil. Iesus in domo, uti Marc. 2,2 dicitur, et statim quoque a Luca indicatur v. 19 *et non invenientes qua parte* (ποίας scil. ὁδοῦ, genetiv. loci) *illum inferrent prae turba ascenderunt supra tectum et per tegulas* (accuratius vide Marc. 2,4) *summiserunt eum cum lecto in medio ante Iesum,* « insolitum novumque ausi facinus » (*S. Cyr.*); eo scil. ostendunt quantopere sua interfuerit ut aegrotus Iesu sisteretur et quam magna teneantur fiducia et fide in Iesu potentiam et benignitatem; v. 20 *quorum fidem,* non solum portantium, sed aegroti quoque, qui eo

modo ad Iesum asportari voluit; atque aegroti quoque fidem necessario esse intelligendam, Christi quoque verbis patefit, *ut vidit dixit; homo,* apud Matth. et Marc. compellatur voce amore plena τέκνον; ridiculum est quod aliqui (*Weiss*) volunt Lucam evitasse τέκνον quippe quod inepte dici ad hominem ex peccaminosa vita aegrum ei visum sit. Ex traditione orali eiusmodi diversitas facillime explicatur; nullatenus autem ratio reddi potest, cur mutaverit significationem amoris in duriorem compellationem, si apud alios legerit τέκνον eum esse a Iesu compellatum; *remittuntur* (graece : *remissa sunt*) *tibi peccata tua;* illi nihil aliud efflagitarunt quam corporis sanitatem; cur itaque Iesus ita loquitur? aliqui respondent Iesum voluisse prius sanare animam quam corpus (*S. Cyr.*) vel propter nexum inter peccatum et morbum; hominis aegritudinem poenam fuisse et sequelam peccatorum (*S. Cyr. Bed. Theoph. Fil.*). Sed ea de re nihil indicatur. Ex ea quam novimus providentia divina Deus peccata non remittit nisi iis qui ea acta poenitentia retractant ac detestantur; neque est cur Iesum aliter egisse statuamus. Quare satius erit explicare ipsum aegrotum cum coram Iesu sanctissimo esset magno quodam dolore peccatorum esse correptum et suae vilitatis conscientia, simili modo quo sancti quoque visione coelesti donati sacro quodam suae indignitatis timore perfundi solebant (cf. Gen. 17,3. Is. 6,5. Dan. 7,15 etc.). Huic itaque intimo animi affectui respondet Iesus et quem sua gratia praepararat ad remissionem peccatorum accipiendam verbis illis a culpis absolvit.

Verbis autem illis Iesus non solum annuntiat peccata esse a Deo remissa (*Weiss*) neque dicit eo modo quo Nathan olim ad David : Dominus transtulit peccatum tuum (2 Reg. 12,13; id quod *Schegg* vult), verum sua auctoritate remittit peccata. Id elucet tum ex verbis ipsis, tum ex eo quod pharisaei ita verba Iesu acceperunt et Iesus ipse hanc acceptionem explicite pluribus in v. 22 et 24 statuit; v. 21 *et coeperunt cogitare scribae et pharisaei dicentes,* scil. apud se, in cordibus suis, uti patet ex v. 22; cf. 7,39; 16,3; 18,4; *quis est hic qui loquitur blasphemias? quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?* In quo iudicio iam apparet magna eorum malitia et in Iesum iniquitas atque odium inveteratum. Cum enim eo ipso tempore testes essent plurimorum miraculorum quae a Iesu patrabantur (v. 17), debebant concludere Iesum esse prophetam insignem a Deo tot signis approbatum, qui itaque blasphemias loqui nullo modo censeri possit. Insuper iis notum erat testimonium Ioannis baptistae de fortiore venturo, qui sit agnus Dei et tollat peccatum mundi. Quare non irasci, sed gaudere debebant Deoque laudes dicere verbis illis auditis. Erant igitur propter suam malitiam inexcusabiles.

Porro Iesus duplici modo iis probat se superna illa potestate esse praeditum, se ostendens cognitorem et scrutatorem cordium sanatione patrata verba sua confirmans; v. 22 *ut cognovit autem Iesus cogitationes eorum respondens* illis scil. cogitationibus *dixit ad illos : quid cogitatis in cordibus vestris?* reprehensio est; cf. Matth. 9,4 ut quid cogitatis *mala?* erat enim summae perversitatis Iesum tot signis a Deo commendatum accusare blasphemiae. Dum eorum cogitationes revelat, aliud iis exhibet suae dignitatis documentum quo colligere debebant eum in intimo cum Deo esse commercio et ab eo qui solus novit corda hominum edoceri; proinde eum minime esse posse blasphemum; dein altero signo eos convincit v. 23 *quid est facilius dicere : dimittuntur tibi peccata, an dicere : surge et ambula?* ita scil. ut dicentis auctoritas non periclitetur neque mendacii argui possit; nam dicere illud prius obscurae veritatis est quae credi debeat, cum videri non possit etiam tum quando vere dimittuntur. Alterum vero dicere : surge etc., palpabilem requirit probationem sequentis sanitatis; alioquin temeritatis ac mendacii confestim ex re ipsa arguetur. Non ergo Christus hic asserit aut probat sanationem corporalem esse difficiliorem remissione peccatorum, sed ex veritatis assertione de re visibili, ubi effectus mox adesse debet, probat sibi etiam esse credendum asserenti invisibilem remissionem (*Ipr.*). Neutrum homo ex se cum effectu dicere potest; utrumque pertinet ad Dei potestatem et ad eum cui Deus eam largitus sit.

Fit igitur carnale signum, ut probetur spiritale (*Beda*) v. 24 *ut autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata,* Filius hominis designatio est Messiae ex Dan. 7,13 (vide meum Comment. in Dan. p. 196 et ad Matth. 8,20 et Marc. 2,10) quam legis doctores intelligere poterant, praesertim cum praedicatione Ioannis baptistae et communi exspectatione iam scirent adesse tempus Messiae; Messiam autem delecturum esse peccata oraculis constabat prophetarum; *ait paralytico : tibi dico : surge, tolle lectum tuum et vade in domum tuam;* verba Iesu id efficiunt quod significant : v. 25 *et confestim surgens coram illis tulit lectum in quo iacebat et abiit in domum suam magnificans Deum;* nulla intercedente mora convaluit roburque et vigorem corporis momento recepit, ita ut lectum portare et abire posset. Deo laudem dicit; en pauper ille et indoctus Dei potentiam agnoscit et grato animo praedicat. Legis doctores vero et pharisaeos nihil meliores esse effectos, verum suum in Iesum odium fovisse et auxisse constat. Turbae vero exemplum imitantur paralytici v. 26 *et stupor apprehendit omnes et magnificabant Deum, et repleti sunt timore,* uti hominibus evenire solet qui testes sunt manifestationis extraordinariae

divinae potentiae et maiestatis; « ubi se exserit divina virtus, timorem parit admiratio timente sibi fragilitate humana a praesenti maiestatis Dei potentia » (*Luc.*); simili modo Israelitae timuerunt regem Salomonem videntes sapientiam Dei esse in eo ad faciendum iudicium (3 Reg. 3,28; *Iprr.*); *dicentes : quia vidimus mirabilia hodie* παράδοξα ea quae praeter opinionem et exspectationem eveniunt; ea voce Aquila et Symmachus quandoque exprimunt hebr. נִפְלָאוֹת Ps. 117,23; cf. Eccli. 43,25. Iudith 13,13. 2 Mach. 9,24. Vocem explicat *Suidas* θαυμαστόν, ἀπροσδόκητον, et Plinius : sunt maxime mirabilia quae maxime inexspectata, utique Graeci magis exprimunt παράδοξα (ep. 9,26; *Wetstein*). Ceterum vide Comment. ad Matth. 9,8.

e) Vocatio Matthaei 5,27-39.

5,27. Et post haec exiit, et vidit publicanum nomine Levi sedentem ad telonium, et ait illi : Sequere me. 28. Et relictis omnibus, surgens secutus est eum. 29. Et fecit ei convivium magnum Levi in domo sua; et erat turba multa publicanorum et aliorum, qui cum illis erant discumbentes. 30. Et murmurabant pharisaei et scribae eorum, dicentes ad discipulos eius : Quare cum publicanis et peccatoribus manducatis et bibitis? 31. Et respondens Iesus, dixit ad illos : Non egent qui sani sunt medico, sed qui male habent. 32. Non veni vocare iustos, sed peccatores ad poenitentiam. 33. At illi dixerunt ad eum : Quare discipuli Ioannis ieiunant frequenter, et obsecrationes faciunt, similiter et pharisaeorum : tui autem edunt et bibunt? 34. Quibus ipse ait : Numquid potestis filios sponsi, dum cum illis est sponsus, facere ieiunare? 35. Venient autem dies, quum ablatus fuerit ab illis sponsus; tunc ieiunabunt in illis diebus. 36. Dicebat autem et similitudinem ad illos : Quia nemo commissuram a novo vestimento immittit in vestimentum vetus : alioquin et novum rumpit, et veteri non convenit commissura a novo; 37. Et nemo mittit vinum novum in utres veteres : alioquin rumpet vinum novum utres, et ipsum effundetur, et utres peri-

5,27. Καὶ μετὰ ταῦτα ἐξῆλθεν καὶ ἐθεάσατο τελώνην, ὀνόματι Λευεὶν, καθήμενον ἐπὶ τὸ τελώνιον, καὶ εἶπεν αὐτῷ, Ἀκολούθει μοι. 28. καὶ καταλιπὼν πάντα, ἀναστὰς ἠκολούθει αὐτῷ. 29. Καὶ ἐποίησεν δοχὴν μεγάλην Λευεὶς αὐτῷ ἐν τῇ οἰκίᾳ αὐτοῦ· καὶ ἦν ὄχλος πολὺς τελωνῶν καὶ ἄλλων οἳ ἦσαν μετ' αὐτῶν κατακείμενοι. 30. καὶ ἐγόγγυζον οἱ Φαρισαῖοι καὶ οἱ γραμματεῖς αὐτῶν πρὸς τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ, λέγοντες, Διατί μετὰ τῶν τελωνῶν καὶ ἁμαρτωλῶν ἐσθίετε καὶ πίνετε; 31. καὶ ἀποκριθεὶς Ἰησοῦς εἶπεν πρὸς αὐτοὺς, Οὐ χρείαν ἔχουσιν οἱ ὑγιαίνοντες ἰατροῦ, ἀλλ' οἱ κακῶς ἔχοντες. 32. οὐκ ἐλήλυθα καλέσαι δικαίους, ἀλλὰ ἁμαρτωλοὺς εἰς μετάνοιαν. 33. Οἱ δὲ εἶπον πρὸς αὐτὸν, Οἱ μαθηταὶ Ἰωάνου νηστεύουσιν πυκνὰ, καὶ δεήσεις ποιοῦνται, ὁμοίως καὶ οἱ τῶν Φαρισαίων· οἱ δὲ σοὶ ἐσθίουσιν καὶ πίνουσιν; 34. ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν πρὸς αὐτοὺς, Μὴ δύνασθε τοὺς υἱοὺς τοῦ νυμφῶνος, ἐν ᾧ ὁ νυμφίος μετ' αὐτῶν ἐστὶν ποιῆσαι νηστεῦσαι; 35. ἐλεύσονται δὲ ἡμέραι, καὶ ὅταν ἀπαρθῇ ἀπ' αὐτῶν ὁ νυμφίος, τότε νηστεύσουσιν ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις. 36. ἔλεγεν δὲ καὶ παραβολὴν πρὸς αὐτούς, ὅτι οὐδεὶς ἐπίβλημα ἀπὸ ἱματίου καινοῦ σχίσας ἐπιβάλλει ἐπὶ ἱμάτιον παλαιόν· εἰ δὲ μήγε, καὶ τὸ καινὸν σχίσει, καὶ τῷ παλαιῷ οὐ συμφωνήσει τὸ ἐπίβλημα τὸ ἀπὸ τοῦ καινοῦ. 37. καὶ οὐδεὶς βάλλει οἶνον νέον εἰς ἀσκοὺς παλαιούς. εἰ δὲ μήγε, ῥήξει ὁ οἶνος ὁ νέος τοὺς ἀσκούς,

bunt. 38. Sed vinum novum in utres novos mittendum est, et utraque conservantur. 39. Et nemo bibens vetus, statim vult novum; dicit enim : Vetus melius est.

καὶ αὐτὸς ἐκχυθήσεται, καὶ οἱ ἀσκοὶ ἀπολοῦνται· 38. ἀλλὰ οἶνον νέον εἰς ἀσκοὺς καινοὺς βλητέον [καὶ ἀμφότεροι συντηροῦνται]. 39. Οὐδεὶς πιὼν παλαιὸν θέλει νέον· λέγει γὰρ, Ὁ παλαιὸς χρηστός ἐστιν.

In v. 27 D και παραγων ειδεν λευει τον του αλφαιου, e Marco. In v. 28 ηκολουθει B D L Z; rell ηκολουθησεν. In v. 30 Amb manducat et bibit; item a b c d e f ff² l q; aeth add magister vester. In v. 32 codd vulg *in* poenitentiam; *ad* wil. In v. 33 non legitur ὁια τι in ℵ* B L Z Ti W H. In v. 34 μη δυνανται οι υιοι ℵ* D; possunt filii ieiunare ger car (facere ieiunium) a b c e ff² aeth; D εφ οσον εχουσιν τ. ν. μεθ εαυτων, ex locis parall. In v. 36 απο ιματιου κ. σχισας ℵ B D L Z aliq minusc Ti W H; σχισει, συμφωνησει ℵ B C D L X mu minusc; dub rumpet. In v. 38 βλητεον absque additam ℵ B L aliq minusc cop. Non legitur v. 39 in D a b c e ff²* l r, nec Euseb legisse videtur; χρηστος ℵ B L 157 225 cop syr (sch); al χρηστοτερος; q suavior; ευθυς non habetur in ℵ B C* L pl minusc cop arm aeth (sin deest).

Consideratione dignum est scribas et pharisaeos accusationem blasphemiae proferre in Iesum ea ipsa occasione qua revera maxime se ostendat Messiam quippe qui ex oraculis prophetarum ablaturus sit peccata et iustificaturus multos (Is. 53,11). Tam parum illi indolem messianam intelligere volebant neque enim signis manifestissimis a Iesu editis ad meliorem frugem conversi sunt. Id sequentibus quoque probatur. Iesus autem hoc suum munus sanandi peccatores etiam insigniore modo coram omnibus patefacit, dum unum ex eis qui tamquam peccatores illis erant abominationi suum facit discipulum et comitem et palam re et verbis declarat se venisse ad peccatores salvandos. Gentiles qui peccatores a Iudaeis appellari solebant hac Iesu agendi sentiendique ratione singulariter esse delectatos nemo negabit; pariter plurimum doctrinae continetur pro Iudaeis; quare apud tres synopticos eadem cernitur narrationum series (Matth. 9,9. Marc. 2,14); v. 27 *et post haec exiit* scil. ex Capharnaum et ex domo Petri, ubi paralyticum sanaverat (uti habetur ex Matth. 9,1 et Marc. 2,1 seq.) et exiit ad mare (Marc. 2,13); ibique multam ad eum venisse turbam quam docebat pariter a Marco docemur. Quare publicanum palam coram multis esse a Iesu vocatum apparet; *et vidit publicanum nomine Levi sedentem ad telonium;* erat Capharnaum emporium haud spernendum terra marique i. e. lacu Tiberiadis vel mari Galilaeae. Levi telonium ad lacum habuit, ut portorium mercium exigeret. Cum publicani et portitores in suum quisque lucrum essent intenti adeoque homines haud parum vexarent ad tributa solvenda, eiusmodi hominum genus erat exosum. Marcus et Lucas nomen Levi solum commemorant, Matthaeus vero suo se nomine quo postmodum apud omnes innotuit signat. Illos de Levi fecisse mentionem, ut honori evangelistae vel parcerent vel consulerent multi

putant (cf. *Bed. Bon. Theoph. Alb. Luc. Ipr. Lamy*), sed rectius iam *Ians.* censet verisimilius eum Levi appellatum esse antequam exsisteret apostolus; unde Marcus et Lucas eum eo quo tum vocabatur nomine designasse censendi erunt. Esse autem Levi eundem qui vocatur Matthaeus, vide in Comment. Matth. p. 1 neque obstare quae dicit Origenes c. Cels. 1,62, vide in Comment. Marc. p. 76, et cf. *Cornely,* Introd. III p. 15 seq.

Iesus hunc portitorem quem alii ne aspicere quidem dignabantur, considerate et cum aliqua mora aspexit ἐθεάσατο (aliquid spectare, cum admiratione, attentione etc.), quo iam vultu et aspectu attentionem aliorum provocabat et profecto cum magna multorum admiratione *ait illi : sequere me!* v. 28 *et relictis omnibus surgens secutus est eum;* en quantae sit efficaciae vocatio Christi; quam primum vocem eius audit, animo iam omnibus renuntiat omniaque relinquit firmo fixoque consilio et proposito et quod animo conceperat extemplo opere exsequi coepit; surgit statim a telonio et *secutus est eum* ἠκολούθει forma verbi iam indicatur eum secutum esse constanter : sequebatur eum, factum esse comitem ac discipulum (*Schanz*). Putat *Weiss* inepte dici καταλιπὼν πάντα ante ἀναστάς; sed ipse potius inepte obiicit; nam profecto debuit Levi animo iam omnibus renuntiasse cum surgeret et Iesu se comitem perpetuum adiungeret. Animi enim consilium et propositum praecedat necesse est; insuper recte monet *Schanz* Lucam prae aliis efferre alias quoque quam sit necesse renuntiare bonis terrestribus. « Propria dereliquit qui rapiebat aliena ac vile illud sedile destituens toto post Dominum vestigio mentis incedit » (*S. Ambr.*).

Ad testandam laetitiam accepti beneficii et ad honorem Iesu impertiendum v. 29 *fecit ei convivium magnum Levi in domo sua* et Dominus libenter ingreditur (*S. Ambr. Bed.*); tria in sententia notari advertit *Alb.* studium praeparationis, iucunditatem epulationis, liberalitatem ministrationis; *et erat turba multa publicanorum et aliorum qui cum illis erant discumbentes,* « invitaverat enim illos Matthaeus, ut sicut fuerant socii in culpa sic et essent in poenitentia » (*S. Bon.*) et praeterea illi quoque alliciebantur cum viderent Iesum doctorem adeo eximium ac celebratum non dedignari familiariter agere cum uno ex suo ordine. Honor uni praestitus a Iesu aestimabatur quasi omnibus datus. In ipsa urbe complures fuisse publicanos ipso commercio sat magno efficitur. Pharisaei et scribae animis in Iesum infestis iam insidiose in eius agendi modum inquirunt. Uti Marc. 2,16 dicitur, viderunt Iesum manducantem cum publicanis, et quod Iesus facit, eius quoque discipuli facere non dubitant; v. 30 *et murmurabant pharisaei et scribae eorum,* qui a partibus pharisaeorum erant eorumque comites,

dicentes ad discipulos eius, insidiose quoque petunt discipulos quibus facile demonstrari posse rem illam minime decere sperabant, ut eos ad incitas redigerent et a Iesu averterent, *quare cum publicanis et peccatoribus manducabitis et bibitis?* cum discipulos arguant ac reprehendant, non eos solum verum eorum magistrum potissimum aggrediuntur (cf. *S. Aug.* de cons. evang. 2,27. 61); unde apud alios dicunt : quare manducat... magister vester! Atque Iesum praeprimis peti ex eorum mente, apparet quoque ex narratione; Iesus enim ita respondet ut de sua solum actione rationem reddat.

Quid reponerent discipuli probabiliter non habebant, neque fuissent idonei qui cum scribis disputarent eorumque argumenta speciosa dissolverent. Scit Iesus se peti, v. 31 *et respondens Iesus dixit ad illos : non egent qui sani sunt medico sed qui male habent;* quam absurdum est medico exprobrare quod cum aegrotis versetur? nonne omni esset vituperatione dignus si aegrotos adire recusaret? nonne laudandus, si ipse sedulo inquirit qui sua indigeant ope? En, brevissime simul et efficacissime destruit Iesus speciosam eorum argumentationem. Cum enim eius praecursor Ioannes praedicaverit : agite poenitentiam, et ipse ab eadem poenitentia initium ceperit praedicationis regni Dei, manifestum esse debuit non aliis quam peccatoribus maxime eam annuntiationem esse intimandam. Quare pharisaei, nisi ipsam hanc de morum emendatione concionem vellent improbare, debebant commercium Iesu cum peccatoribus laudare. Iesus itaque eos convenit, eos exquirit, familiariter cum iis agit; in convivio eos alloquitur et animos eorum pulsat quos synagogas vitare scit. Dum *medicum* se dicit, haud obscure ad se applicat locos illos quibus Deus describitur sanans populum; cf. Ps. 146,3 qui sanat contritos corde; Is. 19,22 Dominus sanabit Aegyptum et 57,19 et Os. 11,3; insuper iam apud prophetam Messias annuntiat se esse missum ut mederetur contritis corde (Is. 61,1). Amplam piae meditationis et consolationis materiam hac designatione Messiae praeberi nemo non videt et cum totum genus humanum iam a primo parente sit aegritudine infectum, haec appellatio aptissime quoque inditur reparatori illius damni ab Adam illati. Quare simul patet in hoc rerum ordine neminem posse dici omni ex parte sanum qui medico non opus habeat. Unde non est quaerendum in applicatione locutionis proverbialis quinam sint sani quos medico non egere dicat Christus.

Cum universum genus humanum aegrotet et ad unum omnes medico et salvatore quam maxime opus habeant, etiam intelligitur quo sensu dicatur v. 32 *non veni vocare iustos, sed peccatores ad poenitentiam;* inter se correspondent ὑγιαίνοντες et δίκαιοι, κακῶς ἔχοντες et ἁμαρτωλοί; unde sicut nemo hominum ita sanus est ut medico Iesu carere possit,

eodem modo nemo iustus est; quare merito dicit Iesus : non veni vocare iustos. Cum itaque sit eius muneris et missionis ratio ut peccatores vocet ad poenitentiam, ad vitae emendationem, necesse est ut cum eis conversetur, sedulo eos inquirat ibique moretur ubi eos alloquendi opportunitas offertur. Sunt qui explicent : non veni vocare eos qui se iustos esse iactent (cf. *S. Ambr. Bed. Bon. Theoph. Alb. Ipr.*), vel dici iustos cum ironia et designari scribas et pharisaeos. At durum esset eos excludi; insuper Iesus eos quoque toties vocat quoties reprehendit eos et redarguit et coram iis miracula patrat. Neque opus est dicere cum *Lap.* non vocari iustos quippe qui iam sint prope Christum; vocari enim solum qui procul absint; id quod subtilius excogitatum est neque ad v. 31 congruit. Ex eodem v. 31 quoque patet non esse explicandum cum *Tol. :* veni vocare non tam iustos quam peccatores. Quamvis sententia negativa quandoque si cum positiva collocetur, non in universum neget, sed vim potiorem in altera contineri significet (scil. non tam-quam), hoc tamen loco neque ulla est eius acceptionis necessitas neque veritas. Ceterum vide in Comment. Marc. p. 79.

Prima itaque cavillatio iis male cessit. Nisi enim absurde dicere vellent peccatores non esse reducendos ad resipiscentiam, modum agendi Iesu debebant approbare. Verum, uti homines eiusmodi solent, quasi nihil esset effectum statim ad alteram accusationem sermonem transferunt, ut nova accusatione prior responsio oblivioni detur vel saltem offuscetur v. 33 *at illi dixerunt ad eum* οἱ δέ i. e. pharisaei et scribae v. 30 quibus Iesus responderat; id bene congruere cum Marc. 2,18 vide in Comment. Marc. p. 81; de Matth. 9,14 vide ibidem p. 82 et in Comment. Matth. I p. 355; (*quare*) *discipuli Ioannis ieiunant frequenter et obsecrationes faciunt, similiter et pharisaeorum; tui autem edunt et bibunt;* lectio sine *quare*, assertio magis prae se fert accusationem quam in Iesum facere cupiunt. Vitae austeritas semper habet admirationem turbarum et famam conciliat sanctitatis. Et cum Ioannes baptista apud omnes auctoritate plurimum valeret, etiam ieiuniis discipulorum eius magna apud omnes accedebat aestimatio et reverentia. Commemorata eorum austeritate etiam discipulis pharisaeorum et ipsis pharisaeis addunt laudem et commendationem; callide itaque sibi ipsis coram convivis encomia tribuunt. Et illis ieiunantibus et assidue precantibus opponunt discipulos Iesu edentes et bibentes! Sane astute verba seligunt, ut Christo coram convivis detrahant.

Iesus autem ita respondet ut telum in se iactum statim reddatur innocuum etiam in eorum opinione qui vitae austeritatem maximi faciunt; affert scil. rationem, cur quamvis modo non ieiunent postea omnino sint ieiunaturi; v. 34 *quibus ipse ait : numquid potestis filios sponsi*

νυμφῶνος filios thalami, בני חופה erant amici et sodales sponsi, qui praeparabant quae ad nuptias celebrandas requirebantur et qui iis in festis comites erant sponsi et sua hilaritate gaudium sponsi augebant (cf. ad Matth. 9,15), *dum cum illis est sponsus*, dum festa illa nuptiarum aguntur, *facere ieiunare?* Vocaverat Ioannes baptista Iesum sponsum (Ioan. 3,29) eaque voce eum declaravit Messiam qui venerit ut acquireret sibi sponsam, Ecclesiam. Sicut enim populus Dei veteris foederis tamquam sponsa Domini apud prophetas celebratur (cf. Is. 50,1. Ier. 2,1. Ez. 16,8. Os. 2,2. 7 etc.), ita instauratio quoque messiana tamquam sacrum quoddam connubium describitur; cf. Os. 2,19. Is. 61,10 et ipse Messias ut sponsus proponitur in Ps. 44 (vide ad Matth. 9,15 et Marc. 2,19). Cum itaque ille praesens sit quem Abraham et tot reges et prophetae tanto expetebant desiderio (Matth. 13,17. Ioan. 8,56), nonne discipulis qui eius fruuntur consortio quam maxime gaudendum et exsultandum est? et quis posset ab illis exigere, ut in tanto gaudio animas affligant i. e. ieiunent (cf. Lev. 16,31; 23,27. Num. 29,7)? « Quod autem Lucas ait : numquid potestis facere ieiunare, eleganter intimavit eosdem ipsos qui loquebantur fuisse facturos, ut lugentes ieiunarent filii sponsi, quoniam ipsi essent sponsum occisuri » (*Beda*).

Ne itaque discipulis gaudium invideant quo nunc praesentia sponsi delectantur! Insuper nullum est periculum ne molliori vitae generi assuescant; e contra, aspera eos manet vita et dolore et labore referta v. 35 *venient autem dies cum ablatus fuerit ab illis sponsus, tunc ieiunabunt in illis diebus;* nota quanta emphasi id fore dicat : venient dies et cum ablatus fuerit tunc, in illis diebus; prima quoque vice suam mortem praedicit violentam verbis fere iisdem quibus eam propheta praedixit Is. 53,8. Alias ieiunium suis commendat (Matth. 6,17; 17,20. Marc. 9,28), hic sublimem eius rationem indicat : mortem Christi violentam, desiderium consortii eius, dolorem quod ab eius praesentia absint (vide Comment. Matth. I p. 351 et Marc. p. 83). Vult itaque Christus ut sui quandoque ieiunent; cur enim diceret id fore nisi id fieri vellet? Recte itaque Ecclesia certa quaedam praescripsit ieiunia.

Qui Iesum interpellabant v. 18, ipsa sua interpellatione ostendunt se tempus novum messianum metiri secundum normam veteris foederis. Hunc errorem Iesus iam destruit. Nam apud prophetas foedus messianum annuntiatur tamquam foedus novum (Ier. 31,31); quare ex hac ipsa novitate iam consequitur tempora et instituta esse diversa neque veteres observantias, ritus, caerimonias posse congruere foederi novo. Id declaratur similitudine v. 36 *dicebat autem et similitudinem ad illos* παραβολήν; cum Iesus vero aliquo sensu in ordine plane alio et supernaturali sit et vocetur sponsus, sermo qui antecedit non est omni

ex parte a mera similitudine petitus. Sed sermo qui sequitur totus proficiscitur a similitudine et comparatione, ut ea collatione rei facta doctrina proponatur; quare merito monet evangelista παραβολήν nunc a Domino dici; *quia nemo commissuram* ἐπίβλημα assumentum *a novo vestimento immittit in vestimentum vetus*, i. e. in vita communi ordo et distinctio et discrimen servatur inter nova et vetera; eius discriminis negligentia affert damnum; *alioquin et novum rumpit* σχίσει scindet novum, quia ex eo pannum sumit quem veteri assuit *et veteri non convenit commissura a novo* vestimento abscissa. Quo exemplo in universum demonstratur distinctionem inter vetus et novum esse servandam; singulari autem ratione permixtionem esse perniciosam. Lucas eam similitudinem ita exhibet ab aliis synopticis diversam, ut assumentum dicat abscindi a veste nova; unde et vestis nova discinditur et vetus male et modo incongruo resarcitur. Fortasse ob oculos habuit peculiari ratione eas perstringere sectas quae more iudaizantium observantiis legalibus retentis aliquid doctrinae christianae amplectebantur; quorum iudaizantium conatus et tentamina S. Paulus acriter persequitur in epistola ad Galatas et alibi.

Vetus foedus arctis continetur limitibus; erat conclusum cum uno populo isque variis statutis coarctabatur, ut a reliquis gentibus separaretur. Sed foedus novum, uti a prophetis erat delineatum, debet esse universale, destinatur omnibus; quare patet hoc foedus minime posse illa forma vetere constitui; v. 37 *et nemo mittit vinum novum in utres veteres; alioquin rumpet vinum novum utres et ipsum effundetur et utres peribunt;* v. 38 *sed vinum novum in utres novos mittendum est et utraque conservantur;* simili modo ait apostolus : si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit; evacuati estis a Christo qui in lege iustificamini, a gratia excidistis (Gal. 5,1. 4). « Quod ab iis qui legalis vitae generi adhaerent admitti nequeant Christi constituta τὰ διὰ Χριστοῦ θεσπίσματα, neque cordibus capi hominum qui nondum a Spiritu sancto renovationem sint nacti, demonstrat Dominus dicens veteres utres non posse capere vinum novum; senuerat iam foedus primum; ergo qui huic adhaeret et antiquatum praeceptum mente adhuc tenet, Christi novitatem non potest percipere » (*S. Cyr.*). Sat multi explicant Iesu discipulos designari vestimento vetere et veteribus utribus, quibus itaque utpote imperfectis et debilibus ieiuniorum onera non sint imponenda (*Bed. Bon. Theoph. Cai. Tol. Luc. Ipr.;* alios enumeravi ad Matth. 9,17). Sed cur eis ieiunia non iniungat, Iesus rationem reddit in v. 34; quo iure quaeramus aliam? et si discipuli Ioannis et pharisaeorum ieiunabant, quis dicere poterit Iesu discipulos futuros fuisse adeo parum firmos, ut si ieiunium ab iis exigeretur a Iesu de-

fecturi essent? nonne aliqui antea erant discipuli Ioannis? ceterum vide Comment. Matth. I p. 353.

Dein alia comparatione describit conditionem mentis eorum qui non intelligunt novo foedere novam quoque normam requiri et formam. v. 39 *et nemo bibens vetus* (*statim*) *vult novum; dicit enim: vetus melius est*, vel bonum est (cf. lect. var.); id quod magis congruit, cum novum vinum non gustaverit adeoque comparationem nequit instituere, sed solum enuntiat se vetere plane esse contentum cum sit bonum neque aliud quidquam desiderare. Quo proverbiali modo loquendi ii designantur qui ita suis observantiis et traditionibus inhaerent ut quam maxime in iis sibi complaceant et in iis summam bonorum quasi contineri arbitrentur. Ita scil. pharisaei variis suis traditionibus insistebant aliosque qui eas negligerent aspernabantur (cf. Matth. 23,23 seq. Marc. 7,1 seq. Luc. 18,12). Verum praepostero hoc amore etiam factum est, ut sibi ipsi sufficientes et suam iustitiam statuere volentes (Rom. 10,3) Christi doctrinam non susciperent eumque odio persequerentur quoniam traditiones hominum non observabat. Censent aliqui hac locutione proverbiali quasi ratione quadam excusari pharisaeos cur adeo suis usibus dediti omnem aversentur mutationem (cf. *Schanz, Fil. Weiss*). At id necessario non sequitur. Exemplo solum declaratur Iudaeis vitae veteris saliva imbutis novae gratiae praecepta sordescere (*Beda*) eosque propter consuetudinem vetustati legis assuetos non ferre nec desiderare evangelii novitatem (*Euth. Theoph.*). Neque obstat vinum vetus esse revera bonum, immo melius vino recenti. Perperam quis diceret institutionem veterem non posse conferri vino veteri adeoque meliori et foedus novum vino recentiori ideoque deteriori. Nam adverti debet ad quid exemplum allatum afferatur. Affertur enim solummodo, ut quae sit vis consuetudinis inveteratae demonstretur et ut describantur ii qui omnem mutationem et novitatem abhorreant et arbitrentur veterem theocratiae formam debere perpetuo retineri eo quod sibi in ea maxime complaceant. Immerito itaque diceres vetus foedus *comparari* vino meliori, deteriori novum.

Etiam hic discipulos Iesu designari aliqui putant; ita *S. Bon.*, discipulos non esse ad ieiunium arctandos propter dissuetudinem affectionis; esse discipulos aliis assuetos, non ieiuniis frequentibus (*Luc.*); discipulos assuetos veteri legi non gustare adhuc suavitatem novae legis (*Ians. Cai.*); voluisse Dominum significare homines non subito ad austeriorem vitam pertrahendos, sed per gradus quosdam assuefaciendos (*Lamy*). Sed adverti debet pro explicatione illud εὐθύς *statim* critice esse valde dubium. Modo singulari v. 39 explanat *Schegg*: vinum vetus esse commercium discipulorum cum Christo dulce ac suave; vinum recens ieiunia aliaque subsidia et remedia

contra tentationes et pericula; solum si quando defecerit vinum vetus bibi recens; eodemque modo quando Christus ablatus sit fore ut discipuli remediis ieiuniorum utantur. Et ipse fatetur se solum et unum ex omnibus interpretibus hanc afferre explicationem quam vocat acceptionem profundiorem similitudinis a Iesu dictae.

f) Cavillationes pharisaeorum 6,1-11.

6,1. Factum est autem in sabbato secundo primo quum transiret per sata, vellebant discipuli eius spicas, et manducabant confricantes manibus. 2. Quidam autem pharisaeorum dicebant illis: Quid facitis quod non licet in sabbatis? 3. Et respondens Iesus ad eos, dixit: Nec hoc legistis quod fecit David, quum esurisset ipse, et qui cum illo erant? 4. Quomodo intravit in domum Dei, et panes propositionis sumpsit, et manducavit et dedit his qui cum ipso erant: quos non licet manducare nisi tantum sacerdotibus? 5. Et dicebat illis: Quia dominus est Filius hominis, etiam sabbati.

6. Factum est autem et in alio sabbato, ut intraret in synagogam, et doceret. Et erat ibi homo, et manus eius dextra erat arida, 7. Observabant autem scribae et pharisaei si in sabbato curaret, ut invenirent unde accusarent eum. 8. Ipse vero sciebat cogitationes eorum: et ait homini qui habebat manum aridam: Surge, et sta in medium. Et surgens stetit. 9. Ait autem ad illos Iesus: Interrogo vos, si licet sabbatis benefacere, an male? animam salvam facere, an perdere? 10. Et circumspectis omnibus dixit homini: Extende manum tuam. Et extendit, et restituta est manus eius. 11. Ipsi autem repleti sunt insipientia, et colloquebantur ad invicem, quidnam facerent Iesu.

6,1. Ἐγένετο δὲ ἐν σαββάτῳ (δευτεροπρώτῳ) διαπορεύεσθαι αὐτὸν διὰ σπορίμων· καὶ ἔτιλλον οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ καὶ ἤσθιον τοὺς στάχυας, ψώχοντες ταῖς χερσίν. 2. τινὲς δὲ τῶν Φαρισαίων εἶπον, Τί ποιεῖτε ὃ οὐκ ἔξεστιν τοῖς σάββασιν; 3. καὶ ἀποκριθεὶς πρὸς αὐτοὺς εἶπεν Ἰησοῦς, Οὐδὲ τοῦτο ἀνέγνωτε, ὃ ἐποίησεν Δαυεὶδ, ὅτε ἐπείνασεν αὐτὸς καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ; 4. (ὡς) εἰσῆλθεν εἰς τὸν οἶκον τοῦ Θεοῦ, καὶ τοὺς ἄρτους τῆς προθέσεως λαβὼν ἔφαγεν καὶ ἔδωκεν τοῖς μετ' αὐτοῦ, οὓς οὐκ ἔξεστιν φαγεῖν εἰ μὴ μόνους τοὺς ἱερεῖς; 5. καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς, Κύριός ἐστιν τοῦ σαββάτου ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου.

6. Ἐγένετο δὲ ἐν ἑτέρῳ σαββάτῳ εἰσελθεῖν αὐτὸν εἰς τὴν συναγωγὴν καὶ διδάσκειν· καὶ ἦν ἄνθρωπος ἐκεῖ καὶ ἡ χεὶρ αὐτοῦ ἡ δεξιὰ ἦν ξηρά. 7. παρετηροῦντο δὲ αὐτὸν οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ Φαρισαῖοι, εἰ ἐν τῷ σαββάτῳ θεραπεύσει· ἵνα εὕρωσιν κατηγορεῖν αὐτοῦ. 8. αὐτὸς δὲ ᾔδει τοὺς διαλογισμοὺς αὐτῶν, εἶπεν δὲ τῷ ἀνδρὶ τῷ ξηρὰν ἔχοντι τὴν χεῖρα, Ἔγειρε καὶ στῆθι εἰς τὸ μέσον. καὶ ἀναστὰς ἔστη. 9. εἶπεν δὲ Ἰησοῦς πρὸς αὐτούς, Ἐπερωτῶ ὑμᾶς, εἰ ἔξεστιν τῷ σαββάτῳ ἀγαθοποιῆσαι ἢ κακοποιῆσαι, ψυχὴν σῶσαι ἢ ἀπολέσαι; 10. καὶ περιβλεψάμενος πάντας αὐτοὺς, εἶπεν αὐτῷ Ἔκτεινον τὴν χεῖρά σου. ὁ δὲ ἐποίησεν καὶ ἀποκατεστάθη ἡ χεὶρ αὐτοῦ· 11. αὐτοὶ δὲ ἐπλήσθησαν ἀνοίας· καὶ διελάλουν πρὸς ἀλλήλους, τί ἂν ποιήσαιεν τῷ Ἰησοῦ.

In v. 1 om δευτεροπρωτω in ℵ B L pl minusc b c e l q r cop syr (sch, hr) aeth pers; W H ponunt in margine; vocem habent codd al longe pler (δευτερω πρωτω R Γ) vulg go arm Caesar Epiph Chron Isid Amb a f* (secundo a primo) ff² g² Ti; D οι δε μαθ αυτου ηρξαντο τιλλειν; vellebant *esurientes* fuld. In v. 2 D ειδε τι ποιουσιν οι μαθ. σου etc. (ex Marc 2,24); plér codd add ποιειν q cop syr (sch, hr) go aeth. In v. 4 non habent ως B D Epiph; λαβων B C* L X; al ελαβε και; add gat ex Matth 12,5 aut non legistis

in lege etc; D d add eodem die videns quendam operantem sabbato et dixit illi : homo si quidem scis quod facis beatus es; si autem nescis maledictus et trabaricator legis. In v. 7 ut invenirent accusare illum am fuld ger for med ken dub ept lind. In v. 9 codd sat mu υμας τι, syr (sch) ev hier tat; codd mu αποκτειναι; add D Λ al 20 οι δε εστιωπων; fuld at illi tacebant, similiter arr (e Marc 3,4). Pariter e Marc. 3,5 add εν οργη in v. 10 D Χ Λ pl minusc, it pl in ira; c iratus; syr (hr); add (χειρ αυτου) υγιης E M S V Γ Λ al pl, sanitati fuld; ως η αλλη A E K M Q S U V X Γ Δ Λ Π al pler go syr (utr, hr) arm aeth; D ως και η αλλη; sicut alia ger b; sicut et altera f q r fuld ken; et facta est sicut altera c. In v. 11 D πως απολεσωσιν αυτον (e locis parallelis); facerent *de* Iesu dub ept (marg) fuld ger per ken steph sixt b c ff² l q r (sin deest).

Duobus aliis exemplis malitia pharisaeorum et insidiae quibus Iesum petunt describuntur. Hisce simul declaratur scribas et pharisaeos, duces ac doctores populi, ineptos esse ad regnum messianum neque Iesu doctrina et modo agendi ad meliorem reduci frugem. Unde pariter efficitur, ut Iesus alios populo constituat duces et pastores (6,12 seq.); v. 1 *factum est autem in sabbato secundo primo, cum transiret per sata, vellebant discipuli eius spicas et manducabant confricantes manibus;* cf. Matth. 12,1 et Marc. 2,23. Quamvis plane incertum sit quid sabbatum δευτεροπρωτον significet (de quo postea), tamen tempus designari post pascha extra controversiam est. Nam ante pascha spicae non ita maturuerunt ut manducari possent; insuper lege prohibitum erat ne quid ex messe nova comederetur antequam secundo die festi azymorum, i. e. die 16 nisan, manipulus spicarum, primitiae messis, offerretur coram Domino (Lev. 23,10 seq.). Et cum praeterea pharisaei solam sabbati legem obiiciant, manifestum est illam comestionem excepto sabbato ab iis ipsis fuisse reputatam licitam. Discipulos ad famem sedandam spicas manibus contritas comedisse, patet tum re ipsa (cf. Matth. 12,1) tum exemplo David esurientis quod Iesus v. 3 adducit. Vellere spicas ex alieno agro lege permittebatur (Deut. 23,24). « Quod autem spicas segetum manibus confricant et inediam consolantur, vitae austerioris indicium est non praeparatas epulas sed cibos simplices quaerentium » (*Bed.* similiter *Alb.*). Quo exemplo satis elucet, etsi Iesus discipulos non adstringebat ieiuniis, eos tamen minime exemptos fuisse a vitae austeritate et paupertate. Quare putat *Tol.* hanc narrationem praecedenti consulto adiungi ne quis opinionem conciperet illos escis abundare. Quam pauperem vitam Iesus egerit pariter inde illustratur.

Solum hoc loco legitur sabbatum δευτεροπρωτον. De tali sabbato et nomine nullum exstat vestigium. Quare putarunt aliqui ipsam hanc vocem esse errore quodam scribarum ortam; id quod confirmari censent eo quod revera in compluribus testibus desit (vide lect. var.). Errorem autem ita suadent : cum sequatur mox in v. 6 ἐν ἑτέρῳ

σαϐϐ., adscriptum esse ad v. 1 ἐν σαϐ. πρώτῳ, verum hoc mox ab alio esse correctum qui adverterit iam 4,31 seq. esse narrationem de sabbato et proin 6,1 esse sabbatum secundum de quo apud Lucam fiat mentio; unde additum esse δευτέρῳ et ita demum ortam esse lectionem hanc; cf. in RΓ δευτερω πρωτω. Sed satis mirum esset errorem talem vel emendationem male subtilem immigrasse in tot codices et adeo constanter etiam afferri a Patribus. Mirum quidem etiam est a Luca qui scribat gentilibus talem adhiberi vocem sine ulla explicatione neque ullum posse reperiri vestigium talis designationis alicuius festi vel sabbati. Quare aliqui critici vocem delent (Wilke, Bleek, Holtzmann, Volkmar, Meyer, Weiss, Tregelles) alii eam in margine ponunt vel parenthesi includunt (Lachmann, Alford, W H). Contra quod alii urgent facile explicari cur vox obscura omissa sit apud aliquos testes; nequaquam autem rationem posse afferri, cur apud tot testes reperiatur, nisi ab origine fuisset in textu.

Uti haec lis videtur componi non posse, ita pariter quae sit vocis notio plane incertum est et ipsa explicationum copia nos inopes esse demonstrat. Si vocem ipsam spectas, comparatione aliarum adhibita (δευτερογάμος, δευτεροϐόλος, δευτεροτόκος etc.) explicare poteris sabbatum quod secunda vice primum est; simili modo decimas quas levitae dederunt sacerdotibus ex decimis a populo acceptis δευτερεδεκάτη dici S. Hieronymus ait (ad Ez. 45,13; *M.* 25,450) vel sicut δευτερέσγατος est penultimus, ita δευτερόπρωτος secundus est e duobus primis. Sed si ulterius quaeris quale sabbatum ita sit appellatum, et apud veteres et apud recentiores maxima est opinionum varietas. Et Caesarius quidem ita dici putat festum diem μετὰ τὸ κύριον σάϐϐατον, Epiphanius haer. 30,32 sabbatum post festum azymorum (*M.* 41,468); aliter haer. 51,31 loco sat obscuro, quo sabbatum illud octavam paschatis (vel pentecosten? cf. *M.* 41,944 nota 53) appellare videtur. S. Chrysostomus explicat : ὅταν διπλῆ ἡ ἀργία scil. et sabbati et alterius festi succedentis (hom. 39 al. 40 in Matth. 12,1; *M.* 57,433); ad quod Tischendorf recitat scholion : ὅταν μετὰ τὴν τοῦ σαϐϐάτου ἀργίαν ἑτέρα διαδέξεται ἑορτή. In Chronico paschali ita dici scribitur vel diem 15 nisan quae in sabbatum inciderit vel illum diem a quo quinquaginta dies usque ad pentecosten numerari coepti sint (p. 212, *M.* 92,517). Isidorus pelusiota intelligit primum diem azymorum[1], diem pariter 15, qui dies scil. sit *secundus* paschatis (cum die 14 agnus paschalis, pascha, immolaretur) et *primus* azymorum (ep. 3,110; *M.* 78,816). Theophylactus censet eo nomine vocatum esse sabbatum, diem 7 hebdomadis, si festum paschatis incidisset in feriam sextam, Euthymius vero exponit sicut Isidorus. S. Ambrosius vocem explicat mystice; item Beda; S. Bonaventura primo explanat sabbato secundo a primo i. e. immediate sequente sabbatum praecedens, de quo habitum est supra (4,32), cum curavit daemoniacum, vel in sabbato bis primo, propter duplicem sollemnitatem concurrentem. Albertus eo nomine vocari censet ultimum i. e. octavum diem festorum paschatis, pentecostes, scenopegiae; quam sententiam Caietanus quoque adoptat. Demum conferri etiam potest Eustath. vit. Eutych. n. 95 dominicam primam post pascha appellare δευτεροπρώτην κυριακήν.

Iam si aliorum interpretum opinationes lustramus, etiam maior nobis offertur varietas. Aliqui, uti Ians. Luc. accipiunt de sabbato bis primo vel sollemni ob duplicem festivitatem; alii, ut Mald. ita vocari festum pentecostes, vel ut Lap. sabbatum quod inciderit in festum pentecostes aut infra hebdomadam pentecostes. Alii secundum sabbatum mensis primi (nisan) ita vocari coniectabant; alii duplicem anni iudaici inchoationem statuentes primum sabbatum mensis tischri esse appellatum πρῶτον, sed primum sabbatum mensis nisan δευτερόπρωτον; quae sententia iam eo refutatur quia

1. Cui calculum adiicit Baronius ad an. 32 n. 2.

tum ante pascha spicas comedissent. Ex eo quod apud Clementem alex. in praedicatione Petri dicitur : nisi luna apparuerit, sabbatum non celebrant τὸ λεγόμενον πρῶτον (Strom. 6,5; *M.* 9,261), pro ea sententia nihil colligi potest, etsi contenderis inde patere Iudaeos primum anni sabbatum peculiari modo honorasse. Sabbatum primum mensis secundi aliis placuit (cf. Wetstein, Grimm, Caspari, Sp.). Sed apud longe plures sententia ea est acceptata quam iam in Chronico paschali fere innui vidimus; numerabantur scil. a die secundo paschatis septem hebdomadae; unde dicunt primum sabbatum post secundum hunc diem illud nomen accepisse, ita ut secundum sabbatum, tertium sabbatum simili modo δευτεροδεύτερον, δευτερότριτον etc. sit appellatum. Quam sententiam adoptarunt Petavius (cf. in annot. ad Epiph. haer. 30,32; *M.* 41,405), Pagi, Lamy (similiter Calm. neque abnuit Reischl), Schanz (aut sabbatum secundum post pascha aut primum), Scaliger, Casaubonus, Drusius, Lightfoot (ad Matth. 12,1), Schoettgen, Schleusner, Kuinoel, Schott, Neander, Luebkert (Studien und Kritiken 1835 p. 680), de Wette (cf. Schanz, Weiss), Wünsche p. 427. Edersheim II p. 54. Numerum itaque interpretum si spectaveris, huic opinioni palma erit concedenda.

Quam tamen sententiam oppugnarunt alii, uti Grotius (cf. Critici sacri in Luc. 6,1). Saalschütz (Mosaisch. Recht p. 394), Wieseler (Synopse p. 230). Wieseler ipse intelligit sabbatum *primum* anni *secundi* hebdomadis annorum. Septimo quoque anno annus habebatur sabbaticus; censet itaque primum sabbatum uniuscuiusque anni ex hisce septem singulari ratione esse celebratum et nominatum. Quae tamen sententia iam eo falsa est quia tunc discipuli ante pascha spicas comedissent. Alii sabbatum post pascha ita esse vocatum coniectarunt; alii sabbatum ante pascha appellatum esse πρωτόπρωτον, sabbatum ante pentecosten δευτερόπρωτον, sabbatum ante scenopegiam τριτόπρωτον; quae tamen uti reliqua sine ullo certo testimonio afferuntur.

De huius loci significatione S. Hieronymus consuluit S. Gregorium nazianzenum, sed qui facete eum elusit : « praeceptor quondam meus Gregorius naz. rogatus a me ut exponeret quid sibi vellet in Luca sabbatum δευτερόπρωτον, eleganter lusit, docebo te, inquiens, super hac re in ecclesia, in qua mihi omni populo acclamante cogeris invitus scire quod nescis; aut certe si solus tacueris, solus ab omnibus stultitiae condemnaberis. Nihil tam facile quam vilem plebeculam et indoctam concionem linguae volubilitate decipere, quae quidquid non intelligit plus miratur » (epist. ad Nepotianum; ep. 52 al. 2 n. 8; *M.* 22,534).

Ex. 34,21 praescribitur ut die septimo cessent arare et metere. Scribit Maimonides (Schabbat cap. 8; Lightfoot ad Matth. 12,2) : « metens sabbato vel tantillum reus est, et vellere spicas est species messionis et quicumque aliquid decerpit a germinatione sua reus est sub nomine metentis ». Eodemque modo iam pharisaeos secundum traditiones humanas legem sabbati esse interpretatos patet ipsa narratione v. 2 *quidam autem pharisaeorum dicebant illis : quid facitis quod non licet in sabbatis?* accusatio in ipsum Iesum ex eorum mente stringebatur; ideo iam explicari potest cur alii eos narrent Dominum esse allocutos; quamquam facile potuerit fieri, ut initio facto a discipulis tandem disputatio ad Christum pervenerit (*Luc.*) vel ut alii cum discipulis, alii cum Iesu conquererentur, ut inter alia *Beda* putat, « neque enim

ullus evangelista falsum scribere potuit; tamen quidquid a discipulis agitur ad eum respicit cuius in agendo magisterium sequuntur; confestim ille falsos legis defensores veris sanctorum devincit exemplis ». Haec autem criminatio venit, ut *S. Bon.* ait, partim ex ignorantia legis, partim ex superbia mentis, partim ex simulatione hypocrisis, partim ex superstitione traditionis.

Legem mosaicam discipuli nequaquam transgressi erant. Quare Iesus ut pharisaeos ad incitas redigat iis quaestionem ponit de actione David qua apertissime contra litteram legis egit neque tamen ullo modo in s. litteris reprehenditur v. 3 *et respondens Iesus ad eos dixit : nec hoc legistis* ne hoc quidem, *quod fecit David cum esurisset ipse et qui cum illo erant* v. 4 *quomodo intravit in domum Dei et panes propositionis sumpsit et manducavit,* vide 1 Reg. 21,3 seq. *et dedit his qui cum ipso erant,* uti 1 Reg. 21,4. 5 clare quoque indicatur, *quos* scil. panes propositionis *non licet manducare nisi tantum sacerdotibus;* vide Lev. 24,9; οὓς etc. graece intelligi potest : quibus non licet manducare; ἔξεστιν etiam apud profanos iungitur cum accus. c. inf. (cf. *Schanz, Weiss*). Ex quo exemplo discant admittendas esse causas et conditiones quibus legis mosaicae mandata cessent. Multo facilius igitur licebit discipulis negligere traditiones et interpretationes pharisaeorum. Qui discipulos reprehendere non verentur ob rem lege nullatenus prohibitam interrogantur quid de Davide iudicent, quem tamen reprehendere minime audent; ita ostenditur quam ridicula et frivola sit eorum accusatio. Porro rationem eis reddit Iesus multo sublimiorem, cur discipuli longissime absint omni criminatione v. 5 *dicebat illis : quia dominus est Filius hominis etiam sabbati;* scientibus legem se tamquam Messiam declarat (cf. Dan. 7,13 et vide quae dixi ad Matth. 9,6 et Marc. 2,10) et cum dies sabbati sit dies Iahve quem Iahve singulari ratione consecravit, Iesus se huius diei dominum profitens sine ulla limitatione certo quoque aequale cum Iahve ius in eum diem sibi attribuit. Unde de se enuntiat testimonium minime dubium (cf. Matth. 12,8. Marc. 2,28).

Neque tamen pharisaei dedocebantur; v. 6 *factum est autem in alio sabbato,* ita accuratius narratur (cf. Matth. 12,9 et Marc. 3,1), *ut intraret in synagogam et doceret; et erat ibi homo et manus eius dextra* (dextram solus nos docet Lucas) *erat arida,* exsiccata, cui deerat sucus vitalis et quae paralysi erat constricta. Ex Matth. 12,10 ipsi interrogant licetne sabbatis curare; id quod satis congruit cum hac quoque narratione v. 7 *observabant autem scribae et pharisaei, si in sabbato curaret, ut invenirent unde accusarent eum;* quod quo facilius certiusque obtinerent eum interrogant; v. 8 *ipse vero sciebat cogitationes eorum* scil. qua mente et intentione interrogarent; exstant scil. prae-

cepta rabbinica, quibus remedium aegro applicari interdicitur, nisi ipsa vita periclitetur; ita : qui dentibus laborat, non absorbebit in illos acetum; si cui est manus vel pes luxatus, non indet ea aquae frigidae (vide ad Matth. et Marc. l. c.); similia igitur iam tempore Christi erant excogitata ad legem sabbati reddendam intolerabilem (Matth. 23,4). Ut eos et malitiae et absurditatis palam coram omnibus convincat, *ait homini qui habebat manum aridam : surge et sta in medium; et surgens stetit.* Iesus autem quaestionem sibi positam : licetne curare, sapientissime parumper alio modo vertit, ita ut pharisaei si respondeant se ipsos coarguant et summae absurditatis se convincant et ut, etsi non respondeant, eorum ineptiae omnibus reddantur manifestae; v. 9 *ait autem ad illos Iesus : interrogo vos* (qui loquendi modus ad quaestionem ab iis antea positam plane accommodatur) *si licet sabbatis bene facere an male, animam salvam facere an perdere?* suis ipsorum insidiis capti sunt. Non possunt dicere licere bene facere, quia tum Iesum recte et bene agere affirmarent si curaret et ita se ipsos refutarent; nec possunt dicere non licere bene facere, quia hoc omnibus nimis absurdum videretur et quia id multis in conditionibus idem esset ac dicere licere male agere. Hominum obstinatorum in modum qui neque verum fateri neque malitiam exuere volunt tacent (Marc. 2,4). Quare Iesus facto aliquo intervallo eos severe intuetur, oculis et vultu duritiem cordis ac malignitatem iis exprobrans v. 10 *et circumspectis omnibus*, eos omnes intuitus, *dixit homini : extende manum tuam; et extendit et restituta est manus eius;* en testimonium clarissimum potentiae Iesu et benignitatis. Fere incredibilis videtur pharisaeorum perversitas qua tale beneficium sabbato praestari aegre ferunt. Utique Christi quaestione et hac sanatione ad eius verbum peracta confusione et ignominia coram omnibus oppleti sunt; verum nonne ipsi hanc sibi contumeliam inflixerunt? accerrime suam sentiunt humiliationem, qua in rabiem contra Iesum stimulantur v. 11 *ipsi autem repleti sunt insipientia*, insania qua prae furore quasi amentes redduntur, *et colloquebantur ad invicem quidnam facerent Iesu* i. e. quomodo eum perderent; cf. Matth. 12,14 et Marc. 3,6. Iam sanguinem Iesu sitiunt et eius mortem machinantur. Iesus autem id aggreditur, ut alios regni sui principes et populi duces constituat et erudiat.

2. *Secundum tempus ministerii in Galilaea* 6,12-8,56.

a) **Electio apostolorum 6,12-16.**

6,12. Factum est autem in illis diebus, exiit in montem orare, et erat pernoc-

6,12. Ἐγένετο δὲ ἐν ταῖς ἡμέραις ταύταις ἐξελθεῖν αὐτὸν εἰς τὸ ὄρος προσεύξασ-

tans in oratione Dei. 13. Et quum dies factus esset, vocavit discipulos suos; et elegit duodecim ex ipsis (quos et Apostolos nominavit) : 14. Simonem, quem cognominavit Petrum, et Andream fratrem eius, Iacobum et Ioannem, Philippum et Bartholomaeum, 15. Matthaeum et Thomam, Iacobum Alphaei, et Simonem qui vocatur Zelotes, 16. Et Iudam Iacobi, et Iudam Iscariotem, qui fuit proditor.

θαι· καὶ ἦν διανυκτερεύων ἐν τῇ προσευχῇ τοῦ Θεοῦ. 13. καὶ ὅτε ἐγένετο ἡμέρα, προσεφώνησεν τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ· καὶ ἐκλεξάμενος ἀπ' αὐτῶν δώδεκα, οὓς καὶ ἀποστόλους ὠνόμασεν, 14. Σίμωνα ὃν καὶ ὠνόμασεν Πέτρον, καὶ Ἀνδρέαν τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, καὶ Ἰάκωβον καὶ Ἰωάνην καὶ Φίλιππον καὶ Βαρθολομαῖον, 15. καὶ Ματθαῖον καὶ Θωμᾶν, Ἰάκωβον Ἀλφαίου καὶ Σίμωνα τὸν καλούμενον Ζηλωτήν, 16. καὶ Ἰούδαν Ἰακώβου καὶ Ἰούδαν Ἰσκαριώθ, ὃς ἐγένετο προδότης.

In v. 12 εξελθειν αυτον ℵ A B D L; al εξηλθεν. In v. 13 vocavit *ad se* b c ff² l q r dub ger ken. In v. 14 D πρωτον σιμωνα; tol cognominabit. In v. 15 D θωμαν τον επικαλουμενον διδυμον; thomam et matth car ox val wil harl. In v. 16 traditor ben; qui (etiam et d) tradidit illum d e; ος sine και ℵ B L it vulg cop syr (sch) tat arm aeth; al ος και (ex sin paucissima servata sunt; v. 15 Iacobum filium חלפי (Cleophae) v. 16 Iudam filium Iacob).

Cum evangelista *hos dies* ut tempus electionis apostolorum designet v. 12 *factum est autem in illis diebus* ἐν ταῖς ἡμέραις ταύταις, indicare vult nexum cum antecedentibus; tum scil. electos esse, cum odium pharisaeorum iam exsisteret implacabile iique necem Domini meditarentur; *exiit in montem orare et erat pernoctans in oratione Dei;* talem quasi praeparationem praemisit electioni; non obiter Deum orat sed tota nocte Deum deprecatur; orat Patrem pro eis quos electurus est, ut tales efficiantur quales tanto muneri subeundo esse debebant. Sicut enim discessurus ad Patrem et illos in mundo relicturus oravit pro eis, ita etiam nunc electurus eos pro eis preces fundit, ut Patri essent accepti et tanto munere digni fierent; exemplum praebet iis qui ecclesiastica munera distribuunt, ut ad Deum prius oratione recurrant (*Tol.*). Orat Dominus, ut *S. Ambr.* dicit, non ut pro se obsecret, sed ut pro me impetret; species tibi datur, forma praescribitur quam debeas aemulari; quid enim te pro salute tua facere oportet, quando pro te Christus in oratione pernoctat? quid te facere convenit, cum vis aliquod pietatis officium adoriri, quando Christus missurus apostolos oravit prius (*S. Ambr.*)? v. 13 *et cum dies factus esset, vocavit discipulos suos et elegit duodecim ex ipsis quos et apostolos nominavit,* quibus ipso hoc nomine innotuit se tamquam Iesu legatos et praecones mittendos esse per orbem. Ita iam incipit ordinem hierarchicum constituere cum ex multis discipulis duodecim eligat eosque peculiari appellatione et dignitate distinguat. Cur eligat *duodecim*, *S. Bon. Alb.* aliique explicant variis rationibus ex vetere testamento adductis : isti sunt duodecim patriarchae populi Dei, duodecim prin-

cipes ducatu suo Ecclesiam regentes (Num. 1,5-15), isti sunt duodecim exploratores viam ad terram promissionis praemonstrantes, duodecim fontes verbo salutis Ecclesiam irrigantes (Ex. 15,27), duodecim lapides in veste sacerdotali radiantes (Ex. 28,21) etc. etc.

Quales autem elegerit, expendit *S. Ambr.* : « adverte coeleste consilium : non sapientes aliquos, non divites, non nobiles, sed piscatores et publicanos quos dirigeret elegit, ne traduxisse prudentia, ne redemisse divitiis, ne potentiae nobilitatisque auctoritate traxisse aliquos ad suam gratiam videretur; ut veritatis ratio, non disputationis gratia praevaleret ». Elegit Iesus *Simonem quem cognominavit Petrum et Andream fratrem eius;* primo loco semper ponitur Simon Petrus, quamvis Andreas tempore prius ad Iesum se adiunxerit (cf. Ioan. 1,40); declaratur Simonis prae aliis dignitas cui iam praeluditur 4,38 et 5,3. 10. Utrum ea occasione ei inditum sit nomen Petri (quod iam primo cum Iesu occursu ei erat promissum, Ioan. 1,42) necne, vide in Comment. Marc. p. 98. 99. Additur Andream *fratrem eius,* quia eius mentio nondum facta est; elegit porro Iesus *Iacobum et Ioannem* quos ex 5,10 evangelista notos supponit, *Philippum et Bartholomaeum* cf. Ioan. 1,43 seq. et 21,2; unde probabile fit Bartholomaeum esse Nathanael (vide ad Matth. 10,3 et Marc. 3,18, ubi plura de ea re); *Matthaeum et Thomam,* « pulchre ac reverenter Lucas in catalogo apostolorum usitato nomine Matthaeum, in prima vero de telonio vocatione, ut superius admonui, Levin appellare maluit; ipse vero Matthaeus et manifeste Matthaeum de telonio vocatum et in ordine se apostolorum publicanum cognominat, sed et compari suo Thomae cum a ceteris evangelistis sit praelatus, se in ordine supponit » (*Beda*), *Iacobum Alphaei* filium, qui Iacobus minor quoque vocatur et frater Domini (Gal. 1,19; 2,9) et auctor est epistolae catholicae, *et Simonem qui vocatur zelotes,* ita recte explicatur qui apud alios appellatur Simon Cananaeus (vide ad Matth. 10,4 et Marc. 3,18), *et Iudam Iacobi* scil. fratrem (non, ut sin tat, filium Iacobi); fratrem posse et debere suppleri, cf. Comment. Marc. p. 101 et ita se vocat ipse in epistola : Iudas Iesu Christi servus, frater autem Iacobi; appellatur quoque Thaddaeus et Lebbaeus (plura de eo dedi ad Matth. 10,3), *et Iudam Iscariotem* i. e. virum ex Karioth oppido Iudaeae (Ios. 15,25) *qui fuit proditor* προδότης, qua voce Lucas etiam utitur Act. 7,52; « eligitur et Iudas, non per imprudentiam sed per providentiam. Quanta est veritas quam nec adversarius minister infirmat! quanta moralitas Domini qui periclitari magis apud nos iudicium suum quam affectum maluit! susceperat enim hominis fragilitatem, et ideo nec has partes recusavit infirmitatis humanae. Voluit deseri, voluit prodi, voluit ab apostolo suo tradi, ut tu a socio

desertus, a socio proditus moderate feras tuum errasse iudicium, perisse beneficium » (*S. Ambr.*). Et *S. Bon.* notat electionem Iudae congruere benignitati Iesu, quia non solum bonis sed etiam malis se benignum ostenderit; congruere quoque statui praesenti Ecclesiae in qua mali permisceantur bonis; expedire etiam eruditioni nostrae, ut non diffidamus si quos qui videntur stare cadere videamus. — Ceterum plura de electione Iudae vide in Comment. Matth. I p. 377 seq. et de aliis catalogis apostolorum ibidem p. 372.

b) Sermo ad discipulos et turbas 6,17-49.

6,17. Et descendens cum illis, stetit in loco campestri, et turba discipulorum eius, et multitudo copiosa plebis ab omni Iudaea, et Ierusalem, et maritima, et Tyri, et Sidonis, 18. qui venerant ut audirent eum, et sanarentur a languoribus suis. Et qui vexabantur a spiritibus immundis, curabantur. 19. Et omnis turba quaerebat eum tangere; quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes.

20. Et ipse elevatis oculis in discipulos suos, dicebat : Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei. 21. Beati, qui nunc esuritis, quia saturabimini. Beati, qui nunc fletis, quia ridebitis. 22. Beati eritis quum vos oderint homines, et quum separaverint vos, et exprobraverint, et eiecerint nomen vestrum tanquam malum propter Filium hominis. 23. Gaudete in illa die, et exsultate : ecce enim merces vestra multa est in coelo; secundum haec enim faciebant prophetis patres eorum. 24. Verumtamen vae vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram. 25. Vae vobis, qui saturati estis, quia esurietis. Vae vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis. 26. Vae quum benedixerint vobis homines : secundum haec enim faciebant pseudoprophetis patres eorum.

27. Sed vobis dico, qui auditis : Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos. 28. Benedicite maledicentibus vobis, et orate pro calumniantibus vos. 29. Et qui te percutit in maxillam, praebe et alteram : et ab eo, qui aufert

6,17. Καὶ καταβὰς μετ' αὐτῶν ἔστη ἐπὶ τόπου πεδινοῦ, καὶ ὄχλος πολὺς μαθητῶν αὐτοῦ, καὶ πλῆθος πολὺ τοῦ λαοῦ ἀπὸ πάσης τῆς Ἰουδαίας καὶ Ἱερουσαλὴμ καὶ τῆς παραλίου Τύρου καὶ Σιδῶνος, οἳ ἦλθον ἀκοῦσαι αὐτοῦ καὶ ἰαθῆναι ἀπὸ τῶν νόσων αὐτῶν, 18. καὶ οἱ ἐνοχλούμενοι ἀπὸ πνευμάτων ἀκαθάρτων ἐθεραπεύοντο. 19. καὶ πᾶς ὁ ὄχλος ἐζήτουν ἅπτεσθαι αὐτοῦ, ὅτι δύναμις παρ' αὐτοῦ ἐξήρχετο, καὶ ἴατο πάντας.

20. Καὶ αὐτὸς ἐπάρας τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ εἰς τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ ἔλεγεν, Μακάριοι οἱ πτωχοί, ὅτι ὑμετέρα ἐστὶν ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ. 21. μακάριοι οἱ πεινῶντες νῦν, ὅτι χορτασθήσεσθε. μακάριοι οἱ κλαίοντες νῦν, ὅτι γελάσετε. 22. μακάριοί ἐστε, ὅταν μισήσωσιν ὑμᾶς οἱ ἄνθρωποι, καὶ ὅταν ἀφορίσωσιν ὑμᾶς καὶ ὀνειδίσωσιν καὶ ἐκβάλωσιν τὸ ὄνομα ὑμῶν ὡς πονηρὸν ἕνεκα τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου. 23. χάρητε ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ καὶ σκιρτήσατε· ἰδοὺ γὰρ, ὁ μισθὸς ὑμῶν πολὺς ἐν τῷ οὐρανῷ· κατὰ τὰ αὐτὰ γὰρ ἐποίουν τοῖς προφήταις οἱ πατέρες αὐτῶν. 24. Πλὴν οὐαὶ ὑμῖν τοῖς πλουσίοις, ὅτι ἀπέχετε τὴν παράκλησιν ὑμῶν. 25. οὐαὶ ὑμῖν, οἱ ἐμπεπλησμένοι νῦν, ὅτι πεινάσετε. οὐαὶ οἱ γελῶντες νῦν, ὅτι πενθήσετε καὶ κλαύσετε. 26. οὐαὶ ὅταν ὑμᾶς καλῶς εἴπωσιν πάντες οἱ ἄνθρωποι· κατὰ τὰ αὐτὰ γὰρ ἐποίουν τοῖς ψευδοπροφήταις οἱ πατέρες αὐτῶν.

27. Ἀλλ' ὑμῖν λέγω τοῖς ἀκούουσιν, Ἀγαπᾶτε τοὺς ἐχθροὺς ὑμῶν, καλῶς ποιεῖτε τοῖς μισοῦσιν ὑμᾶς, 28. εὐλογεῖτε τοὺς καταρωμένους ὑμᾶς, προσεύχεσθε περὶ τῶν

tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere. 30. Omni autem petenti te, tribue : et qui aufert quae tua sunt, ne repetas. 31. Et prout vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis similiter. 32. Et si diligitis eos qui vos diligunt, quae vobis est gratia? nam et peccatores diligentes se diligunt. 33. Et si benefeceritis his qui vobis benefaciunt, quae vobis est gratia? siquidem et peccatores hoc faciunt. 34. Et si mutuum dederitis his a quibus speratis recipere, quae gratia est vobis? nam et peccatores peccatoribus foenerantur, ut recipiant aequalia. 35. Verumtamen diligite inimicos vestros : benefacite, et mutuum date, nihil inde sperantes, et erit merces vestra multa, et eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos et malos. 36. Estote ergo misericordes, sicut et Pater vester misericors est. 37. Nolite iudicare, et non iudicabimini; nolite condemnare, et non condemnabimini; dimittite, et dimittemini. 38. Date, et dabitur vobis : mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et superefluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.

39. Dicebat autem illis et similitudinem : Numquid potest caecus caecum ducere? nonne ambo in foveam cadunt? 40. Non est discipulus super magistrum : perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius. 41. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quae in oculo tuo est, non consideras? 42. Aut quomodo potes dicere fratri tuo : Frater, sine eiiciam festucam de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabem non videns? Hypocrita, eiice primum trabem de oculo tuo, et tunc perspicies ut educas festucam de oculo fratris tui. 43. Non est enim arbor bona, quae facit fructus malos : neque arbor mala, faciens fructum bonum. 44. Unaquaeque enim arbor de fructu suo cognoscitur. Neque enim de spinis colligunt ficus, neque de rubo vindemiant uvam. 45. Bo-

ἐπηρεαζόντων ὑμᾶς. 29. τῷ τύπτοντί σε ἐπὶ τὴν σιαγόνα πάρεχε καὶ τὴν ἄλλην· καὶ ἀπὸ τοῦ αἴροντός σου τὸ ἱμάτιον, καὶ τὸν χιτῶνα μὴ κωλύσῃς. 30. παντὶ αἰτοῦντί σε δίδου· καὶ ἀπὸ τοῦ αἴροντος τὰ σὰ μὴ ἀπαίτει. 31. καὶ καθὼς θέλετε ἵνα ποιῶσιν ὑμῖν οἱ ἄνθρωποι, (καὶ ὑμεῖς) ποιεῖτε αὐτοῖς ὁμοίως. 32. καὶ εἰ ἀγαπᾶτε τοὺς ἀγαπῶντας ὑμᾶς, ποία ὑμῖν χάρις ἐστίν; καὶ γὰρ οἱ ἁμαρτωλοὶ τοὺς ἀγαπῶντας αὐτοὺς ἀγαπῶσιν. 33. καὶ γὰρ ἐὰν ἀγαθοποιῆτε τοὺς ἀγαθοποιοῦντας ὑμᾶς, ποία ὑμῖν χάρις ἐστίν; καὶ οἱ ἁμαρτωλοὶ τὸ αὐτὸ ποιοῦσιν. 34. καὶ ἐὰν δανίσητε παρ' ὧν ἐλπίζετε λαβεῖν, ποία ὑμῖν χάρις; καὶ ἁμαρτωλοὶ ἁμαρτωλοῖς δανείζουσιν, ἵνα ἀπολάβωσιν τὰ ἴσα. 35. πλὴν ἀγαπᾶτε τοὺς ἐχθροὺς ὑμῶν, καὶ ἀγαθοποιεῖτε καὶ δανίζετε μηδὲν ἀπελπίζοντες· καὶ ἔσται ὁ μισθὸς ὑμῶν πολύς, καὶ ἔσεσθε υἱοὶ ὑψίστου· ὅτι αὐτὸς χρηστός ἐστιν ἐπὶ τοὺς ἀχαρίστους καὶ πονηρούς. 36. γίνεσθε οἰκτίρμονες, καθὼς ὁ πατὴρ ὑμῶν οἰκτίρμων ἐστίν. 37. καὶ μὴ κρίνετε, καὶ οὐ μὴ κριθῆτε. καὶ μὴ δικάζετε, καὶ οὐ μὴ δικασθῆτε. ἀπολύετε, καὶ ἀπολυθήσεσθε· 38. δίδοτε, καὶ δοθήσεται ὑμῖν· μέτρον καλὸν, πεπιεσμένον, σεσαλευμένον, ὑπερεκχυνόμενον δώσουσιν εἰς τὸν κόλπον ὑμῶν. ᾧ γὰρ μέτρῳ μετρεῖτε, (ἀντι) μετρηθήσεται ὑμῖν.

39. Εἶπεν δὲ καὶ παραβολὴν αὐτοῖς, Μήτι δύναται τυφλὸς τυφλὸν ὁδηγεῖν; οὐχὶ ἀμφότεροι εἰς βόθυνον ἐμπεσοῦνται; 40. οὐκ ἔστιν μαθητὴς ὑπὲρ τὸν διδάσκαλον· κατηρτισμένος δὲ πᾶς ἔσται ὡς ὁ διδάσκαλος αὐτοῦ. 41. τί δὲ βλέπεις τὸ κάρφος τὸ ἐν τῷ ὀφθαλμῷ τοῦ ἀδελφοῦ σου, τὴν δὲ δοκὸν τὴν ἐν τῷ ἰδίῳ ὀφθαλμῷ οὐ κατανοεῖς; 42. πῶς δύνασαι λέγειν τῷ ἀδελφῷ σου, Ἀδελφὲ, ἄφες ἐκβάλω τὸ κάρφος τὸ ἐν τῷ ὀφθαλμῷ σου, αὐτὸς τὴν ἐν τῷ ὀφθαλμῷ σου δοκὸν οὐ βλέπων; ὑποκριτὰ, ἔκβαλε πρῶτον τὴν δοκὸν ἐκ τοῦ ὀφθαλμοῦ σου, καὶ τότε διαβλέψεις τὸ κάρφος τὸ ἐν τῷ ὀφθαλμῷ τοῦ ἀδελφοῦ σου ἐκβαλεῖν. 43. οὐ γάρ ἐστιν δένδρον καλὸν ποιοῦν καρπὸν σαπρόν· οὐδὲ πάλιν δένδρον σαπρὸν ποιοῦν καρπὸν καλόν. 44. ἕκαστον γὰρ δένδρον ἐκ τοῦ ἰδίου καρποῦ γινώσκεται· οὐ γὰρ ἐξ ἀκανθῶν συλλέγουσιν σῦκα, οὐδὲ ἐκ βάτου

nus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum; et malus homo de malo thesauro profert malum. Ex abundantia enim cordis os loquitur.

46. Quid autem vocatis me Domine, Domine : et non facitis quae dico? 47. Omnis qui venit ad me, et audit sermones meos, et facit eos, ostendam vobis cui similis sit : 48. Similis est homini aedificanti domum, qui fodit in altum, et posuit fundamentum super petram; inundatione autem facta, illisum est flumen domui illi, et non potuit eam movere : fundata enim erat super petram. 49. Qui autem audit, et non facit, similis est homini aedificanti domum suam super terram sine fundamento : in quam illisus est fluvius, et continuo cecidit, et facta est ruina domus illius magna.

σταφυλὴν τρυγῶσιν. 45. ὁ ἀγαθὸς ἄνθρωπος ἐκ τοῦ ἀγαθοῦ θησαυροῦ τῆς καρδίας προφέρει τὸ ἀγαθόν· καὶ ὁ πονηρὸς ἐκ τοῦ πονηροῦ προφέρει τὸ πονηρόν· ἐκ γὰρ περισσεύματος καρδίας λαλεῖ τὸ στόμα αὐτοῦ.

46. Τί δέ με καλεῖτε, Κύριε, κύριε, καὶ οὐ ποιεῖτε ὃ λέγω; 47. πᾶς ὁ ἐρχόμενος πρός με καὶ ἀκούων μου τῶν λόγων καὶ ποιῶν αὐτοὺς, ὑποδείξω ὑμῖν τίνι ἐστὶν ὅμοιος. 48. ὅμοιός ἐστιν ἀνθρώπῳ οἰκοδομοῦντι οἰκίαν, ὃς ἔσκαψεν καὶ ἐβάθυνεν καὶ ἔθηκεν θεμέλιον ἐπὶ τὴν πέτραν· πλημμύρης δὲ γενομένης προσέρηξεν ὁ ποταμὸς τῇ οἰκίᾳ ἐκείνῃ, καὶ οὐκ ἴσχυσεν σαλεῦσαι αὐτήν· διὰ τὸ καλῶς οἰκοδομῆσθαι αὐτήν. 49. ὁ δὲ ἀκούσας καὶ μὴ ποιήσας ὅμοιός ἐστιν ἀνθρώπῳ οἰκοδομήσαντι οἰκίαν ἐπὶ τὴν γῆν χωρὶς θεμελίου· ᾗ προσέρηξεν ὁ ποταμὸς, καὶ εὐθὺς συνέπεσεν καὶ ἐγένετο τὸ ῥῆγμα τῆς οἰκίας ἐκείνης μέγα.

In v. 17 οχλος πολυς ℵ B L 1. 118. syr (sch) ev hier Ti W H; post Ierusalem add ℵ* και πιραιας similiter a b c ff² l q r ger ken et trans fretum; arm et ex alia regione; maritima Tyri (om *et*) a c e f ff² q r hub* theod med per; add et aliarum civitatum c e go; D om και ιερουσαλημ usque οι ηλθον et prachet και αλλων πολεων εληλυθοτων; ev hier ex Ierusalem et ex litore maris et ex Tyro. In v. 20 pauperes *spiritu* a c f r gat dub ken, uti ℵ^ca Q X aliq minusc syr (hr) Amb (e Matth), uti pariter apud aliquos et sin regnum *coelorum*. In v. 25 εμπεπλ. νυν ℵ B L Q R X Λ Z aliq minusc f go. In v. 26 παντες οι ανθρ. codd gr unc pler; *omnes* homines codd vulg longe pler (om dub) a b c e ff² f sax cop go syr (p); *prophetis* codd pler vulg f l, uti ℵ^a. In v. 31 και υμεις om B a ff² l fuld; faciant *bona* dub ger. In v. 33 και γαρ εαν ℵ* B Ti. In v. 34 και αμαρτωλοι (sine γαρ) ℵ B L Z cop Ti W H. In v. 36 ουν non habent ℵ B D L Z it go cop arm sin aeth. In v. 37 B δικαζετε et δικασθητε; rell καταδικ. In v. 38 ω γαρ μετρω ℵ B D L Z; al τω γαρ μετρω ω; codd pler αντιμετρηθ. In v. 40 perfectus erit sicut magister eius am big* ben cav dub ept ing for med ox ken tol lind c Ir; rell add *si sit*, etiam it. In v. 42 solum πως B sin e ff²; pler codd η πως; ℵ πως δε; Wordsworth *et* quomodo. In v. 43 D it vulg sin syr (sch) fructus malos; ουδε παλιν ℵ B L Z, neque *iterum* ger q b cop arm. In v. 45 εκ του πονηρου ℵ B D L Z aliq minusc; de malo (sine thes.) am cav fuld ger for tol lind a d ff² l; add thesauro cordis sui θησ τ. καρδιας αυτου A C X Δ Λ Π unc 7 al pler c e f q med mt cop tat sin syr (utr) go aeth. In v. 48 δια το καλως οικοδ. αυτην ℵ B L Z 33. 157. cop; rell τεθεμελιωτο γαρ επι την πετραν codd gr pler et verss. In v. 49 adlisit flumen domui illi b d ff² l q ger; al inlisit, impegit fluvius, inpulit; concidit b d e l q big cav dub car mt ken tol wil harl (sin v. 17 et descendit cum eis in planitiem et stetit et turba discipulorum; et ex Tyro et ex Sidone; v. 18 ab omnibus languoribus suis, a spiritibus immundis ut sanarentur; v. 20 quia seorum est regnum coelorum; v. 21 quia saturabuntur; quia ridebunt; a v. 22 fit allocutio; in v. 35 mutuum date et non abscindetis spem alicuius; et super negatores gratia; v. 38 mensuram bonam et abundantem proiicient in sinum vestrum; sicut metimini vos mensuratur vobis; v. 40 non est discipulus qui perfectus est sicut

magister eius in doctrina; v. 42 caece, hypocrita; v. 48 et plenitudo fluminis illisa est in domum; v. 49 et statim proiecit eam).

Selectis ex turba discipulorum apostolis Iesus iam incipit ordinem hierarchicum constituere et varios ordines ac munera in regno suo distinguere. Postquam itaque sibi proprios selegit sui regni principes ac duces, iam apparet eos qui in synagoga praesunt reiici, idque merito, quia non solum Iesu missionem ac doctrinam nolunt recipere, verum etiam eum odio persequuntur sanguinolento. Magna igitur manifestatur oppositio inter synagogam et regnum messianum. Quae quo evidentius omnibus innotescat, Iesus in sermone longiore exponit quae sit sui regni indoles. Et ea quidem docet quibus falsae illae de regno messiano exspectationes plane evertuntur et penitus destruuntur et regnum messianum esse spirituale, ad omnem sanctitatem factum, iis autem quae homines mundani appetant et magni faciant, omnino oppositum demonstratur. Opportune praedicat quid sit proprium regno suo, postquam proprios eius principes creavit. — Hunc sermonem non esse cum *Euth. Alb. Bon. Cai.* aliisque distinguendum ab eo quem Matth. 5 seq. legimus, vide in Comment. Matth. I p. 174. Cum S. Lucas non Iudaeis, sed aliis scribat, facile concipitur cur ea non in medium protulerit quae legem spectant veterem Iudaeorumque mores ac consuetudinem tangunt. Hausit ex praedicatione apostolica, qua pro necessitate vel utilitate audientium ex integra Iesu doctrina singula quaedam praecepta depromebantur. Unde quoque explicatur cur in quibusdam differat a modo quo apud Matthaeum sententias efferri legimus et cur non omnia apud utrumque reperiantur.

In aliquo editiore montis loco Iesus oraverat ibique apostolos selegerat; iam cum illis descendit de illo excelsiore loco v. 17 *et descendens cum illis stetit in loco campestri*, in loco montis inferiore, aequabili et multorum capaci (*Luc.*), in aliqua aequalitate montis (ut *S. Aug.* dicit, de cons. evang. 2,19. 47). Ex antiqua traditione mons iste est is cui hodie nomen Kurun Hattin (vide ad Matth. 5,1); *et turba discipulorum eius*, turbam fuisse multam, aliqui testes habent, neque male; ita enim iam nemo poterat mirari, si 10,1 quasi inopinato sermo fit de missione 72 discipulorum; *et multitudo copiosa plebis ab omni Iudaea et Ierusalem et maritima* (*et*) *Tyri et Sidonis* i. e. ex regione maritima Tyri et Sidonis; quantopere fama Iesu propagata fuerit, sufficienter ea enumeratione declaratur. Non fit mentio Galilaeae, cum ibi versaretur; aliqui testes addunt Peraeam, regionem transiordanicam. Duae eius turbarum confluxus causae assignantur, quibus optime nos quoque docemur, cur ad Iesum sit creberrime recurrendum v. 18 *qui venerant ut audirent eum*, ut eius imbuerentur doctrina et illa per-

fruerentur oratione gratiae quae procedebat de ore eius (4,22) *et sanarentur a languoribus suis;* neque spes eos fefellit; pro Iesu enim benignitate *qui vexabantur a spiritibus immundis,* vide ad Marc. 1,23 *curabantur* v. 19 *et omnis turba quaerebat eum tangere quia virtus de illo exibat et sanabat omnes;* cf. Marc. 5,30; « neque enim vires ab alio mutuabatur Christus, sed ipse Deus natura exsistens, etsi caro factus, vim suam aegris inspirans omnes sanabat » (*S. Cyr.*); et recte monet *Cai.* Iesum uti tactu ad curandum, ut cognoscamus naturam humanam in ipso esse organum coniunctum Deitatis. Miraculis hisce ac plurimis praestitis beneficiis animos praeparat ad doctrinam accipiendam, cum se et divina potentia et summa benignitate praeditum exhibeat. Ei autem quis poterit fidem denegare?

Qua ratione sermo sit dividendus, varie proponitur. Sunt qui tres partes distinguant : v. 20-26, quibus beatitudines et vae continentur; qui sint beati, qui miseri; v. 27-38 praeceptum exponitur caritatis; v. 39-45 quales esse debeant qui alios docere et regere velint, vel dari doctrinam sapientiae (*Fil.*); cf. *Bisp. Reischl, Fil.;* v. 46-49 epilogus continetur. Tripartitam orationem etiam statuit *S. Bon.*, sed alio modo : « secundum tria quorum notitia est ad salutem necessaria, scilicet praemiorum, suppliciorum, praeceptorum. Alii v. 20-26 prooemii loco ponunt quo describatur quali indole esse debeant Iesu discipuli et qua animorum dispositione; dein duas distinguunt partes v. 27-38 et v. 39-49; quarum priore officia erga proximos doceantur et altera quales esse debeant ii quorum sit alios docere et regere (*Keil*). Iterum alii priorem partem v. 20-38, alteram 39-49 contineri malunt (*Weiss*). Alii in v. 20-26 priorem partem vident et in altera parte v. 27-45 exponi legem caritatis tamquam legem novi regni qua lege opera misericordiae exponantur corporalis v. 27-38 et misericordiae spiritualis v. 39-45 (cf. *Schanz*).

Corporibus sanatis animis quoque sanitatem impertire studet v. 20 *et ipse elevatis oculis in discipulos suos* qui proxime ei adstabant et ad quos rite edocendos maxime erat intentus et in quibus iam aliqua ratione exhibebatur qualis esset paupertas, esuries, fletus de quibus locuturus erat (cf. *Tol.*); eos aspiciens simul amorem suum et studium erga eos significat quasi animo eos complexus gaudensque quod eos beatos praedicare licet; *dicebat : beati pauperes* οἱ πτωχοί vocativus est more Graecorum cum articulo, *quia vestrum est regnum Dei;* cum suos aspiciat discipulos, ad eos primo et per se sermo dirigitur (cf. *Cai. Luc. Schegg*). Unde simul colligitur quales pauperes beatos praedicet, qui scil. propter fidem et amorem Iesu libenter carent bonis illis quae homines mundani tanti faciunt, animosque habent a rebus

terrenis avulsos paratosque ad rerum omnium egestatem ac penuriam libenter Dei causa tolerandam. Sed dum suos discipulos dicit beatos, omnes quoque qui similiter animis sunt affecti beatos praedicat viamque ostendit qua in suo regno ad veram perveniatur beatitudinem. Et cum insuper praeter discipulos turbae quoque sermonem Domini audiant, omnibus qui adsunt eam doctrinam tribuit omnesque homines docet in suo regno rerum paupertatem minime esse dedecori, e contra ei promitti divitias et beatitudinem regni Dei, thesauros bonorum spiritualium et coelestium. Pariter indicatur qua animi conditione quis esse debeat, ut annuntiationem regni Dei fide suscipiat; animum habere divitiis rebusque terrenis implicitum esse impedimentum fidei; pauperes enim evangelizantur. Etsi itaque apud Lucam non legatur *pauperes spiritu,* uti apud Matth., tamen et ex re ipsa et ex sermone per se ad discipulos directo omnino patet quales pauperes beatos dicat.

Verum non solum ii in regno messiano sunt beati quibus nullae sunt opes terrenae, sed v. 21 *beati qui nunc esuritis,* vulgo miseri habentur qui famem sitimque pati saepe coguntur; Iesus pro suo regno statuit contrarium, *quia saturabimini* recumbentes scil. cum Abraham, Isaac et Iacob in regno coelorum, saturabimini Deo ipso, omnium bonorum fonte, qui solus potest omnimodam humanae menti afferre satietatem (*Luc.*). Discipuli esurie quandoque premebantur (6,1); munus quoque apostolicum in easdem eos coniiciet angustias, uti fatetur apostolus : usque in hanc horam et esurimus et sitimus (1 Cor. 4,11). Qua in egestate quomodo se consolentur spe ubertatis domus Dei (Ps. 35,9) Christus docet. Dum autem esurientes dicit beatos, non solum eos laudat qui necessitate coacti esuriunt, sed eos quoque qui Iesu verbum amplexi cum nondum fruantur praesentia sponsi sponte sibi esuriem imponunt suscepto ieiunio (cf. 5,35), quomodo de se apostolus quoque utramque esuriem et coactam et sponte susceptam profitetur : in fame et siti, in ieiuniis multis (2 Cor. 11,27). Altior etiam humanae miseriae gradus ploratu exprimitur; lacrimis enim acutus doloris et calamitatis sensus declaratur; *beati qui nunc fletis quia ridebitis* solatio summoque gaudio et laetitia perfusi in beatitudine coelesti. Mundus eos dicit beatos qui ab omni moerore, luctu, dolore alieni, rebus omnibus ex voto sibi succedentibus, vitam ducunt laetam et amoenam, iucundis voluptatibus perfruuntur, iocis vacant ac lepidis risibus; beatus vero Dominus contra totius mundi sententiam luctum quo oblectamenta mundi omnia subiugantur eaque quae luctum pariunt beatificat (*Luc.*). Quot igitur causae sunt quibus lacrimas profundere homines solent, tot nobis praesto esse adminicula docet ad augendam exsultationem coelestem. Et quam ampla flendi materia hisce in terris,

in valle lacrimarum, nobis offertur! Dolores corporis et animi, curae et sollicitudines, pericula et tentationes, peccata et multiplices casus et ruinae aliorum, damna temporalia et spiritualia largam praebent luctus et lacrimarum segetem. Et discipulos lacrimas esse fusuros Dominus praedixit: amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos (Ioan. 16,20); amare flevit Petrus (Matth. 26,75), discipulis lugentibus et flentibus nuntius affertur de resurrectione Domini (Marc. 16,10), Paulus cum lacrimis monet unumquemque, per multas lacrimas scribit epistolam, flens dicit multos ambulare inimicos crucis Christi (Act. 20,31. 2 Cor. 2,4. Phil. 3,18) etc.

Sunt qui paupertatem, esuriem, fletum accipiant tamquam imaginem miseriae et desiderii hominis nondum redempti, nondum in gloriam ingressi; proinde esse pauperem eum qui reiectis mundi gaudiis bona altiora expetat et bona temporalia contemnat; esurientem esse qui magno desiderio spiritualia bona expetat; flentem qui de peccatis et damnis spiritualibus lugeat (cf. *Bed. Bon. Alb.* partim quoque *Luc.;* ex recentioribus *Keil*); quibus accensendi sunt qui dicunt Lucam ex Matthaeo esse explicandum, ut *Calm.;* hi enim esurire apud Lucam explicant de esurie iustitiae. Verum merito plerique verba ea esse sensu litterali[1] capienda statuunt (cf. *Cai. Ipr. Tol. Bisp. Schegg, Schanz, Fil. Weiss*). Sed in ipso sensu litterali iam includi illam animi dispositionem qua a rebus humanis alieni altiora appetant et humanas miserias intuitu Dei fructuose pro aeternitate ferant negari nequit. Idque pro tertio ordine flentium eo magis valet quia de flentibus in universum est sermo, illi itaque qui propter peccata et damna spiritualia flent et lugent excludi nequeunt. Quare in priore acceptione id solum falsum est quod sensu litterali seposito in miseriis humanis statim imaginem cernunt conditionis alterius; dicendum est ex ipso sensu litterali, cum non sine ullo discrimine omnes quotquot pauperes sunt atque esuriunt beati dici possint, nos necessario adduci ad pauperes et esurientes, vere quidem pauperes et esurientes, at simul cum religiosa ac pia animi habitudine pauperes et esurientes. Unde haud immerito statui potest priorem illam acceptionem fere non tam consequi ad sensum litteralem quam intime ac necessario in illo includi neque ab eo posse separari. Idque eo magis patet si verba de ipsis Iesu discipulis primo dici perpenditur.

Qui penuria aliisque miseriis premuntur (pauperes, esurientes, flentes), multum levaminis et solatii percipiunt ex aliorum commiseratione, amore, auxilio. Verum durissimum et acerbissimum esse solet haberi ab aliis quasi generis humani purgamenta seu portenta. Et nihilomi-

1. Idque eo magis quia πτωχός plerumque exprimit hebr. עָנִי, quae vox non raro synonymum est cum אֶבְיוֹן : cf. *Rahlfs*, עָנִי und עָנָו in den Psalmen p. 56. 74.

nus v. 22 *beati eritis, cum vos oderint homines et cum separaverint vos* ἀφορίσωσιν, si vos ut infamia notatos secluserint, e commercio et usu vitae communis excluserint; simile in Iesum Iudaei perpetrarunt Ioan. 9,22 iam enim conspiraverant Iudaei ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret et 12,42 et 16,2; videtur enim fieri allusio ad illam Iudaeorum excommunicationem נדוי (cf. *Buxtorf*, lex. chald. talm. p. 1303; *Tol. Calm. Schegg, Schanz, Fil. Weiss, Sp.*) *et exprobraverint,* conviciis vos et opprobriis oneraverint, contumeliis vos affecerint, *et eiecerint nomen vestrum tamquam malum* i. e. nomen vestrum si cum contemptu reiecerint et aspernati fuerint tamquam nomen quod sit per se solum pravitatis scelerisque index; nomen intelligi quo sese Iesu discipulos profitentur, patet ex addito *propter Filium hominis,* Iesu causa quem Messiam agnoscunt; quare alii nomen Christianorum explicant (cf. *Bed. Bon. Alb. Cai. Calm. Schanz, Fil. Keil, Weiss*); alii tamen nomina singulorum intelligunt, quae tamquam nomina perniciosorum hominum ab omnibus traducantur et diffamentur (*Tol. Schegg*). Christus itaque discipulis suis atque aliis fidelibus praedicit persecutiones omnis generis. Primum et universale radixque omnium est *odium;* ex odio sua sponte enascuntur reliqua; odium transit in ea quibus affliguntur Christifideles; ceterum vide ad Matth. 5,11; 10,22; 24,9. Ioan. 15,18 si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Et quantopere haec in apostolis sint impleta, iam apostolus docet scribens : tamquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc (1 Cor. 4,13). Cum dicatur *propter Filium hominis,* indicatur quid ad hanc beatitudinem requiratur; scil. mundum odisse et persequi ex odio Christi et quia illi pii sint Christi sectatores; hos autem ea sustinere debere pio in Christum animo; idem docuit apostolorum princeps : nemo vestrum patiatur ut homicida aut fur... si autem ut Christianus, non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine (1 Petr. 4,15. 16).

Et quantum bonum in hoc odio mundi sit conclusum, colligendum est ex v. 23 *gaudete in illa die et exsultate,* σκιρτήσατε exsilite; gaudium tantum esse decet, ut animo non possit contineri, sed ut ipso corporis saltu prodatur; *ecce enim merces vestra multa est in coelo;* plurima itaque et pretiosa merita acquiruntur, si hominum odia et persecutiones propter Filium hominis perferuntur, et meritis respondet gloria. Locus hic classicus est de meritis bonorum operum et mercede correspondente. Aliam proponit consolationis gaudiique rationem, *secundum haec enim faciebant prophetis patres eorum;* igitur similes evadunt prophetis, insignibus illis Deoque adeo acceptis viris. Unde simul apparet odium mundi verti ipsis in gloriam et esse docu-

mentum eos esse Deo maxime acceptos et consecuturos gloriam et coronas prophetarum. Illud itaque odium minime ad ignominiam erit reputandum.

Cum beatitudinem omnis homo naturali desiderio summopere expetat eamque in omnibus quae agit quaerat, Iesus utitur exordio quam maxime convenienti docens ubinam demum vera inveniatur beatitudo. Verum simul falsas omnes de regno messiano exspectationes excludit. Id etiam magis patet ex vae sequentibus.

Notum est quod *S. Ambr.* habet : « quattuor tantum beatitudines sanctus Lucas dominicas posuit, octo vero sanctus Matthaeus; sed in his octo illae quattuor sunt et in istis quattuor illae octo; hic enim quattuor velut virtutes amplexus est cardinales » (sim. *Luc.*). Sed utrumque subtilius dicitur. Neque enim quattuor haec comprehendunt cuncta quae apud Matthaeum dicuntur neque aequiparari possunt virtutibus cardinalibus. Nam ut ab hoc incipiam, quamvis aliquo modo dici possit cum *Luc.* temperantiam haberi eo quod quis oblectetur paupertate, fortitudinem eo quod odia et adversa toleret, tamen in esurie non potest cum eodem deprehendi iustitia neque in fletu virtus prudentiae. Dein et Matthaeus et Lucas aliqua habent quae apud alterum non exprimuntur. Eos enim quos Matthaeus vocat esurientes et sitientes iustitiam, pacificos, mundos corde fateri debebis apud Lucam non exprimi. Poteris autem mites et misericordes dici connotari in pauperibus et flentibus. Quos autem Lucas esurientes vocat, cum eos a pauperibus distinguat, Matthaeus non commemorat. Aliter quoque Lucas rationem beatitudinis effert. Unde quandoque et in re et in modo differunt. Plenior itaque est narratio Matthaei, quae tamen in aliquibus a Luca completur. Christus enim non solum brevem illam sententiam : beati pauperes etc. dixisse censendus erit, sed etiam ulterius illam explicasse, unde facile ad esurientes et ad flentes quoque oratio poterat deflectere. Idem dic de modo describendi beatitudinem : saturabimini, ridebitis.

Censent aliqui apud Lucam non tam referri quod Christus dixerit quam describi miseram conditionem Christianorum tempore posteriore (cf. *Weiss*). Quod tamen gratuito asseritur. Si enim quod concedunt apud Matthaeum sermo fit de iis qui socii fiunt regni messiani, nulla est ratio cur apud Lucam aliud statuatur. Nam esurire altiorem quendam gradum paupertatis significat; qui igitur pauperes beatos dicit, idem potest esurientes quoque beatos praedicare. Illud *nunc* tempus significat huius vitae; nam in saturabimini, ridebitis exprimitur consolatio et merces vitae coelestis. De persecutionibus etc. Iesus etiam saepius ad discipulos loquitur, uti supra iam annotavi; quare in v. 22 ne umbra quidem rationis apparet cur verba haec tempus arguant posterius.

Quam diversa sit sui regni natura et indoles ab iis quae homines mundani magni aestimant, Christus non potuit gravius et efficacius

declarare quam subiunctis quattuor vae; v. 24 *verumtamen vae vobis divitibus, quia habetis* ἀπέχετε idem ac iam accepistis *consolationem vestram;* nota alloquendi modum oratorium, ex quo sequitur etiam in v. 20 seq. sermonem non unice dirigi ad discipulos, id quod aliqui ex allocutionis forma perperam colligunt. Quales divites intelligantur altera sententia manifestatur, ii scil. qui in divitiis et in rebus quae divitiis comparantur totam suam consolationem constituunt; modus loquendi illustratur Matth. 6,2. 5 receperunt mercedem suam, qui scil. aliam non quaesierunt. Illud vae miseriam denotat in vita futura subeundam; v. 25 *vae vobis qui saturati estis* ἐμπεπλησμένοι impleti et satiati; bonis terrenis et voluptatibus referti, ut de alterius ordinis bonis nihil curent; *quia esurietis;* penuria et carentia omnis boni in altera vita torquebuntur; « licet autem hoc tamquam in depicta tabula spectare in divitis Lazarique parabola » (*S. Cyr.*). Valet quod *S. Ambr.* dicit: non census, sed affectus in crimine est. Quam dirum vae sustinuit dives ille, quando de Lazari digito guttam aquae quaerebat (*Beda*). Quod vae illis imminet quorum deus venter est (Phil. 3,19; *Tol.*); *vae vobis qui ridetis nunc,* qui deliciis et nugis plane dediti in vitae iucunditate totam suam felicitatem collocant, *quia lugebitis et flebitis;* ex istis vae etiam consequitur res adversas hominibus immitti ad eorum bonum; calamitatibus enim et doloribus saepe fit, ut amatores qui erant mundi abstrahantur a noxiis voluptatibus et si terrena collapsa fuerit felicitas, saepe inquiritur coelestis. Demum sectatoribus laudis humanae qui aures hominum pravorum demulcent dicitur v. 26 *vae cum benedixerint vobis homines, secundum haec enim faciebant pseudoprophetis patres eorum* καλῶς εἴπωσιν si bona de vobis dixerint, vos laudaverint *omnes homines;* quo sensu id capiendum sit, docent plausus quibus Iudaei pseudoprophetis assentiebantur. Hi enim blandiebantur vitiis, scelestis quoque pacem et felicitatem praedicebant, ea vaticinabantur quae plebi placebant, prophetas Domini insectabantur (cf. Ier. 5,31; 7,4; 23,17; 28,2 seq. Ez. 13,3 seq. Mich. 3,5. 11). Nam, ut apostolus ait, si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem (Gal. 1,10). Illi itaque hic perstringuntur qui vitia et scelera dissimulant, sceleratis applaudunt corumque consilia promovent, impiis religionis irrisoribus assentantur et ita apud omnes se bene habent. Boni enim eos non affligunt quia boni sunt, neque mali eos persequuntur quia malos adulantur et iuvant. Eos itaque cum pseudoprophetarum mores exprimant pseudoprophetarum sors et poena manet (cf. Ez. 13,9. 11. 13 seq.).

« Post promissiones praemiorum et comminationes suppliciorum subdit hic evangelici praeceptoris leges sive documenta dirigentia »

(*S. Bon.*); statuit enim praeceptum illud quod *suum* vocat et quo observato reliqua omnia observantur apostolo docente (Rom. 13,8. Gal. 5,14), praeceptum scil. caritatis (Ioan. 15,12); v. 27 *sed vobis dico qui auditis*, ἀλλά inter alia etiam ponitur, ut transeatur ad rem in qua cardo vertitur, potissimum ante imperativos (*Grimm*, Lex. graeco-lat. s. v.); ceterum aliter quippe concipi potest; nam exsistit oppositio inter eos quos antea allocutus erat et quos nunc alloquitur; ita iam *Luc.* : sed his relictis quibus terrena cum sapiant aures occlusae sunt, vobis dico qui auditis animo vera honestaque omnia cognoscendi et colendi, qui aures aperuistis ad excipiendum et amplectendum id quod Deo gratum est. Dicitur audire, uti שמע audire attente, percipere, cognoscere, animo esse paratum ad audita recondenda in mente; ita loquere Domine, quia audit servus tuus (1 Reg. 3,10; cf. Gen. 11, 7; 42,23 hebr. Prov. 21,28 etc.). Putat *Tol.* ea dictione fieri transitum a sermone qui eousque ad discipulos habitus sit ad sermonem iam toti turbae destinatum. Subtilius *Fil.* quoque indicari vult ea dictione vae illa non referri ad ullum ex turba, sed solum ad eos qui longe absint et Iesum ea locutione quasi a digressione quadam reverti ad eos qui circumstent; *diligite inimicos vestros* « quia dixerat supra quid ab inimicis pati possint, nunc qualiter ipsi cum eisdem inimicis agere debeant ostendit » (*Beda*).

Diligere autem nihil aliud est quam alicui velle bonum. Iste autem affectus non potest esse sterilis, sed transit in effectum et opus. Unde Christus quoque modos aliquos recenset quibus animi dilectio opere exhibeatur : *benefacite his qui oderunt vos;* ergo bonum quod volumus ipsis etiam occasione oblata iis est procurandum et si dilectio est sincera, eiusmodi occasiones etiam exquirentur sedulo; v. 28 *benedicite maledicentibus vobis*, εὐλογεῖν, uti ברך fausta adprecari, *et orate pro calumniantibus vos* ἐπηρεάζειν insultare, contumeliose tractare, iniuriam facere, falso criminari. Proinde monemur ut studeamus illis bona quae ipsa dilectione eis velimus et exoptemus, etiam efficaciter apud Deum impetrare, qui beneficentiae modus omnibus praesto est; « ita vero se gessit ante alios ipse Iesus ad nostrum exemplum; namque adhuc de veneranda cruce pendens iudaica plebe ipsum irridente preces Deo Patri pro illis offerebat dicens : dimitte illis etc., et b. Stephanus lapidibus pulsatus flexis genibus oravit : Domine ne statuas illis hoc peccatum, divus etiam Paulus ait : maledicimur et benedicimus, blasphemamur et obsecramus » (Act. 7,59. 1 Cor. 4,12; *S. Cyr.*). Ceterum vide ad Matth. 5,44; Comment. I p. 242.

Caritas patiens est, non quaerit quae sua sunt; omnia suffert, omnia sustinet (1 Cor. 13,4-7). Exemplis demonstrat Christus quomodo

caritas hisce emineat v. 29 *et qui te percutit in maxillam, praebe et alteram; et ab eo qui aufert tibi vestimentum* (pallium, vestimentum exterius, *Alb.*) *etiam tunicam noli prohibere;* eo ordine recensentur vestes quo auferuntur ab homine bene vestito; cur Matth. 5,40 ordo reperiatur alius, vide ad eum locum (Comment. I p. 239). Paratos igitur suos Christus esse vult, ut iniuriis illatis summa mansuetudine cedant. Animi dispositionem qualis esse debeat exemplis describit; quando et quomodo id quod verba sonant eodem modo opere sit exhibendum, prudentia virtutum auriga et moderatrice erit diiudicandum et ex aliis officiis status et conditionis uniuscuiusque determinandum; de qua re pluribus egi in Comment. Matth. I p. 236-240. Caritas benigna est (1 Cor. 13,4) v. 30 *omni autem petenti te tribue et qui aufert quae tua sunt, ne repetas;* « omni petenti, inquit, non omnia petenti, ut id des quod dare honeste et iuste potes » (*S. Aug.* de serm. in monte 1,20 n. 67; *M.* 34,1263; *Beda*); omni petenti, id est, ne disceptes, ne respicias an petens sit amicus an inimicus, an gratus an ingratus, sed indigentiam illius solam respicito quam petendo repraesentat (*Tol.*). Non solis petentibus et indigentibus praestare ea debemus quibus opus illis est, sed generaliter ea hominibus facienda sunt quae nobis ab eis fieri volumus; sic enim fiet ut omnia quae tam ex caritate quam ex iustitia proximis tribuere debemus eis exhibeamus (*Tol.*) v. 31 *et prout vultis ut faciant vobis homines et vos facite illis similiter* i. e. diliges proximum tuum sicut te ipsum; vide ad Matth. 7,12. Praeceptum caritatis eousque expositum regula quadam et norma universali comprehenditur et concluditur qua generatim omnes hominum ordines includuntur. Quare perperam *Weiss* arbitratur hoc effatum neque ad antecedentia neque ad subsequentia congruere ideoque male hic esse insertum. Sed plane aptum est postquam de inimicis et indigentibus praecepta tradita sunt, ut etiam norma statuatur agendi generalis cum hominibus. « Ubi propria res agitur, acute videt unusquisque quid rectum sit, quid erga se fieri aequum sit; at ubi aliena utilitas vel iactura in quaestionem venit, prae ea quam φιλαυτία affert caecitate non perinde in promptu occurrit illa cognitio; ceterum ut occurrat iubet Salvator, ut ubi aliorum res agitur nos ipsos adspiciamus et id quod optaremus nobis id ipsum vicissim eis praestemus » (*Luc.*).

Iam ulterius declaratur caritatem debere esse universalem; poterit autem solum tum esse talis si propter Deum exercetur; v. 32 *et si diligitis eos qui vos diligunt quae vobis est gratia?* χάρις scil. apud Deum, quem inde peculiarem favorem Dei poteritis exoscere? *nam et peccatores diligentes se diligunt;* si itaque caritas his limitibus circumscriberetur, quid iam esset praecipuum discipuli Christi? nonne eodem

foret loco quo gentiles et peccatores? Loquitur Christus de dilectione qua amicos diligimus tantum ideo quia nos diligunt vel nobis utiles sunt. Ea enim de causa diligere dicuntur peccatores. Unde cum dicatur : si diligitis eos qui vos diligunt, significatur aequivalenter eorum dilectionem esse rationem unam et solam cur nos diligamus. Quare hac sententia nullo modo negatur dilectionem amicorum posse esse meritoriam et esse, si ex ratione supernaturali propter Deum exsistit. Idem adverte de sequentibus v. 33 *et si benefeceritis his qui vobis benefaciunt, quae vobis est gratia?* aliqui explicant : quae vobis gratiae sunt agendae (cf. *Tol.*); sed melius refertur ad illam gratiam quam quis init apud Deum, ad favorem et beneplacitum Dei (cf. *Luc. Schanz, Fil. Weiss*); *siquidem et peccatores hoc faciunt;* ergo nullum habebitur meritum, si a discipulo Christi eodem modo eademque ratione, propter causam mere humanam et naturalem, spe commodi et emolumenti vel animo solum naturaliter grato fit, sicuti facere solent homines gentiles et a Dei gratia et doctrina Christi alieni.

Atque iis in sententiis dilectionem et beneficentiam aliorum intelligi esse causam adaequatam etiam confirmatur exemplo tertio v. 34 *et si mutuum dederitis his a quibus speratis recipere,* id est quia speratis recipere et quando speratis, tum solum si dederitis, *quae gratia est vobis? nam et peccatores peccatoribus fenerantur, ut recipiant aequalia,* ut idem quod dederunt iterum recipiant. Verum alia eaque altiora Iesus a suis postulat, ut scil. non solum amicos diligant neve utilitati temporali intendant v. 35 *verumtamen diligite inimicos vestros, benefacite et mutuum date nihil inde sperantes et erit merces vestra multa;* haec enim consequitur ex gratia illa quam apud Deum ineunt; quare *merces multa* correspondet ex adverso triplici illi quaestioni : quae vel qualis vobis gratia? Quod quo alacrius agant, stimulos addit ex ratione sublimissima : *et eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos et malos;* Patrem Deum itaque pro modo suo imitantur et eius in se indolem exprimunt; unde Deo evadunt similes adeoque Deo carissimi et gratissimi. Et ex altera parte, si Deus sic amat et benefacit ingratis et inimicis, nonne cultorem et filium Dei imitari Deum summopere decet? et si is qui diligit inimicos, filius est Dei, ergo qui non diligit, non reputatur inter filios et proinde neque inter heredes vitae aeternae; obligamur ergo ex praecepto et sub poena peccati mortalis diligere inimicos (*Tol.*); vide ad Matth. 5,45.

Quod legitur μηδὲν ἀπελπίζοντες dupliciter concipitur. Codices veteres latini a b d e f ff^{2*} l q r praebent nihil desperantes, et eodem modo habent quoque codices vulg. non pauci, scil. ben cav ept (marg) fuld hub for car med ken tol val* corp harl (disperantes ger theod). Verbum ἀπελπίζειν notione desperandi eaque sola usur-

patur et apud profanos et apud LXX Is. 29,19; Iudith 9,11; Eccli. 22,26 (non desperes) 27,24; 2 Mach. 9,18. Eandem notionem etiam pro nostro loco retinent *Schegg, Schanz, Fil. Wetstein, Meyer, Grimm* (Lex. s. v.) et alii. Interpres syrus habet : et non praescindatis spem hominis; evang hier : et non faciatis perire spem; Ti edidit μηδένα ἀπελπίζοντες id quod interpres syrus legit eodemque modo vertit quoque arabs : nec praescindetis spem unius. Isti itaque verbum acceperunt notione transitiva : neminem facientes desperare, nullius spem fallentes, qua verbum revera reperitur Is. 29,19 et Iudith l. c. οἱ ἀπηλπισμένοι τῶν ἀνθρώπων, ἀπηλπισμένων σωτήρ; ea significatione si possit verbum usurpari, utique sensus exsistit ad contextum haud ineptus. Alii notionem verbi nativam retinentes, explicant *nihil desperantes :* de nulla re ex tribus illis (diligere, benefacere, mutuum dare) quasi perdita desperantes, sed omnem spem retributionis in Deo collocantes; cf. *Schegg, Schanz, Fil.* Notio quae in vulg. exprimitur, uti concedunt omnes, ad contextum est quam aptissima eamque plerique interpretum etiam sequuntur; ita *Euth.* quoque μηδὲν ἀπ' αὐτῶν ἐλπίζοντες λαβεῖν, *Erasmus :* dato, etiam si nulla spes sit reddendae pecuniae; similiter praeter *Tol. Ians. Luc. Cai. Lap. Calm. Bisp.* etiam Valla, Stephanus, Pricaeus, Grotius quos vide in tomo 6 Criticorum sacrorum, et Castalio, Salmasius, Casaubonus, Wolf, Bengel, Krebs, Valckenaer, Rosenmüller, Kuinoel, de Wette, Ewald, Bleek, Godet, Hofmann, Keil, quos enumerat *Weiss.* Quae acceptio insuper commendatur quia ex toto sermonis habitu v. 34 omnino videtur necessaria neque ab ipso verbo adeo videtur aliena, cum composita eiusmodi revera reperiantur ἀποδιδόναι, ἀπολαμβάνειν; proin ἀπελπίζειν sperare reddi ab aliquo; conferri quoque potest quod in Synopsi Criticorum ex Athenaeo affertur, dixisse veteres ἀπεσθίειν pro ἀπό τινος ἐσθίειν, ἀπογεύσασθαι pro ἀπό τινος γεύσασθαι. Demum nuper proposita est emendatio textus μηδὲν ἀντελπίζοντες (cf. Bulletin critique, 15 juin 1894 p. 238). *S. Hier.* alibi textum ita effert : feneramini his a quibus non speratis recipere (in Ez. 18, *M.* 25,176).

Denuo sublimissimum Dei Patris exemplum Iesus suis ob oculos ponit v. 36 *estote* (*ergo*) *misericordes, sicut et Pater vester misericors est;* quae animi benignitas, mansuetudo, miseratio quomodo opere sit exhibenda, exemplis docet v. 37 *nolite iudicare* et simul quantae utilitatis id pro nobis ipsis sit adiungit *et non iudicabimini;* ne itaque temere de aliis iudicemus, ne acerbe, ne eorum dicta et facta in malam partem interpretemur, verum potius omnia quantum fieri potest in bonam partem accipiamus vel excusemus. Dein ob caritatem aliis ostensam nos quoque tuti erimus a severo Dei iudicio iudicemque habebimus propitium ac misericordem; *nolite condemnare,* etiamsi res sit manifesta neque excusationi locus esse possit, tamen cave severius in eum advertas, eum tamquam hominem scelestum ac poena dignum traducas, *et non condemnabimini;* ea scil. mansuetudine et tibi poenae quas meruisti condonabuntur; *dimittite,* absolvite, ignoscite eis qui in vos peccarunt, *et dimittemini* et vobis quoque ignoscetur a Deo. Atque generatim ad opera misericordiae nos adhortatur retributione amplissima proposita v. 38 *date et dabitur vobis; mensuram bonam et confertam et coagitatam et supereffluentem dabunt in sinum vestrum;*

« metaphorica locutio est; solent enim qui triticum bene metiuntur superpositis modio manibus deorsum illud premere, concutere ut subsidat et adiicere donec supereffundatur » (*Euth. Theoph.*). En quantopere paratus et promptus est Deus ad remunerandum summa liberalitate.

Quae admonitiones et documenta concluduntur sententia generali : *eadem quippe mensura qua mensi fueritis remetietur vobis* i. e. quomodo tu es in alios, ita Deus in te; si tu benefeceris, Deus quoque tibi benefaciet, utique prout Deum decet et antea dictum est modo longe largiore et sublimiore (cf. *Theoph.*). « Videtur priori quodammodo contradicere hoc alterum; nam si supereffluentem mercedem accipiemus, qui fieri poterit, ut qua mensura mensi fuerimus remetiatur nobis? ubi paritas potius quam redundantia dandae nobis mercedis significari videtur. Quid ergo dicimus? omni nos difficultate expediet sapientissimus Paulus quaestionis solutionem praebens : qui parce seminat, parce et metet; qui autem in benedictionibus seminat, in benedictionibus quoque metet » (*S. Cyr.*); vel, ut *Alb.* ait : remetietur vobis non quidem tantum ad tantum, quia hoc parum esset, sed potius in omni mensura dilectionis et meriti remetietur vobis mensuram bonam et confertam et supereffluentem. Neque enim, adnotat *Luc.*, intelligenda est aequalitas graduum inter humanam et divinam benignitatem; nam quo ad gradus, in immensum excedit humanam divina. Si tu es bonus in alios, Deus erit bonus in te, verum suo modo, i. e. maxime liberali et divino. Ceterum vide ad Matth. 7,2.

Cum sententia de duce caeco v. 39 apud Matth. 15,14 dicatur de pharisaeis, non defuerunt qui arbitrarentur eodem modo hic quoque apud Lucam verba esse accipienda (cf. *Tol. Lamy, Schegg, Grimm* III p. 113); sed bene monet iam *Ians.* parabolas et adagia variis locis aptari posse et apud Matthaeum ad alium finem et ad aliud propositum adhiberi. Et profecto, cum Lucas e sermone montano nihil referat quod ad conditionem Iudaeorum unice spectet, non est cur nunc de pharisaeis sermonem fieri statuamus, praesertim cum alia sententiarum connexio non desit. Iam *Theoph.* advertit eum qui alios iudicet et reprehendat debere ipsum esse irreprehensum; unde nexum repetit ex v. 37 et eodem modo *Ians. Luc.;* neque multum ab ea connexione abest *Cai.* qui ait tribus similitudinibus declarari crimina eorum qui regunt. Qui enim de aliis iudicat, eo ipso se constituit quasi ducem (*Bisp.*), et ut tuum in alios iudicium eis utilitatem afferat, tu ipse debes mores tuos ad omnem probitatem composuisse (*Sp.*). Et similiter alii quoque connexionem adstruunt : discipulos esse monitos ut cauti essent ac modesti in iudicando, prompti ad iuvandos alios; verum ut

reipsa aliis bona praestare eosque ad meliorem frugem adducere possint, ipsos esse debere maxime probos (*Schanz, Weiss*). Alii existimant discipulis ea exponi quae necessaria sint ut munere suo alios docendi bene fungi possint (cf. *Fil. Keil*). Quamvis certe discipulos quoque alloquatur et exhortetur Iesus, ad eos tamen sermonem restringi nolim. Nam apud Matth. verba illa : vos estis sal terrae, lux mundi, non ad solos pertinent apostolos, sed suo modo ad omnes Christifideles extenduntur — debet enim populus messianus esse in medio populorum quasi ros a Domino et quasi stillae super herbam, Mich. 5,7, et lucere sicut luminaria in medio nationis pravae et perversae, Phil. 2,15 — (vide Comment. Matth. I p. 197); quare idem statuendum est de hac sermonis parte idque eo magis quia Iudaei se iactabant duces caecorum et eruditores insipientium (Rom. 2,19) et Christus omnes suos fideles vult cooperari ad bonum longe lateque spargendum : sic luceat lux vestra coram hominibus etc. Unde ex iis quoque quae Matthaeus de sermone montano refert apparet hisce sententiis quas nunc apud Lucam legimus locum aptum ibi minime deesse, Christum itaque in illo sermone longiore has quoque (et alias multas) ulterioris explicationis gratia addidisse et nos apud utrumque evangelistam non habere nisi breve totius sermonis compendium, ita tamen ut alterum ex altero complere aliqua ratione possimus.

Varia itaque officia quae aliis praestanda sunt Christus recensuit; ultimo loco : *date*, idque in universum, ergo etiam de beneficiis ordinis altioris intelligendum erit, praesertim cum Iesus suos esse velit salem terrae et lucem mundi. Verum quid opus est ad hoc aliaque praestanda? Id docet a contrario. Fieri transitum ad id ut quae dicta sint illustrentur, evangelista indicat v. 39 *dicebat autem illis et similitudinem : numquid potest caecus caecum ducere? nonne ambo in foveam cadunt?* caeci sunt qui lumine veritatis carent, qui extra regnum Dei versantur, qui peccatis concupiscentiisque malis agitantur; si itaque Christifideles pro sua quisque ratione non satis edocti sunt, si dominio affectuum pravorum subiacent, inepti sunt ad alios Christo lucrandos; immo non se solos perdent sed suo errore et sua pravitate alios quoque secum in interitum pertrahent; nam v. 40 *non est discipulus super magistrum; perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius*, graece : instructus (compositus) autem quivis erit sicut magister eius; i. e. si magister errat, discipulus quoque qui ab eo doctrina imbuitur errabit; discipulus enim καταρτίζεται instruitur, disponitur, adaptatur a magistro, ab eo haurit doctrinam (*Tol.*); vel si tu qui doctorem te aliorum praebes, ipse fueris in vitio, non est spes meliorem posse fieri quem docere paras (*Ians.*). Si itaque Christifideles

aliis utilitati esse velint, ipsi debent esse bene edocti et probi. — Cum alio in contextu similis habeatur sententia Matth. 10,24. 25 et Ioan. 13, 16, aliqui etiam hic eundem sensum subesse existimantes explicarunt: si ego, Christus magister, alios non iudico, neque tu iudicare debes (*S. Cyr.*); vel si ego iniurias fero, tu quoque ferre debes (*Bed. Erasmus*). Aliter *Schegg*, discipulos pharisaeorum consilio divino esse, sicut pharisaeos, aptatos (zubereitet) ad interitum.

Item docet alia similitudine quam ineptus sit ad alios corrigendos is qui ipse errori et peccatis sit immersus. Is enim similis est ei qui habens trabem in oculo suo de festuca alterius est sollicitus; iam quid fiet? irridebitur eique dicetur ut prius se ipsum a malo graviore emendet; v. 41 *quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quae in oculo tuo est non consideras?* bene notat *Beda :* « et hoc ad superiora respicit, ubi caecum a caeco duci, id est, peccantem a peccatore castigari non posse praemonuit » et *S. Cyr.* quoque dicit hoc mandatum praecipue iis prodesse qui aliorum erudiendorum munus susceperint. Bene notat *Tol. :* « verba graeca magis sermonis energiam explicant quam latina; ἐπιβλέπεις intueris, quasi diceret, oculis lynceis inspicis levissima delicta proximi et tua non consideras ; gracce verbum est καταγνοέω, id est, animadverto, quod minus est quam intueri, quasi diceret, non intueris sed nec animadvertis ». Parum vel nihil prodest proximo qui sibi non consulit. Quomodo enim alterum admoneat et corrigat, si ipse multo magis improbitati deditus sit? v. 42 *aut quomodo potes dicere fratri tuo : frater, sine, eiiciam festucam de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabem non videns?* Merito improbitatem eius qui vera doctrina Christi est imbutus trabi comparat Christus, dum alterius vitium qui nondum Christo nomen dedit sed qui per fidelem Iesu discipulum edocendus esset festucae confert. Quo enim maior et perfectior est cognitio, eo maior quoque incurritur culpa et servus qui cognovit voluntatem domini sui et non fecit vapulabit multis, qui autem non cognovit et fecit digna plagis vapulabit paucis (Luc. 12,48). Tali hortatori iure et non sine irrisione dicetur : *hypocrita, eiice primum trabem de oculo tuo et tunc perspicies, ut educas festucam de oculo fratris tui;* quam inanes futurae sint eius admonitiones significatur. Aliam parumper applicationem habere hoc adagium apud Matth. 7,3, cum ibi proxime referatur ad pruriginem alios iudicandi et damnandi, facile posset alicui videri. At si rem accuratius inspexeris, et quod apud Matthaeum dicitur et quod hoc loco apud Lucam ex contextu consequitur, facile una quadam communi notione comprehendes : qui scil. ineptus sit ad alios reprehendendos describitur.

Unde consequitur : si vis proximo prodesse et bonum opus efficere,

depone prius malitiam et esto prius bonus (*Tol.*); idque similitudine declaratur v. 43 *non est enim arbor bona quae facit fructus malos neque arbor mala faciens fructum bonum;* qui habet trabem in oculo est scil. arbor mala; quomodo ergo bonum fructum efficiet? Particula *enim* indicat hanc sententiam causam exprimere praecedentis, nempe cur prius oporteat trabem ex oculo eiicere (*Tol.*). Uti in rerum natura ex prava radice non enascitur fructus suavis, ita quoque in ordine morum; qui malo vitae exemplo aliis praeit, is frustra eosdem verbis suis ad virtutis tramitem reducet. Et quam necessaria sit admonentis probitas, ut apud alios emendatio efficiatur, altera declaratur similitudine v. 44 *unaquaeque enim arbor de fructu suo cognoscitur; neque enim de spinis colligunt ficus, neque de rubo vindemiant uvam;* nemini in mentem venit de spinis velle colligere ficus; pariter nemo sibi blandiatur se posse si male vivit alios corrigere; qualis autem quisque sit ex operibus eius concludere oportet; opera enim sunt fructus ex quibus quae sit eius indoles agnoscitur, ut arbor ex fructibus. Proinde simul indicat Christus qua ratione dignoscendi sint veri sui discipuli et veri doctores et duces a falsis et perversis, uti Matth. 7,16. Nam, uti adagium fert, agere sequitur esse, v. 45 *bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum et malus homo de malo thesauro profert malum; ex abundantia enim cordis os loquitur;* unde iterum sequitur : qui alios vult corrigere ipse sit probus et virtute praeditus maxime oportet. Thesaurus cordis est sicut radix arboris; unde quod inde enascitur eius in se habet naturam et indolem; « idem thesaurus cordis quod radix est arboris, et quod de corde profertur idem est quod arboris fructus » (*Beda*); cf. Matth. 12,34. 35.

Ut itaque non sint duces caeci vel arbores steriles, sed ut bonos afferant fructus, monet Iesus docetque ea esse opere exsequenda quae dixerit v. 46 *quid autem vocatis me Domine, Domine, et non facitis quae dico?* quid prodest habere fidem Iesumque profiteri Dominum, si Domini huius mandata quis negligat? « hic incipit invitare ad perfectionem eorum quae docuit in toto sermone » (*Alb.*). Neque enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute (1 Cor. 4,20; *Beda*). Proinde estote factores verbi et non auditores tantum fallentes vosmetipsos (Iac. 1,22; *S. Bon.*); alias valeret illud : populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me (Is. 29,13. Matth. 15,8); vide ad Matth. 7,21. Et quam necessario ista praecipiat, declarat v. 47 *omnis qui venit ad me et audit sermones meos et facit eos; ostendam vobis cui similis sit :* v. 48 *similis est homini aedificanti domum qui fodit in altum,* qui fodit et profundum fecit, ita graece; sedula operis continuatio exprimitur *et posuit fundamentum super petram; inundatione autem*

facta illisum est flumen domui illi, et non potuit eam movere σαλεῦσαι concutere, labefactare; *fundata enim erat super petram;* applicatio patet : qui gratia Christi praeventus in ipsum credit (id est scil. ad eum venire) eius doctrinam fide amplectitur et opere exsequitur, is demum « firmissimam habebit in omni pulchro bonoque negotio stabilitatem, adeo ut etiamsi torrentis instar tentationes incurrant nihil infaustum experturus sit » (*S. Cyr.*); per obedientiam enim coelestium praeceptorum, ut ait *S. Ambr.*, domus haec nostra non profluvio voluptatum, non nequitiae spiritualis incursu, non imbre mundano, non haereticorum nebulosis disputationibus potest permoveri. In doctrina itaque Christi observata habetur salus firma et stabilis felicitas. Quam si quis non opere sequitur, instabit ruina inevitabilis v. 49 *qui autem audit et non facit, similis est homini aedificanti domum suam super terram sine fundamento, in quam illisus est fluvius et continuo cecidit et facta est ruina domus illius magna!* Praeclaro epilogo sermo concluditur. Uti olim Moyses populo proposuit vitam et mortem, bonum et malum (Deut. 30,15), ut eligeret vitam et viveret (v. 19), ita Christus suis duos demonstrat exitus, firmam stationem et salutem obedientibus, renuentibus ruinam magnam. Alterutrum unicuique necessario continget. Ceterum vide ad Matth. 7,24-27.

c) Iesus sanat servum centurionis 7,1-10.

7,1. Cum autem implesset omnia verba sua in aures plebis, intravit Capharnaum. 2. Centurionis autem cuiusdam servus male habens, erat moriturus, qui illi erat pretiosus. 3. Et quum audisset de Iesu, misit ad eum seniores Iudaeorum, rogans eum ut veniret et salvaret servum eius. 4. At illi quum venissent ad Iesum, rogabant eum sollicite, dicentes ei : Quia dignus est ut hoc illi praestes. 5. Diligit enim gentem nostram, et synagogam ipse aedificavit nobis. 6. Iesus autem ibat cum illis. Et quum iam non longe esset a domo, misit ad eum centurio amicos, dicens : Domine, noli vexari : non enim sum dignus ut sub tectum meum intres. 7. Propter quod et me ipsum non sum dignum arbitratus ut venirem ad te : sed dic verbo, et sanabitur puer meus, 8. Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites; et

7,1. Ἐπειδὴ ἐπλήρωσεν πάντα τὰ ῥήματα αὐτοῦ εἰς τὰς ἀκοὰς τοῦ λαοῦ, εἰσῆλθεν εἰς Καφαρναούμ. 2. Ἑκατοντάρχου δέ τινος δοῦλος κακῶς ἔχων ἤμελλεν τελευτᾶν, ὃς ἦν αὐτῷ ἔντιμος. 3. ἀκούσας δὲ περὶ τοῦ Ἰησοῦ, ἀπέστειλεν πρὸς αὐτὸν πρεσβυτέρους τῶν Ἰουδαίων, ἐρωτῶν αὐτὸν ὅπως ἐλθὼν διασώσῃ τὸν δοῦλον αὐτοῦ. 4. οἱ δὲ, παραγενόμενοι πρὸς τὸν Ἰησοῦν, παρεκάλουν αὐτὸν σπουδαίως, λέγοντες, ὅτι ἄξιός ἐστιν ᾧ παρέξῃ τοῦτο· 5. ἀγαπᾷ γὰρ τὸ ἔθνος ἡμῶν, καὶ τὴν συναγωγὴν αὐτὸς ᾠκοδόμησεν ἡμῖν. 6. ὁ δὲ Ἰησοῦς ἐπορεύετο σὺν αὐτοῖς. ἤδη δὲ αὐτοῦ οὐ μακρὰν ἀπέχοντος ἀπὸ τῆς οἰκίας, ἔπεμψεν φίλους ὁ ἑκατοντάρχης, λέγων αὐτῷ, Κύριε, μὴ σκύλλου· οὐ γὰρ ἱκανός εἰμι ἵνα ὑπὸ τὴν στέγην μου εἰσέλθῃς· 7. διὸ οὐδὲ ἐμαυτὸν ἠξίωσα πρὸς σὲ ἐλθεῖν· ἀλλὰ εἰπὲ λόγῳ, καὶ ἰαθήτω ὁ παῖς μου. 8. καὶ γὰρ ἐγὼ ἄνθρωπός εἰμι ὑπὸ ἐξουσίαν τασσόμενος, ἔχων ὑπ' ἐμαυτὸν στρατιώτας· καὶ

dico huic : Vade, et vadit; et alii : Veni, et venit; et servo meo : Fac hoc, et facit. 9. Quo audito, Iesus miratus est; et conversus sequentibus se turbis, dixit : Amen dico vobis, nec in Israel tantam fidem inveni. 10. Et reversi, qui missi fuerant, domum, invenerunt servum, qui languerat, sanum.

λέγω τούτῳ, Πορεύθητι, καὶ πορεύεται· καὶ ἄλλῳ, Ἔρχου, καὶ ἔρχεται· καὶ τῷ δούλῳ μου, Ποίησον τοῦτο, καὶ ποιεῖ. 9. ἀκούσας δὲ ταῦτα ὁ Ἰησοῦς ἐθαύμασεν αὐτόν· καὶ στραφεὶς τῷ ἀκολουθοῦντι αὐτῷ ὄχλῳ εἶπεν, Λέγω ὑμῖν, οὐδὲ ἐν τῷ Ἰσραὴλ τοσαύτην πίστιν εὗρον. 10. καὶ ὑποστρέψαντες εἰς τὸν οἶκον οἱ πεμφθέντες εὗρον τὸν δοῦλον ὑγιαίνοντα.

In v. 1 επειδη A B C* X Π Ti W H; al επει δε; D και εγενετο οτε, sim *et factum est cum.*, b ff² l q ger; factum est autem a c. In v. 2 a d incipiebat mori, c morti proximus erat; a e carus; D τιμιος d honoratus. In v. 3 X ερωτουντας; *sanaret* ger hub car mt val sixt; liberaret e ff² l. In v. 7 ιαθητω B L Ti W H; al ιαθησεται; c e curabitur. In v. 8 a potestati subiectus. In v. 9 ουδε codd pler; ουδεποτε D; aliq ουτε; in nullo tantam fidem inveni in Israel a b c ff² l q r ger. In v. 10 τον δουλον sine add ℵ B L aliq minusc a b c e ff² l q ger sin cop syr (hr) Ti W H; al add ασθενουντα; c e salvum (sin v. 1 omnia haec; v. 6 amicos suos et misit ei : Dm̄e etc. v. 8 sub manu mea sunt milites; v. 10 non habetur : in domum).

Narrationem esse eandem quam Matth. 8,5 seq. legimus negari nequit. Quodsi autem apud Matth. ipsum centurionem accessisse ad Iesum dicitur, bene iam adverterunt Matthaeum rem breviter ac succincte efferre (cf. *Bed. Tol.*) et quod quis per alium fecisset ipsum censeri fecisse (cf. *S. Aug.* de cons. evang. 2,20. 49; *M.* 34,1101). Alium quoque conciliandi modum ab aliquibus esse propositum indicavi in Comment. Matth. I p. 313. — Fides magna hominis gentilis hic describitur, maxima quoque animi eius demissio, qua summopere distet a superbia pharisaeorum. Promptitudo Iesu curandi servum centurionis nobis ob oculos ponitur. Quare facile patet hanc narrationem in institutione gentilium locum quendam praecipuum occupasse; unde eam a Luca explicatius quoque per singula proponi cernimus. Similiter notat *S. Ambr.* : « pulchre ubi praecepta complevit, suorum praeceptorum formam exsequi docet; nam statim gentilis centurionis servus curandus offertur, in quo populus nationum, qui mundanae servitutis vinculis tenebatur aeger letalibus passionibus, beneficio Domini sanandus exprimitur ».

In Capharnaum id gestum esse uterque narrat; v. 1 *cum autem* (ἐπειδή cum iam; si ea lectio retinetur) *implesset omnia verba sua in aures plebis;* modus loquendi sapit hebraismum cf. Gen. 20,8; 44,18. Ex. 10,2. Deut. 5,1; 32,44. 1 Reg. 8,21 etc.; porro innuit evangelista Christum plura esse locutum quam in sermone antecedenti retulerit, *intravit Capharnaum* cf. 4,31; bis solum Lucas commemorat Iesum urbem eam intrasse; v. 2 *centurionis autem cuiusdam servus male habens erat moriturus*, iam in eo erat ut moreretur, *qui illi erat pretiosus*

quem ille magni faciebat ideoque in pretio habebat, utpote servum fidelem, utilem, hero carum. In urbe quae ad ditionem Herodis Antipae pertinebat (cf. 3,1) praesidium militum collocatum erat; hic itaque centurio stipendia merebat inter milites Herodis; v. 3 *et cum audisset de Iesu, misit ad eum seniores Iudaeorum,* nobiliores, auctoritate graves; ea enim voce non tam aetate quam dignitate insignes notantur, iudices populi et magistratus, senatores fere dixeris. Eo quod mittit seniores *Iudaeorum* iique dicunt : diligit gentem *nostram,* satis elucet centurionem fuisse natione gentilem; *rogans eum ut veniret et salvaret servum eius;* sed quomodo *ut veniret* ὅπως ἐλθών, cum tamen statim Iesu ad domum suam appropinquante amicos mittat seque non esse dignum profiteatur, sub cuius tectum Christus intret? Sunt qui censeant eum mox mentem mutasse et ad fidem perfectiorem pervenisse (*Alb. Fil. Meyer*). Verum bene monet *Tol. :* « haec autem non videntur stare posse; nam inquit : non sum me dignum arbitratus ut venirem ad te; si ergo a principio, quando misit seniores, indignum se iudicavit, qui ad Christum veniret, multo magis, ut Christus ipse ad eum proficisceretur; praeterea quia modicum fuit spatium temporis nec ulla causa nova occurrit, propter quam fides eius augeretur, immo potius dubitandi causa videbatur; audivit enim Christum venire, poteratque dicere : forsan venit quia aliter sanare non valet; non igitur dici potest a principio imperfecte credidisse et ideo rogasse ut veniret ». Neque dici potest cum *Schegg* esse formulam quandam generalem : veni et sana, sicuti veni et vide; nam qui invitatur ad videndum, eo ipso invitatur ad accedendum ad id quod videre velit.

Quare dicendum est Lucam scripsisse petitionem centurionis secundum sensum quo a senioribus est intellecta et proposita. Centurio quidem misit seniores neque aliud eis iniunxit nisi quod Matthaeus refert : puer meus iacet in domo paralyticus et male torquetur; sed seniores de suo addunt censentes centurionem cupere ut Iesus veniret, quia magnitudinem fidei eius animique demissionem minime perspexerunt; ita quoque de suo addunt v. 5 (cf. *Cai. Tol. Mald. Luc. Schanz*); v. 4 *at illi cum venissent ad Iesum, rogabant eum sollicite* σπουδαίως enixe, instanter, *dicentes ei : quia dignus est ut hoc illi praestes;* v. 5 *diligit enim gentem nostram,* cum Iudaei ab aliis gentibus haud raro contemnerentur, id ei laudi vertunt magnique faciunt quod gentem iudaicam diligit *et synagogam* τὴν συν. unam illam quam in urbe habebant? vel illam quam notam esse Iesu supponunt? *ipse aedificavit nobis;* qua in aestimatione centurio haberet cultum Dei, hoc opere demonstravit. Ipse quoque cultor censendus est Dei veri; nam ut ad idololatram Iesus intraret seniores certe non rogassent; v. 6

Iesus autem ibat cum illis; Iesus cum senioribus et certe etiam turba populi comitante lente procedebat; interea centurioni cuius causam multi vero animorum sensu prosequebantur nuntius affertur quam prompte Iesus petitioni seniorum obsecutus sit. Tum utique quam maxime elucebat centurionis fides et animi demissio; *et cum iam non longe esset a domo, misit ad eum centurio amicos dicens : Domine, noli vexari,* μὴ σκύλλου noli tibi negotium facessere, noli tibi molestiam creare; *non enim sum dignus, ut sub tectum meum intres;* v. 7 *propter quod et meipsum non sum dignum arbitratus, ut venirem ad te;* unde simul patet quomodo ἐλθών in v. 3 non possit accipi. Merito notat *S. Ambr. :* « quantum autem divinae humilitatis insigne, ut coeli Dominus nequaquam dedignaretur centurionis servulum visitare. Elucet fides in operibus, sed plus operatur humanitas in affectibus; quod utique non ideo faciebat, quia absens curare non poterat; sed ut formam tibi daret imitandae humilitatis, qua iuxta humilioribus doceret ac superioribus deferendum. Ad filium reguli noluit pergere (Ioan. 4,50), ne in reguli filio videretur magis divitiis detulisse; hic ipse perrexit, ne videretur in centurionis famulo conditionem despexisse servilem » (sim. *Beda*).

Et fidei magnitudinem ostendit centurio : *sed dic verbo et sanabitur puer meus* εἰπὲ καὶ ἰαθήτω de duobus imperativis particula καί iunctis cf. *Winer* l. c. § 43,2. 3; si solum verbo dixeris, statim sine ulla mora (haec est significatio imper. aor.) sanabitur ὁ παῖς i. e. servus; ponitur enim, ut apud Latinos *puer* quoque, de famulo et servo tum apud profanos tum sexcenties apud LXX pro עֶבֶד (cf. Matth. 8,6). Unam Christi vocem sufficere conclusione a minore ad maius demonstrat v. 8 *nam et ego homo sum sub potestate constitutus,* ego aliis subditus, tu Dominus, *habens sub me milites, et dico huic : vade, et vadit, et alii : veni, et venit, et servo meo : fac hoc, et facit;* mihi qui tamen aliis subiicior dicto audientes sunt; ego imperare possum me minoribus, quanto magis tibi Domino omnia obediunt! Varia miracula quae iam in urbe patrata erant a Christo (cf. Ioan. 4,50. Luc. 4,33. 39-41) centurio ignorare non poterat, cum fama de Iesu divulgaretur in omnem locum regionis (Luc. 4,37; 5,15); ex hisce itaque sublimem illam collegit notionem de Iesu in omnes morbos potestate et maximam illam reverentiam. Eius fides et reverentia simul est accusatio pharisaeorum et scribarum. Eidem fidei ab ipso Christo magna tribuitur laus v. 9 *quo audito Iesus miratus est;* non quidem ac si res accidisset ei inexspectata, incognita antea; nihilominus ex scientia illa quam experimentalem theologi dicunt vere potuit mirari; insuper dicitur esse miratus quia mirantis in modum se habuit vultu et locutione et res ipsa,

tanta scil. hominis gentilis fides ac reverentia, erat admiratione digna, quam expressit *et conversus sequentibus se turbis dixit,* nam quod miratur Dominus nobis mirandum esse significat (*Beda*), *amen dico vobis: nec in Israel*, ne in Israel quidem, qui populus tamen prophetarum libris et suis doctrinis edoctus merito in fide praecellere debuisset (*Ians.*), *tantam fidem inveni;* cum dicat *inveni*, significat neminem ex Israelitis tanta fide sanationem petiisse, neminem ex quo Iesus vitam ageret publicam tantam sibi fidem exhibuisse; loquitur, ut *Tol.* ait, de praesentibus Iudaeis iis quos praedicatione et miraculis ad fidem sibi praestandam alliciebat. Quae verba et centurionis insigne encomium et Iudaeorum non credentium acris reprehensio ac exprobratio, turbarum autem sequentium ad eandem fidem vehemens exhortatio sunt (*Tol.*). Plura vide ad Matth. 8,10.

Cui fidei laudem attribuit, eidem concessit quod petitum erat v. 10 *et reversi qui missi fuerant domum invenerunt servum qui languerat sanum;* cum itaque incolae Capharnaum tot tantorumque miraculorum testes essent neque tamen ullo modo fidem imitarentur hominis gentilis, merito postmodum maledictione Domini percelluntur (Luc. 10,15).

d) Suscitatur iuvenis in Naim 7,11-17.

7,11. Et factum est, deinceps ibat in civitatem, quae vocatur Naim; et ibant cum eo discipuli eius, et turba copiosa. 12. Quum autem appropinquaret portae civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suae: et haec vidua erat; et turba civitatis multa cum illa. 13. Quam quum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere. 14. Et accessit, et tetigit loculum. (Hi autem, qui portabant, steterunt.) Et ait: Adolescens, tibi dico, surge. 15. Et resedit qui erat mortuus, et coepit loqui. Et dedit illum matri suae. 16. Accepit autem omnes timor; et magnificabant Deum dicentes: Quia propheta magnus surrexit in nobis; et quia Deus visitavit plebem suam. 17. Et exiit hic sermo in universam Iudaeam de eo, et in omnem circa regionem.

7,11. Καὶ ἐγένετο ἐν τῷ ἑξῆς, ἐπορεύθη εἰς πόλιν καλουμένην Ναΐν· καὶ συνεπορεύοντο αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ καὶ ὄχλος πολύς. 12. ὡς δὲ ἤγγισεν τῇ πύλῃ τῆς πόλεως, καὶ ἰδοὺ ἐξεκομίζετο τεθνηκώς, μονογενὴς υἱὸς τῇ μητρὶ αὐτοῦ· καὶ αὕτη ἦν χήρα· καὶ ὄχλος τῆς πόλεως ἱκανὸς ἦν σὺν αὐτῇ. 13. καὶ ἰδὼν αὐτὴν ὁ Κύριος ἐσπλαγχνίσθη ἐπ' αὐτῇ, καὶ εἶπεν αὐτῇ, Μὴ κλαῖε. 14. καὶ προσελθὼν ἥψατο τῆς σοροῦ· οἱ δὲ βαστάζοντες ἔστησαν· καὶ εἶπεν, Νεανίσκε, σοὶ λέγω, ἐγέρθητι. 15. καὶ ἀνεκάθισεν ὁ νεκρὸς, καὶ ἤρξατο λαλεῖν· καὶ ἔδωκεν αὐτὸν τῇ μητρὶ αὐτοῦ. 16. ἔλαβεν δὲ φόβος πάντας, καὶ ἐδόξαζον τὸν Θεὸν, λέγοντες, ὅτι προφήτης μέγας ἠγέρθη ἐν ἡμῖν· καὶ ὅτι ἐπεσκέψατο ὁ Θεὸς τὸν λαὸν αὐτοῦ. 17. καὶ ἐξῆλθεν ὁ λόγος οὗτος ἐν ὅλῃ τῇ Ἰουδαίᾳ περὶ αὐτοῦ, καὶ πάσῃ τῇ περιχώρῳ.

In v. 11 εν τω εξης $\aleph^c$ A B E F G H L R U V X Γ Δ Λ al 70 fere a b ff^2 l q vulg; al εν τη $\aleph^*$ C D K M S Π al permu; sequenti die c e f; alia die d; priori lectioni accedit tat

ev hier sin, alteri syr (utr) go arm aeth; pler codd μαθηται ικανοι, *multi* add b c q go; non add ℵ B D F L Z verss. In v. 12 D εγενετο δε ως ηγγιζεν, factum est autem cum... a b c e ff² l q; unicus *matri* am ben cav ept hub ing for ox c f Wordsworth; D συνεληλυθει αυτη, e consequebatur illam. In v. 15 B εκαθισεν; al ανεκαθ.; sin c surrexit et sedit; f add protinus. In v. 16 visitavit... εις αγαθον M X Λ, in bono a b ff² l q r ger; in bonum c e for. In v. 17 e in tota iudea ea dō in quibus adnuntiaverunt ad iohannen baptistam qui etiam convocatis quibusdam de discentibus suis dixit euntes inquirite dicentes tu es etc.; D pergit post v. 17 εν οις και μεχρι ιωανου του βαπτιστου ος και (v. 19) d et in quibus usque ad Iohanen baptistam qui et advocans etc. (sin v. 17 ibant in civitatem; v. 17 in omnem regionem Iudaeae).

Etiam maius subiungit evangelista miraculum quo Christi et potentia et miseratio benignitasque eximio modo elucet. Solus Lucas id refert v. 11 *et factum est deinceps ibat in civitatem quae vocatur Naim*, oppidum situm est ad radices montis Hermon minoris in latere aquilonari, haud procul ab Endor occidentem versus, secundo milliario a monte Thabor meridiem versus; nomen hodiedum exsistit viculi paucarum familiarum; *deinceps* ἐν τῷ ἑξῆς scil. χρόνῳ, quae lectio retinenda erit; ἐν τῇ ἑξῆς sequenti die; quam lectionem si sequeris, explica : sequenti die profectus est scil. a Capharnaum non autem : sequenti die iam advenit in Naim; nam a Capharnaum ad Naim iter saltem duorum dierum requiritur (cf. *Schegg*). Oppidum in libris vet. test. non commemoratur; vocem נָאִין referre solent ad נָאָה, נָוֶה pascua, campus herbidus; alii נעים *pulchrum* explicant oppidum (*Fil. Ed.* I p. 553). Meminit Iosephus vici Nain in meridionali parte Iudaeae (de bell. iud. 4,9. 4. 5); unde aliqui hunc vicum ab evangelista commemorari volunt; at omnis narratio et antecedens et subsequens versatur in Galilaea; *et ibant cum eo discipuli eius et turba copiosa;* « divino autem nutu multa Dominum turba, multa viduam comitabatur, ut viso tanto miraculo multi testes, multi Dei fierent laudatores » (*Beda*).

Servum centurionis sanat vocatus et rogatus, hic autem non vocatus adest, sed sponte ad id negotium venit (*S. Cyr.*), quasi fortuito; at nihil casu fit a Domino. Bene expendit *Ians.* quam felix et faustus ubique sit occursus Domini; « occurrit enim daemoniacis in regione Gerasenorum et curati sunt; vidit Petrum et Andream piscantes et fecit piscatores hominum; vidit publicanum nomine Levi et ex publicano fecit apostolum; vidit in probatica hominem paralyticum et mox sanitatem contulit; vidit caecum a nativitate et visum contulit; respexit in atrio Petrum et ad poenitentiam commovit; sic et modo occurrens viduae eamque flentem videns misertus est eius »; v. 12 *cum autem appropinquaret portae civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suae*, unigenitus matri suae, *et haec vidua erat;* multa quibus luctus augetur hic in unum collecta sunt; erat filius unigenitus, quem mater

solum genuerat sic ut totus amor maternus in eo collectus fixusque videretur; eum mater amabat ut spem posteritatis, ut baculum senectutis, ut lumen oculorum suorum (*Lap.*); luctus de unigenito ut maxime acerbus describitur cf. Ier. 6,26. Zach. 12,10. Morte abreptus erat in flore iuventutis; nomen eius et patris eius iam videbatur deletum ex Israel, id quod alia luctus causa eaque non minima; ipsa vidua, « ita iam omnino desolata carens tam solatio filii quam mariti » (*S. Bon.*); cf. 2 Reg. 14,5 seq. heu mulier vidua sum... quaerunt exstinguere scintillam meam, ut non supersit viro meo nomen et reliquiae super terram; ita lamentatur mulier Thecuitis, cum alteri filio eius periculum mortis immineret; *et turba civitatis multa cum illa*, scil. ad condolendum et consolandum, secundum illud : multi ex Iudaeis venerant ad Martham et Mariam ut consolarentur eas de fratre suo (Ioan. 11,19; *S. Bon.*); ex qua comitantium multitudine alii concludunt mulierem fuisse satis nobilem. Ceterum meminit Iosephus fuisse usum legitimum (νόμιμον) ut quicumque adessent sese pompae funebri lamentationique adiungerent (c. Apion. 2,26).

Non habemus pontificem qui non possit compati (Hebr. 4,15) v. 13 *quam cum vidisset Dominus*, « magnam haec verba vim habent; quam cum non simpliciter, sed viduam viro liberisque omnibus orbatam et omnino miserabilem vidisset, flentem, vociferantem, se miseram clamantem; haec enim omnia et id genus alia quae cogitari brevius quam dici possunt intelligendum est latere in illo relativo *quam* » (*Mald.*). Prima vice Lucas ipse Iesum vocat κύριον, idque fere facere solet iis in partibus quae ipsi propriae sunt (cf. 10,1; 11,39; 12,42; 13,15; 17,5. 6; 18,6; 22,31; *Keil*). Et cum Iesus se vitae mortisque dominum, ergo Deum, ostendat, aptissime ea sollemni voce appellatur (*Schegg*); neque abs re notat *Luc.* : « frequens est huic evangelistae ex imitatione Pauli praeceptoris sui ut Iesum Dominum vocet »; *misericordia motus super eam*, en causa movens (*S. Bon.*), qua divinum eius cor vero affectu commiserationis de miseria et dolore humano affici ac penetrari declaratur, *dixit illi : noli flere!* « et pulchre evangelista Dominum prius misericordia motum esse super matrem ac sic filium suscitare testatur, ut in uno nobis exemplum imitandae pietatis ostenderet, in altero fidem mirandae potestatis adstrueret » (*Beda*). Solus Iesus cum plenissimo effectu dicere potest : noli flere, cum solus valeat omnem tristitiae causam auferre; v. 14 *et accessit et tetigit loculum*, τῆς σοροῦ, lectulum seu lecticam, in qua mortuus linteo tectus iacebat; neque enim cadaver loculo inclusum efferri solebat atque hodie adhuc morem obtinere dicunt ut mortui efferantur feretro aperto lorica ne delabantur circumdato. Quid Iesus velit tacto feretro, baiuli intelligunt; *hi autem qui*

portabant steterunt; et ait : adolescens tibi dico, surge! v. 15 *et resedit qui erat mortuus et coepit loqui;* solo imperio Iesus utitur et nutu voluntatis; ita eius maiestas ac potentia declaratur. Monet *Euth.* quam diversa ratione et quam laborioso modo Elias et Eliseus mortuum ad vitam revocarint (3 Reg. 17,20 seq. 4 Reg. 4,33 seq.), Petrus quoque ponens genua orat antea et tum solum dicit : Tabitha surge (Act. 9,40). Iesus propria auctoritate revocat ad vitam ipsa re declarans quod in urbe Ierusalem antea dixerat ultimo paschate : sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat (Ioan. 5,21) aequalem sibi cum Patre attribuens potestatem; *et dedit illum matri suae;* iterum ea filium dono accipit a Deo; magna quoque Iesu benignitas et humanitas cernitur quod ipse filium ad matrem adducit, quae in quantum gaudium lacrimas luctumque mutaverit facilius cogitari quam verbis exprimi potest; « quem suscitando suum fecerat, secum ducendo vel aliter ad obsequia sua deputare poterat, sed misertus viduae omni solatio destitutae dedit eum matri » (*Alb.*).

Tria effecta esse in eius miraculi testibus evangelista refert v. 16 *accepit autem omnes timor*, uti in re coelitus facta assolet; cf. 1,12. 30. 65; 4,36; 5,9. 26; *et magnificabant Deum*, Deo laudes et gloriam dabant, *dicentes, quia propheta magnus surrexit in nobis*, Iesum non profitentur Messiam (ut aliqui volunt; cf. *S. Bon. Lap. Calm.*), sed solum magnum prophetam (*Tol. Ians. Ipr. Schanz, Fil.*), magnum, utique comparatione instituta cum Elia et Eliseo; eo miraculo Iesu exhiberi divinum testimonium eum esse prophetam i. e. missum a Deo qui nomine Dei mandata Dei perferat ea voce agnoscunt; ideoque ulterius dicunt *et quia Deus visitavit plebem suam*, utrumque ὅτι *quia* explica recitativum; Deus benigno favore suum populum prosequitur eo scil. quod iterum miserit prophetam; tempore v. g. machabaico populus frustra desideravit prophetam (cf. 1 Mach. 4,46; 9,27; 14,41) et olim gemebundi dixerunt : non est propheta et nos non cognoscet amplius Ps. 73,9. Nunc vero in bonum visitat plebem suam. Cum tanta praesens esset hominum multitudo v. 17 *exiit hic sermo in universam Iudaeam de eo*, hic sermo de eo proxime videtur significare id quod populus de Iesu dicebat surrexisse prophetam magnum (cf. *Schanz*); sed patet simul cum hoc titulo etiam fama perlatum esse miraculum, causam et occasionem eius tituli, de quo miraculo fama ubique pervulgato alii verba statim accipiunt (cf. *Tol. Luc. Lamy, Fil.*). Iudaeam sensu latiore de Palaestina hoc loco dici, uti 1,5, probabilius videtur (cf. *Ians. Luc. Schanz, Weiss*) *et in omnem circa regionem*, proin etiam extra Palaestinam fama haec de propheta magno perlata est qui miraculo adeo stupendo et insolito testimonium Dei acceperit.

Advertit *Ians.* esse notandum Dominum sola misericordia ipsum commovente a nullo rogatum vel interpellatum filium viduae suscitasse; voluisse eum demonstrare se esse viduarum maxime consolatorem et viduarum lacrimis commoveri, quemadmodum id de Deo s. Scripturae praedicent. — In explicatione morali matrem de filio mortuo plorantem Ecclesiam exhiberi dicunt plorantem de iis qui peccato mortali mortui sint coram Deo; de qua applicatione plura habent *S. Ambr. Ians. Lap. Salmeron* tomo 6 tract. 24; varia quoque e SS. Patribus affert *S. Thomas* in catena aurea, et *Cord.* in catena Lucae.

Ex rationalistis alii volunt adolescentem solum mortuo similem fuisse, nequaquam mortuum, idque Christum perspexisse (ita Paulus, Ammon). Quae sententia Christo imputat vel hypocrisin vel vanam et mendacem ostentationem, ideoque ut blasphemia reiicienda. Insuper cum Christus non solum tres mortuos verum plures suscitarit (cf. Matth. 11,5. Luc. 7,22), quis sibi persuadere poterit eum semper eos invenisse qui ab omnibus mortui credebantur, verum reipsa solum specie externa mortuis essent similes et quos sola voce potuisset vel attactu ex illo rigore nervorum aut lethargia suscitare subito ad omnem vitae vigorem. Alii allegorice narrationem explicant rei veritate negata (Weisse); alii ad mythum totam rem referunt, quem progressu quodam efformatum esse, dum puella iacens in lecto, iuvenis iam in feretro et in via ad sepulcrum, Lazarus ex ipso sepulcro suscitaretur (Strauss). Verum contra hanc sententiam de mytho iam valet illud in exspectatione iudaica de Messia nullatenus contineri fore ut Messias mortuos resuscitet; quare iam deest ratio ad eiusmodi mythum excogitandum. Mythos enim originem duxisse statuunt ex praeconcepta de Messia notione. Porro omnino concedit Keim eam narrationem non potuisse oriri ex iis quae de Elia et Eliseo relata sint, cum hae narrationes in singulis adeo discrepent ab eventu apud Lucam narrato; concedit quoque debuisse rem quandam satis eximiam evenisse in Naim, cum alias nequeat explicari, quomodo hoc oppidum alias incognitum sibi vindicaverit locum praecipuum in traditione Christianorum.

Neque inutile erit advertere quantopere miracula in evangeliis narrata sua sobrietate et simplicitate distinguantur ab iis quae ab hominibus excogitata referuntur et longe lateque describuntur in apocryphis evangeliis et actibus apostolorum. Ex horum inter se collatione quisque sibi dicet : si unquam aliqua exstiterunt miracula, certe illa exstiterunt quae tam accurate, sobrie, sine ulla pompa vel ostentatione in nostris referuntur evangeliis. Et quid prodest rationalistis miracula in evangeliis descripta variis artificiis in dubium vocare? nonne in epistolis illis S. Pauli quae ab omni controversia exemptae sunt reperiuntur certissima documenta miraculorum? nonne in libris qui ex primis saeculis nobis servati sunt eadem asseruntur? nonne apologetae primorum saeculorum ad miracula provocabant et adversariis rei christianae eiusmodi miracula quae a Christianis nomine Iesu fierent opponebant? Cuius rei exemplum illustre nobis servavit Eusebius, hist. eccl. 4,3 (*M.* 20,308), de Quadrato qui apologiam Hadriano imperatori

obtulit anno 125 : « exstat, inquit Eusebius, hodieque apud plerosque ex fratribus haec oratio quam nos etiam habemus » et quae saeculo quoque septimo nota fuisse videtur (cf. Photius, cod. 162; *M.* 103,456). Ex ea Eusebius haec nobis servavit : « Servatoris autem, inquit Quadratus, nostri opera semper conspicua erant, quippe quae vera essent, ii qui morbis liberati, qui ex mortuis suscitati sunt; qui quidem non solum conspecti sunt dum sanabantur et ad vitam revocabantur, sed etiam semper praesto aderant, nec solum quamdiu in terris moratus est Servator noster, verum etiam post eius discessum diu superstites fuerunt, adeo ut nonnulli eorum etiam ad nostra quoque tempora pervenerint ».

e) Mittit Ioannes discipulos ad Iesum 7,18-35.

7,18. Et nuntiaverunt Ioanni discipuli eius de omnibus his. 19. Et convocavit duos de discipulis suis Ioannes, et misit ad Iesum, dicens : Tu es qui venturus es, an alium expectamus? 20. Quum autem venissent ad eum viri, dixerunt : Ioannes Baptista misit nos ad te dicens : Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? 21. (In ipsa autem hora multos curavit a languoribus et plagis et spiritibus malis, et caecis multis donavit visum.) 22. Et respondens, dixit illis : Euntes renuntiate Ioanni quae audistis et vidistis, quia caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur; 23. Et beatus est quicumque non fuerit scandalizatus in me. 24. Et quum discessissent nuntii Ioannis, coepit de Ioanne dicere ad turbas : Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? 25. Sed quid existis videre? hominem mollibus vestimentis indutum? Ecce qui in veste pretiosa sunt et deliciis, in domibus regum sunt. 26. Sed quid existis videre? prophetam? Utique dico vobis, et plus quam prophetam. 27. Hic est de quo scriptum est : Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam tuam ante te. 28. Dico enim vobis : Maior inter natos mulierum propheta Ioanne Baptista nemo est; qui autem minor est in regno Dei, maior est illo. 29. Et omnis populus audiens et publicani, iustificaverunt Deum, baptiti-

7,18 Καὶ ἀπήγγειλαν Ἰωάνει οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ περὶ πάντων τούτων. 19. καὶ προσκαλεσάμενος δύο τινὰς τῶν μαθητῶν αὐτοῦ ὁ Ἰωάνης ἔπεμψεν πρὸς τὸν Κύριον λέγων, Σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος, ἢ ἕτερον προσδοκῶμεν; 20. παραγενόμενοι δὲ πρὸς αὐτὸν οἱ ἄνδρες εἶπαν, Ἰωάνης ὁ βαπτιστὴς ἀπέστειλεν ἡμᾶς πρὸς σέ, λέγων, Σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος, ἢ ἄλλον προσδοκῶμεν; 21. ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ ἐθεράπευσεν πολλοὺς ἀπὸ νόσων καὶ μαστίγων καὶ πνευμάτων πονηρῶν, καὶ τυφλοῖς πολλοῖς ἐχαρίσατο βλέπειν. 22. καὶ ἀποκριθεὶς εἶπεν αὐτοῖς, Πορευθέντες ἀπαγγείλατε Ἰωάνει ἃ εἴδετε καὶ ἠκούσατε· τυφλοὶ ἀναβλέπουσιν, χωλοὶ περιπατοῦσιν, λεπροὶ καθαρίζονται, καὶ κωφοὶ ἀκούουσιν, νεκροὶ ἐγείρονται, πτωχοὶ εὐαγγελίζονται· 23. καὶ μακάριός ἐστιν, ὃς ἐὰν μὴ σκανδαλισθῇ ἐν ἐμοί. 24. Ἀπελθόντων δὲ τῶν ἀγγέλων Ἰωάνου, ἤρξατο λέγειν πρὸς τοὺς ὄχλους περὶ Ἰωάνου, Τί ἐξήλθατε εἰς τὴν ἔρημον θεάσασθαι; κάλαμον ὑπὸ ἀνέμου σαλευόμενον; 25. ἀλλὰ τί ἐξήλθατε ἰδεῖν; ἄνθρωπον ἐν μαλακοῖς ἱματίοις ἠμφιεσμένον; ἰδοὺ, οἱ ἐν ἱματισμῷ ἐνδόξῳ καὶ τρυφῇ ὑπάρχοντες ἐν τοῖς βασιλείοις εἰσίν. 26. ἀλλὰ τί ἐξήλθατε ἰδεῖν; προφήτην; ναὶ, λέγω ὑμῖν, καὶ περισσότερον προφήτου. 27. οὗτός ἐστιν περὶ οὗ γέγραπται, Ἰδοὺ, ἀποστέλλω τὸν ἄγγελόν μου πρὸ προσώπου σου, ὃς κατασκευάσει τὴν ὁδόν σου ἔμπροσθέν σου. 28. λέγω ὑμῖν, μείζων ἐν γεννητοῖς γυναικῶν Ἰωάνου οὐδείς ἐστιν· ὁ δὲ μικρότερος ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Θεοῦ μείζων αὐτοῦ ἐστίν. 29. Καὶ πᾶς ὁ λαὸς ἀκούσας καὶ οἱ τελῶναι ἐδικαίωσαν

zati baptismo Ioannis. 30. Pharisaei autem et legisperiti consilium Dei spreverunt in semetipsos, non baptizati ab eo. 31. Ait autem Dominus : Cui ergo similes dicam homines generationis huius? et cui similes sunt? 32. Similes sunt pueris sedentibus in foro, et loquentibus ad invicem, et dicentibus : Cantavimus vobis tibiis, et non saltastis; lamentavimus, et non plorastis. 33. Venit enim Ioannes Baptista, neque manducans panem, neque bibens vinum, et dicitis : Daemonium habet. 34. Venit Filius hominis manducans et bibens, et dicitis : Ecce homo devorator, et bibens vinum, amicus publicanorum et peccatorum. 35. Et iustificata est sapientia ab omnibus filiis suis.

τὸν Θεὸν, βαπτισθέντες τὸ βάπτισμα Ἰωάνου· 30. οἱ δὲ Φαρισαῖοι καὶ οἱ νομικοὶ τὴν βουλὴν τοῦ Θεοῦ ἠθέτησαν εἰς ἑαυτοὺς, μὴ βαπτισθέντες ὑπ' αὐτοῦ. 31. Τίνι οὖν ὁμοιώσω τοὺς ἀνθρώπους τῆς γενεᾶς ταύτης; καὶ τίνι εἰσὶν ὅμοιοι; 32. ὅμοιοί εἰσιν παιδίοις τοῖς ἐν ἀγορᾷ καθημένοις, καὶ προσφωνοῦσιν ἀλλήλοις, ἃ λέγει, Ηὐλήσαμεν ὑμῖν, καὶ οὐκ ὠρχήσασθε· ἐθρηνήσαμεν, καὶ οὐκ ἐκλαύσατε. 33. ἐλήλυθεν γὰρ Ἰωάνης ὁ βαπτιστὴς μὴ ἔσθων ἄρτον μήτε πίνων οἶνον, καὶ λέγετε, Δαιμόνιον ἔχει· 34. ἐλήλυθεν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐσθίων καὶ πίνων, καὶ λέγετε, Ἰδοὺ ἄνθρωπος φάγος καὶ οἰνοπότης, φίλος τελωνῶν καὶ ἁμαρτωλῶν. 35. καὶ ἐδικαιώθη ἡ σοφία ἀπὸ πάντων τῶν τέκνων αὐτῆς.

In v. 19 προς τ. κυριον B L R Z aliq minusc; ad dominum a ff² codd pler vulg Wordsworth; dominum Iesum hub¹ theod; similiter ev hier; ετερον ℵ B L R X Z pl minusc Cyr. In v. 21 εν εκεινη ℵ B L aliq minusc; sim c e q Cyr Bas; D τυφλους εποιει βλεπειν, c e caecos (multos c) faciebat videre. In v. 22 D α ειδον υμων οι οφθαλμοι και α ηκουσαν υμων τα ωτα; sim e quae viderunt oculi vestri etc. In v. 24 codd vulg arundinem vento moveri; agitatam steph sixt. In v. 25 et deliciis *afluunt* tol^{c}, *superabundant* a ff². In v. 26 D add in fine οτι ουδεις μειζων εν γεννητοις γυναικων προφητης ιωανου του βαπτιστου. In v. 28 add προφητης A E G H S U V Γ Δ Λ al pl f q vulg go syr (sch) Ambr; iidem add του βαπτιστου; D pro hoc versu habet : ο μεικροτερος εν etc. d qui minor est eius in regno coelorum maior illo est. In v. 31 praemittunt pauci minusc ειπε δε ο κυριος, sim f tunc ergo Iesus dixit; codd vulg id non habent. In v. 32 α λεγει ℵ* B L W H; al pler λεγοντες vel και λεγουσιν (sin v. 24 quid existis videre, om in desertum; v. 29 et omnis populus et publicani qui audierunt iustificaverunt se Deo qui baptizati sunt; v. 33 neque manducans neque bibens; v. 34 vir devorator et ebrius).

Certum est Ioannem baptistam de Iesu non dubitasse. Id pluribus exposui in Comment. Matth. I p. 415 seq.; sufficit in mentem revocare Ioannem revelatione divina didicisse quis esset Iesus eique non semel testimonium reddidisse maxime clarum et certum. Iam quomodo fieri potuisset ut id in dubium vocaret de quo adeo clare edoctus erat divinitus? Valet quod ait *S. Ambr.* : « et dicto credidit et demonstratum agnovit et venientem prophetavit; quid ergo fieri posset ut sic propheta tantus erraret, ut de quo dixerat : ecce qui tollit peccata mundi, adhuc eum Dei Filium esse non crederet? aut enim insolentiae est divina ei tribuere quem nescias, aut de Dei Filio dubitasse perfidia est; non cadit igitur in talem prophetam tanti erroris suspicio ». Ioannes itaque non pro se interrogat, sed occasionem adducere vult ut et discipulis et populo Iesus tamquam Messias manifestetur, ut legatio

scil. occasionem daret Christo veritatem lucidius manifestandi; « huic sententiae responsio Christi et ea omnia quae sequuntur valde accommodantur ac favent; Christus enim se verum Messiam ostendit Ioannisque constantiam tuetur ne a testimonio mutatus videretur » (*Tol.*).

Cum discipuli Ioannis alias quoque auctoritatem Iesu adeo augeri haud aequo ferrent animo (Ioan. 3,26. Matth. 9,14), non est improbabile quod *S. Cyr. Bed. Alb. Luc.* censent, non simplici corde, sed invidia et livore stimulatos discipulos Ioannis ei nuntiasse virtutes et miracula; v. 18 *et nuntiaverunt Ioanni discipuli eius de omnibus his;* Ioannes erat in carcere castelli Macheruntis (cf. *Iosephus*, Antiq. 18,5. 2) in parte meridionali Peraeae (vide ad Matth. 11,2). Cum Lucas iam 3,20 mentionem fecisset Ioannem esse in carcere inclusum ab Herode tetrarcha, id hoc loco repetere non censuit esse necessarium neque ei in mentem venit fore saeculo decimo nono unum alterumve rationalistam qui existimaret id evenisse cum Ioannes in libertate versaretur. Scimus baptistam ab Herode esse magni habitum; cf. Marc. 6,20; quare facile patet cur eius discipulis aditus ad eum non sit negatus neque ullo modo ex tali aditu licet concludere Ioannem non fuisse in custodia; ceterum cf. Matth. 11,2. Ex modo quo nuntiant intelligit Ioannes et ipsos et populum (cum Iesum solum prophetam magnum declararet) indigere ulteriore institutione et admonitione, ut Iesum agnoscerent talem qualem ipse iis suo testimonio iam proposuerat; v. 19 *et convocavit duos de discipulis suis Ioannes et misit ad Iesum dicens : tu es qui venturus es,* ὁ ἐρχόμενος, nomen Messiae, quippe qui venturus a prophetis erat praedictus (cf. Gen. 49,10. Ez. 21,27. Ps. 39,8; 117,26) et omnium desiderio exspectabatur; vide ad Matth. 11,3; *an alium exspectamus?* exoptat itaque Ioannes ut Iesus sibi ipsi testimonium minime dubium det se esse Messiam et sperat ita fore ut tandem animi tardi et duri adducantur ad fidem. Excogitavit itaque, ut *S. Cyr.* loquitur, peracutum quid et artificiosum (σοφὸν καὶ εὐμήχανον) et quod haud parum videbatur discipulis suis profuturum.

Mittit discipulos suo nomine, ne vereantur adire Iesum et de dignitate interrogare; dein ipsa quaestione posita Ioannes exemplum praebet promptissimae fidei qua scil. se omnino paratum esse exhibet levissimo nutui Iesu plenam adhibere fidem eique firmissima adhaerere persuasione; v. 20 *cum autem venissent ad eum viri dixerunt: Ioannes baptista misit nos ad te dicens : tu es qui venturus es, an alium exspectamus?* « cognoscens itaque, utpote Deus, qua mente misisset eos Ioannes, reique rationem et adventus illorum causam, illo potissimum tempore longe plura prioribus patrabat miracula multosque sanabat; haud equidem ut Ioannem doceret — cur enim iam firma persuasione

certum? — sed eos qui adhuc dubitarent » (*S. Cyr.*); v. 21 *in ipsa autem hora multos curavit a languoribus*, a morbis, *et plagis* μαστίγων a morbis scil. vehementissimis, corpus maxime cruciantibus, *et spiritibus malis et caecis multis donavit visum* ἐχαρίσατο benevole largitus est; Iesu in conferendis beneficiis comitas et affabilitas ea voce depingitur. Sunt igitur testes insignis Iesu et potentiae et miserationis; v. 22 *et respondens dixit illis : euntes renuntiate Ioanni quae audistis* de operibus a me patratis ex fama longe lateque sparsa; cf. v. 17 *et vidistis* modo ipsi, *quia caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur;* verbis ipsis demonstrat haec esse opera Messiae olim a propheta praedicta, quia vaticinium Isaiae 35,5. 6 et 61,1 ipsa dictionis forma recolit iisque in memoriam revocat; mala itaque corporum et animorum a se auferri docet, morbos scil. et fatalem ignorantiam viae salutis; quae ex peccatis secuta sunt a se sanari profitetur ideoque se reparatorem praestat damni per protoparentem illati, ergo redemptorem generis humani. Pauperes ex textu Isaiae sunt afflicti, sunt ii qui miseria pressi salutem Dei expetunt, quibus ut laetum afferret nuntium Messias se a Deo missum esse dicit (cf. Comment. in Is. I p. 589 et II p. 433 et ad Matth. 11,5). Hic mihi observa, notat *S. Cyr.*, egregiam Servatoris agendi rationem; neque enim simpliciter dicit : ego sum, sed illos potius ad gestarum rerum suasoria argumenta amandat, ut idoneo modo fidem in se concipiant. Monet itaque ut ad vaticinia impleta advertant et ex ipsis suis operibus discant quam sollemne et omni exceptione maius testimonium sibi reddatur; ipsa opera testimonium perhibent de me et ea quidem opera quae nemo alius fecit (Ioan. 5,36 et 15,24).

Dein graviter monet ne falsa de Messia notione et exspectatione sibi imponi sinant v. 23 *et beatus est quicumque non fuerit scandalizatus in me*, qui scil. ex Iesu humilitate qua pompam spernit, immo persecutionibus et calumniis expositus est vitamque degit pauperem eamque in se exhibet conditionem ab exspectatione iudaica adeo alienam, non occasionem capit offensionis et incredulitatis. Iesus loquitur de statu praesenti ; ergo non unice de scandalo crucis vel mortis (*S. Ambr. Beda*) est cogitandum, sed de infirmitate assumpta (*S. Bon.*). Uti bene monet *Alb.* eiusmodi scandalum acceperunt Nazarethani propter eius humilitatem, alii ex livore et invidia, uti aliqui discipuli Ioannis, alii ex iactatione suae iustitiae quam Iesus condemnabat, uti pharisaei etc. Monet itaque ne idem iis accidat quod per Isaiam Deus patribus comminatus est, quibus cum noluissent ex Dei mandato in fide et humili quiete opem Dei exspectare Dominus factus est in lapidem offensionis

et in petram scandali et in laqueum et ruinam (Is. 8,6. 14). Plura vide ad Matth. 11,6.

Ea missione praecursor officio suo functus est (*S. Bon.*); iterum et discipulos suos et populum monuit ut Iesu adhaererent. Iam Iesus hanc Ioannis ad populum adhortationem confirmat, dum sermone concitato iis in memoriam reducit quanto studio Ioannem adierint et quam magnam de eo existimationem conceperint. Proinde consequens erat, ut Ioannis testimonium de Iesu amplecterentur; verum id praestare negligunt. Iesus itaque laude et commendatione Ioannis eos adducere studet, ut testimonio Ioannis de se ipso credant; eos reprehendit de incredulitate et hac ipsa oratione clare demonstrat quid praecursor missione illa et interrogatione intenderit; v. 24 *et cum discessissent nuntii Ioannis*, eos enim ulterius docere necesse non erat; reduces ad Ioannem ab ipso docebantur sine dubio, prout antea suos de Iesu docuerat (Ioan. 3,27 seq. 1,29 etc.), *coepit de Ioanne dicere ad turbas: quid existis in desertum videre?* cur tandem magno studio relictis urbibus et domibus in desertum, locum minime amoenum, existis? *arundinem vento agitatam?* num, ut contemplemini arundinem vento agitatam? plerumque id statim explicant de homine levi et inconstanti, qualem in Ioanne minime deprehenderint; « non est Ioannes similis arundini, ut quolibet impulsu trepidet et concutiatur, sed fortis et fixus in fide, in omni bonitate » (*S. Bon.*). Quae utique applicatio facile consequitur. Verum verba de se sensum fundunt illum qui aptus est ad maiorem illis ruborem ingerendum, quem *Alb.* hisce exprimit: numquid fuit arundo vento agitata hoc quod vos de domibus propriis evectos traxit in desertum ad videndum? Ita graviter reprehenduntur et punguntur qui itinere illo et labore suscepto nihil institutionis ex Ioannis praedicatione consecuti sunt vel retinuerunt.

Profecto non egressi sunt arundinem spectaturi; quaestione repetita instat, ut serio apud se perpendant quid tandem documenti ab Ioanne perceperint v. 25 *sed quid existis videre? hominem mollibus vestimentis indutum?* num existis ad luxum spectandum? non, sed spectastis hominem admirandae abstinentiae et vitae austeritatis. Si Ioannes vitam deliciis et voluptatibus deditam elegisset, non in desertum confugisset; *ecce qui in veste pretiosa sunt et deliciis, in domibus regum sunt*, et tales sunt persecutores Ioannis (*Tol.*); et ipsi si pompam et voluptates spectare voluissent, sane aulam tetrarchae petiissent. Prorsus alio consilio iter in desertum instituebant v. 26 *sed quid existis videre? prophetam?* verum tum verba eius et testimonia ut oracula Dei suscipere et retinere debebant. Et cum omnes consentiant se exiisse ad prophetam (cf. Matth. 21,26), Iesus id confirmat, immo Ioannem di-

gnitate longe eminere prae omnibus asserit; *utique dico vobis : et plus quam prophetam;* nam ipse praedictus est a propheta iam ante plura saecula, id quod nemini prophetarum contigit, et munus habet excellentius immediate scil. viam parandi Filio Dei, Messiae v. 27 *hic est de quo scriptum est : ecce mitto angelum meum ante faciem tuam* i. e. nuntium meum, legatum meum (cf. Mal. 3,1 מַלְאָכִי), *qui praeparabit viam tuam ante te;* Iesus verba prophetae recitans ita ea effert, ut Deus Pater alloquatur Messiam. Ad illud autem testimonium propheticum provocans Iesus egregie confirmat ipsius Ioannis verba (Ioan. 1,23) simulque se esse Dominatorem illum et angelum testamenti clarissime asserit, de quo Malachias loquitur et quem populus iam a longo tempore expetit et quaerit. Proinde iterum se esse Messiam indubie prodit.

Ex oraculo Malachiae de praecursore et ex munere praecursoris consequitur eum dignitate longe praestare prae omnibus qui officio quodam theocratico functi sunt v. 28 *dico enim vobis : maior inter natos mulierum propheta Ioanne baptista nemo est;* cum itaque unusquisque propheta tamquam Dei ad homines nuntius audiendus sit et ita quidem, ut Deus ipse ultor exsistat si quis verbis eius obsequi noluerit (Deut. 18,19), quanto maiore reverentia et obedientia Ioannis testimonium ab omnibus suscipi debuit? Idque eo magis quia ille annuntiabat regnum messianum appropinquare quod et omnes magno desiderio expetebant et quod ipsum dignitate longissime superat veterem theocratiam. Huius enim dignitatem eximiam prae vetere Iesus declarat : *qui autem minor est in regno Dei maior est illo;* cuius dignitatis rationem nobis aperit S. Paulus; qui enim in vetere testamento constituuntur, nihil differunt a servis, sunt parvuli sub elementis mundi servientes (Gal. 4,1-3), sunt filii ancillae in servitutem generati (Gal. 4,22-31; cf. *Cornely,* Comment. in 2 Cor. et Gal. p. 520 seq. 547 seq.); ii vero qui ad novum testamentum pertinent filii sunt pleno iure, filii sunt liberae, Ierusalem coelestis; « cum igitur nobilius et altius sit esse filium quam servum, consequitur nobilioris conditionis ac status esse vel minimum inter Christianos quam magnum inter servos » (*Tol.*). Cuius eminentiae rationem idem apostolus ex eo repetit, quia in Christum baptizati Christum induimus, constituti filii Dei in Christo (Gal. 3,26. 27; cf. *Cornely* l. c. p. 516). Verba Christi uti sunt generalia ita ad omnes regno messiano adscriptos pertinent, sicuti rationes quoque ab apostolo expositae ad omnes spectant. Quare non est cur cum *Alb.* verba ea solum intelligantur de iis in regno messiano qui in officio ministrorum constituti conferunt gratiam qua aperitur regnum coelorum vel per officium ligant ne aperiatur; multo minus autem qui sit mi-

nor intelligi potest ipse Iesus, quae tamen est explicatio multorum (cf. *S. Bon. Bed. Luc. Ipr.;* alios nominavi aliasque acceptiones recensui in Comment. Matth. I p. 434).

Prophetam itaque Ioannem agnoverunt; immo baptismo eius quo ad poenitentiam et ad regnum messianum invitabantur tincti sunt v. 29 *et omnis populus audiens* ἀκούσας cum audisset baptistam eiusque conciones *et publicani iustificaverunt Deum baptizati baptismo Ioannis;* quam parum itaque sibi constant, si in media quasi via consistentes testimonium baptistae de Iesu non suscipiunt! Sunt qui haec verba ab evangelista esse addita censeant (*S. Ambr. Tol. Cai. Luc. Lap.*), alii vel a Iesu dicta vel a Luca inserta (*Bed. Ians.*); at cum Lucas alias Domini sermonibus non soleat quidquam inserere et illud in v. 31 ait autem Dominus spurium sit (cf. lect. var.), non est cur sermonem Domini interrumpi censeamus. Sunt itaque verba Christi in v. 29 et 30 (cf. *S. Bon. Alb. Mald. Calm. Schegg, Bisp. Schanz, Fil. Keil, Weiss, Sp.*). Quid autem sit *iustificaverunt Deum*, patet clarius, ut bene *Ians.* monet, ex opposita parte in v. 30 spreverunt Dei consilium; ergo illi Deum iustificarunt qui eius consilium approbarunt et tamquam iustum, aequum et bonum illud laudaverunt. Consilium autem Dei est id quod Deus missione baptistae apud populum consequi volebat. Qui itaque baptismum Ioannis confitentes peccata susceperunt hoc Dei consilium saltem ex parte adoptarunt, et dum se cum poenitentia peccatores confiterentur et morum emendationem promitterent, Deum *iustificarunt* i. e. iustum esse dixerunt seipsos ostendendo iniustos (*S. Bon.*), Deum iure baptismum poenitentiae mandasse; alii vocem sensu latiore accipiunt laudare, glorificare (*Luc.*). Aliter vero egerunt duces populi v. 30 *pharisaei autem et legis periti* οἱ νομικοί qui alias scribae vel legis doctores appellantur, *consilium Dei spreverunt in semetipsos,* ἀθετεῖν irritum reddere, frustrare; consilium Dei irritum reddebant, vim eius et efficiam impediebant εἰς ἑαυτούς pro se et in se, *non baptizati ab eo;* invitatio illa ad poenitentiam ex Dei consilio quae fiebat ab eis repudiabatur.

Populus itaque baptismum quidem Ioannis suscepit, at eius de Iesu testimonium non accepit neque nunc ipsius Iesu de se testimonium fide suscipit; multo peius pharisaei et legis doctores et egerunt et etiamnum agunt. Utrique igitur admonitiones variis modis factas spernunt; unde v. 31 *cui ergo similes dicam homines generationis huius?* cum de populo et pharisaeis sermo fuerit, ad utrosque etiam haec referenda sunt, non ad solam turbam (ut volunt *Weiss, Keil*) neque ad solos pharisaeos (*Tol. Cai. Luc. Schegg, Schanz*). Et quasi eorum agendi modus adeo sit insolitus, ut quo se vertat ad aliquam similitudinem

inveniendam nesciat, repetit *et cui similes sunt?* v. 32 *similes sunt pueris sedentibus in foro et loquentibus ad invicem et dicentibus : cantavimus vobis tibiis et non saltastis; lamentavimus et non plorastis* i. e. nulla luctus signa edidistis. Pueri ludentes imitantur in plateis quae in choreis vel in luctu fieri viderant. Describuntur itaque pueri morosi qui ad nullum sodalium ludum accedere volunt, qui rebelles sunt et contumaces quibus studia et instituta suorum sodalium nunquam probantur, nunquam arrident (*Tol. Luc.*); quod altera pars vult, alteri nunquam placet; alii aliis se nunquam accommodare volunt. Applicatio iam facile consequitur. Iudaei more eiusmodi puerorum se habebant. Ipsis et vita austera Ioannis displicuit, displicuit pariter vita Iesu usui communi adaptata; utriusque vitae genus diversum calumniis proscindebant v. 33 *venit enim Ioannes baptista neque manducans panem neque bibens vinum et dicitis : daemonium habet;* ita qui eius monitis nolebant acquiescere sese excusabant vitae eius modum adeo insolitum et sanctum daemoni auctori attribuentes, quare in eius sanctitate apparente nihil esse momenti quo verbis eius ac monitis conciliaretur fides aut auctoritas; v. 34 *venit Filius hominis manducans et bibens* vitam agens communem; verum ne ei credant eiusque doctrinae ferant suffragium, pariter habent, *et dicitis : ecce homo devorator et bibens vinum, amicus publicanorum et peccatorum,* quid boni scil. ab eiusmodi venire potest? quid auctoritatis talis habere potest? Eiusmodi captione et conclusiuncula sibi blandiebantur et se ipsos decipiebant et conscientiae stimulos reprimebant et suffocabant.

Verum etsi isti Dei sapientissimum consilium in utroque Iudaeis exhibitum agnoscere nolebant, id tamen nullatenus in cassum recidit v. 35 *et iustificata est sapientia ab omnibus filiis suis* i. e. sapiens Dei consilium quod et in Ioanne et in Iesu diverso utriusque vitae genere exhibitum est ab iis revera agnitum est et commendatum qui vere exsistebant filii et alumni (intelligentes et rite aestimantes Dei consilium) sapientiae. Hic modus Dei agendi, haec Dei dispensatio a fidelibus comprobata est (*Beda*). Filii sapientiae noto hebraismo dicuntur sapientes, quos sapientia quasi genuit, « qui forma sapientiae in filios sapientiae formati sunt » (*Alb.*); sunt itaque ii qui Ioanni et Iesu crediderunt. — Haec pro ipsa verborum explicatione sufficiant. Plura proposui et variorum quoque de singulis acceptiones exposui et ad trutinam revocavi in Comment. Matth. I p. 443-448, quae hoc loco recolere minime necesse erit.

f) Peccatrix ungit pedes Iesu 7,36-50.

7,36. Rogabat autem illum quidam de pharisaeis ut manducaret cum illo. Et ingressus domum pharisaei discubuit. 37. Et ecce mulier, quae erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod accubuisset in domo pharisaei, attulit alabastrum unguenti. 38. Et stans retro secus pedes eius, lacrymis coepit rigare pedes eius, et capillis capitis sui tergebat, et osculabatur pedes eius, et unguento ungebat. 39. Videns autem pharisaeus, qui vocaverat eum, ait intra se dicens : Hic si esset propheta, sciret utique quae et qualis est mulier quae tangit eum; quia peccatrix est.

40. Et respondens Iesus, dixit ad illum : Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait : Magister, dic. 41. Duo debitores erant cuidam foeneratori : unus debebat denarios quingentos, et alius quinquaginta. 42. Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque. Quis ergo eum plus diligit? 43. Respondens Simon dixit : Aestimo, quia is cui plus donavit. At ille dixit ei : Recte iudicasti. 44. Et conversus ad mulierem, dixit Simoni : Vides hanc mulierem? Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti : haec autem lacrymis rigavit pedes meos, et capillis suis tersit. 45. Osculum mihi non dedisti : haec autem ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos. 46. Oleo caput meum non unxisti : haec autem unguento unxit pedes meos. 47. Propter quod dico tibi : Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. 48. Dixit autem ad illam : Remittuntur tibi peccata. 49. Et coeperunt qui simul accumbebant, dicere intra se : Quis est hic, qui etiam peccata dimittit? 50. Dixit autem ad mulierem : Fides tua te salvam fecit; vade in pace.

7,36. Ἠρώτα δέ τις αὐτὸν τῶν Φαρισαίων, ἵνα φάγῃ μετ' αὐτοῦ· καὶ εἰσελθὼν εἰς τὸν οἶκον τοῦ Φαρισαίου κατεκλίθη. 37. Καὶ ἰδοὺ, γυνὴ ἥτις ἦν ἐν τῇ πόλει ἁμαρτωλὸς, καὶ ἐπιγνοῦσα ὅτι κατάκειται ἐν τῇ οἰκίᾳ τοῦ Φαρισαίου, κομίσασα ἀλάβαστρον μύρου, 38. καὶ στᾶσα ὀπίσω παρὰ τοὺς πόδας αὐτοῦ κλαίουσα, τοῖς δάκρυσιν ἤρξατο βρέχειν τοὺς πόδας αὐτοῦ καὶ ταῖς θριξὶν τῆς κεφαλῆς αὐτῆς ἐξέμασσεν καὶ κατεφίλει τοὺς πόδας αὐτοῦ, καὶ ἤλειφεν τῷ μύρῳ. 39. Ἰδὼν δὲ ὁ Φαρισαῖος ὁ καλέσας αὐτὸν εἶπεν ἐν ἑαυτῷ, λέγων, Οὗτος εἰ ἦν ὁ προφήτης, ἐγίνωσκεν ἂν τίς καὶ ποταπὴ ἡ γυνὴ, ἥτις ἅπτεται αὐτοῦ· ὅτι ἁμαρτωλός ἐστιν.

40. Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς εἶπεν πρὸς αὐτόν, Σίμων, ἔχω σοί τι εἰπεῖν. ὁ δέ Διδάσκαλε, εἰπέ, φησίν. 41. Δύο χρεοφειλέται ἦσαν δανιστῇ τινί· ὁ εἷς ὤφειλεν δηνάρια πεντακόσια, ὁ δὲ ἕτερος πεντήκοντα. 42. μὴ ἐχόντων αὐτῶν ἀποδοῦναι, ἀμφοτέροις ἐχαρίσατο. τίς οὖν αὐτῶν πλεῖον ἀγαπήσει αὐτόν; 43. ἀποκριθεὶς Σίμων εἶπεν, Ὑπολαμβάνω ὅτι ᾧ τὸ πλεῖον ἐχαρίσατο. ὁ δὲ εἶπεν αὐτῷ, Ὀρθῶς ἔκρινας. 44. καὶ στραφεὶς πρὸς τὴν γυναῖκα, τῷ Σίμωνι ἔφη, Βλέπεις ταύτην τὴν γυναῖκα; εἰσῆλθόν σου εἰς τὴν οἰκίαν, ὕδωρ μοι ἐπὶ πόδας οὐκ ἔδωκας· αὕτη δὲ τοῖς δάκρυσιν ἔβρεξέν μου τοὺς πόδας, καὶ ταῖς θριξὶν αὐτῆς ἐξέμαξεν. 45. φίλημά μοι οὐκ ἔδωκας· αὕτη δὲ, ἀφ' ἧς εἰσῆλθον, οὐ διέλιπεν καταφιλοῦσά μου τοὺς πόδας· 46. ἐλαίῳ τὴν κεφαλήν μου οὐκ ἤλειψας· αὕτη δὲ μύρῳ ἤλειψεν τοὺς πόδας μου. 47. οὗ χάριν, λέγω σοι, Ἀφέωνται αἱ ἁμαρτίαι αὐτῆς αἱ πολλαὶ· ὅτι ἠγάπησεν πολύ· ᾧ δὲ ὀλίγον ἀφίεται, ὀλίγον ἀγαπᾷ. 48. Εἶπεν δὲ αὐτῇ, Ἀφέωνταί σου αἱ ἁμαρτίαι. 49. καὶ ἤρξαντο οἱ συνανακείμενοι λέγειν ἐν ἑαυτοῖς, Τίς οὗτός ἐστιν ὃς καὶ ἁμαρτίας ἀφίησιν; 50. εἶπεν δὲ πρὸς τὴν γυναῖκα, Ἡ πίστις σου σέσωκέν σε· πορεύου εἰς εἰρήνην.

In v. 36 a ut cibum caperet secum. In v. 37 codd pler και επιγνουσα; pler codd vulg accubuit. In v. 39 B Z o προφητης; rell sine articulo; D παρ ω κατεκειτο e pharisaeus

apud quem recumbebat (pro : ο καλεσας). In v. 40 f* go dixit ad Petrum, e ad Petrum dixit illi, c dixit Simoni. In v. 41 D aeth praem ο δε ειπεν; sim arm et dicit et syr (hr) dixit ei, b c f dixit ergo Iesus; tat syr (sin, cu, sch) dixit ei Iesus. In v. 42 ante πλειον non add ειπε ℵ B D L Z aliq minusc it vulg cop syr (sin, cu, sch) aeth; pler codd add ειπε, syr (hr) *dic mihi* in fine v.; *diliget* am cav fuld ger med corp lind harl Wordsworth. In v. 44 θριξιν της κεφαλης E F G H M S U V Γ Δ Λ al pl syr (sin, cu). In v. 45 *intravi* Ambr big dub wil lind steph hent; *introivi* b c f l q r. In v. 46 oleo *pedes meos* a e ff² l. In v. 47 *remittentur* e am big cav ept fuld ger hub theod med ken tol corp lind; *remittuntur* ben dub eg for car mt ox val wil harl; *remissa sunt* b ff² l q Ambr; dimittuntur c f Aug; αυτη ei D sin ff² l vulg. In v. 48 *remissa sunt* b e ff² l q r ger; dimissa sunt c d f; peccata *tua* f ff² l gat syr (sin, cu, sch, hr) arm Or eg sixt. In v. 50 in *pacem* l r ger (sin v. 36 et venit pharisaeus quidam rogans; v. 38 et ploravit et lacrimis pedes eius tinxit; v. 39 cogitavit apud se et dixit; v. 46 tu non unxisti me).

Hac narratione quae Lucae propria est eximio modo elucet Iesu in peccatores poenitentiam agentes suavitas, clementia, benignitas. Quare credibile est eam narrationem praeprimis propositam fuisse in institutione gentilium; nam quomodo agenda sit poenitentia pariter in ea exhibetur. Unde satis declaratur, cur eam Lucas non esse omittendam censuerit. Praeterea quaerunt, cur eam inseruerit hoc loco. Alii id factum esse ob v. 29 (*Tol.*) vel v. 30 (*Mald.*), complures ob v. 34 (cf. *Schanz*, *Weiss*) arbitrantur. Nexum alium tentavit *S. Bon.* : « supra ostendit evangelista sublimitatem Domini nostri salvatoris quantum ad excellentiam potestatis et quantum ad evidentiam veritatis; hic tertio ostendit quandam affluentiam pietatis ». Ceterum secundum ea quae supra dicta sunt de notione καθεξῆς 1,3, non multum erit laborandum, cur hoc loco haec reperiatur narratio. Eventus scil. contigit eo fere tempore de quo in antecedenti narratum est et ipse eventus quam maxime aptus est ad id quod evangelista intendit; v. 36 *rogabat autem illum quidam de pharisaeis, ut manducaret cum illo,* Dominus, utpote bonus et clemens volensque omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire petenti annuit (*S. Cyr.*), *et ingressus domum pharisaei discubuit;* non devitavit hunc, ne daret occasionem dicendi quod cum publicanis et peccatoribus una cibum caperet, pharisaeos autem fastidiret (*Euth.*). Quam invitationem Iesus eo libentius accepit vel potius ut ea fieret secreto consilio disposuit, quia quis ex ea fructus proventurus esset et scivit et voluit; v. 37 *et ecce, mulier quae erat in civitate peccatrix,* « quidam non alio modo peccatricem vocari putant quam quo omnes homines nulla insignes virtute peccatores nominantur; faciunt hoc reverentia et pietate quadam ne sanctam hanc mulierem meretricem fuisse dicant, quod aures videntur aversari. Sed constans omnium veterum auctorum opinio est fuisse meretricem, si

non vulgo prostitutam, parum certe caste viventem » ita bene *Mald.;* praeterea ipsa vox de muliere dicta id peccatum de quo mulieres notari solent usu communi designat; eam πόρνην appellat *Euth.;* at talem ei notam inurere non opus est; potuit esse mulier nobilis illicitis quibusdam amoribus capta (cf. *Ians. Tol. Cai. Lap. Sylv.* lib. 5 cap. 15 qu. 5). Laus medici ex magna infirmitate depulsa celebratur; quare qui negant mulierem fuisse impudicam, multum derogant gratiae et virtuti Christi (*Tol. Mald. Sylv.*).

Dicitur *erat;* nam etiamtum cum ad pedes Iesu accederet, opinione communi censebatur peccatrix; *ut cognovit quod accubuisset in domo pharisaei, attulit alabastrum unguenti* i. e. vasculum unguentarium ex alabastrite lapide confectum; nam, ut Plinius dicit (nat. hist. 13,3), unguenta optime servantur in alabastris (vide ad Matth. 26,7). Bene advertit *Ians.* in hac muliere hoc praeprimis esse admirandum, quod cum reliqui omnes a Christo sanitatem corporalem requirerent, haec sola mentis sanitatem et remissionem peccatorum requisierit, nec verbis requisierit, sed solis lacrimis suis putaverit Dominum cogniturum quod peteret; unde qualem fidem et existimationem de Domino habuerit concludendum esse. Elucet porro in ea poenitentiae ipsius veritas et perfectio; prae magno enim remissionis consequendae desiderio nihil cunctata et neminem verita in convivii locum ingressa est : « quae solebat in sua fornicatione fortasse esse frontosa, frontosior facta est ad salutem; irrupit in domum quo non erat invitata; sed vulnera habebat et illuc venerat ubi medicus recumbebat » (*S. Aug.* in Ps. 125,5; *M.* 37, 1660); noverat enim habere ibi se locum, ubi suum sciebat discumbere medicum (in Ps. 66,6; *M.* 36,810); v. 38 *et stans retro secus pedes eius;* de more enim convivae ita mensae accumbebant in lecto, ut cubito innixi caput ad mensam, pedes in partem exteriorem porrigerent. Mulier itaque cum verecundia et humilitate retro consistebat ad pedes Iesu; *lacrimis coepit rigare pedes eius et capillis capitis sui tergebat et osculabatur pedes eius et unguento ungebat;* « nudis erat pedibus, positis quippe de more sandaliis antequam discumberet » (*Calm.*). Prae doloris magnitudine et per peccatorum detestationem adeo largiter flet, ut pedes Domini lacrimis rigaret, eos capillis tergit; quae prius fuerunt instrumenta peccati, ea nunc fecit instrumenta virtutis (*cat. Cr. Euth. Ians.*); quae antea exhibuit servire immunditiei, iam exhibet servire iustitiae. In osculis pedum uti maxime cernitur mulieris humilitas, ita Christo defertur honor eximius. Convivas unguentis tingi et apud Iudaeos et alias quoque nationes in usu erat positum (cf. *Wetstein*). Actiones mulieris ita celebrat *S. Gregorius :* « quod sibi turpiter exhibuerat, hoc iam Deo laudabiliter offerebat. Oculis terrena

concupierat, sed hos iam per poenitentiam conterens flebat; capillos ad compositionem vultus exhibuerat, sed iam capillis lacrimas tergebat; ore superba dixerat, sed pedes Domini osculans hoc in redemptoris sui vestigia figebat; quot ergo in se habuit oblectamenta, tot de se invenit holocausta » (hom. 33,2 in evang. *M.* 76,1240); eadem apud *Bed.* Quibus itaque abusa erat ad servitium peccati et carnis illis iam omnibus utitur in Christi obsequium et in declarationem poenitentiae (*Ians.*).

Et pharisaeus « aegram reprehendit de aegritudine, medicum de subventione... quae profecto mulier si ad eius pedes venisset, nimirum calcibus repulsa discederet; inquinari enim se alieno peccato crederet » (*S. Greg.* l. c. n. 3) v. 39 *videns autem pharisaeus qui vocaverat eum ait intra se dicens : hic si esset propheta, sciret utique quae et qualis est mulier quae tangit eum, quia peccatrix est;* si legitur ὁ προφήτης, explica de magno illo propheta quem surrexisse turbae dicebant et quem pharisaeus Iesum esse negat. Hac sua cogitatione iam satis prodit qua mente Iesum ad se invitaverit. Multa de Iesu fama audierat; vult itaque in commercio cum illo explorare quid rei sit. Cum ei ne communia quidem honoris signa exhiberet (v. 44-46), satis ostendit minimam suam de Iesu existimationem. Et videns Iesum qui mulierem a se non repellat certum fixumque habet famam de Iesu propheta esse plane falsam ; quare non sine contemptu cogitat : *hic* etc. ; nam quamvis prophetae neutiquam omnia scire debeant, tamen haud immerito supponit Deum non esse permissurum ut legatus Dei et nuntius ea in se admittat quae summopere dedeceant et reddant aliquem immundum. Ita autem pharisaeus iudicare solebat; si quis enim attactu *rei* immundae efficitur immundus, quanto magis peccatricis obsequiis eiusmodi? Pharisaeo utique non venit in mentem ex signis poenitentiae et doloris adeo apertis iudicandum esse mitiore modo de muliere vel eam iam cessasse esse peccatricem ; esse muneris prophetici praedicare poenitentiam adeoque peccatores non modo non esse repellendos, verum alloquendos et ad emendationem adducendos. Quare in hoc quoque pharisaeo indoles pharisaica qua suam iustitiam statuens iustitiae Dei non subiicitur (Rom. 10,3) clare apparet.

Verum statim edocetur Iesum esse prophetam et talem quidem qui quod soli Deo in s. litteris attribuitur secretas cordis cogitationes habet perspectas v. 40 *et respondens Iesus* scil. illi ratiocinio pharisaei secreto *dixit ad illum : Simon, habeo tibi aliquid dicere;* cf. graecum ἔχω σοί τι εἰπεῖν. Magna Iesus benignitate dedocere pharisaeum non dedignatur, simulque merita et laudes pandit mulieris poenitentiam agentis; *at ille ait : magister, dic!* v. 41 *duo debitores erant cuidam*

feneratori; unus debebat denarios quingentos et alius quinquaginta (i. e. fr. 425 et fr. 42,50 *Fil.*); v. 42 *non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque. Quis ergo eum plus diligit?* Censent plerique ea parabola duorum debitorum significari mulierem et pharisaeum. At de pharisaeo fieri mentionem non puto; nam, ut omittam Iesum certe nolle significare peccata pharisaei esse decies pauciora peccatis mulieris, de remissione peccatorum pharisaeo facta in tota narratione nullum deprehenditur vestigium, neque modus quo Iesum domi suae excepit is est qui veram prodat Iesu dilectionem qua venia peccatorum tribuatur; multo minus sermo esse posset de amore gratitudinis quem pharisaeus rependat Iesu propter peccata condonata; qui tamen amor ea in parabola explicite effertur; v. 43 *respondens Simon dixit: aestimo quia is cui plus donavit;* modo respondendi ὑπολαμβάνω indicare videtur pharisaeus se fere aegre ferre quod de re adeo aperta quaestio sibi proponatur; *at ille dixit ei: recte iudicasti,* scil. et tua ipsius responsione te vituperasti, « quia dum sua sententia pharisaeus convincitur, quasi phreneticus funem portat ex quo ligetur » (*S. Greg.* n. 4; *Beda*). Ea enim responsione iam se ipsum iudicii convincit temerarii et falsi de muliere. Vidit enim a muliere tot et tam insignia exhibere Christo documenta amoris et honoris. Quid ergo concludere debebat? Certe hoc, mulierem vel iam accepisse a Christo beneficia insignia vel ea ab ipso efflagitare; pariter ex iis quae de Iesu ignorare non potuit et ex habitu mulieris potuit et debuit colligere mulierem iam renuntiasse peccatis. Mulier quippe sibi conscia de multis peccatis firmissimam habet spem se humilis ferventisque amoris officiis flectere posse Christum ad misericordiam et veniam dandam, cuius scil. in peccatores clementiam iam aliunde cognitam habet et cuius doctrina et aspectu ad vitae liberioris detestationem erat adducta. Cum itaque mulier a Christo iam multum beneficii revera acceperit quod quasi pignus erat veniae et condonationis, in eius dilectionis exhibitione etiam animus cernitur gratus, et quia a Iesu non repellebatur, sed ei concedebatur signa amoris et honoris ei impendere, nonne censenda erit hac ipsa Iesu permissione iam percepisse sibi veniam dari ideoque signa amoris multiplicasse et vehementer dilexisse quia multa sibi condonata esse perspexit? Quare hac consideratione addita etiam patet cur Iesus pharisaeo eam proposuerit similitudinem et quaestionem.

Iam accurate recenset Iesus documenta amoris sibi exhibita et qui antea non advertere videbatur ad mulierem, nihilominus singula habet animo reposita eaque summa cum benevolentia agnoscit et laudat v. 44 *et conversus ad mulierem dixit Simoni: vides hanc mulierem? intravi*

in domam tuam, aquam pedibus meis non dedisti; haec et sequentia habent magnam emphasin continentque acrem reprehensionem pharisaei qui quidem Iesum invitaverat neque tamen ei ea officia praestitit quae invitatis et hospitibus fieri solebant (*Tol.*); aquam non dedisti, quae tamen peregrinorum pedibus exhiberi solebat (*Alb.*), *haec autem lacrimis rigavit pedes meos et capillis suis tersit;* v. 45 *osculum mihi non dedisti,* quod tamen a recipientibus hospitio peregrinis in primo introitu in signum securi et pacifici ingressus dari consuevit (*Alb.*); ita enim amici salutari solebant quod vel ipsa Iudae proditione probatur (*Luc.*); *haec autem ex quo intravit,* vel intravi, vide lect. var., « scriptor aliquis offensus sensu primam personam in tertiam mutavit; nam videtur incommodum habere sensum, quod peccatrix non cessaverit osculari pedes Iesu ex quo ipse intravisset, cum tempus aliquod medium fuerit inter ingressum Christi et peccatricis. Sed ideo videtur Dominus dixisse *ex quo intravi,* ut significaret mulierem post perceptum Domini introitum mox sine ulla dilatione accessisse ad oscula pedum » (*Ians.;* etiam *Tol.* legit *intravi*), *non cessavit osculari pedes meos,* quod vehementissimae eius erga me dilectionis ac venerationis est argumentum (*Tol.*); nota quoque καταφιλεῖν dici quod est multum et impense osculari; v. 46 *oleo caput meum non unxisti,* quod tamen convivis fieri solebat (cf. Ps. 22,5. Amos 6,6); *haec autem unguento* quod oleo pretiosius est *unxit pedes meos.*

Quali autem praemio haec dilectio a Christo donata sit, declaratur v. 47 *propter quod, dico tibi, remittuntur ei* ἀφέωνται remissa sunt (cf. *Tol. Ians. Sylv.* etc.) *peccata multa, quoniam dilexit multum* i. e. sua dilectione magna meruit remissionem peccatorum suorum multorum; « quid dilectionem esse credimus nisi ignem, et quid culpam nisi rubiginem? incendit plene peccati rubiginem, quia ardet valide per amoris ignem; tanto namque amplius peccati rubigo consumitur, quanto peccatoris cor magno caritatis igne concrematur » (*S. Greg.* l. c. n. 4; *Beda*). Dilectione culpa peccatorum aufertur; quo maior est dilectio, eo plures quoque peccatorum poenae temporales delentur. Probatum est, ait ad haec verba *S. Chrysologus* (sermo 94; *M.* 52, 466), quia dilectio delet et abluit universa peccata. Explicat itaque Christus viam et modum per quae mulier tantam indulgentiam consecuta est. Dilectio itaque declaratur causa remissionis (cf. *Ians. Luc. Ipr. Lap. Cord. Sylv. Reischl, Schegg, Bisp. Schanz, Fil.*). Christi enim verba id clarissime enuntiant; *cui autem minus dimittitur, minus diligit;* haec minor dimissio referenda erit ad remissionem poenarum quae culpa deleta quoque remanent et quae remissio poenarum secundum gradum dilectionis maior minorve est (cf. *Alb. Lap. Cord.*). Et quod

Christus modo asseruit, ipsi mulieri ad maximam eius consolationem repetit eam reddens certiorem de plena peccatorum suorum, quae utique multa sunt (cf. v. 47 αἱ ἁμαρτίαι αὐτῆς αἱ πολλαί) indulgentia et remissione v. 48 *dixit autem ad illam : remittuntur tibi peccata* ἀφέωνται remissa sunt. « Audistis quemadmodum coelestis debitor totum debitum caritate compensat et ad incrementum totius fenoris amoris solius exigit et requirit usuram? plectendus debitor, qui dilectione sola suam negligit redimere cautionem » (*S. Chrysologus* l. c.).

Propter parabolam de debitore cui multum remissum est et qui ideo multum diligit, aliqui putabant etiam haec verba Christi in v. 47 eodem modo esse accipienda : remissa sunt ei peccata multa, quod eo signo et argumento manifestum est quia signa multa dilectionis ostendit; *quoniam* igitur significare non causam rei sed probationis, esse argumentum ab effectibus et signis, reddi causam cognitionis (cf. *Salmeron* tom. 4 tract. 8, *Tol. Calm.*). Quam explicationem multi protestantes amplexi sunt, haud raro eo quoque consilio ut catholicam doctrinam de contritione caritate perfecta impugnarent (cf. *Keil*, *Weiss*, *Sp.*). Verum haec acceptio verbis adeo planis vim infert, dum illud *quoniam* non nativa sua notione relinquitur, sed quaedam supplentur quorum nullum est in textu vestigium. Accedit quod quae mulier egit non acta sunt in gratiarum actionem de remissione iam accepta; et tamen si illa explanatio consisteret, dicendum esset mulierem cum accederet iam scivisse sibi peccata esse remissa ideoque se gratam Iesu exhibuisse. Sed unde ostendi potest mulierem iam certo novisse peccata sua esse remissa? ne minimum quidem vestigium deprehenditur; e contra, quae mulier egit aperte indicant eam misericordiam et veniam efflagitare, et quae Christus dicit pariter ostendunt mulierem de accepta venia non esse antea edoctam.

Dein ex iis quae Christus v. 42 Simoni dicit nequit concludi mulieri debita iam esse remissa illamque hoc scientem se exhibere gratam sua dilectione. Nam supra iam declaratum est ad quid tendat similitudo; proponitur Simoni, ut falsi sui iudicii arguatur et doceatur quid potuerit et debuerit ex signis illis dilectionis colligere. Ex ea autem similitudine non sequitur debere nunc in v. 47 eodem modo fieri applicationem. Ceterum bene notat *Luc.* posse duobus modis remissionem esse causam dilectionis, uno modo si remissio praecedat et tum eam esse causam efficientem dilectionis; altero modo si subsequatur et tum esse causam finalem dilectionis. Prius selegisse Christum in similitudine, quia id facilius inter homines contingat; rarum enim esse ut homines debitoribus suis debitum remittant quia ab iis se diligi sentiant; id vero Deo esse familiare. Etiam addi potest cum *Cai.* Christum locutione in v. 47 adoptata significare voluisse nobis discrimen quod intercedat inter remissionem pecuniarum debitarum et remissionem peccatorum; « in remissione enim pecuniarum debitarum ex remissione sic

disponimur ad amandum, ut amor non perficiat remissionem, sed sequatur ad eam ex nostra voluntate; in remissione autem peccatorum aliter est : nam remissio non perficitur nisi in dilectione »; dilectio est causa remissionis.

Verborum sensum adeo planum et obvium etiam complures ex protestantibus retinuerunt, scil. peccata esse remissa propter dilectionem (de Wette, Olshausen, Bleek et alii quos nominat Weiss). Aliis in memoriam reducendum est doctrinam catholicam de contritione caritate perfecta non uno hoc loco probari, verum ex aliis s. Scripturae locis quoque demonstrari, uti apud theologos catholicos videri potest. Quare interpretes catholici non propterea hunc textum eo modo accipiunt quia alias non haberent quo doctrinam illam probarent.

Uti olim de remissione peccatorum scribae et pharisaei offensi sunt (5,21), ita nunc convivae mirantur v. 49 *et coeperunt qui simul accumbebant dicere intra se,* ἐν ἑαυτοῖς vel inter sese, *quis est hic qui etiam peccata dimittit?* cum Christus nihil ad eorum cogitationes vel sermones inter se collatos respondeat, verba haec sensu obvio erunt retinenda, ita ut solum admirationem quandam exprimant. Supra cum eum accusarent de blasphemia, miraculo patrato probavit potestatem. Hic eos sibi ipsis relinquit, ut ex ceteris suis actionibus de se iudicium ferant et si sapiant ex ipsa remissione discant quis sit hic qui peccata dimittit propter amorem sibi exhibitum. Qua in re similitudine priore de creditore iuvari poterant; peccatores enim sunt debitores Dei; si itaque Iesus propria auctoritate peccata remittit, se Deum esse profitetur. Christus laudat mulieris fidem eamque bono omine dimittit v. 50 *dixit autem ad mulierem : fides tua te salvam fecit*, « quia hoc quod petiit posse se accipere non dubitavit » (*Beda*); fide scil. ad Christum medicum aegra adducta est, fide credebat sibi a Christo remitti posse peccata, ex fide concepit illam dilectionem qua absoluta est a peccatis; ita fides ei erat initium, radix, fundamentum salutis; *vade in pace* εἰς εἰρήνην abi in conditionem felicem et beatam ; esto felix et beata. Bonum igitur illud quod pace continetur ei adprecatur. Iam verba Iesu non possunt carere effectu; pax est ut salutatio messiana, ita quoque bonum illud quod Messiam allaturum esse principem pacis prophetae vaticinati sunt (cf. Is. 9,6. 7; 52,7; 53,5. Mich. 5,5 etc.).

Sitne haec mulier peccatrix Maria Magdalene et soror Lazari, de hac quaestione vide quae dixi in Comment. Matth. II p. 399 seq.; vide quoque quae habet Salmeron t. 4 tract. 6, ubi probat ex liturgia et officio ecclesiastico non haberi certum et indubitatum argumentum.

Fuerunt qui hanc narrationem eandem putarent cum ea, de qua Matth.

26,6 et Marc. 14,3 et Ioan. 12,1 seq. referunt; ita Schleiermacher, Ewald, Bleek, Holtzmann, Schenkel, Weizsaecker; utrum sit eadem necne, *S. Ambr.* in medio relinquit : « hanc ergo mulierem inducit S. Matthaeus supra caput Christi effundentem unguentum, et ideo forte noluit dicere peccatricem, nam peccatrix secundum Lucam supra Christi pedes effudit unguentum; potest ergo non eadem esse, ne sibi contrarium evangelistae dixisse videantur; potest etiam quaestio meriti et temporis diversitate dissolvi »; in explicatione autem ea quae Matth. 26,8 seq. habentur cum hac narratione coniungit. Sed hanc narrationem omnino distingui ab unctione illa in Bethania facta evidens est et iam *cat. Cr. Theoph.* quibus inter se differant non omittunt enumerare. Apud Lucam res contigit in Galilaea, ante pascha penultimum vitae Iesu publicae; nihil de murmuratione discipulorum, nihil de sepultura, nihil de pauperibus, de praeconio mulieris in universo mundo; e contra talia narrantur quae ab altera unctione plane absunt : pharisaeus male iudicans de Iesu, mulier peccatrix, eius lacrimae et oscula pedibus Iesu infixa, parabola de duobus debitoribus, pharisaeus communia officia negans Christo, enumeratio eorum quae mulier fecit, remissio peccatorum, aliorum de remissione admiratio aliaque. Quid itaque remanet commune? convivium et unctio. Quae duo cum adeo sint in vita communia et ordinaria, ridiculum est asserere semel potuisse accidere, non bis. Sed pharisaeus utrobique vocatur Simon! Utique esse eundem Simonem in utraque narratione aliqui volebant (cf. *Luc. Ipr. Lamy*). Verum hoc quoque gratis adstruitur; nam nomen Simonis erat frequentissimum; inter duodecim apostolos duo hoc gerebant nomen; insuper distinctio satis clare asseritur, dum ille Simon in Bethania vocatur Simon leprosus, nunquam autem pharisaeus; Simon autem hic in Galilaea pharisaeus, nunquam leprosus.

Pariter reiiciendum est quod alii excogitarunt Lucam consulto narrationem illam quae apud Matth. et Marc. habeatur in aliam transmutasse formam quae suo consilio scribendi magis esset consentanea (cf. Hilgenfeld, Einleitung p. 560), vel Lucam cum narrationem alteram apud Marc. 14,3 omittat existimasse duas narrationes ad unum spectare eventum, ideoque introducto v. 40 nomine Simonis hanc quam in suo fonte invenerit voluisse magis reddere similem alteri (cf. Weiss). En quantum laborent ut quae inter se differunt eadem esse ostendant et ut Lucam vel proprio marte transmutasse rem traditione vel scripto acceptam vel errasse affirment quippe qui duas narrationes existimaverit unam! Profecto nemo tali modo licentiam erroremque attribuit profano rerum gestarum scriptori, cuius narratio neque in se neque documentis aliis impugnari potest. Undenam vero critici illi saeculo demum decimo nono *sciunt* id quod Lucas narrat non eo quo narrat modo evenisse? Lucas sollemniter affirmat se scribere postquam omnia diligenter inquisierit (1,3); potuit scire et voluit scire ea quae gesta sunt. Viri vero critici malunt levissimas quasdam et frivolas opinationes et figmenta in medium proferre ac si unum illud ob oculos haberent commentis ad libitum excogitatis de auctoritate scriptoris sacri derogare.

g) Parabola de seminante 8,1-18.

8,1. Et factum est deinceps, et ipse iter faciebat per civitates et castella, praedicans et evangelizans regnum Dei, et duodecim cum illo, 2. Et mulieres aliquae, quae erant curatae a spiritibus malignis et infirmitatibus : Maria, quae vocatur Magdalene, de qua septem daemonia exierant, 3. Et Ioanna uxor Chusae procuratoris Herodis, et Susanna, et aliae multae, quae ministrabant ei de facultatibus suis.

4. Quum autem turba plurima convenirent, et de civitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem : 5. Exiit qui seminat, seminare semen suum; et dum seminat, aliud cecidit secus viam, et conculcatum est, et volucres caeli comederunt illud. 6. Et aliud cecidit supra petram; et natum aruit, quia non habebat humorem. 7. Et aliud cecidit inter spinas; et simul exortae spinae suffocaverunt illud. 8. Et aliud cecidit in terram bonam; et ortum fecit fructum centuplum. Haec dicens clamabat : Qui habet aures audiendi, audiat. 9. Interrogabant autem eum discipuli eius, quae esset haec parabola. 10. Quibus ipse dixit : Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, caeteris autem in parabolis; ut videntes non videant, et audientes non intelligant. 11. Est autem haec parabola : Semen est verbum Dei. 12. Qui autem secus viam, hi sunt qui audiunt; deinde venit diabolus, et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant. 13. Nam qui supra petram, qui quum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum, et hi radices non habent : qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt. 14. Quod autem in spinas cecidit, hi sunt qui audierunt, et a sollicitudinibus et divitiis et voluptatibus vitae euntes suffocantur, et non referunt fructum. 15. Quod autem in bonam terram, hi sunt qui in corde bono et optimo

8,1. Καὶ ἐγένετο ἐν τῷ καθεξῆς, καὶ αὐτὸς διώδευεν κατὰ πόλιν καὶ κώμην, κηρύσσων καὶ εὐαγγελιζόμενος τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ· καὶ οἱ δώδεκα σὺν αὐτῷ, 2. καὶ γυναῖκές τινες αἳ ἦσαν τεθεραπευμέναι ἀπὸ πνευμάτων πονηρῶν καὶ ἀσθενειῶν, Μαρία ἡ καλουμένη Μαγδαληνή, ἀφ' ἧς δαιμόνια ἑπτὰ ἐξεληλύθει, 3. καὶ Ἰωάνα γυνὴ Χουζᾶ ἐπιτρόπου Ἡρῴδου, καὶ Σουσάννα, καὶ ἕτεραι πολλαί, αἵτινες διηκόνουν αὐτοῖς ἐκ τῶν ὑπαρχόντων αὐταῖς.

4. Συνιόντος δὲ ὄχλου πολλοῦ, καὶ τῶν κατὰ πόλιν ἐπιπορευομένων πρὸς αὐτὸν, εἶπεν διὰ παραβολῆς, 5. Ἐξῆλθεν ὁ σπείρων τοῦ σπεῖραι τὸν σπόρον αὐτοῦ· καὶ ἐν τῷ σπείρειν αὐτόν, ἃ μὲν ἔπεσεν παρὰ τὴν ὁδὸν, καὶ κατεπατήθη, καὶ τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ κατέφαγεν αὐτά. 6. καὶ ἕτερον κατέπεσεν ἐπὶ τὴν πέτραν, καὶ φυὲν ἐξηράνθη, διὰ τὸ μὴ ἔχειν ἰκμάδα. 7. καὶ ἕτερον ἔπεσεν ἐν μέσῳ τῶν ἀκανθῶν, καὶ συμφυεῖσαι αἱ ἄκανθαι ἀπέπνιξαν αὐτό. 8. καὶ ἕτερον ἔπεσεν εἰς τὴν γῆν τὴν ἀγαθὴν, καὶ φυὲν ἐποίησεν καρπὸν ἑκατονταπλασίονα. ταῦτα λέγων ἐφώνει, Ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν ἀκουέτω. 9. Ἐπηρώτων δὲ αὐτὸν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, Τίς αὕτη εἴη (ἡ) παραβολή; 10. ὁ δὲ εἶπεν, Ὑμῖν δέδοται γνῶναι τὰ μυστήρια τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ· τοῖς δὲ λοιποῖς ἐν παραβολαῖς, ἵνα βλέποντες μὴ βλέπωσιν καὶ ἀκούοντες μὴ συνιῶσιν. 11. Ἔστιν δὲ αὕτη ἡ παραβολή· ὁ σπόρος ἐστὶν ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ· 12. οἱ δὲ παρὰ τὴν ὁδόν εἰσιν οἱ ἀκούσαντες, εἶτα ἔρχεται ὁ διάβολος καὶ αἴρει τὸν λόγον ἀπὸ τῆς καρδίας αὐτῶν, ἵνα μὴ πιστεύσαντες σωθῶσιν. 13. οἱ δὲ ἐπὶ τῆς πέτρας, οἳ ὅταν ἀκούσωσιν μετὰ χαρᾶς δέχονται τὸν λόγον, καὶ αὐτοὶ ῥίζαν οὐκ ἔχουσιν, οἳ πρὸς καιρὸν πιστεύουσιν καὶ ἐν καιρῷ πειρασμοῦ ἀφίστανται. 14. τὸ δὲ εἰς τὰς ἀκάνθας πεσόν, οὗτοί εἰσιν οἱ ἀκούσαντες, καὶ ὑπὸ μεριμνῶν καὶ πλούτου καὶ ἡδονῶν τοῦ βίου πορευόμενοι συμπνίγονται καὶ οὐ τελεσφοροῦσιν. 15. τὸ δὲ ἐν τῇ καλῇ γῇ, οὗτοί εἰσιν οἵτινες ἐν καρδίᾳ καλῇ

audientes verbum retinent, et fructum afferunt in patientia.

16. Nemo autem lucernam accendens, operit eam vase, aut subtus lectum ponit; sed supra candelabrum ponit; ut intrantes videant lumen. 17. Non est enim occultum, quod non manifestetur; nec absconditum, quod non cognoscatur, et in palam veniat. 18. Videte ergo quomodo audiatis. Qui enim habet, dabitur illi, et quicumque non habet, etiam quod putat se habere, auferetur ab illo.

καὶ ἀγαθῇ ἀκούσαντες τὸν λόγον κατέχουσιν καὶ καρποφοροῦσιν ἐν ὑπομονῇ.

16. Οὐδεὶς δὲ λύχνον ἅψας καλύπτει αὐτὸν σκεύει, ἢ ὑποκάτω κλίνης τίθησιν· ἀλλ' ἐπὶ λυχνίας τίθησιν, (ἵνα οἱ εἰσπορευόμενοι βλέπωσιν τὸ φῶς). 17. οὐ γάρ ἐστιν κρυπτόν, ὃ οὐ φανερὸν γενήσεται· οὐδὲ ἀπόκρυφον, ὃ οὐ μὴ γνωσθῇ καὶ εἰς φανερὸν ἔλθῃ. 18. βλέπετε οὖν πῶς ἀκούετε· ὃς ἂν γὰρ ἔχῃ, δοθήσεται αὐτῷ· καὶ ὃς ἂν μὴ ἔχῃ, καὶ ὃ δοκεῖ ἔχειν ἀρθήσεται ἀπ' αὐτοῦ.

In v. 1 codd vulg longe pler per *civitatem et castellum*; civitates et castella ger car mt ken val wil, it; duodecim *discipuli* it ger. In v. 3 autois codd longe pler, eis c e fff² am big cav ept ger hub theod for med ox ken tol sax go syr (sin, cu, sch) Aug Or tat; autw ℵ A L M X Π mu minusc a b l q ben eg car mt per val wil cop arm aeth ev hier Tert. In v. 8 D αγαθην και καλην (al pauc); bonam et optimam c e r (a opt. et b.), sim tat; syr (cu) et fructiferam. In v. 10 ger ceteris autem non est datum nisi in parabolis dicatur; e nisi in similitudinem; syr (sin, cu) illis autem qui foris sunt non est datum ut scirent; propterea in parabolis dicitur eis. In v. 12 qui autem secus viam *seminati sunt* b c r Or. In v. 13 qui *autem* a r e; qui *vero* c; in tempore *tribulationis* dub ken ept (marg). In v. 14 in spinas ger wil; rell codd in *spinis*. Ad v. 15 add E² F² G² H M X Γ Λ al 60 fere et evang pler ταυτα λεγων εφωνει· ο εχων ωτα ακουειν ακουετω (id evang omiserunt in v. 8); ev hier addit cui aures ad audiendum audiat (sin v. 4 incepit dicere eis in parabola, v. 5 exiit seminator ad seminandum et cum seminaret; v. 7 inter spinas et suffocaverunt illud; v. 12 venit inimicus).

Cum Luc. 9,12 tempus designetur prope pascha tertium in vita Iesu publica (cf. Ioan. 6,4), ea quae cap. 8 narrantur evenisse videntur in altera parte anni secundi ex quo Christus praedicare incepit. Eo itaque tempore iterum (cf. 4,43. 44) circumibat longiore itinere per Galilaeam v. 1 *et factum est deinceps et ipse iter faciebat per civitates et castella* κατὰ πόλιν etc. singulas urbes et vicos Galilaeae obibat, oppidis quoque minoribus et vicis non denegabat suae praesentiae beneficium; *praedicans* κηρύσσων quae vox quandam habet sollemnitatem et ad publicam in synagogis praedicationem potissimum referri potest *et evangelizans regnum Dei;* cf. 4,43; « porro istud per occupationem dictum est, ut sciamus non hic totum Christi ministerium singillatim describi, quando quidem in sua functione assiduus fuerit, ut ubique salutis doctrinam et publicaret et miraculis additis sanciret, omnium curam gerens, nullum quantumvis humilem praeteriens locum » (*Luc.*) *et duodecim cum illo*, quos scil. formaret et suo doceret exemplo, quid et quomodo esset praedicandum et qua ratione agendum cum hominibus; mox enim ipsis quoque praedicationis negotium commissurus erat (9,1 seq.).

Praeter apostolos in eius comitatu erant v. 2 *et mulieres aliquae quae erant curatae a spiritibus malignis et infirmitatibus : Maria quae vocatur Magdalene*[1], nominis ratio peti videtur ex Magdala vico in occidentali litore lacus Gennesareth et in parte meridionali regionis eiusdem nominis (hodie El-Medschdel; vide ad Matth. 15,39; 27,56), *de qua septem daemonia exierant*, id quod aliqui de universis vitiis quibus plena fuerit accipiunt (cf. *S. Greg.* hom. in evang. 33,1; *M.* 76,1239, *Bed. Bon. Cai.*), sed verbis id non dicitur, verum possessio daemoniaca a qua per Christum liberata sit exprimitur. Id patet ex eo quoque quia modo dictum est mulieres quae a spiritibus malignis curatae erant fuisse comites Christi, cuius rei iam unum exemplum affertur, et patet ex Marc. 16,9. Dein possessio daemoniaca, uti in poenam peccatorum permitti potest a Deo, tamen non necessario et per se indicat multitudinem peccatorum in energumeno; quare ex hoc loco non potest colligi argumentum *certum*, Mariam fuisse antea plurimis peccatis obnoxiam, fuisse peccatricem; v. 3 *et Ioanna uxor Chusae*[2], *procuratoris Herodis*, scil. Antipae; cf. 3,1. 19; Ioanna etiam nominatur 24,10; ex modo loquendi uxor Chusae (et non : quae erat uxor) videtur colligi maritum fuisse superstitem et amicum Christi quia uxori permittebat Iesum sequi eique de facultatibus ministrare; neque sine mariti consensu sivisset eam Christus esse in suo comitatu (*Luc. Tol. Cai.*); explicat ἐπίτροπον *Euth.* τὸν ἐπιμελητὴν καὶ οἰκονόμον τῶν πραγμάτων αὐτοῦ, *et Susanna*, de qua nihil aliud notum est, *et aliae multae quae ministrabant ei de facultatibus suis;* Iesus non dedignatus est victum accipere de beneficiis et eleemosynis. Prudentissime quoque hoc admisit ministerium, ne onerosus videretur iis quibus praedicabat, si de eorum facultatibus et ipse et discipuli sustentandi essent, praesertim cum in vicos et oppida multa divertendum esset, in quibus ditiores vix reperirentur; sic quoque doctrina eius quippe quae omnibus gratis offerretur gratior erat magisque accepta (*Tol. Ians. Luc.*).

Christus itaque ostendit suam pro nobis susceptam paupertatem, qui propter nos egenus factus est cum esset dives (2 Cor. 8,9), mulieres autem suum in Iesum manifestant animum gratum et ministerio suo ex sua quoque parte praedicationem evangelii et institutionem apostolorum iuvant et promovent, dum illis omnem curam de victu,

1. Apud talmudicos aliquoties nominatur מרים מגדלא שיער נשויא i. e. Miriam (Maria) magdila i. e. plicans crines mulierum, quam vocant uxorem adulteram; cf. *Buxtorf*, Lex. chald. talm. p. 389 et 1459; *Lightfoot* ad h. l.; quo nomine aliqui putant memoriam Magdalenae apud eos esse servatam.

2. Eum esse βασιλικόν illum de quo Ioan. 4, 46, *Schegg* et *Godet* gratuito coniectant.

vestitu aliisque ad vitam necessariis adimunt, quo Christus et apostoli uni operi messiano vacare possint. Praeclaro insuper exemplo praeeunt piis mulieribus quae omni aetate suis opibus praedicatores evangelii sustentabant et divini cultus dignitatem et splendorem ornatu sacrarum vestium etc. augebant. — Uti Christus ministerio mulierum convenienti utebatur, ita apostoli quoque; cf. 1 Cor. 9,5; solus Paulus id non admisit, cum apud eos quibus praedicabat eae essent conditiones ut timeret ne impedimentum quoddam poneretur evangelio; insuper opus quoque supererogatorium praestare voluit in eo quod suis manibus laborans evangelium sine sumptu poneret (1 Cor. 9,12. 18; cf. *Cornely*, Comment. in 1 Cor. p. 250. 255). Ceterum notat *S. Hieronymus* (ad Matth. 27,56) : « consuetudinis iudaicae fuit, nec ducebatur in culpam more gentis antiquo, ut mulieres de substantia sua victum atque vestitum praeceptoribus ministrarent ». Hae mulieres ne morientem quidem Iesum deseruerunt; fortes adstiterunt cruci et aegre solum a sepulcro avellebantur (cf. Matth. 27,55. Marc. 15,40. 47. Luc. 23,55. Ioan. 19,25).

Eo itaque tempore Christus populo parabolas quoque proposuit, quas seorsim discipulis explicabat. Cur autem illis loquatur in parabolis, explicatur Matth. 13,13 et Marc. 4,11 et infra v. 10. Ex variis parabolis Lucas hic unam refert v. 4 *cum autem turba plurima convenirent et de civitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem* διὰ παραβολῆς; « dicendum est parabolas esse veluti imagines rerum invisibilium, intellectualium et spiritualium; quod enim corporeis oculis spectare non licet, hoc ostendit parabola mentis obtutibus, sensibilibus et quasi tangibilibus rebus egregie informans intellectualium obiectorum subtilitatem « (*S. Cyr.*); de parabolis vide *Cornely*, Introd. I p. 519 et meum Comment. Matth. I p. 514; v. 5 *exiit qui seminat seminare semen suum*, cui verborum accumulationi aliquid sollemne inesse quo exspectatio erigatur haud immerito asseritur; *et dum seminat, aliud cecidit secus viam et conculcatum est*, hanc seminis perditi causam solus commemorat Lucas, *et volucres coeli comederunt illud;* v. 6 *et aliud cecidit super petram*, super petrosa (Matth. Marc.) *et natum aruit quia non habebat humorem*, ἐκμάδα hoc solum loco et LXX Ier. 17,8; v. 7 *et aliud cecidit inter spinas et simul exortae spinae* vel ut alii explicant συμφυεῖσαι, quae cum semente crescente et herbescente coaluerunt, spinae cum semente concretae, *suffocaverunt illud;* v. 8 *et aliud cecidit in terram bonam et ortum fecit fructum centuplum;* non solum in regionibus Israelitarum, sed et in aliis quoque sementem redire cum centesimo, immo alicubi cum centesimo quinquagesimo constat (vide ad Marc. 4,8); ut parabolam serio secum

perpendant Iesus monet, *haec dicens clamabat : qui habet aures audiendi audiat;* quam monitionem, uti nos docet Marcus, praeter apostolos alii quoque discipuli (οἱ περὶ αὐτὸν σὺν τοῖς δώδεκα, 4,10) secuti sunt v. 9 *interrogabant autem eum discipuli eius quae esset haec parabola;* v. 10 *quibus ipse dixit : vobis datum est nosse mysterium regni Dei,* modum illum scil. quem Deus pro sua sapientia ordinavit ad hoc regnum suum in terris constituendum, qui modus cognitioni humanae absconditus est et plurimum diversus ab exspectatione iudaica; iste modus ne ab angelis quidem per singula noscitur, quia, ut apostolus docet, praedicatione gentibus facta principatibus et potestatibus in coelestibus per Ecclesiam multiformis Dei sapientia innotescit (Eph. 3,10). Parabolae autem a Christo de regno Dei dictae totidem sunt vaticinia de iis quae in praedicatione evangelii et in Ecclesia futura sint (*Tol.;* cf. Comment. Marc. p. 113). Discipulis itaque haec cognitio de indole regni Dei ex singulari Dei gratia communicatur; *ceteris autem in parabolis* vel ut Marc. 4,11 dicitur, illis qui foris sunt, qui itaque opponuntur discipulis credentibus et explicationem rogantibus; unde *ceteri* iam describuntur tamquam parum solliciti de doctrina et qui Iesu non eam quam postulat fidem adhibent.

Quare in parabolis loqueris eis, interrogant discipuli (Matth. 13,10); unde modus iste docendi populum parabolis non explicatis novus erat eousque insolitus. Iesus autem eum adoptat nunc in poenam. Turbae enim a falsa illa exspectatione regni messiani non recedunt, Iesu non eam fidem obviam ferunt quam tot signis et argumentis iure exposcit; unde inepti sunt sua culpa ad doctrinam de indole regni messiani rite capiendam; quare quo tendant parabolae non intelligunt neque si eis explicarentur crederent regnum messianum eo modo iri institutum et propagatum. In poenam itaque incredulitatis eis ulterior institutio de regno messiano subtrahitur; edocentur autem parabolis, quibus cum insit multiplex applicatio aliquam si velint utilitatem quidem capere possunt; at indolem regni iis delineari non percipiunt; *ut videntes non videant et audientes non intelligant;* vident scil. et audiunt rem parabola narratam, sed quo tendat res illa descripta non vident nec intelligunt; atque id Iesum velle dicitur; ἵνα enim adhibetur. Agitur enim de poena quam meriti sunt; praevidet Iesus illos non esse intellecturos, nihilominus eo modo ad eos loquitur; quare ex modo quo s. litterae loqui solent illud velle dicitur. Verba haec ex Is. 6,9. 10 petita sunt; ideoque indicatur aequalitas quaedam inter populum hunc et eos ad quos Isaias propheta missus est. Quare ea quoque ratione apparet in quem sensum verba sint accipienda (cf. Comment. Marc. p. 117).

Et profecto quam diversa est regni notio in parabola descripta ab

opinione populari. Neque enim fastu et pompa inducitur neque in dominatione consistit Iudaeorum et subiectione gentium, neque in prosperitate terrena, sed fundatur et propagatur praedicatione, quae tamen praedicatio quominus fructus ferat debitos variis obstaculis impeditur; v. 11 *est autem haec parabola : semen est verbum Dei*, id scil. quod Deus revelatione sua ad homines loqui dignatus est, Christus annuntiat et praedicandum apostolis commisit; comparatur semini, quia evangelium, utpote virtus Dei ad salutem (Rom. 1,16), habet in se vim et efficaciam ad fructus uberrimos ferendos, si eo quo debet modo suscipitur, colitur, fovetur; v. 12 *qui autem secus viam* i. e. ii apud quos semen cadit secus viam, qui significantur per viam semen recipientem; *hi sunt qui audiunt; deinde venit diabolus et tollit verbum de corde eorum ne credentes salvi fiant;* en primus adversarius regni est ille idem homicida ab initio, qui regnum Dei ab initio destruere aggressus est. Cur autem diabolus verbum facile ex eorum memoria vel corde tollere possit, indicatur parabola cum dicatur *secus viam*, qua via aliqui intelligunt cor obduratum, in quod nullum ingrediatur monitum divinum (*S. Cyr.*); cor incredulum, minime curans de rebus coelestibus, obliviosum (*S. Bon.*), cor omnibus distractionibus apertum. Tollit itaque diabolus proponens obiecta varia quae mentem excitent aut a cogitatione aliqua distrahant et quae affectum moveant, attrahant aut avertant (*Tol.*); *audiunt* igitur illi verbum Dei, sed in cor penetrare illud non sinunt; unde facile aufertur; v. 13 *nam qui supra petram* οἱ δέ qui autem, *qui cum audierint cum gaudio suscipiunt verbum, et hi radices non habent qui ad tempus credunt et in tempore tentationis recedunt;* « multis enim libet quod audiunt, boni operis initia proponunt, sed mox ut fatigari adversitatibus coeperint, inchoata derelinquunt; petrosa ergo terra humorem non habuit quae hoc quod germinaverat ad fructum perseverantiae non perduxit; multi namque cum verbum contra avaritiam audiunt, eandem avaritiam detestantur, rerum omnium contemptum laudant; sed mox ut viderit animus quod concupiscat, obliviscitur quod laudabat » (*S. Greg.* hom. 15,2). Radices dicuntur ea quae faciunt hominem in fide suscepta permanentem ac stabilem quaeque efficiunt ut per fidem fructificet opera (*Tol.*). Hisce simul praedicit Christus non defuturas varias tentationes, tribulationes, afflictiones, sicut in sermone montano iam suis indicaverat (6,22 seq.), quibus probentur ut aurum in fornace.

Aliud impedimentum exsurgit ex negotiis et sollicitudinibus et cupiditatibus v. 14 *quod autem in spinas cecidit, hi sunt qui audierunt et a sollicitudinibus* ὑπὸ μεριμνῶν quibus quasi in varias partes distrahantur, *et divitiis et voluptatibus vitae euntes suffocantur,* πορευόμενοι

iungendum erit cum ὑπὸ μεριμνῶν et explicandum cum *Euth.* ἀντὶ τοῦ, μετὰ μεριμνῶν... πολιτευόμενοι, i. e. dum vitam agunt acti et impulsi a variis curis, divitiis augendis dediti et voluptatum incitamentis agitati, *suffocantur,* id quod de semente dictum est, transfertur ad eos in quorum animis doctrina plane supprimitur et exstinguitur, *et non referunt fructum;* praedicitur itaque apostolis alios esse audituros neque tamen credituros (v. 12), alios quidem credituros, neque tamen perseveraturos (v. 13), alios in fide quidem perseveraturos, at fructum operum non allaturos (*Tol.*). Facile quoque in hisce tribus tres illi operari deprehenduntur adversarii regni Dei : diabolus, caro, mundus, quibus homines efficiuntur, ut *S. Bon.* loquitur, obliviosi, desidiosi, negotiosi et ita inepti redduntur ad fructus pietatis ferendos.

Satis triste quidem est praedicationem variis modis reddi sterilem. Verum minime propterea animo cadere oportet. Neque enim deerit fructus quoque laetissimus et uberrimus v. 15 *quod autem in bonam terram, hi sunt qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent et fructum afferunt in patientia* ἐν ὑπομονῇ, in constantia, perseverantia, qui nullis itaque tribulationibus, curis, illecebris a recto virtutum tramite se abduci sinunt, verum continuo et fortiter operibus bonis insistunt, in quorum sentiendi agendique ratione documenta fidei unice valent, unice dominantur. Pluribus de eadem parabola egi in Comment. Matth. I p. 520 seq. et Marc. p. 113 seq. quae hic repetere non opus est. Unusquique autem hac parabola serio admonetur non satis esse fidem animo suscepisse, verum sedulo esse vigilandum ne quo impedimento fides vel auferatur vel sterilis reddatur. Apostoli vero etiam edocentur de periculis quae fidelibus imminent, ut scil.: iis suo tempore remediis aptis prospiciant eosque muniant et protegant.

Dein admonet Iesus discipulos se eos haec docuisse non pro se ipsis solis, sed ut aliis quoque ea suo tempore aperiant et manifestent (cf. *Bed. Tol.*). Haec itaque lux quam iis attulit eorum ministerio inferri debet mundo; v. 16 *nemo autem lucernam accendens operit eam vase aut subtus lectum ponit,* ita quae Christus docet (et doctrina est lux, verbum Domini est lux cf. Ps. 18,9; 118,105. Prov. 6,23 etc.), non vult latere aut occultari, *sed supra candelabrum ponit ut intrantes videant lumen;* simul declaratur quanta sit huius lucis necessitas, ut tenebrae mundi dispellantur; quanta igitur foret negligentiae culpa, si eam lucem absconderent. Quare de muneris apostolici ratione et necessitate edocentur ista similitudine. Quam rationem quo magis explicet et necessitatem ostendat affert causam v. 17 *non est enim occultum quod non manifestetur, nec absconditum quod non cognoscatur et in palam veniat* i. e. non est aliquod doctrinae meae mysterium occul-

tum et sub parabolis adumbratum quod non sit manifestandum (*Tol.*); omnia doctrinae capita palam proferenda sunt, nihil in occulto relinquendum est; opera enim Dei revelare et confiteri honorificum est (Tob. 12,7), prout Deus quoque non facit quidquam, ut maneat ignoratum, sed ut in suam gloriam ab hominibus referatur. Quod cum sit tanti momenti pro munere apostolico monet v. 18 *videte ergo quomodo audiatis!* totum scil. animum ad perdiscendam doctrinam applicent. Ad quod ut alacriter incumbant, iis ratione proverbiali in memoriam revocat: *qui enim habet dabitur illi, et quicumque non habet etiam quod putat se habere auferetur ab illo;* qui dives est facile plura acquiret; qui pauper est, facile perdit etiam parvum illud quod habet. Id quod communi experientia in vita comprobatur, suo modo quoque valet in ordine altiore; qui enim conatum et studium adhibet in rebus spiritualibus, ut diligenter gratiae datae cooperetur, ille in dies maiores gratias accipiet; qui vero eiusmodi studium non habet, sed ex desidia gratias oblatas negligit, is suae culpae debebit adscribere, si largiore ope divina demum destituatur. Idem valet de studio vel negligentia in acquirenda cognitione rerum divinarum. Quare ea admonitione Dominus discipulos excitat, ut magno fervore mysteria regni Dei discere et intelligere studeant, dum iis proponat quo maiore diligentia et desiderio accedant eo maiore quoque intelligentia eos iri a Deo donatum; si vero negligenter egerint ac remisse, fore ut iis etiam quae iam acquisierint in poenam iustam priventur. Plura de iis textibus vide in Comment. Marc. p. 122 seq.

Parabola haec breviori modo proponitur a Luca quam legitur Matth. 13,3 et Marc. 4,3; in eius autem applicatione et explicatione Lucas magis eum sequitur modum qui apud Marcum deprehenditur. Unde concludunt ipsam parabolam deprompsisse Lucam ex « fonte apostolico » eamque apud ipsum haberi in prima sua ac nativa forma; in explicatione autem Lucam revertisse ad Marcum (cf. *Weiss*). Quae utraque opinatio satis incerta est. Utique brevior est parabola apud Lucam. Sed qua ratione id quod brevius est necessario debet esse prius? Nonne narratio brevior fieri potest eo quod altera longior in breviorem redigatur formam? et si comparaveris v. 6 cum Matth. 13,5. 6 et Marc. 4,5. 6, item v. 7 et 8 cum Marc. 4,7. 8, potius dicendum erit apud Lucam haberi epitomen et summarium quoddam illorum quae ibi fusius dicta sint. Neque tamen verum est Lucam ubique esse breviorem. Nam in v. 5. prolixior est et habet quod apud neutrum legitur, semen scil. in via esse conculcatum. Explicatio autem parabolae utique magis accedit ad eam formam quam apud Marcum reperimus. At simul notare oportet eam in nonnullis ab ea recedere, in aliis autem accedere ad eum modum quo apud Matthaeum legitur. Aliqua brevius quam apud Marcum habentur; ita v. 10. 12. 13. 14; dum in modo loquendi in v. 12. 13 οἱ δὲ παρὰ τὴν ὁδόν, exprimere videtur Marcum, in v. 14. 15 τὸ δὲ εἰς τὰς ἀκάνθας πεσόν eum dicunt transsilire ad Matthaeum. Praeterea in unoquoque versu cernitur vel vocabulum vel collocatio quaedam vel constructio grammaticalis vel lo-

cutio quae soli Lucae sit propria; cf. v. 5 τὸν σπόρον, καὶ κατεπατήθη, v. 6 ἕτερον, πέτραν, φυέν, ἰκμάδα, v. 7 ἐν μέσῳ, συμφυεῖσαι, v. 8 φυέν, ἐποίησε καρπὸν ἑκατονταπλασίονα, ἐφώνει, v. 10 τοῖς λοιποῖς, totus v. 11, v. 12 ne credentes salvi fiant, v. 13 πρὸς καιρὸν πιστεύουσιν, ἀφίστανται, v. 14 πεσόν, ἡδονῶν τοῦ βίου πορευόμενοι, τελεσφοροῦσιν, v. 15 ἐν καρδίᾳ καλῇ καὶ ἀγαθῇ, ἐν ὑπομονῇ. Neque haec sunt omnia. Adde ea quae vel breviora vel ampliora sunt et quae modo ad Marcum modo ad Matthaeum vel omnino vel propius accedunt. Quid ex hisce necessario consequitur? Lucam proprio marte i. e. quomodo a traditione acceperat parabolam et eius explicationem composuisse et ridiculum esse asserere in hoc membro eum secutum esse Marcum, in altero Matthaeum, in tertio aliquid mutasse, transposuisse, omisisse ex Marco, in quarto scripsisse suo marte, in quinto rediisse partim ad Marcum, etc.

h) **Iesus visitatur a cognatis; sedat tempestatem 8,19-25**

8,19. Venerunt autem ad illum mater et fratres eius, et non poterant adire eum prae turba. 20. Et nuntiatum est illi : Mater tua et fratres tui stant foris, volentes te videre. 21. Qui respondens, dixit ad eos : Mater mea et fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt et faciunt.

22. Factum est autem in una dierum, et ipse ascendit in naviculam, et discipuli eius, et ait ad illos : Transfretemus trans stagnum. Et ascenderunt. 23. Et navigantibus illis, obdormivit; et descendit procella venti in stagnum, et complebantur, et periclitabantur. 24. Accedentes autem suscitaverunt eum, dicentes : Praeceptor, perimus. At ille surgens, increpavit ventum, et tempestatem aquae, et cessavit; et facta est tranquillitas. 25. Dixit autem illis : Ubi est fides vestra? Qui timentes, mirati sunt ad invicem, dicentes : Quis putas hic est, quia et ventis et mari imperat, et obediunt ei?

8,19. Παρεγένετο δὲ πρὸς αὐτὸν ἡ μήτηρ καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ, καὶ οὐκ ἠδύναντο συντυχεῖν αὐτῷ διὰ τὸν ὄχλον. 20. ἀπηγγέλη δὲ αὐτῷ· Ἡ μήτηρ σου καὶ οἱ ἀδελφοί σου ἑστήκασιν ἔξω, ἰδεῖν θέλοντές σε. 21. ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν πρὸς αὐτούς, Μήτηρ μου καὶ ἀδελφοί μου οὗτοί εἰσιν οἱ τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ ἀκούοντες καὶ ποιοῦντες.

22. Ἐγένετο δὲ ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν, καὶ αὐτὸς ἐνέβη εἰς πλοῖον καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ· καὶ εἶπεν πρὸς αὐτούς, Διέλθωμεν εἰς τὸ πέραν τῆς λίμνης· καὶ ἀνήχθησαν. 23. πλεόντων δὲ αὐτῶν ἀφύπνωσεν. καὶ κατέβη λαῖλαψ εἰς τὴν λίμνην ἀνέμου, καὶ συνεπληροῦντο, καὶ ἐκινδύνευον. 24. προσελθόντες δὲ διήγειραν αὐτὸν λέγοντες, Ἐπιστάτα, ἐπιστάτα, ἀπολλύμεθα. ὁ δὲ διεγερθεὶς ἐπετίμησεν τῷ ἀνέμῳ καὶ τῷ κλύδωνι τοῦ ὕδατος· καὶ ἐπαύσαντο, καὶ ἐγένετο γαλήνη· 25. εἶπεν δὲ αὐτοῖς, Ποῦ ἡ πίστις ὑμῶν; φοβηθέντες δὲ ἐθαύμασαν, λέγοντες πρὸς ἀλλήλους, Τίς ἄρα οὗτός ἐστιν, ὅτι καὶ τοῖς ἀνέμοις ἐπιτάσσει καὶ τῷ ὕδατι [καὶ ὑπακούουσιν αὐτῷ];

In v. 19 παρεγενετο B D X 50. 71. cop; rell παρεγενοντο; r accedere ad eum, c loqui cum, a conloqui. In v. 22 pro ascenderunt varia praebent codd it; a sustulerunt, b c ff^2 l q levaverunt, r illi consentientes promoverunt. In v. 23 λαιλαψ εις την λ. ανεμου solum B; al λαιλαψ ανεμου εις τ. λ.; steph sixt compellebantur (pro complebantur); complebatur fluctibus navicula ff^2 l dub ept (marg) et similiter a b c q f r ger ken wil syr (sin, cu); syr (sch) tat et prope erat navis ut mergeretur, sin et pene mergebantur. In v. 24 επιστατα bis in ℵ A B L ΛΔΠ unc 9 al pl q syr (sin, sch), D κυριε κυριε; q bis praeceptor; a e r magister; e inundationem aquae, malacia; tranquillitas *magna* b dub eg; add μεγαλη ΚΔΠ minusc pl aeth. In v. 25 που sine εστιν ℵ A B L X aliq minusc aeth; b obediunt imperio eius; solum B om και υπακουουσιν αυτω (sin v. 22 non

habet in fine : et ascenderunt; v. 23 et implebatur navis eorum; v. 24 praeceptor noster (bis).

Iesu cognatos advenisse dum loqueretur ad turbam, et hoc loco indicatur et habetur Matth. 12,32 et Marc. 3,32; apud hos duos haec narratio ponitur immediate ante parabolas; ex Luca discimus eos advenisse eo tempore quo populum in parabolis docebat; unde ex relatione trium tempus habetur illud quo Iesus parabolis indolem regni messiani describere solebat. Quod duo priores synoptici magis generatim indicant, Lucas ratione temporis habita accuratius determinat. Cur eam narrationem adiungat et quid ea spectet, aliter ab aliis concipitur. Vix sufficiet dicere cum *Schanz* eum velle declarare apud quos semen ceciderit in terram bonam; eo enim modo solum aliquatenus explicarentur ultima verba v. 21 neque tamen, cur reliqua narrarentur. Christum velle extollere caritatem erga homines qui suis voluerint legibus obtemperare; ideoque nos admoneri, ut eius sermonibus obsequamur, *S. Cyr.* censet; ita quidem aliquo modo declaratur cur eos qui verbum Dei audiunt et faciunt suam vocet matrem suosque fratres; verum alia non aeque. Propius accedit *Alb.* dum dicit cautos reddi doctores ne sub lecto vel vase *carnalis* affectus ponant lucernam. Accuratius id tangit *S. Ambr.* : « praescripturus enim ceteris quoniam qui non reliquerit patrem et matrem suam, non est Filio Dei dignus, sententiae huic primus ipse se subiicit, non quo maternae refutet pietatis obsequia, sed quia paternis se mysteriis amplius quam maternis affectibus debere cognoscat; neque tamen iniuriose refutantur parentes, sed religiosiores copulae mentium docentur esse quam corporum » (sim. *Beda*). Docetur itaque, ut *Theoph.* dicit, oportere ut omnes quibus concreditum sit evangelium Dei nihil illo antiquius habeant vel ei praeferant; esse parentes quoque repellendos, siquidem absque utilitate et frustra in opere Dei nos sint impediturі, quemadmodum et nunc Dominus faciat.

Uti igitur discipuli parabola edocti sunt de regno Dei, ita nunc in Iesu verbis et exemplo eis exhibetur, ut seposito omni affectu terrestri incumbant muneri sibi commisso neve parentum et cognatorum amorem vel utilitatem ullo pacto ei praeferant; v. 19 *venerunt autem ad illum mater et fratres eius;* vide ad Matth. 12,46. Marc. 3,31; 6,3; *et non poterant adire eum prae turba;* unde patet Christum in turba docenda eo tempore fuisse occupatum, uti ex Matth. et Marco quoque patet. Lucas itaque indicat, Iesum a conversatione cum discipulis (v. 9-18) iterum ad turbam docendam se contulisse; v. 20 *et nuntiatum est illi : mater tua et fratres tui stant foris, volentes te videre;* illi scil. miserunt ad eum vocantes eum, prout Marc. 3,31 accuratius

narratur. Iesus autem, uti dixerat puer duodecim annorum : in his quae Patris mei sunt oportet me esse, ita nunc propter cognationem quae secundum carnem est, nullatenus opus messianum et praedicationem interrumpit (cf. *Tol.*), sed declarat qui sibi sint in opere messiano proximi et carissimi quibus omnem amoris affectum curamque impendat v. 21 *qui respondens dixit ad eos : mater mea et fratres mei hi sunt qui verbum Dei audiunt et faciunt;* « hic non (ut quidam haeretici tendiculas aucupantur) mater negatur, quae de cruce etiam agnoscitur (Ioan. 19,26), sed necessitudini corporali praescriptorum coelestium forma praefertur ». Iesus suam erga Patrem obedientiam non uno loco magno animi gaudio affirmat et profitetur (Ioan. 4,34; 5,30; 6,38; 8,29), quare agnoscit sibi maxime cognatos qui eandem in se exprimunt ad obediendum promptitudinem. Qua in re eius matrem, Virginem Mariam, ei quoque fuisse quam maxime propinquam quis negaverit? ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum et quae in cantico suo profitetur, abunde ostendunt mentem Virginis simillimam menti Filii. Plura vide in Comment. Matth. et Marc. l. c.

Christum eo tempore quo in parabolis docebat transfretasse in regionem Gerasenorum et eo itinere sedasse tempestatem, etiam a Marco docemur, qui accuratius refert id factum esse vespera illius diei in quo parabolam de grano sinapis proposuerat (4,35). Hoc autem eventu confirmantur discipuli, ut *Alb.* ait, ad fidem verbi quod committitur eis praedicandum; necesse enim est ut prius ipsam potentiam verbi Dei videant et experiantur. Novo modo edocentur de Iesu potentia, cum se ostendat Iesus potentem solo imperio « in aqua per tempestatis sedationem, in aere per ventorum quietationem » (*Alb.*), in iis scil. contra quae nulla hominum ars et industria et potentia quidquam valet; quare eiusmodi opus magis admirandum hominibus videtur quam sanare aegrotos et imperare morbis quos auferre remediis variis etiam aliquo modo humanae arti concessum est; v. 22 *factum est autem in una dierum*, cf. 5,17, *et ipse ascendit in naviculam* (cf. Marc. 3,9. Luc. 5,3) *et discipuli eius et ait ad illos : transfretemus trans stagnum,* in litus orientale; etiam Matth. 13,1 refertur eum secus mare docuisse, immo parabolam de seminante e navicula populo in litore stanti proposuisse. Uti ex Luca, ita ex Marco quoque apparet eum transfretasse aliquo tempore (fortasse longiore) post eam parabolam seorsim discipulis explicatam. Ex Marc. 4,10 apparet Iesum parabolam seminantis explicasse discipulis, cum turba recessisset et ipse iam non esset in navi; unde eodem modo intelligendum est quod Matth. 13,10 habetur. Quare inutile est quod aliqui adnotant Lucam hoc loco scribere *ascendit in naviculam,* quia non cum Marco narrasset Iesum in navicula

sedentem parabolam proposuisse; *et ascenderunt* καὶ ἀνήχθησαν et solverunt (navim) in altum mare ferebantur; ἀνάγεσθαι verbum est nauticum; « ecce discipulorum obedientia » (*Alb.*).

Iesus autem v. 23 *navigantibus illis obdormivit,* ἀφύπνωσεν explica ea notione qua veteres dixerunt καθύπνωσεν; dormivit autem in puppi super cervical (Marc. 4,38); cum transfretaret versus vesperam (Marc. 4,35) post laborem et praedicationem diurnam, dicendum erit cum *Alb.* causam dormitionis esse lassitudinem praedicationis, quacum bene coniungitur quod alii adnotant, eum dormivisse, ut fidem discipulorum probaret ac perficeret, ut occasione somni parva eorum detegeretur fides, ut maior timoris causa iis praeberetur adeoque sensus eorum apertiores redderentur ad percipiendum miraculum; affectus enim eorum eo vehementius excitabatur, quo in maiore periculo versari videbantur (cf. *S. Cyr. Theoph. Tol.*); *et descendit procella venti in stagnum;* bene dicitur κατέβη, cum ventus procellosus et turbo e montibus altioribus in lacum depressum irruat et incumbat. Haud raro subitam tempestatem e regionibus altioribus in lacum ingruere narrant (cf. *Schegg, Ritter,* Erdkunde XI, 1 p. 308[1], *Schanz, Fil.*) *et complebantur* scil. aqua, navicula aqua implebatur; συνεπληροῦντο refertur ad navigantes, quo modo nautas loqui esse solitos non est improbabile, quia nonnunquam a Graecis id quod de navi valet dicitur de navigantibus (*Grimm,* Lexicon gr. lat.), Lucam autem nauticorum verborum fuisse peritum ostenditur cap. 27 Act.; ceterum etiam in v. 14 *suffocantur* ad personas relatum est; *et periclitabantur;* « permisit eos turbari, ut clarior fieret sua virtus; solent enim homines tunc meminisse eius qui salvat quando a magnis periculis eripiuntur » (*Theoph.*); v. 24 *accedentes autem suscitaverunt eum dicentes : praeceptor, perimus;* anxietas bene depingitur, dum bis ἐπιστάτα clamant quo celerius eum excitent a somno et vehementem suum significent timorem; ἐπιστάτης non tam doctorem quam eum dicit qui auctoritate praeest; a solo Luca vox haec adhibetur (5,5; 8,45; 9,33. 49; 17,13). Petitione sua fidem et simul eiusdem fidei infirmitatem pandunt; « credunt enim eum posse salvare et tamen ut modica fide praediti dicunt : perimus; profecto fieri non poterat ut tunc perirent, cum ille aderat qui omnia potest » (*S. Cyr.*). Et cum iam scirent se ad opus evangelii esse electos, certe immerito timent ne fluctibus sepeliantur; *at ille surgens increpavit ventum et tempestatem aquae, et cessavit,* ἐπαύσαντο cessarunt, *et facta est tranquillitas;* increpavit dicens scil. : tace, obmutesce (Marc.

1. Refert Iacobum de Vitriaco (Hist. hieros. Gesta Dei etc. 1, 53) inde nominis Gennesareth explicationem derivasse : stagnum Gennesareth interpretatur : auram generans; scil. γεννᾶν et ἀήρ.

4,39); qui mare et fluctus increpat, Iahve dicitur in vetere testamento (Ps. 17,16; 103,7. Is. 51,10. Nah. 1,4 etc.).

Ex Matth. 8,26 antequam tempestatem sedat, discipulis timorem eximit eos de modica fide reprehendens. Qui ordo ex eo commendatur quia illa Iesu allocutione aptiores redduntur ad miraculum melius percipiendum; v. 25 *dixit autem illis : ubi est fides vestra?* « cum undarum procella perturbationem animi illorum solvit, obiurgans simul et docens, causam esse timoris non tentationum incursum, sed mentis infirmitatem » (*S. Cyr.*) et recte eos argui *Beda* notat qui praesente Christo timuerint, cum utique qui ei adhaeserit perire non possit (sim. *Euth.*) et bene *Alb.* vim vocis perpendit : ubi est fides vestra tot sermonibus instructa, tot exhortationibus invitata, tot miraculis confirmata, tot gratiis dotata? *qui timentes,* sacro quodam timore scil. et reverentia spectabant manifestationem divinae potentiae adeo insignem, ut uno verbo venti et fluctus compescerentur et cum hoc sacro timore coniungebatur summa admiratio, *mirati sunt ad invicem dicentes : quis putas hic est, quia et ventis et mari imperat et obediunt ei?* nam animi intuentium eo maiore admiratione percellebantur quia eiusmodi signum ne a propheta ullo quidem erat editum et quia Christus solo imperio et propria auctoritate, nulla precatione ad Deum praemissa, ea perfectissime coercuit quae potestati et arbitrio hominum nullatenus subduntur, verum in perniciem hominum non raro effusa quasi petulantia saeviunt. — Plura de eo eventu vide in Comment. Matth. et Marc. l. c.

Frequens est et obvia huius eventus applicatio et ad Ecclesiam universam quae in navicula tempestatibus iactata repraesentetur et ad singulos Christifideles qui tentationum variarum incursu in periculum adducantur; vide quae dixi in Comment. l. c. Bene monet *S. Cyr.* haec omnia fuisse imaginem, typum rerum quae postea discipulis evenerint; iam in ipsa Iudaea vehementem commotam esse tempestatem Iudaeorum adversus Christum; discipulos adeo fuisse turbatos ut etiam diffugerint; sed Christum ceu ex somno surrexisse et apparitione sua et salutatione : pax vobis, eis attulisse tranquillitatem. Dein maris figuram habere mundum, navem intelligi Ecclesiam prosequitur; « gravis interdum commovetur procella ac plurimi calamitatum sanctam navim circumstant fluctus, innumerae aestuant tentationes et impurorum spirituum saevitia incumbens ad usque mortis terrorem compellit. Attamen familiaribus suis adest Christus, et dum saepe illos prudenti consilio pati sinit, imitari videtur dormitantem... tunc nos oportet clamare sic fere dicentes : expergiscere, quare obdormis Domine; sine mora enim exsurget omnemque depellet timorem, tentatores obiurgabit et luctum convertet in gaudium, serenitatem explicans nitidam et imperturbatam ». Christus utique iam non dormit, ut *S. Ambr.* ait, sui corporis somno;

caveamus tamen (idem monet) ne nostri corporis somno nobis dormiat et quiescat. Nobis autem navigantibus quando obdormiat docet *Beda*, « quando scil. crebrescente inter medios virtutum nisus vel immundorum spirituum vel hominum pravorum vel ipso nostrarum cogitationum impetu fidei splendor obtenebrescit, spei celsitudo contabescit, amoris flamma refrigescit. Verum inter huiusmodi procellas ad illum necesse est gubernatorem curramus » etc.

i) Iesus in regione Gerasenorum 8,26-39.

8,26. Et navigaverunt ad regionem Gerasenorum, quae est contra Galilaeam. 27. Et quum egressus esset ad terram, occurrit illi vir quidam, qui habebat daemonium iam temporibus multis, et vestimento non induebatur, neque in domo manebat, sed in monumentis. 28. Is, ut vidit Iesum, procidit ante illum, et exclamans voce magna, dixit : Quid mihi et tibi est, Iesu Fili Dei altissimi? obsecro te, ne me torqueas. 29. Praecipiebat enim spiritui immundo ut exiret ab homine. Multis enim temporibus arripiebat illum, et vinciebatur catenis et compedibus custoditus, et ruptis vinculis agebatur a daemonio in deserta. 30. Interrogavit autem illum Iesus, dicens : Quod tibi nomen est? At ille dixit : Legio; quia intraverant daemonia multa in eum. 31. Et rogabant illum ne imperaret illis ut in abyssum irent. 32. Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium in monte; et rogabant eum, ut permitteret eis in illos ingredi. Et permisit illis. 33. Exierunt ergo daemonia ab homine, et intraverunt in porcos; et impetu abiit grex per praeceps in stagnum, et suffocatus est. 34. Quod ut viderunt factum qui pascebant, fugerunt, et nuntiaverunt in civitatem et in villas. 35. Exierunt autem videre quod factum est, et venerunt ad Iesum : et invenerunt hominem sedentem, a quo daemonia exierant, vestitum ac sana mente, ad pedes eius, et timuerunt. 36. Nuntiaverunt autem illis et qui viderant, quomodo sanus factus esset a legione. 37. Et rogaverunt illum omnis multitudo regio-

8,26. Καὶ κατέπλευσαν εἰς τὴν χώραν τῶν Γερασηνῶν, ἥτις ἐστὶν ἀντίπερα τῆς Γαλιλαίας. 27. ἐξελθόντι δὲ αὐτῷ ἐπὶ τὴν γῆν, ὑπήντησέν τις ἀνὴρ ἐκ τῆς πόλεως, ἔχων δαιμόνια, καὶ χρόνῳ ἱκανῷ οὐκ ἐνεδύσατο ἱμάτιον καὶ ἐν οἰκίᾳ οὐκ ἔμενεν, ἀλλ' ἐν τοῖς μνήμασιν. 28. ἰδὼν δὲ τὸν Ἰησοῦν ἀνακράξας προσέπεσεν αὐτῷ, καὶ φωνῇ μεγάλῃ εἶπεν, Τί ἐμοὶ καὶ σοί, Ἰησοῦ, υἱὲ τοῦ Θεοῦ τοῦ ὑψίστου; δέομαί σου, μή με βασανίσῃς. 29. παρήγγειλεν γὰρ τῷ πνεύματι τῷ ἀκαθάρτῳ ἐξελθεῖν ἀπὸ τοῦ ἀνθρώπου· πολλοῖς γὰρ χρόνοις συνηρπάκει αὐτὸν, καὶ ἐδεσμεύετο ἁλύσεσιν καὶ πέδαις φυλασσόμενος, καὶ διαρήσσων τὰ δεσμὰ ἠλαύνετο ἀπὸ τοῦ δαιμονίου εἰς τὰς ἐρήμους. 30. ἐπηρώτησεν δὲ αὐτὸν ὁ Ἰησοῦς, Τί σοι ὄνομά ἐστιν; ὁ δὲ εἶπεν, Λεγιών· ὅτι εἰσῆλθεν δαιμόνια πολλὰ εἰς αὐτόν. 31. καὶ παρεκάλουν αὐτὸν ἵνα μὴ ἐπιτάξῃ αὐτοῖς εἰς τὴν ἄβυσσον ἀπελθεῖν. 32. ἦν δὲ ἐκεῖ ἀγέλη χοιρῶν ἱκανῶν βοσκομένη ἐν τῷ ὄρει· καὶ παρεκάλεσαν αὐτὸν ἵνα ἐπιτρέψῃ αὐτοῖς εἰς ἐκείνους εἰσελθεῖν. καὶ ἐπέτρεψεν αὐτοῖς· 33. ἐξελθόντα δὲ τὰ δαιμόνια ἀπὸ τοῦ ἀνθρώπου εἰσῆλθον εἰς τοὺς χοίρους· καὶ ὥρμησεν ἡ ἀγέλη κατὰ τοῦ κρημνοῦ εἰς τὴν λίμνην, καὶ ἀπεπνίγη. 34. ἰδόντες δὲ οἱ βόσκοντες τὸ γεγονὸς ἔφυγον, καὶ ἀπήγγειλαν εἰς τὴν πόλιν καὶ εἰς τοὺς ἀγρούς. 35. ἐξῆλθον δὲ ἰδεῖν τὸ γεγονός· καὶ ἦλθαν πρὸς τὸν Ἰησοῦν, καὶ εὗραν καθήμενον τὸν ἄνθρωπον ἀφ' οὗ τὰ δαιμόνια ἐξῆλθεν, ἱματισμένον καὶ σωφρονοῦντα, παρὰ τοὺς πόδας Ἰησοῦ· καὶ ἐφοβήθησαν. 36. ἀπήγγειλαν δὲ αὐτοῖς οἱ ἰδόντες, πῶς ἐσώθη ὁ δαιμονισθείς. 37. καὶ ἠρώτησεν αὐτὸν ἅπαν τὸ πλῆθος τῆς περιχώρου τῶν Γερασηνῶν ἀπελ-

nis Gerasenorum ut discederet ab ipsis : quia magno timore tenebantur. Ipse autem ascendens navim, reversus est. 38. Et rogabat illum vir, a quo daemonia exierant, ut cum eo esset. Dimisit autem eum Iesus, dicens : 39. Redi in domum tuam, et narra quanta tibi fecit Deus. Et abiit per universam civitatem, praedicans quanta illi fecisset Iesus.

θεῖν ἀπ' αὐτῶν, ὅτι φόβῳ μεγάλῳ συνείχοντο· αὐτὸς δὲ ἐμβὰς εἰς πλοῖον ὑπέστρεψεν. 38. ἐδεῖτο δὲ αὐτοῦ ὁ ἀνήρ, ἀφ' οὗ ἐξεληλύθει τὰ δαιμόνια, εἶναι σὺν αὐτῷ. ἀπέλυσεν δὲ αὐτὸν λέγων, 39. Ὑπόστρεφε εἰς τὸν οἶκόν σου, καὶ διηγοῦ ὅσα σοι ἐποίησεν ὁ Θεός. καὶ ἀπῆλθεν καθ' ὅλην τὴν πόλιν κηρύσσων ὅσα ἐποίησεν αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς.

In v. 26 γερασηνων B D it vulg; γεργεσηνων ℵ L X Z aliq minusc cop arm aeth syr (hr); γαδαρηνων A R Γ Δ Λ Π unc 9 al pler tat go syr (sin, sch, cu). In v. 27 εκ της πολεως non exprimitur in a ff² g² b vulg syr (cu); εχων ℵ B 157. al ος ειχεν; χρονω ικανω ℵ B L Z aliq minusc arm aeth syr (hr) Ti W H; al εκ χρονων ικανων. In v. 29 διαρησσων A B* C R U Δ Ti W H; D 49. εις την ερημον, in deserto c f ff² ben eg car wil ox; desertum theod for corp. In v. 30 D πολλα γαρ ησαν δαιμονια, sim c f ff²; b l quia multi sumus. In v. 32 βοσκομενη ℵ B D K U Π al 25 fere a syr (sch, hr) arm aeth; al βοσκομένων sin Ti; D ινα εις τους χοιρους εισελθωσιν, sim a b q ff² l. In v. 33 in mare a gat c, θαλασσαν ℵ 28. 253. 435. In v. 35 D d : advenientes autem de civitate et videntes sedentem qui habuerat daemonium sobrium et vestitum sedentem ad pedes Iesu timuerunt. In v. 36 D² ο ληγαιων. In v. 39 D πορευου... διηγουμενος; C* ο κυριος εποιησεν; b rush dominus; et in fine o θεος 1.118 al plus 10 for val Deus; dominus rush corp (sin v. 28 clamavit et cecidit adorans eum; v. confregit vincula sua et praecidit et ductus est etc. v. 30 quia multi sumus nos in eo; v. 32 et rogabant eum daemones; v. 33 et recta contendit totus grex ad petram et ceciderunt in mare; v. 35 et egressi sunt homines et viderunt; v. 36 et narraverunt eis quomodo sanus factus esset vir ille).

Ostensa est Christi potentia in ventos et fluctus, iam ostenditur eius potestas in creaturam spiritualem in expulsione daemoniacae legionis. Quis est hic? stupentes dixerant tempestate sedata; iam quis sit audiunt daemonum confessione idque daemonum strage confirmari vident. Eodem ordine haec narratio apud tres synopticos subiungitur (Matth. 8,28; Marc. 5,1) v. 26 *et navigaverunt* κατέπλευσαν i. e. ex alto mari navigarunt versus terram, *ad regionem Gerasenorum quae est contra Galilaeam*, e regione Galilaeae, ex adverso litore, in parte lacus orientali; locus ubi appulerunt ibi erit quaerendus ubi hodie visuntur ruinae Gersa, Kersa prope lacum; eo quoque loco crebra sunt praecipitia (vide ad Matth. l. c.). In regionem quam gentiles potissimum incolebant se confert Iesus (*S. Bon.*), ut illis quoque suam offerat gratiam et quaedam quasi semina spargat quae postea explicentur; venit ut hominem miserum a vexatione daemonum liberet. Ei qui ad se venire non poterat seipsum fert obviam v. 27 *et cum egressus esset ad terram, occurrit illi vir quidam* ἐκ τῆς πόλεως non ex urbe occurrit, sed iungi oportet cum ἀνήρ τις, qui erat ex urbe, qui oriun-

dus erat ex urbe et ante possessionem daemoniacam in urbe habitaverat, qui proin multis erat notus, *qui habebat daemonium* δαιμόνια cf. v. 30, *iam temporibus multis et vestimento non induebatur,* graece : et (ex) multo tempore non induebatur vestimento, *neque in domo manebat, sed in monumentis*, in sepulcris; indicat itaque Lucas quod Marcus quoque effert, temporis decursu vexationem daemonum evasisse magis crudelem et horribilem. Monumenta vel sepulcra saepe erant excisa ex rupibus vel lapideo aut lateritio opere camerata, ea altitudine et latitudine, ut quis erecto corpore posset ingredi. Qui mortem generi humano invexit et ad mortem aeternam homines pertrahere studet, ei in sepulcris digna est principe mortis regia (*Luc.*).

Sentit Domini adventum daemon, v. 28 *is ut vidit Iesum procidit ante illum et exclamans voce magna dixit : quid mihi et tibi est,* querulus expostulat cum Iesu quod venerit ut se e dominio suo expellat, *Iesu, Fili Dei altissimi;* ut membris energumeni, ita voce eius utitur daemon; sese prosternit coram Iesu, sicut servus domino genua flectit cuius flagellum evadere cupit (*Tol.*); *obsecro te ne me torqueas;* « haerebat anceps inter timorem et audaciam; nam quod adorabat, quod Filium Dei praedicabat, quod supplex rogabat, timoris erat; quod expostulabat, audaciae » (*Luc.*). Torquetur daemon, uti v. 29 ratio redditur, vi verborum Christi quoque; sentiebat in se dolorem incussum virtute Christi; angebatur quoque displicentia; nam refugiebat corpus deserere, in quo habitare cupiebat, sicut torquetur homo, quando spoliatur eo quod multum placet; hinc etiam patet cur Iesus non statim sine ulla mora expulerit daemonem, ut scil. manifestaretur vehemens desiderium daemonum nocendi hominibus eosque possidendi, tum eorum robur, tum etiam virtus verbi Christi eum torquentis (*Tol.*). Cur petat ne torqueatur, alia quoque ratio affertur v. 31; cur quodammodo expostulet cum Iesu, praeterea altera causa nobis panditur a Matthaeo : venisti huc *ante tempus* torquere nos.

« Ignis daemoni et flammae sunt Christi verba » (*S. Cyr.*) v. 29 *praecipiebat enim spiritui immundo,* qui est in se immundus et homines inducit ad immunditiem et proin coram Iesu sanctissimo et auctore sanctitatis pro hominibus nequit consistere, *ut exiret ab homine;* et a quanta miseria Iesus benignissimus hominem erepturus accesserit, declaratur enarratione conditionis eius luctuosissimae : *multis enim temporibus*, per multum tempus, iam a longo tempore (cf. v. 27) *arripiebat illum,* eum vi et violentia possessum tenet ac comprehensum συνηρπάκει, *et vinciebatur catenis et compedibus custoditus et ruptis vinculis agebatur a daemonio in deserta;* quamvis vinculis et catenis ligaretur et custodiae manciparetur, tamen daemonis vi disrumpebat

catenas et daemon eum corripiens agebat in loca deserta et horrida, scil. in sepulcra; vide Marc. 5,3-5. Ostenditur autem violentia diaboli obsidentis, ut *S. Bon.* loquitur, ex quattuor : ex fremitu furoris, ex strepitu clamoris, ex impetu fortitudinis et ex comitatu multitudinis. Iste comitatus iam patefit v. 30 *interrogavit autem illum Iesus dicens : quod tibi nomen est? at ille dixit : legio; quia intraverant daemonia multa in eum;* prudenti consilio interrogat, ut cognoscamus magnam daemonum multitudinem unam hominis animam possedisse (*S. Cyr.*), et ut virtus curantis gratior emineat (*Beda*); nam magnifice in eo refulgebat virtus Christi, quod una voce non unum daemonem, sed multam turbam profligaret repente, ita ut reipsa aperte doceret totum diaboli regnum sibi esse subiectum (*Luc.*); v. 31 *et rogabant illum, ne imperaret illis, ut in abyssum irent,* in gehennam; ecce, altera ratio cur petierint ne torquerentur a Iesu; videntur itaque daemones aliquid percipere levaminis, si liceat vagari in orbe terrarum et grassari in homines vel saltem in bestiis sibi domicilium capere (vide ad Matth. 8,29 et Marc. 5,10); unde rogant ut in porcos sibi concedatur intrare v. 32 *erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium in monte et rogabant eum, ut permitteret eis in illos ingredi;* « petunt in porcos potestatem, nempe quia non habent; iam vero qui adeo parvae vilisque rei dominio non potiebantur, quomodo cuiquam nocebunt qui Christi sigillum receperit et in eo spem collocaverit » (*S. Cyr.*)? similiter *Beda, S. Bon.* etc.; agnoscunt Iesu potentiam et suam summam impotentiam; *et permisit illis;* v. 33 *exierunt ergo daemonia ab homine et intraverunt in porcos, et impetu abiit grex per praeceps in stagnum et suffocatus est,* scil. fluctibus, qua notione verbum ἀποπνίγεσθαι etiam apud profanos adhibetur (cf. *Grimm*, Lex. s. v. *Weiss*). Iesus solum permisit *ingredi;* ultra id nihil valent; ne hoc quidem domicilium quod sibi expetierant sibi possunt retinere. Vide quae dixi in Comment. Matth. I p. 336 seq. et ad Marc. 5,13. Ideo quoque permisit, ut *Beda* notat, ut per interfectionem porcorum hominibus salutis occasio praeberetur; pastores enim cernentes statim nuntiant civitati; idem notat S. Hieronymus ad cap. 8 Matth.; quae ratio, ut *Tol.* ait, est multum accommodata; sic enim virtus Christi innotuit et civitas tota ad agnoscendum miraculum potentiamque Christi permota est.

Iactura porcorum notitiam Christi multis afferendi evadit occasio v. 34 *quod ut viderunt factum qui pascebant fugerunt et nuntiaverunt in civitatem et in villas;* duo millia porcorum non unius sed plurium dominorum fuisse videntur; idcirco enim pastores in civitatem villasque properant singulisque iacturam nuntiant seque ab omni cul-

pa immunes esse asseverant. Rei novitate perculsi et ut pastorum narrationem explorarent, v. 35 *exierunt autem videre quod factum est et venerunt ad Iesum et invenerunt hominem sedentem a quo daemonia exierant, vestitum ac sana mente ad pedes eius;* rem itaque accidisse effectam potentia altiore, humanam longissime superante; unde *et timuerunt,* « non tam timore reverentiae quam mundano, ne scil. a Christo simile quid aut gravius in aliis rebus aut personis propriis paterentur » (*Tol.*); v. 36 *nuntiaverunt autem illis et qui viderant quomodo sanus factus esset a legione* ὁ δαιμονισθείς daemoniacus; eorum igitur testimonio confirmabatur nuntius a pastoribus perlatus. Quae audierant et viderant magnum illis incutiebant terrorem et ex iactura porcorum praesentiam Iesu sibi fore fatalem coniiciunt; v. 37 *et rogaverunt illum omnis multitudo regionis Gerasenorum, ut discederet ab ipsis, quia magno timore tenebantur;* non salutem et liberationem homini misero donatam spectant, verum solum iacturam quam fecerant; qua re satis ostendunt se cum illud beneficium non aestiment multo minus aestimaturos esse praedicationem Christi. Etsi sane de iactura porcorum haud parum dolebant, non tamen proferunt ullum verbum asperum, sed precibus contendunt; timore enim constringebantur, ne acerbius quidquam sibi eveniret.

Regio illa potissimum a gentilibus incolebatur, Iesus autem profitetur se non esse missum nisi ad oves quae perierant domus Israel; accessit ad eam regionem, ut ab illa horrenda infestatione daemonum hominem Israelitam (cf. Comment. Marc. p. 138) liberaret et ut discipulos quoque ipso eventu edoceret. Simul tamen eo miraculo gentilibus suam obtulit gratiam neque eos plane derelinquit, verum eum quem sanaverat tamquam praedicatorem magnalium Dei iis mittit. Ceterum ipse id observat quod postea discipulis mandavit (9,5. Matth. 10,14), quia eum non receperunt, *ipse autem ascendens navim reversus est.* Qui sanatus erat, grato animo et fide in Iesum suscepta se ei in discipulum tradere cupiebat v. 38 *et rogabat illum vir a quo daemonia exierant ut cum eo esset;* sed in numerum discipulorum qui continuo cum Iesu versantur cooptari gratia est peculiaris ac dignitas quae non omnibus conceditur; non est currentis nec volentis sed miserentis Dei (Rom. 9,16); *dimisit autem eum Iesus;* iubet eum discedere; sed aliud ei iniungit munus honorificum, quo manifestat eum non cum contemptu ablegari, *dicens :* v. 39 *redi in domum tuam et narra quanta tibi fecit Deus;* cives tui nolunt me recipere; rogant ut recedam; mane ergo tu quasi apostolus meus, annuntia quod tecum gestum est (*Tol.*); eo modo fieri potest, ut animi paulatim praeparentur evangelio quod postmodum omnibus erit annuntiandum; *et abiit per universam civitatem*

praedicans quanta illi fecisset Iesus; grato animo Iesum benefactorem annuntiat; non in una solum civitate, sed in Decapoli, ut Marc. 5,20 refertur; neque eius praedicatio caruit effectu; nam omnes mirabantur (Marc. l. c.). — In daemoniaco exhiberi figuram miseriae spiritualis qua laboret sub dominio daemonis servus peccati, vel gentilis vel peccator fidelis, notant *S. Ambr. Bed. Ians.* etc.; vide Comment. Marc. p. 144.

Quem eventum Matth. 8,28-34 breviter narratum legimus in illa enumeratione miraculorum omnis generis qua Iesu potentiam nullis circumscribi limitibus docetur; quare Matthaeus solum enarrat id quod ad miraculum spectat. Multo accuratius narrant alii duo. Et Lucas quidem in multis vestigia Marci premere aliquibus videtur; sed tamen non debet omitti ne unum quidem versum posse ostendi qui plane cum Marci narratione congruat; singulis enim in sententiis Lucas aliquid habet peculiare in usu vocum, in collocatione, in modo narrandi et describendi. Omnia prosequi longum est; pauca innuisse sufficiat; in v. 26 κατέπλευσαν apte ponitur qua voce navigatio ex alto mari ad terram describitur; situm regionis peculiari modo indicat ἥτις ἐστὶν etc.; in v. 27 Lucae propria sunt : ad terram, vir quidam ex urbe; dein integra illa daemoniaci descriptio; in v. 28 ἀνακράξας, προσέπεσεν, δέομαί σου; in v. 29 alio narrationis nexu alioque modo vexatio daemonis describitur; quod Marc. 5,5 narrat, apud Luc. non invenitur; in v. 30 : quia intraverunt daemonia multa in eum (Marc. quia multi sumus); in v. 31 ut in abyssum irent (Marc. ne se expelleret extra regionem); in v. 32 rogabant, ut permitteret eis; apud Marc. : mitte nos in porcos etc.; in v. 33 in stagnum; Marc. addit numerum et in mari periisse bis effert; in v. 34 ἰδόντες τὸ γεγονός; in v. 35 ad pedes Iesu (quod Marc. non habet) etc. etc. Quae omnia ex traditione facillime explicantur; aliter enim ab aliis idem eventus narrari solet.

k) Iesus suscitat filiam Iairi 8,40-56.

8,40. Factum est autem quum rediisset Iesus, excepit illum turba; erant enim omnes exspectantes eum.

41. Et ecce venit vir, cui nomen Iairus, et ipse princeps synagogae erat; et cecidit ad pedes Iesu, rogans eum ut intraret in domum eius. 42. Quia unica filia erat ei fere annorum duodecim, et haec moriebatur. Et contigit, dum iret, a turbis comprimebatur. 43. Et mulier quaedam erat in fluxu sanguinis ab annis duodecim, quae in medicos erogaverat omnem substantiam suam, nec ab ullo potuit curari; 44. Accessit retro, et tetigit fimbriam vestimenti eius; et confestim stetit fluxus sanguinis eius. 45. Et ait Iesus : Quis est qui me tetigit? Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, et qui cum illo erant : Praeceptor, turbae

8,40. Ἐν δὲ τῷ ὑποστρέφειν τὸν Ἰησοῦν ἀπεδέξατο αὐτὸν ὁ ὄχλος· ἦσαν γὰρ πάντες προσδοκῶντες αὐτόν.

41. Καὶ ἰδοὺ, ἦλθεν ἀνὴρ ᾧ ὄνομα Ἰάειρος, καὶ οὗτος ἄρχων τῆς συναγωγῆς ὑπῆρχεν καὶ πεσὼν παρὰ τοὺς πόδας Ἰησοῦ, παρεκάλει αὐτὸν εἰσελθεῖν εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ 42. ὅτι θυγάτηρ μονογενὴς ἦν αὐτῷ ὡς ἐτῶν δώδεκα, καὶ αὕτη ἀπέθνησκεν. ἐν δὲ τῷ ὑπάγειν αὐτὸν, οἱ ὄχλοι συνέπνιγον αὐτόν. 43. Καὶ γυνὴ οὖσα ἐν ῥύσει αἵματος ἀπὸ ἐτῶν δώδεκα, ἥτις οὐκ ἴσχυσεν ὑπ' οὐδενὸς θεραπευθῆναι, 44. προσελθοῦσα ὄπισθεν, ἥψατο τοῦ κρασπέδου τοῦ ἱματίου αὐτοῦ· καὶ παραχρῆμα ἔστη ἡ ῥύσις τοῦ αἵματος αὐτῆς. 45. καὶ εἶπεν ὁ Ἰησοῦς, Τίς ὁ ἁψάμενός μου; ἀρνουμένων δὲ πάντων εἶπεν ὁ Πέτρος· Ἐπιστάτα, οἱ ὄχλοι συνέχουσίν σε καὶ ἀποθλίβουσιν. 46. ὁ δὲ Ἰη-

te comprimunt et affligunt, et dicis : Quis me tetigit? 46. Et dixit Iesus : Tetigit me aliquis; nam ego novi virtutem de me exiisse. 47. Videns autem mulier quia non latuit, tremens venit, et procidit ante pedes eius; et ob quam causam tetigerit eum, indicavit coram omni populo; et quemadmodum confestim sanata sit. 48. At ipse dixit ei : Filia, fides tua salvam te fecit; vade in pace. 49. Adhuc illo loquente, venit quidam ad principem synagogae, dicens ei : Quia mortua est filia tua, noli vexare illum. 50. Iesus autem, audito hoc verbo, respondit patri puellae : Noli timere, crede tantum, et salva erit. 51. Et quum venisset domum, non permisit intrare secum quemquam, nisi Petrum, et Iacobum, et Ioannem, et patrem et matrem puellae. 52. Flebant autem omnes, et plangebant illam. At ille dixit : Nolite flere, non est mortua puella, sed dormit. 53. Et deridebant eum, scientes quod mortua esset. 54. Ipse autem tenens manum eius clamavit, dicens : Puella, surge. 55. Et reversus est spiritus eius; et surrexit continuo. Et iussit illi dari manducare. 56. Et stupuerunt parentes eius, quibus praecepit ne alicui dicerent quod factum erat.

σοῦς εἶπεν, Ἥψατό μού τις· ἐγὼ γὰρ ἔγνων δύναμιν ἐξεληλυθυῖαν ἀπ' ἐμοῦ. 47. ἰδοῦσα δὲ ἡ γυνὴ ὅτι οὐκ ἔλαθεν, τρέμουσα ἦλθεν καὶ προσπεσοῦσα αὐτῷ, δι' ἣν αἰτίαν ἥψατο αὐτοῦ ἀπήγγειλεν ἐνώπιον παντὸς τοῦ λαοῦ, καὶ ὡς ἰάθη παραχρῆμα. 48. ὁ δὲ εἶπεν αὐτῇ, Θυγάτηρ· ἡ πίστις σου σέσωκέν σε· πορεύου εἰς εἰρήνην. 49. Ἔτι αὐτοῦ λαλοῦντος ἔρχεταί τις παρὰ τοῦ ἀρχισυναγώγου, λέγων ὅτι τέθνηκεν ἡ θυγάτηρ σου· μηκέτι σκύλλε τὸν διδάσκαλον. 50. ὁ δὲ Ἰησοῦς ἀκούσας ἀπεκρίθη αὐτῷ, Μὴ φοβοῦ· μόνον πίστευσον καὶ σωθήσεται. 51. ἐλθὼν δὲ εἰς τὴν οἰκίαν, οὐκ ἀφῆκεν εἰσελθεῖν τινὰ σὺν αὐτῷ εἰ μὴ Πέτρον καὶ Ἰωάννην καὶ Ἰάκωβον, καὶ τὸν πατέρα τῆς παιδὸς καὶ τὴν μητέρα. 52. ἔκλαιον δὲ πάντες, καὶ ἐκόπτοντο αὐτήν. ὁ δὲ εἶπεν, Μὴ κλαίετε· οὐ γὰρ ἀπέθανεν, ἀλλὰ καθεύδει. 53. καὶ κατεγέλων αὐτοῦ, εἰδότες ὅτι ἀπέθανεν. 54. αὐτὸς δὲ κρατήσας τῆς χειρὸς αὐτῆς ἐφώνησεν λέγων, Ἡ παῖς, ἔγειρε. 55. καὶ ἐπέστρεψεν τὸ πνεῦμα αὐτῆς, καὶ ἀνέστη παραχρῆμα· καὶ διέταξεν αὐτῇ δοθῆναι φαγεῖν. 56. καὶ ἐξέστησαν οἱ γονεῖς αὐτῆς· ὁ δὲ παρήγγειλεν αὐτοῖς μηδενὶ εἰπεῖν τὸ γεγονός.

In v. 40 εν δε τω B L R aliq minusc cop aeth syr (cu, sch); rell εγενετο δε εν τω. In v. 41 a et prostratus. In v. 42. D αποθνησκουσα; ger premebat eum populus; item b q; add ut suffocarent eum ff² l r a dub ept (marg). In v. 43 B D sin om in medicos erogaverat etc. ; al habent. In v. 44 om του κρασπεδου D; sim a ff² l. In v. 45 a Iesus autem sciens quod exierit ab eo virtus dixit, sim D; dixit Petrus sine add B Π aliq minusc sah syr (sin, cu, hr); rell add και οι συν αυτω (vel μετ αυτου); αποθλιβουσιν sine add ℵ B L 1.22. 131. 157 sin sah cop arm Ti W H; rell add και λεγεις τις ο αψαμενος μου; In v. 48 θυγατηρ B K L W Π; sine θαρσει ℵ B D L Z pl minusc it pler vulg sah cop syr (sin, cu, hr) Ti W H; D εν ειρηνη; in pacem ff² l r ger. In v. 49 ex domo principis synagogae sin, venerunt *a principe* syn. am ben theod for med ox corp lind harl a b r Wordsworth; e venit quidam princeps syn. dicens domine veni ut filia mea salves; loquente eo venit puer principis dicens etc.; μηκετι ℵ B D sah Ti W H; rell μη. In v. 50 πιστευσον B L Z Ti W H; al πιστευε; a vivet (pro : salva erit) sim sah syr (sin, cu, hr); D ακουσας τον λογον sim it vulg syr (cu). In v. 51 Petrum et Ioannem et Iac, ita collocant B C D E F H K M R U V Γ Δ Π al 125 fere a b c e f l q ff² r Ti W H et codd pler vulg Wordsworth. In v. 52 ουκ απεθανε A E H K M R S U V Γ Λ Π al pl b e pler codd vulg; ου γαρ ℵ B C D F L X Δ al 25 a c f ff² l q r eg ger hub theod car ox per val corp harl cop go arm syr (sin, cu, sch, hr); add F L M X mu minusc το

κοραστον; sim it pler, mu codd vulg cop syr (cu, hr) aeth Cyr Ambr. In v. 54 αυτος δε εκβαλων εξω παντας A K R S U Π al plus 20 f q syr (utr, hr) go; codd pler εγειρου Ti; εγειρε ℵ B C D X 1. 33 W H (sin v. 44 et stetit fons fluxus sanguinis eius; v. 45 dicit ei Kephas; v. 47 procidit, adoravit eum, v. 51 ad domum viri illius; Kepham et Iacobum et Ioannem — exinde saepe nomen Kephae in sin occurrit).

Christi dominium et auctoritas etiam hic egregie manifestatur (*S. Bon.*). Discipuli autem et de virtute ei propria et de efficacia fidei firmae eiusque necessitate ad impetranda divina beneficia edocentur; v. 40 *factum est autem cum redisset Iesus* ex regione Gerasenorum ad litus occidentale prope Capharnaum (cf. Matth. 5,21), *excepit illum turba,* certe non qualicumque modo, sed ὡς εὐεργέτην καὶ σωτῆρα (*Euth.*), cum laetitia et gaudio (*S. Bon. Schanz, Fil.*) *erant enim omnes exspectantes eum* cum magno scil. desiderio (*Alb.*). Si illud Matth. 9,18 *haec illo loquente*, si dico ταῦτα mentem exprimit sacri auctoris vel si haec vox ad ipsum sacrum auctorem referenda est, dicere oportebit cum *S. Aug.* (de cons. evang. 2,39) disceptatum fuisse post reditum antequam Iairus accederet cum discipulis Ioannis de ieiunio et Christum exposuisse novam regni sui indolem et dum ita loquebatur, v. 41 *et ecce venit vir, cui nomen Iairus,* יָאִיר (cf. Num. 32,41. Deut. 3,14. Ios. 13,10 etc.) *et ipse princeps synagogae erat*, archisynagogus v. 49, qui res synagogae moderabatur (vide ad Marc. 5,22) *et cecidit ad pedes Iesu rogans eum*, *ut intraret in domum eius* v. 42 *quia unica filia erat ei fere annorum duodecim et haec moriebatur* i. e. iam in extremis erat, iam animam agebat. Evangelista statim ea commemorat quibus dolor patris eiusque humillima supplicatio declaratur: unica filia et ita plurimum cara quae in primo aetatis flore iam morti erat proxima, « et quia vita erat multum amabilis, ideo mors erat multum tristabilis » (*S. Bon.*). Apud Matth. 9,18 seq. res breviter narratur; quomodo utraque narratio concilietur vide in Comment. Matth. I p. 356. Cum itaque archisynagogus, vir inter urbis primores haud ignobilis, necessitate urgeretur, ad pedes Iesu supplex accidit; « hoc autem ad pharisaeorum confusionem, quorum de factione verisimile est archisynagogos plerosque fuisse, quod hic salute desperata nescierit unde praesentius peteret auxilium quam a Iesu » (*Luc.* sim. *cat. Cr. Theoph.*). Cum Christus aegrotos plerumque sanaret impositione manuum (cf. 4, 40) vel praesentes verbo curaret (cf. 6,10) vel attactu suo (6,19), non est mirum quod petit ut in domum veniat; neque inde statim accusandus est parvae fidei; eum enim modum quem Iesus observare solet etiam ipse expetit. Verum utique est eius fidem indiguisse confortatione (v. 50) neque ad eam pervenisse perfectionem quam in centurione admiramur (cf. 7,6-9).

Adiit igitur, ut *S. Bon.* dicit, Christi praesentiam cum reverentia, rogavit ex confidentia, desideravit ex indigentia; ideo oratio eius est exaudita; *et contigit dum iret a turbis comprimebatur;* viae enim in oppidis urbibusque esse solebant satis angustae; v. 43 *et mulier quaedam quae erat in fluxu sanguinis* (cf. Lev. 15,25 seq.) *ab annis duodecim, quae in medicos erogaverat omnem substantiam suam* τὸν βίον αὐτῆς i. e. opes, facultates quibus vita sustentatur; cum dicatur προσαναλώσασα, aliqui explicant : insuper impendit i. e. ad dolores id etiam accessit ut opes suas frustra expenderet (cf. *Bisp. Schanz, Weiss*) vel ad id quod a nullo iuvabatur etiam iacturam fecit bonorum (*Schegg*); alii tamen negant προς singulari ratione esse efferendum (*Keil*), *nec ab ullo potuit curari;* bis itaque iam misera erat; malae valetudini permanenti accessit inopia; immo e Marco discimus rem in peius devenisse; « sed Lucas medicus hoc tacet de medicis curialius loquens » (*S. Bon.*). Explicatur igitur diuturnitas et antiquitas morbi et difficultas sanationis cum tot remediis a multis medicis per tempus longissimum adhibitis nihil sit effectum ; inde vero elucet Christi potentia admirabilis quia remedio facillimo confestim sanitatem donavit.

Fidem mulieris magnam vide Marc. 5,28; cum morbus esset ignominiosus eoque mulier ex lege evasisset immunda, mulier non palam Christum interpellat, sed tantam conceperat fidem ex aliis eius miraculis ut solo attactu vestimenti eius se sanatum iri confideret v. 44 *accessit retro et tetigit fimbriam vestimenti eius* τοῦ κρασπέδου; cf. Num. 15,38-40; intelligitur pannulus (vel textum laneum contortum) ex ora pallii dependens; eiusmodi pannulos palliis adsutos gerere solebant Iudaei (cf. Matth. 23,6) *et confestim stetit fluxus sanguinis eius* et mulier sensit corpore se esse a plaga sanatam (Marc. 5,29). Eam mulieris fidem Iesus noluit latere et propter alios, ut quid fides magna posset discerent et in se divinam agnoscerent virtutem, et propter ipsam mulierem, ne se inscio Christo nactam esse beneficium putaret; v. 45 *et ait Iesus : quis est qui me tetigit?* Petrus tam parum memor est eius cuius ipse antea testis erat 6,19 neque ei in mentem venit Iesum nullo pacto posse ponere quaestionem in tanta hominum turba ridiculam; minime suspicatur eum quaerere ex altiore quadam causa, sed pro suo ingenio praecipite Iesum fere reprehendit mirans de tali quaestione; *negantibus autem omnibus* se scil. consulto tetigisse vel sibi esse eius rei conscios; num mulier quoque quae longe abesse non poterat etiam negasse censenda erit? minime; *Weiss* quidem id affirmat; at multo magis ad animi indolem qualis in re plane inopinata prodi solet aptum est ut assumatur eam stetisse obstupefactam et attonitam, cum subito

et inexspectato audiret Iesum talia quaerentem; *dixit Petrus et qui cum illo erant : praeceptor,* ἐπιστάτα cf. v. 24, *turbae te comprimunt et affligunt*, te undique premunt et urgent, *et tu dicis : quis me tetigit?* Petrum praeisse, alios similiter locutos esse, ut ne Christus inquirere pergeret neve indignaretur negantibus omnibus, ex Marci Lucaeque narratione facile colligitur.

Discipulorum tarditati occurrit Iesus docens non tactum communem se intelligere v. 46 *et dixit Iesus : tetigit me aliquis; nam ego novi virtutem de me exiisse;* cf. 6,19; quomodo attactu cum fide facto morbus sanatus sit et virtutem exiisse concipiatur, exemplis declaratur in *cat. Cr.* et apud *Theoph. :* si quis afferret oculum ad lumen vel stipulam ad ignem, statim operationem illorum experiretur, ita et illa afferens fidem ad eum qui sanare poterat statim sanitatem adepta est. Erat in Christo sanandi potestas quae exire dicitur ab operante quando sanitatem impertit, locutione ad hominum captum accommodata (*Luc. Ipr.*). Bene notat *S. Cyr.* esse supra conditionem creaturarum, ut virtutem aliquis de se possit emittere tamquam ex propria natura; prophetas non habuisse virtutem de se egredientem, sed gratia Dei operatos esse miracula *Theoph.* monet; aliter Iesum fontem omnis boni omnisque virtutis. Docet itaque Iesus se salutem conferre propria virtute, eam virtutem esse et residere in se (*Luc. Ipr.*) et eam a se possideri ut propriam, id quod ad Deum solum pertinet (*Schanz*). Quare hoc effato de se egregium reddit testimonium. Et cum iterato poneret quaestionem, etiam circumspiciebat videre eam quae hoc fecerat (Marc. 5,32); unde v. 47 *videns autem mulier quia non latuit tremens venit*, timet quia quasi furtim sibi surripuit beneficium, timet ne in poenam eo privetur *et procidit ante pedes eius et ob quam causam tetigerit eum indicavit coram omni populo;* proinde fidem suam fatetur eximiam de Iesu virtute qua solo attactu vestimenti sanetur, *et quemadmodum confestim sanata sit;* hoc scil. fidei exemplum et hanc suam virtutem Iesus voluit omnibus manifestari. Quanta admiratione omnes adverterint et Iesu rei adeo occultae scientiam et eius virtutem sanandi, fidem mulieris tanto praemio donatam, proin quantum doctrinae pro discipulis eo in eventu concludatur, non opus erit pluribus prosequi. Ipse Iesus palam declarat quale documentum inde omnes accipiant v. 48 *at ipse dixit ei : filia*, suavi appellatione omnem ei timorem eximens et suam benignitatem et comitatem eximiam manifestans, *fides tua te salvam fecit;* « dicit potius *fides tua*, quam *virtus mea*, ad commendationem fidei, per quam efficimur participes virtutis ipsius; id quod hic doctum voluit signanter archisynagogum praesentem » (*Luc.*); *vade in pace*, vox est bene precantium abeuntibus;

simul Iesus sanitatem mulieri donatam confirmat eamque iubet laeto tranquilloque animo esse (cf. *Tol.*).

Laudavit Iesus efficaciam fidei; statim denuo quanta fidei insit vis ad cuncta impetranda commendat; v. 49 *adhuc illo loquente venit quidam ad principem synagogae* παρὰ τοῦ ἀρχισυναγώγου ab archisynagogo (vide lect. var.; *Tol.* quoque : a principe; *S. Ambr.* : venerunt servi dicentes principi) i. e. quidam ex servis vel domesticis archisynagogi, vel ex eius domo (syr. *Fil.*) *dicens ei : quia mortua est filia tua, noli vexare illum;* en, quam lenti sint et hebetes in fide de Iesu concipienda et tamen fama de iuvene in Naim ubique nota erat (7,17). Neque inutile erit advertere discrimen inter narrationem veram et fictam; in apocryphis enim quo res magis sunt mirabiles et stupendae, eo maiore aviditate exspectantur et creduntur. Patri qui de vita unicae filiae adeo erat anxius, nuntius ille sane maximum attulit dolorem idque eo magis quia ex Iesu promptitudine eundi in domum optimam conceperat spem, quam nunc concidisse audit; verum Iesus pro sua benignitate qua infirmos in fide erigit eum statim consolatur v. 50 *Iesus autem audito hoc verbo respondit patri puellae : noli timere*, et ei ostendit qua conditione spes eius nequaquam fallatur, immo penes ipsum esse velitne filiam salvam habere : *crede tantum et salva erit;* verbo Christi cui sanatio mulieris modo facta maximam addidit vim fides viri revera confortata est, uti ex eventu patet. Ex tali porro loquendi modo Christi docemur omnia possibilia esse credenti (cf. Marc. 9,22. Matth. 17,20), et merito dicit *Titus* bostrensis (*in cat. Cr.*) sanationem mulieris quasi fuisse prooemium futurae operationis miraculosae.

In apocryphis quo res est mirabilior, eo maiore apparatu, pompa, hominum frequentia peragitur. Aliter in evangelio; v. 51 *et cum venisset domum, non permisit intrare secum quemquam, nisi Petrum et Iacobum et Ioannem et patrem et matrem puellae;* tres illos admittit discipulos quos alias quoque prae reliquis peculiari favore prosequitur, quibus cognomina indidit, quos testes facit transfigurationis, sed agoniae quoque (9,28. Matth. 26,37). Plerique testes collocant Ioannem utpote magis notum ante Iacobum (vide lect. var. et ad 9,28). Cum ad domum perveniunt, in lugentium habitu cernunt manifesta mortis documenta v. 52 *flebant autem omnes et plangebant illam* ἐκόπτοντο pectora sibi tundebant lugentes eam; *at ille dixit : nolite flere, non est mortua puella sed dormit;* non erat mortua communi morte ex qua scil. non est reditus ad hanc vitam; suo miraculo id enim effecit ut e morte quasi e somno denuo evigilaret (cf. *cat. Cr.*); non sufficit cum aliquibus dicere Deo omnia vivere (*Bed. Bon.*), quia ea consideratione

adhibita de omnibus mortuis dici posset eos dormire; verum Christus peculiare aliquid enuntiare vult; mors itaque puellae non dominabitur, est ei sicuti somnus temporalis solum et valde brevis clausio vitae (*Alb.*). Item de Lazaro dixit (Ioan. 11,11). Sed eo verbo efficitur, ut pateat quam certo spiritum exhalaverit puella atque adeo ut miraculum tanto magis illustretur v. 53 *et deridebant eum scientes quod mortua esset;* adeo iis persuasum erat ut verba Iesu non potuerint non risu excipere, qui risus cum Iesus certo iis quoque innotuerit patrator miraculorum, eo maiori est argumento, quia ob rei novitatem non possunt non deridere eum quem tamen honore ac veneratione dignum habent.

Dixerat puellam dormire; unde eam excitat eo modo quo dormientes solent excitari signa adhibens exteriora quibus simul ostenditur eum sua propria virtute ad vitam revocare (cf. *Tol.*) v. 54 *ipse autem tenens manum eius clamavit dicens : puella surge!* dixit et facta sunt; v. 55 *et reversus est spiritus eius et surrexit continuo;* en habes quasi quoddam praeludium illius quod de se asseruit : venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei et procedent et vivent (Ioan. 5,25. 28) et Filius quos vult vivificat (Ioan. 5,21); *et iussit illi dari manducare*, « quod est testimonium vitae, ut non phantasma sed veritas crederetur » (*S. Ambr. Bon. Alb. Cai. Tol.*); non enim solum vitam ei reddidit sed et sanitatem (*Luc.*); v. 56 *et stupuerunt parentes eius, quibus praecepit ne alicui dicerent quod factum erat;* voluit Christus repentinam turbae excitationem vitare et abire cum suis sine hominum admiratione et plausu; item voluit ut parentes et puella non circumcursarent laetabundi aliorumque gratulationes captaturi, sed longe ab hominum tumultu Deo agerent gratias pro beneficio accepto; in secreto suscitat, rem quantum fieri potest silentio premi iubet, neque enim uti aegros sanare, ita etiam mortuos suscitare passim et quasi ratione muneris ordinaria sibi propositum habet (cf. *Schanz*).

De allegorica utriusque eventus acceptione vide quae notavi in Comment. Matth. I p. 359 seq. et in Comment. Marc. p. 151. 154; locis ibi iam adductis addo *S. Cyr.* quoque explicare de gentibus et synagoga et efferre a tempore quo puella nata sit mulierem morbo laborasse et terminum mortis illius huic esse initium salutis; in irrito medicorum conatu pariter cernit adumbrari vanam philosophorum doctrinam. Sed mihi persuasum non est mulierem fuisse gentilem; ex eo quod Iesus eam appellat filiam potius concludo israelitico genere eam esse natam; vide ad Marc. 5,34.

3. *Tertium tempus ministerii in Galilaea* 9,1-50.

a) Apostoli mittuntur ad praedicandum 9,1-9.

9,1. Convocatis autem duodecim apostolis, dedit illis virtutem et potestatem super omnia daemonia, et ut languores curarent. 2. Et misit illos praedicare regnum Dei, et sanare infirmos. 3. Et ait ad illos : Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam; neque duas tunicas habeatis. 4. Et in quamcumque domum intraveritis, ibi manete, et inde ne exeatis. 5. Et quicumque non receperint vos, exeuntes de civitate illa, etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium supra illos. 6. Egressi autem circuibant per castella, evangelizantes et curantes ubique.

7. Audivit autem Herodes tetrarcha omnia quae fiebant ab eo, et haesitabat eo quod diceretur 8. a quibusdam : Quia Ioannes surrexit a mortuis; a quibusdam vero : Quia Elias apparuit; ab aliis autem : Quia propheta unus de antiquis surrexit. 9. Et ait Herodes : Ioannem ego decollavi. Quis est autem iste, de quo ego talia audio? et quaerebat videre eum.

9,1. Συγκαλεσάμενος δὲ τοὺς δώδεκα ἔδωκεν δύναμιν αὐτοῖς καὶ ἐξουσίαν ἐπὶ πάντα τὰ δαιμόνια, καὶ νόσους θεραπεύειν· 2. καὶ ἀπέστειλεν αὐτοὺς κηρύσσειν τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, καὶ ἰᾶσθαι. 3. καὶ εἶπεν πρὸς αὐτούς, Μηδὲν αἴρετε εἰς τὴν ὁδόν· μήτε ῥάβδον μήτε πήραν, μήτε ἄρτον, μήτε ἀργύριον, μήτε δύο χιτῶνας ἔχειν. 4. καὶ εἰς ἣν ἂν οἰκίαν εἰσέλθητε, ἐκεῖ μένετε, καὶ ἐκεῖθεν ἐξέρχεσθε. 5. καὶ ὅσοι ἂν μὴ δέχωνται ὑμᾶς, ἐξερχόμενοι ἀπὸ τῆς πόλεως ἐκείνης τὸν κονιορτὸν ἀπὸ τῶν ποδῶν ὑμῶν ἀποτινάσσετε, εἰς μαρτύριον ἐπ' αὐτούς. 6. Ἐξερχόμενοι δὲ διήρχοντο κατὰ τὰς κώμας, εὐαγγελιζόμενοι καὶ θεραπεύοντες πανταχοῦ.

7. Ἤκουσεν δὲ Ἡρῴδης ὁ τετράρχης τὰ γινόμενα πάντα· καὶ διηπόρει διὰ τὸ λέγεσθαι ὑπὸ τινῶν, 8. ὅτι Ἰωάνης ἠγέρθη ἐκ νεκρῶν· ὑπὸ τινῶν δὲ, ὅτι Ἠλείας ἐφάνη· ἄλλων δὲ, ὅτι προφήτης τις τῶν ἀρχαίων ἀνέστη. 9. εἶπεν δὲ ὁ Ἡρῴδης, Ἰωάνην ἐγὼ ἀπεκεφάλισα· τίς δέ ἐστιν οὗτος, περὶ οὗ ἀκούω τοιαῦτα; καὶ ἐζήτει ἰδεῖν αὐτόν.

In v. 1 aliq add μαθητας αυτου, al αποστολους; solum τους δωδεκα A B D K M R S V Γ Δ Π al 100 fere syr (sin, cu, sch). In v. 2 ιασθαι sine add B syr (sin, cu); al add τους ασθενεις, ασθενουντας; f omnes infirmitates; fuld om et sanare infirmos. In v. 3 in *viam* hub corp c e ff² r; codd sat mu ανα δυο χιτ. In v. 4 et inde exeatis sin rush, proficiscimini ger; sim b c ff² l q; exite a c r; μη εξερχ solum 38; manete donec exeatis cg f sax cop. In v. 5 sat mu και τον κονιορτον. In v. 7 τα γινομενα sine υπ αυτου in ℵ B C* D L Z a b c ff² l sah cop syr (sin, cu) arm. In v. 8 προφητης τις ℵ B C L X Z aliq minusc go arm; al εις unus (sin v. 5 ut sit vobis testimonium; v. 6 cum egressi essent apostoli eius, circuibant per castella et civitates etc.).

Haec missio apostolorum facta est aliquo tempore ante pascha penultimum in vita Christi publica (cf. 9,10 seq. et Ioan. 6,3 seq.). Pertinet ea quam maxime ad institutionem et eruditionem apostolorum. Hactenus Iesus per se solus evangelium praedicaverat, apostolos variis modis instituens et formans; verum postquam per duos annos cum eo fuerunt eiusque doctrinam audierunt, nunc eos mittit, ut quod ab ipso audierant iam aliis praedicent et sui aliquod specimen

dent in tanti muneris functione. Praeterea iis missis evangelii praedicatio denuo multum spargitur, ita ut nemo iam ignorantiam regni Dei appropinquantis possit praetexere (cf. *Luc.*) ; immo usque in aulam Herodis fama penetrabat eorum quae ab apostolis nomine Iesu fiebant; v. 1 *convocatis autem duodecim apostolis dedit illis virtutem et potestatem super omnia daemonia*, ut scil. ea expellerent; vide ad Matth. 10,1, *et ut languores curarent;* haud incongrue notat *Tol.* potestatem pertinere ad quandam dignitatem, virtutem ad efficaciam; « potestas sine virtute inermis et inutilis est, virtus autem sine potestate aliquando temeraria est ». Supra docuerat Iesus virtutem miraculorum sibi esse propriam ; nunc maius quid et excellentius manifestat se posse eam aliis quoque quibus libuerit communicare. Qua in re divinitatis dignitatem in eo fulgere *S. Cyr.* bene advertit; « superat enim humanae naturae fines ut aliquis quibus vult adversus impuros spiritus det potestatem; morbis quoque implicitos liberare solius Dei est; digna itaque admiratione est gratia apostolis data; excedit autem laudem quamlibet et admirationem dantis liberalitas; suam quippe ipsis gloriam largitur ».

Tali potestate instructos qua suae praedicationi auctoritatem conciliarent et homines sibi beneficiis devincirent Iesus eos misit v. 2 *et misit illos praedicare regnum Dei et sanare infirmos;* argumentum praedicationis est idem quod baptista et Iesus proponebant : ut scil. poenitentiam agerent (Marc. 6,12) quia appropinquavit regnum coelorum (Matth. 10,7). Opera autem miraculosa, sanationes, eiectiones daemonum praebent, ut *Eus.* ait, omnibus clarissima indicia regni Dei praedicati; sunt enim virtutes et miracula demonstrationes regni Dei et, ut *Beda* dicit, promissorum magnitudini attestari debuit magnitudo factorum et fidem verbis dare virtus ostensa et qui nova praedicabant, etiam nova facere debebant. Post iniunctum officium, post datam potestatem modum eundi disponit expeditum (*Cai.*) v. 3 *et ait ad illos : nihil tuleritis in via, neque virgam* (vide ad Matth. 10,9 et Marc. 6,8) *neque peram,* in qua scil. recondantur quae ad commeatum pertineant, *neque panem, neque pecuniam,* qua sibi de necessariis possint providere, *neque duas tunicas habeatis;* eos omni mundana cura vult carere et illud solum in mente habere : iacta in Dominum curam tuam et ipse te enutriet (Ps. 54,23) et ipsis fore ornamentum et quandam veluti coronam abdicationem omnium rerum (*S. Cyr.*). Proinde qualis debeat esse qui evangelizat regnum Dei designatur; « subsidii saecularis adminicula non requirens fideique deditus sit et quanto minus appetat temporalia, tanto magis speret ea sibi posse suppetere » (*S. Ambr.*). Ita enim erunt ad praedicandum expeditiores,

divinae providentiae confidentiores, hominibus admirabiliores et ab omni avaritiae suspicione liberiores (*Tol.*).

Ita igitur de itinere. Iam de adventu et commoratione in aliqua urbe ad praedicandum v. 4 *et in quamcumque domum intraveritis, ibi manete* i. e. si alicubi hospitio sunt excepti, eo utantur hospitio neve aliud quaerant, ne scil. et hospitem contristent et ipsi gulositatem et commoda sectari videantur (*S. Cyr.*); *et inde ne exeatis*, ne mutent hospitium; graece : et inde exite, i. e. maneant in eodem hospitio, donec urbem relinquant; iubet itaque ut urbem aut vicum relicturi ex eadem domo exeant in quam primum diverterint (*Luc.*), si enim mutata fuisset domus, non mansissent in eadem domo, donec exirent ex urbe et sic non inde exirent (*Cai.*). Sed vae illis qui praedicationem et Christi legatos non suscipiunt v. 5 *et quicumque non receperint vos, exeuntes de civitate illa etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium supra illos;* cf. Act. 13,51; cum terra peccatis incolarum censeatur maculari, excutientes pulverem regionem illam quam contumaces incolunt declarant maledicto subiectam, impuram, omnemque cum illis societatem et consuetudinem repudiant. Hoc signum et genus actionis longe oratione significantius est et efficacius, quia anathematis signum est maledictionisque quae incolas rebelles maneat, ob quam nihil sibi velint apostoli cum ipsis esse commune, ne qua forte re communicantes et maledictione communicent. Idque fit *in testimonium* ἐπ' αὐτούς *contra eos*, scil. eorum esse totam culpam, apostolos fecisse quod suum erat, illos autem contumaciter gratiam oblatam repulisse. Ex rabbinorum placitis qui e regione alienigenarum in terram reverterent sanctam, debebant pulverem pedum excutere, ne quid e terra impura sibi adhaereret; ex qua agendi ratione etiam sermo Domini illustratur; plura vide ad Matth. et Marc. l. c. Hanc apostolorum praedicationem per aliquod tempus esse factam (minime unius diei spatio esse conclusam, ut fere vult *Wieseler*, Chronol. Synopse p. 291), patet tum ex 22,35, tum ex ipsis praeceptis modo datis, tum ex narratione v. 6 *egressi autem circuibant per castella evangelizantes et curantes ubique*, quo narrandi modo longius temporis spatium designatur, uti pariter Marc. 6,31 innuitur.

Praecepta haec ad hanc profectionem apostolorum esse data atque in ea fuisse observanda certum est. Ea autem non secundum litteram apostolis in omne tempus futurum esse praescripta elucet tum fere iam ex 22,35, tum ex ipsa rerum conditionumque diversitate, tum ex eo quod neque Christus neque apostoli ea semper observarunt. Christus enim et loculos haberi permisit et piarum mulierum ministerio usus est; de apostolis autem vide 1 Cor. 9,5. Phil. 4,15. 1 Thess. 2,7. 2 Tim. 4,13. Quae itaque de impedi-

mentis dicuntur, eo sensu in universum valent, quatenus nimia sollicitudo et studiosa de rebus necessariis prospectio interdicitur, qua vel impediri possit praedicatio evangelii vel minui ministerii evangelici auctoritas vel non tale exemplum contemptus rerum terrenarum praeberi, quale praeberi congruum sit a praeconibus regni coelorum. Nunc eos mittit Christus de industria omni praesidio vacuos, ut ipsa re experiantur Deum curam gerere suorum et ipsa sua experientia vim et efficaciam verborum Christi quasi manibus palpent; nihil enim sibi defuisse in profectione illa aperte fatentur 22,35; vult autem praeterea Christus, ut quadam divinae providentiae (curam gerentis de fidelibus verbi praeconibus) quasi degustatione ad futuram illam in universum orbem legationem praeparentur, quo discant tota fiducia pendere de providentia Dei et sciant in nulla re sibi defuturam Christi principis curam ac prospectionem (cf. *Luc.*). Ceterum vide plura in Comment. Matth. I p. 385.

Atque magnam fuisse per regionem famam et admirationem huius missionis ex iis quoque patet quae in aula Herodis dicebantur v. 7 *audivit autem Herodes tetrarcha* (cf. 3,1) *omnia quae fiebant ab eo* τὰ γινόμενα πάντα; si retinueris *ab eo* (vide lect. var.), explica de miraculis quae a Christo et eius nomine invocato ab apostolis fiebant. Apostolorum enim praedicatione et miraculis celebratum esse ubique nomen Iesu, etiam ex variis opinionibus ostenditur quae in aula Herodis circumferebantur; *et haesitabat eo quod diceretur a quibusdam*, v. 8 *quia Ioannes surrexit a mortuis; a quibusdam vero, quia Elias apparuit*, qui scil. morte non erat ablatus; « ex personae gravitate, praedicationis libertate et miraculorum fama interpretabantur eum esse Eliam, maxime cum Scripturis prophetarum accepissent Eliam rediturum, nec mortuum, sed raptum » (Mal. 4,5. 4 Reg. 2,11. 12; *Luc.*); *ab aliis autem : quia propheta unus*, τις, aliquis, *de antiquis surrexit;* v. 9 *et ait Herodes : Ioannem ego decollavi; quis est autem iste de quo ego talia audio?* Herodes male sibi conscius est; stimulis sceleris admissi agitatur, quod virum quem sanctum et iustum esse sciebat mulieris adulterae insidiis occiderit (Marc. 6,20). In tali animi conditione homo superstitiosus modo dubius haeret, modo affirmat Ioannem a se interemptum resurrexisse; ita ex ingenio et indole malae conscientiae explicatur quod Herodes apud Matth. 14,2 et Marc. 6,16 rem asserat, apud Luc. dubius haesitet; eo enim modo meticulosi et superstitiosi ab alia in aliam sententiam transsilire solent. Aliis placet cum *S. Aug. Beda* dicere eum post haesitationem confirmasse in animo suo Ioannem a mortuis surrexisse; opinatur *Weiss* Lucam consulto verba Herodis ita protulisse ne vir nobilis et eruditus superstitioni vulgari deditus videretur; id quod gratis supponitur. Alia vide in

Comment. Marc. p. 167; *et quaerebat videre eum;* cf. 23,8; quaerebat non devotione, sed curiositate (*Tol.*), vulpino consilio (*Cai.*).

b) Saturantur quinque millia quinque panibus 9,10-17.

9,10. Et reversi apostoli narraverunt illi quaecumque fecerunt, et assumptis illis secessit seorsum in locum desertum qui est Bethsaidae. 11. Quod quum cognovissent turbae, secutae sunt illum; et excepit eos, et loquebatur illis de regno Dei, et eos, qui cura indigebant, sanabat. 12. Dies autem coeperat declinare. Et accedentes duodecim dixerunt illi : Dimitte turbas, ut euntes in castella, villasque quae circa sunt, divertant et inveniant escas; quia hic in loco deserto sumus. 13. Ait autem ad illos : Vos date illis manducare. At illi dixerunt : Non sunt nobis plus quam quinque panes, et duo pisces : nisi forte nos eamus, et emamus in omnem hanc turbam escas. 14. Erant autem fere viri quinque millia. Ait autem ad discipulos suos : Facite illos discumbere per convivia quinquagenos. 15. Et ita fecerunt. Et discumbere fecerunt omnes. 16. Acceptis autem quinque panibus et duobus piscibus, respexit in coelum, et benedixit illis, et fregit, et distribuit discipulis suis, ut ponerent ante turbas. 17. Et manducaverunt omnes, et saturati sunt. Et sublatum est quod superfuit illis, fragmentorum cophini duodecim.

9,10. Καὶ ὑποστρέψαντες οἱ ἀπόστολοι διηγήσαντο αὐτῷ ὅσα ἐποίησαν· καὶ παραλαβὼν αὐτοὺς, ὑπεχώρησεν κατ' ἰδίαν εἰς πόλιν καλουμένην Βηθσαϊδά. 11. οἱ δὲ ὄχλοι γνόντες ἠκολούθησαν αὐτῷ· καὶ ἀποδεξάμενος αὐτοὺς, ἐλάλει αὐτοῖς περὶ τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ, καὶ τοὺς χρείαν ἔχοντας θεραπείας ἴατο. 12. Ἡ δὲ ἡμέρα ἤρξατο κλίνειν· προσελθόντες δὲ οἱ δώδεκα εἶπον αὐτῷ, Ἀπόλυσον τὸν ὄχλον, ἵνα πορευθέντες εἰς τὰς κύκλῳ κώμας καὶ ἀγροὺς καταλύσωσιν καὶ εὕρωσιν ἐπισιτισμόν, ὅτι ὧδε ἐν ἐρήμῳ τόπῳ ἐσμέν. 13. εἶπεν δὲ πρὸς αὐτοὺς, Δότε αὐτοῖς φαγεῖν ὑμεῖς. οἱ δὲ εἶπαν, Οὐκ εἰσὶν ἡμῖν πλεῖον ἢ ἄρτοι πέντε καὶ ἰχθύες δύο, εἰ μήτι πορευθέντες ἡμεῖς ἀγοράσωμεν εἰς πάντα τὸν λαὸν τοῦτον βρώματα· 14. ἦσαν γὰρ ὡσεὶ ἄνδρες πεντακισχίλιοι. εἶπεν δὲ πρὸς τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ, Κατακλίνατε αὐτοὺς κλισίας ὡσεὶ ἀνὰ πεντήκοντα· 15. καὶ ἐποίησαν οὕτως καὶ κατέκλιναν ἅπαντας. 16. λαβὼν δὲ τοὺς πέντε ἄρτους καὶ τοὺς δύο ἰχθύας, ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν, εὐλόγησεν αὐτοὺς, καὶ κατέκλασεν καὶ ἐδίδου τοῖς μαθηταῖς παραθεῖναι τῷ ὄχλῳ. 17. καὶ ἔφαγον καὶ ἐχορτάσθησαν πάντες· καὶ ἤρθη τὸ περισσεῦσαν αὐτοῖς, κλασμάτων κόφινοι δώδεκα.

In v. 10 πολιν καλουμενην $\aleph^{ca}$ B L X Z sah cop Ti W H; D κωμην καλ.; al τοπον ερημον πολεως καλ. In v. 11 a qui necesse habebant sanari, e qui necessariam habebant curam. In v. 12 go f emant escas; ger add et reficiant se. In v. 14 ησαν δε $\aleph^{*}$ L Ti a c vulg; al γαρ; ωσει ανα $\aleph$ B C D L R Z sah Or W H; *centenos* et quinquagenos eg. In v. 15 discubuerunt ger steph sixt. In v. 16 D τοις οχλοις, sim it vulg cop syr (cu, utr). In sin pleraque desunt; solum v. 12 legitur : dixerunt ei : in deserto sumus, dimitte turbam etc... inveniant sibi escam; dixit.

Multiplicatione panis insigni modo manifestatur potentia et clementia Christi. Cum autem ea fiat, postquam Iesus apostolos provocavit, ut ipsi providerent turbis, et cum fiat apostolis administris, haec multiplicatio quam maxime quoque apta est ad fidem discipulorum

augendam; oculis enim cernunt et manibus palpant quomodo is omnium necessitatibus possit prospicere qui se miserit sine pera et pecunia. A missione reduces apostoli ei a quo missi erant rationem reddunt v. 10 *et reversi apostoli narraverunt illi quaecumque fecerunt*, certe laeti de prospero successu et de potentia nominis Iesu in quo miracula patrarunt. Iesus autem, ut Marc. 6,31 refertur, apostolis aliquid quietis concedere vult; *et assumptis illis secessit seorsum in locum desertum qui est Bethsaidae;* sese cum illis recipit in desertum prope Bethsaida. Ex Matth. 14,13 et Marc. 6,32 discimus Iesum cum discipulis transfretasse, turbas autem itinere pedestri eos esse secutas. Quare sequitur locum in quem secessit Iesus fuisse in litore orientali lacus. Id quod manifestissime quoque demonstratur quia post multiplicationem panis discipuli iussi praecedere Iesum trans fretum appellunt naviculam ad terram Genesar et veniunt Capharnaum (cf. Matth. 14,22-34. Ioan. 6,17). Unde necessario colligitur hic intelligi non Bethsaida patriam Petri et Andreae, sed Bethsaida cui nomen Iulias in Gaulonitide ad regionem aquilonarem lacus. Philippus enim tetrarcha (3,1) « vicum Bethsaida lacui genesaritico adsitum cum ad dignitatem urbis perduxisset multisque habitatoribus et cetera opulentia auxisset nomen ei dedit ab Iulia Caesaris (Augusti) filia » (*Iosephus*, Antiq. 18,2. 1; 20,8. 4 nominat Iuliada Peraeae urbem, item de bell. iud. 2,9. 1 et 2,13. 2; Vita n. 72 haud longe a Iordane item de bell. iud. 3,10. 7). Atque hanc urbem hic intelligi plerique merito docent (cf. *Schegg, Schanz, Fil. Keil;* vide *Guérin*, Galilée I p. 329 seq.).

Perperam *Weiss* asserit Lucam nomen deprompsisse ex Marc. 6,45; quare Bethsaida in litore occidentali, Bethsaida Galilaeae (Ioan. 12,21) esse intelligendum. Sed loco illo Marci narratur post multiplicationem panis discipulos iussos esse trans fretum ad Bethsaida navigare (εἰς τὸ πέραν πρὸς βηθσαιδάν). En vir criticus non veretur affirmare Lucam adeo negligentem se praebuisse ut quem vicum discipulos post multiplicationem panis petiisse Marcus narrat, ad eum profectos eos esse ante multiplicationem scriberet, et tali argumento vult aliis persuadere non posse esse sermonem de Bethsaida cui nomen Iulias. Immerito quoque urget ex narratione Lucae multiplicationem panis factam esse in litore occidentali, cum Lucas post 8,37.40 nihil referat de navigatione in alteram partem, sed dicat solum : secessit seorsum. Christum transfretasse in litus orientale narrant alii, idque evidenter patet ex iis quae apud eosdem post multiplicationem panis referuntur. Unde nisi quis pueriliter cavillari voluerit, dicet illud *secessit seorsum* esse dictum in universum et quomodo capiendum sit nos doceri a tribus aliis. Profecto in explanatione scriptorum profanorum nemini in mentem veniret ex tali modo narrandi contradictionem statuere inter eos qui de

eodem eventu scribunt; sed tali aequitate et iustitia utique non tractandi scriptores sacri! alioquin enim non possent venditari eorum contradictiones!

Populus vidit naviculam abeuntem versus alterum litus; tendunt turbae in eandem regionem pedestres; vide ad Marc. 6,33; v. 11 *quod cum cognovissent turbae secutae sunt illum;* Iesus autem quamvis quietis causa sese illuc contulisset, non se turbis subtrahit sed bonus pastor se illis impendit, *et excepit eos,* vultu et exterioribus signis benignitatem animi declarando (*Tol.*) *et loquebatur illis de regno Dei et eos qui cura indigebantsanabat;* « ut potens piusque salvator ac medicus excipiendo fatigatos, docendo inscios, sanando aegrotos, reficiendo ieiunos, quantum devotione credentium delectetur insinuat » (*Beda*); v. 12 *dies autem coeperat declinare, et accedentes duodecim dixerunt illi: dimitte turbas, ut euntes in castella villasque quae circa sunt divertant et inveniant escas, quia hic in loco deserto sumus;* inde elucet quanta sedulitate Iesus turbas docuerit et quam libenter hae verba eius audierint, verba scil. gratiae quae procedebant de ore ipsius (4,22. Matth. 7,28. Marc. 1,22). Apostoli autem Dominum monent, « non fastidio quodam tempore iam elapso, sed benevolo erga turbas studio, quasi iam pastorali officio vacantes et populorum curam gerere incipientes » (*S. Cyr.*); dies coeperat declinare, Marc. 6,35 ὥρα πολλή, ex Matth. 14,15. 23 sequitur intelligi tempus vesperae prioris quod rabbini vocant, tempus post horam nonam a solis ortu (vide ad Matth. l. c.). Iesus autem exercendae fidei causa v. 13 *ait ad illos: vos date illis manducare;* aperte eos provocat Iesus, ut ipsi turbis provideant; sed quomodo? cum illis dederit amplam potestatem quam esse efficacem in missione sua experti sunt et cum fidei vim et virtutem iam saepius viderint (cf. 8,47 seq.), omnino supponere licet quod verbis aperte enuntiatur: insinuasse Christum, ut ipsi apostoli fide armati sicut alia miracula patrarunt ita hic miraculo opem ferrent populo. Neque enim verba edicunt ut ad Iesum recurrant, neque id solum volunt ut ad miraculum fiant attenti et magnitudo signi notior fiat (cf. *Bed. Theoph. Tol.*) vel ut ex eorum responsione cognoscatur cibi modicitas (*S. Bon.*); multo minus dici potest cum *Schanz* verbis illis nullatenus discipulos moneri ut ipsi miraculum patrent, id enim alibi non fieri, sed solum affirmari cibos qui praesto sint plane esse insufficientes. Si hoc solum Christus voluisset, profecto mire esset locutus! Praeterea notandum est Ioan. 6,6 totidem verbis dici Iesum tentasse discipulum: hoc autem dicebat tentans eum, Philippum cui ibidem loquitur.

Verum apostoli de miraculo ne cogitant quidem; *at illi dixerunt: non sunt nobis plus quam quinque panes et duo pisces,* tantum abest

ut verbis Iesu admoneantur potestatis sibi traditae, ut nihil habeant quod reponant nisi quod Iesu iam notum esse scire possunt. Aliud quippe tarditatis eorum cernitur exemplum, quia cum optime scirent se minime habere quod sufficiat neque id Iesum ignorare, tamen verbis Christi adeo explicitis nullatenus ad exspectandum vel petendum miraculum inducuntur. Inde simul sequitur quam longe abfuerint a conficta miraculi cuiusdam narratione. Discrimen autem quod inter verum et apocryphum intercedit iterum manifestum est; in apocryphis enim miracula plane stupenda ubique exspectantur et quavis occasione quasi cursu rerum ordinario exposcuntur. Insuper addunt fieri non posse, ut ipsi escas provideant : *nisi forte nos eamus et emamus in omnem hanc turbam escas;* rem quasi dubiam exhibent reverentiae in Iesum causa; sed quo sensu verba intellexerint satis declarat evangelista subdens v. 14 *erant autem fere viri quinque millia* mulieribus et parvulis non annumeratis (Matth. 14,21). Putant quidem aliqui apostolos se obtulisse promptos Domino ad escas coemendas (cf. *Alb. Schegg*), sed id neque congruit ad Ioan. 6,7 neque ad Marc. 6,37 neque ad rerum conditionem; undenam apostoli habuissent tantum pecuniae? quare dicendum est cum *Cai. Tol.* aliisque esse modum loquendi quo utimur quando aliquid inconveniens vel impossibile significare volumus. Patefacta discipulorum impotentia et humano defectu manifestato Christus suam exercet virtutem (*Tol.*); *ait autem ad discipulos suos : facite illos discumbere per convivia quinquagenos;* cf. Marc. 6,39. 40. Ad quid hoc tendat nesciunt; at obediunt v. 15 *et ita fecerunt, et discumbere fecerunt omnes;* v. 16 *acceptis autem quinque panibus et duobus piscibus,* de quibus accuratius refertur Marc. 6,38 et praesertim Ioan. 6,9, *respexit in coelum* « hoc sapienter nostra causa faciebat, ut discamus mensae initio quem panem fracturi sumus Deo offerri a nobis debere, ut benedictionem super eum desursum impetremus » (*S. Cyr.*); monstrat nos debere Deo gratias agere si manducaturi sumus (*Theoph.*); *et benedixit illis* et quam efficax fuerit haec benedictio eventus probat, *et fregit et distribuit discipulis suis ut ponerent ante turbas;* in manibus discipulorum panes multiplicantur; miraculum manu palpant; ipsi sunt dispensatores beneficiorum Christi ad populum. Quot documenta et quam gravia hoc uno eventu discipulis traduntur! Omnibus liberaliter providit Iesus v. 17 *et manducaverunt omnes et saturati sunt, et sublatum est quod superfuit illis, fragmentorum cophini duodecim;* cum κλασμάτων careat articulo, iungendum erit cum sequenti κόφινοι δώδεκα (cf. *Schegg, Schanz, Weiss*), uti etiam interpunctione *vulg.* ostenditur. — Alia quae ad explicationem spectant vide ad Matth. et Marc. l. c.

c) Petrus confitetur Christum qui passionem praedicit 9,18-27.

9,18. Et factum est quum solus esset orans, erant cum illo et discipuli, et interrogavit illos, dicens : Quem me dicunt esse turbae? 19. At illi responderunt, et dixerunt : Ioannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero quia unus propheta de prioribus surrexit. 20. Dixit autem illis : Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus, dixit : Christum Dei. 21. At ille increpans illos, praecepit ne cui dicerent hoc, 22. Dicens : quia oportet Filium hominis multa pati, et reprobari a senioribus, et principibus sacerdotum, et scribis, et occidi, et tertia die resurgere.

23. Dicebat autem ad omnes : Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me. 24. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet illam : nam qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciet illam. 25. Quid enim proficit homo, si lucretur universum mundum, se autem ipsum perdat, et detrimentum sui faciat? 26. Nam qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, quum venerit in maiestate sua, et Patris, et sanctorum angelorum. 27. Dico autem vobis vere : sunt aliqui hic stantes, qui non gustabunt mortem donec videant regnum Dei.

9,18. Καὶ ἐγένετο ἐν τῷ εἶναι αὐτὸν προσευχόμενον κατὰ μόνας, συνῆσαν αὐτῷ οἱ μαθηταί· καὶ ἐπηρώτησεν αὐτοὺς, λέγων, Τίνα με οἱ ὄχλοι λέγουσιν εἶναι; 19. οἱ δὲ ἀποκριθέντες εἶπαν, Ἰωάνην τὸν βαπτιστήν· ἄλλοι δὲ Ἠλείαν· ἄλλοι δὲ, ὅτι προφήτης τις τῶν ἀρχαίων ἀνέστη. 20. εἶπεν δὲ αὐτοῖς, Ὑμεῖς δὲ τίνα με λέγετε εἶναι; Πέτρος δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν, Τὸν Χριστὸν τοῦ Θεοῦ. 21. Ὁ δὲ ἐπιτιμήσας αὐτοῖς παρήγγειλεν μηδενὶ λέγειν τοῦτο, 22. εἰπών, ὅτι δεῖ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου πολλὰ παθεῖν, καὶ ἀποδοκιμασθῆναι ἀπὸ τῶν πρεσβυτέρων καὶ ἀρχιερέων καὶ γραμματέων, καὶ ἀποκτανθῆναι, καὶ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἐγερθῆναι.

23. Ἔλεγεν δὲ πρὸς πάντας, Εἴ τις θέλει ὀπίσω μου ἔρχεσθαι, ἀπαρνησάσθω ἑαυτὸν, καὶ ἀράτω τὸν σταυρὸν αὐτοῦ καθ' ἡμέραν, καὶ ἀκολουθείτω μοι. 24. ὃς γὰρ ἂν θέλῃ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ σῶσαι, ἀπολέσει αὐτήν· ὃς δ' ἂν ἀπολέσῃ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἕνεκεν ἐμοῦ, οὗτος σώσει αὐτήν. 25. τί γὰρ ὠφελεῖται ἄνθρωπος, κερδήσας τὸν κόσμον ὅλον, ἑαυτὸν δὲ ἀπολέσας ἢ ζημιωθείς; 26. ὃς γὰρ ἂν ἐπαισχυνθῇ με καὶ τοὺς ἐμοὺς λόγους, τοῦτον ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπαισχυνθήσεται, ὅταν ἔλθῃ ἐν τῇ δόξῃ αὐτοῦ καὶ τοῦ πατρὸς καὶ τῶν ἁγίων ἀγγέλων. 27. Λέγω δὲ ὑμῖν ἀληθῶς, εἰσίν τινες τῶν αὐτοῦ ἑστηκότων, οἳ οὐ μὴ γεύσωνται θανάτου, ἕως ἂν ἴδωσιν τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ.

In v. 18 B* συνηντησαν f occurrerunt, 17 ev συνηχθησαν; a in secreto, c e singularis. In v. 19 pl minusc med add alii vero Ieremiam; D η ενα των προφητων, c prophetam surrexisse magnum. In v. 20 f l go sax tu es christus filius Dei (l add vivi); big christum Domini. In v. 22 μεθ ημερας τρεις D sin quoque (cum saltem duo verba : dies surget servata sint); sim b ff² l q; e post triduum, a post tertium diem; αναστηναι A C D K Π aliq minusc. In v. 23 απαρνησασθω B* C R X Δ Λ unc 7 al pler; αρνησ. ℵ A B³ D K L Z Π al 10 Or; D a l om tollat crucem suam quotidie; tol habet quotidie post sequatur me. In v. 25 quid prodest homini b c e f l; si lucrum fecerit e; iacturam sui a. In v. 26 τους εμους (sine λογους) D et sim a e l syr (cu); confundet a e f q. In v. 27 αυτου εστηκ. ℵ B L Z; al ωδε; ben gustaverunt; D Or τον υιον του ανθρωπου ερχομενον εν τη δοξη αυτου (cf. Matth.). In sin fere omnia desunt; solum quaedam restant ex v. 22 et integer v. 23, in quo omittitur *quotidie*; in v. 22 sacerdotes nominantur, non principes sacerdotum.

A multiplicatione panis immediate transit Lucas ad confessionem Petri quae facta est prope Caesaream Philippi (Matth. 16,13. Marc. 8,27). Notant interpretes inter hos duos eventus testibus aliis synopticis plura esse gesta quae a Luca silentio premantur: ita Iesu ambulatio supra mare et Petri in eadem occasione fides et titubatio, adventus in regionem Genesar, in Capharnaum (ubi sermo de pane vitae), disputatio cum pharisaeis, iter in Phoeniciam, sanatio filiae mulieris syrophoenissae, regressus in regionem decapolitanam, sanatio surdomuti, altera panum multiplicatio, petitio signi a pharisaeis facta, sanatio caeci (Matth. 14,22-16,13 et Marc. 6,45-8,26). Cur haec ab ipso sint omissa inquirunt. Admitti nequit quod *Hug* proposuit haec omnia vel pleraque olim in evangelio Lucae exstitisse, at negligentia alicuius librarii esse omissa. Nam etsi unus librarius ea praetermisisset, quomodo fieri potuit ut sine ullo vestigio apud omnes testes tot narrationes intercidierent? Pariter arbitrarium est quod *Reuss* vult, Lucae solum praesto fuisse exemplar libri Marci in quo tota haec pars abfuisset, vel quo *Beischlag* nodum solvere conatur, Lucam vel suspicatum esse immerito narrari duas panum multiplicationes, cum altera narratio sit eadem cum priore, aliaque media, utpote pro gentilibus minus apta consulto transiisse, vel eum dum librum Marci pro sua narratione exploraret, a priore narratione multiplicationis panum fortuito aberrasse ad alteram nec advertisse eam esse distinctam a priore et ita casu esse omissa quae interiaceant (cf. Studien und Kritiken 1881 p. 604).

Melius notant alii Lucam saepius ea praeterire quae aliquam prae se ferant cognationem cum iis quae iam semel exposuerit; ita ab eo non referri in historia passionis narrationem de ficu, quia simile quid iam dictum sit in parabola cap. 13; item non narrari quaestionem esse factam de magno mandato in lege, quia id aliquo modo iam tractatum sit cap. 10, neque narrari Iesum esse illusum a militibus Pilati, cum simile quid iam relatum de exercitu Herodis. Unde putant eum pari ratione silentio pressisse alterum in mari miraculum, alteram panum multiplicationem, alteram petitionem signi et duas illas sanationes apud Marcum; disceptationes autem cum pharisaeis esse consulto omissas eadem ratione qua etiam ex sermone montano ea sint praeterita quae contra pharisaeos apud Matth. habeantur; narrationem vero de Syrophoenissa potuisse omitti quia Iesus uti videatur verbis durioribus quibus gentiles offendi possent (cf. Studien und Kritiken 1861 p. 699, *Weiss*); neque multum ab his abludit *Schanz*, qui monet Lucam voluisse et Iudaeis parcere neque gentilibus occasionem offensionis praebere; quare disceptationem de lotione manuum esse omissam et narrationem de Syrophoenissa; ambulationem supra mare non potuisse inseri quia narratio de confessione Petri in eodem litore facta statim adiungatur. Illa esse omissa *Schegg* ex eo declarat quod in catechesi S. Pauli aliorumque Pauli comitum et sociorum haec non commemorabantur; facile enim intelligi unam tantum multiplicationem panum esse gentilibus propositam, disputationes cum pharisaeis esse omissas, item colloquium cum Syrophoenissa.

De indole regni Dei apostoli edocti sunt a Christo explicatione parabolarum; de ipso Christo edocti sunt serie quadam miraculorum omnis generis. Iam utrumque in hac parte etiam clarius, brevius, efficacius iis ob oculos ponitur. Et prius quidem quid de Iesu sit firmiter tenendum, dein passionis praedictione facta et abnegatione, cruce, morte pro Christo commemoratis regnum Dei esse regnum omnino sui generis evidenter demonstratur. Ita igitur Iesus tertio anno vitae suae publicae, postquam suos vario modo erudivit, incipit eos praeparare ad passionem suam et ad id quod ex sua passione consequens est, ad participationem passionis; v. 18 *et factum est cum solus esset orans;* cf. 6,12; rem aggreditur magni momenti; unde orationem praemittit rogans « Patrem pro discipulorum illuminatione, ut Pater eis revelaret cognitionem ipsius » (*Luc.*); erat solus, seorsum a turba, *erant cum illo et discipuli,* qui simul cum ipso orasse merito censentur (*S. Cyr. Schegg, Schanz*); et finita oratione prope Caesaream Philippi (vide ad Matth. 16,13), cum esset in via (Marc. 8,27) *interrogavit illos dicens : quem me dicunt esse turbae?* populi qui eum libenter audiebat, eum sequebatur, testis miraculorum sententiam exquirit ad eruditionem discipulorum; v. 19 *at illi responderunt et dixerunt : Ioannem baptistam; alii autem Eliam,* qui ante Messiam venturus exspectabatur; quare haec opinio testimonio est exspectationis temporis messiani; *alii vero, quia unus propheta de prioribus surrexit;* Iesum esse Messiam turbis igitur ne in mentem quidem venit, quamvis audierint testimonia baptistae et Iesus ipse illa et faciat et de se dicat quibus Messias cognosci possit. Verum iis impedimento erat falsa illa de regno messiano notio, quam cum nullo pacto relinquerent, Iesus solum in parabolis de eo iis loqui potuit (cf. 8, 10); v. 20 *dixit autem illis : vos autem quem me esse dicitis?* « quam solerter dictum est *vos!* ita nimirum discipulos ab aliis secernit quominus illorum opinionem sectentur nec humilem de eo sententiam gerant; vos, inquit, selecti, decreto meo ad apostolatum vocati, prodigiorum meorum testes, quem me esse dicitis » (*S. Cyr.*)?

Erumpit prae ceteris Petrus plenaque Dei amore verba pronuntiat atque accuratam fidei professionem facit (*S. Cyr. cat. Cr.*); *respondens Simon Petrus dixit : Christum Dei;* monet *Theoph.* dici τὸν Χριστὸν cum articulo, ut declaretur quod ipse sit ὁ κυρίως Χριστὸς τοῦ Θεοῦ, quod ille unus sit Messias. Plenius et accuratius responsum Petri refertur Matth. 16,16; sed implicite hic quoque professio divinitatis Christi continetur, quia Messiam nomine divino et attributis divinis a prophetis describi certum est (cf. Is. 9,6. Ps. 44,7); profitetur itaque Petrus sollemniter Iesum esse illum Messiam a Deo per prophetas promissum, a patribus

exspectatum de quo sacrae paginae tam praeclara continent. Promissionem Petro de primatu factam quam apud Matth. legimus, Lucas non affert; cur? fortasse quia eius primatum satis in evangelio suo expressit; ubique enim Simon Petrus singulari honore prae aliis affectus cernitur (cf. 4,38; 5,3. 10; 6,14; 8,51; 9,28 ubique nominatur prae aliis primo loco; 9,32; 12,41; 18,28; 22,8; et praeprimis 22,32); dein ipsa nominis Petri impositio et significatio explicari vel narrari non potuit quin eius primatus mentio fieret quo est revera fundamentum supra quod Christus condidit suam Ecclesiam. Possumus itaque, si esset necesse, idem dicere quod alii in medium proferunt dum explicare volunt cur Lucas complura omiserit quae tamen apud Matthaeum et Marcum legerit, Lucam scil. ea solere haud raro praetermittere quae cum aliis ab eo narratis aliquam habeant cognationem vel similitudinem.

Verum prohibet ne ante suam glorificationem tamquam Messias annuntietur v. 21 *at ille increpans illos* ἐπιτιμήσας serio et graviter eos admonuit (cf. Matth. 12,16; 16,20,22. Marc. 3,12; 8,30. 32) *praecepit ne cui dicerent hoc;* vide ad Matth. 16,20 et Marc. 8,30; cum enim aliam prorsus haberent notionem et exspectationem messianam, « maius et incurabilius fuisset multorum scandalum in cruce Christi » (*Ians.*); erat enim, ut *Luc.* ait, alienissimum ab omnium tam opinione quam exspectatione Christum a sua gente reprobari et occidi; proinde Iesum hoc apostolis dixisse, ne tenella fides hominum animis insita imminentis passionis tempestate subverteretur atque eradicaretur absque omni spe restitutionis; « constat autem quod iam radices egit si evulsum fuerit, non facile posse iterum plantatum pullulare, hominesque qui in summa aliquem habuerint aestimatione, si semel exciderit ille, difficillime posse ad pristinam de illo opinionem reduci. At vero mysterio crucis omnique passione consummata et scandalis omnibus de medio sublatis, quando nihil restaret quod retundere et perturbare multitudinis fidem posset, immo quando primis miraculis postrema gloriosissime responderent, tunc opportunum futurum erat Iesum esse Christum mundo praedicari et sinceram atque immobilem fidem omnium animis imprimi » (*Luc.*); oportuit quippe Christum pati et *ita* intrare in gloriam suam; iam vero ubique praedicari ut Christum i. e. largitorem bonorum messianorum et verum Dei Filium spectat ad Iesu gloriam[1].

1. In ea prohibitione cerni dicit *Schegg* initium et exemplum ecclesiasticae disciplinae arcani. *S. Ambr.* autem inde occasionem capit docendi qua ratione et via gentiles adducendi sint ad fidem : « ita praeceptorum seriem formare debemus, ut primum unum Deum auctorem mundi omniumque esse doceamus... deinde opinionem illam quae est de idolis destruamus...; cum unum Deum esse persuaseris, tunc indicio eius astrues per Christum nobis salutem datam, incipiens ab illis quae gessit in corpore et ea divina describens, ut

Atque ob scandalum crucis talem dari prohibitionem Iesus clare indicat v. 22 *dicens : quia oportet* (nexus manet idem, sive ὅτι exposueris recitativum sive particulam causalem) *Filium hominis multa pati et reprobari a senioribus et principibus sacerdotum et scribis,* en Messias reiicietur et repudiabitur ab iis qui in republica iudaica auctoritate valent, a magistratu, a sacerdotibus, a legis doctoribus; ergo ab omnibus qui duces sunt populi sive potestate civili sive sacra, sive doctrina et scientia. Nonne spectaculum plane triste aperitur? ecce adest quem prophetae tanta sollemnitate annuntiabant et summo expetebant desiderio; verum principes populi eum occidunt! *et occidi;* at ipsa morte perveniet ad triumphum *et tertia die resurgere;* cum Matth. 16,21 et hic accurate designetur *tertia dies,* censet *Weiss* id ex eventu esse adeo accurate determinatum. Quam frivole id statuatur, cerni potest ex eo quod pharisaei usque in tertium diem sepulcrum custodiri iubeant (Matth. 27,64); si autem pharisaeis notum erat Christum de tertia die esse vaticinatum, cur non potius discipulis? proinde non Matthaeus et Lucas illud Marci 8,31 *post tres dies* accuratius ex eventu determinarunt, sed iam ante eventum sciebatur et ab inimicis et ab amicis (cf. 24,21) diem tertium esse a Iesu assignatum. Postquam discipuli per duos annos cum Iesu versati sunt et fere uno anno ante passionem, incipit eos tandem de hoc quoque mysterio edocere. Ecce pedetemptim eos erudit prudentissimus ac sapientissimus magister. Verum quam parum id ab initio capere voluerint, exemplo est inter alia Petrus, de quo Matth. 16,22 et Marc. 8,32 (cf. 9,31; 10,32).

Si Messias redemptor, rex et caput Ecclesiae, per passionem ad gloriam debet intrare, quid iam consequitur pro redemptis, pro subditis huius regis, pro membris sub tali capite? « quoniam de seipso dixerat oportere Filium hominis multa pati, iam infert commune quoddam et generale » (*Theoph.*) v. 23 *dicebat autem ad omnes,* cum iam in v. 21 Iesus discipulos allocutus sit, *omnes* non potest referri ad solos discipulos, uti aliqui volunt simul imputantes evangelistae ineptum scribendi modum quippe qui colloquium Iesu cum Petro (relatum Marc. 8,31) ob oculos habuerit ideoque nunc discipulos *omnes* a Christo doceri scribat (*Holtzmann, Volkmar*), sed sermo dirigitur praeter discipulos ad turbam quoque, uti Marc. 8,34 clare dicitur. Offenditur *Weiss* eo quod turbam esse advocatam vel haud procul abfuisse non narretur. Sed concedamus evangelistae ut supponat homines ratione utentes intelligere, si Iesus ad omnes loquatur istos omnes antea advenisse; *si quis*

plus quam homo fuisse videatur, victam unius virtute mortem, mortuumque suscitatum » etc.

vult post me venire, « ut nemo se excuset quasi non habeat gratiam, ideo dicit : si quis vult, quasi dicat quod gratia Dei nobis praesto est, si non desit voluntas » (*S. Bon.*), *abneget semetipsum* i. e. sui oblitus ne sua spectet commoda, verum res, causa, emolumenta Christi sibi sint cordi; unde oportet propriis desideriis et appetitibus quae legi Christi adversantur contradicere, non ea sequi nec ipsis consentire (*Tol.*); omne id constanter reiicere et repudiare, licet gratum iucundumque sit quod Dei voluntati non sit consentaneum (*Luc.*), agere contra rebelles concupiscentias easque dominio rationis et legi Dei subiicere (vide ad Matth. 16,24); *et tollat crucem suam quotidie;* debebant cruciarii crucem suam vel patibulum portare; ita nos oportet tribulationes et molestias ferre quae oriuntur sive ex studio virtutum et pugna contra malas propensiones, sive ex aliorum hominum in nos malevolentia, odio, persecutionibus, sive ex morbis, adversitatibus, paupertate etc. Non sine emphasi dicitur *quotidie;* « significat Christus fore ut sicut dies diem consequitur ita crux crucem excipiat, nullum denique adversitatum finem fore, donec ex mundo hoc exierimus, ut ne quis existimet se defunctum cruce ferenda, si unam aequo animo tulerit; pluribus enim toleratis ad novas ferendas parent se singuli oportet » (*Luc.*). Cum ferre crucem eorum sit qui ad supplicium crucis damnati educuntur, non aberrant qui interpretantur nos oportere paratos esse pro Christo et evangelio vitam et sanguinem profundere.

Atque ita unusquique sese abnegans et ferens crucem suam exsistet verus Christi discipulus et imitator *et sequatur me,* in hisce ob oculos habeat Iesu exemplum et sese consoletur, quod arcte premens Christi vestigia eum secuturus sit, uti nunc in cruce ferenda, ita aliquando in gloria; « addit hoc partim solandi nos gratia, partim docendi modum quo crux ferenda; nam dum mentem subit haec consolatio nos in ferenda cruce esse Christi socios, fit ut facile mitescat omnis acerbitas; modus autem ferendi crucem, ut salutariter feratur, est ut ad Christi exemplum feratur, nempe aequo, patienti libentique animo, ad haec iustitiae causa, denique propter gloriam Dei ut finem » (*Luc.*). Nam Christum sequi est eius doctrinam et praecepta amplecti et vita exprimere (*Tol.*).

Iam quanta necessitate id praecipiat declaratur v. 24 *qui enim voluerit animam suam salvam facere,* i. e. sive vitam suam servare, quando pro Christo profundenda est, sive appetitibus suis et desideriis malis indulgere et satisfacere, *perdet illam,* quia se ipsum perniciei aeternae mancipavit; *nam qui perdiderit animam suam propter me,* qui pro Christi causa et virtute sive mortem subit sive malas animae cupiditates fortiter superat et enecat, *salvam faciet illam,* veram acqui-

ret animae vitam, vitam gratiae in hoc tempore et gloriae in futuro. Ad modum loquendi illustrandum affert *Beda* (ex S. Gregorio, hom. in evang. 32,4) : frumentum si servas, perdis; si seminas, renovas; vel ut Victor dicit (in cat. ad Marc. 8,35) : qui parcit puero perdet eum, qui non parcit servat. Veteres eam sententiam praeprimis de martyrio accipiebant; sententia tamen est omnino generalis, cum referatur ad antecedentem, nempe abnegare se, tollere crucem, quae pariter est universalis sententia (*Tol.*).

Et rationem affert Christus, cur ne summo quidem emolumento temporali proposito deflectendum sit a tramite iustitiae et virtutis v. 25 *quid enim proficit homo*, quid utilitatis percipit, *si lucretur universum mundum, se autem ipsum perdat et detrimentum sui faciat?* ἢ ζημιωθείς; i. e. aut sui ipsius iacturam faciat, dum scil. se in aeternam perniciem ac damnationem coniiciat. Maximum quod cogitari potest neque tamen unquam attingi lucrum commemorat, universi mundi bona, totius orbis imperium, opes, voluptates, delicias et si quae sunt alia in orbe bona; at haec omnia ait prorsus nihil hominem iuvare posse, si damnum incurrat irreparabile et inaestimabile, summum et aeternum. Quae enim temporalia sunt brevi transeunt neque in comparationem venire possunt cum iis quae in aeternum permanent. Iam si totus mundus nihil potest commodi afferre, quid poterit minima eius pars? Reddit Iesus causam cur homo Christo posthabito se perdat v. 26 *nam qui me erubuerit et meos sermones*, « me per fidem non confitendo et meis mandatis non obediendo quasi eum puduerit crucem tollere et sequi illum qui crucifixus est » (*Tol.*), *hunc Filius hominis erubescet*, eum non agnoscet pro suo, sed cum indignatione quasi ab eo pudore et confusione affectus eum repudiabit. In Iesu est tota spes salutis, cum non aliud nomen nobis datum sit in quo nos oporteat salvos fieri; si quis itaque a Christo non agnoscitur, ille interitui sempiterno est mancipatus. Atque operae pretium esse ut omnes omni conatu Christum sequi nitantur[1], neque ullam esse posse causam cur eos unquam pudeat Christum agnoscere agnitumque confiteri, indicat describens in qua iudicis maiestate venturus sit, *cum venerit in maiestate sua et Patris et sanctorum angelorum* in gloria illa quae sibi ut homini propria est, in gloria illa quam decet habere na-

1. Bene nexum indigitat *Eus* : « his peroratis, quod nempe discipulos oporteret imitatores ipsius fieri neque mortem defugere neque animae propriae vitaeque parcere propter spem in Christo collocatam, commode continuat secundae suae divinae manifestationis mysteria tradens; valde autem idonee ac necessario haec aiebat illis qui cruciatus eius causa subituri erant, praemia scil. tanti agonis futura proponens. Opus enim erat ut qui eum sequerentur et propriam quisque crucem sumerent, accurate quoque noscerent quisnam demum is esset, cuius causa tot tantaque essent passuri ».

turam humanam Verbo unitam et quae pariter respondeat magnitudini et multitudini passionum eius (cf. Phil. 2,8.9); veniet in gloria Patris, quia in ea apparebit maiestate quam ut Filius Patri consubstantialis simul cum natura divina accipit communicatam generatione a Patre, qua simul omnibus ostendetur eum esse Deum et habere eandem cum Patre divinitatem (*Tol.*). Veniet in gloria sanctorum angelorum, cinctus scil. splendido principum coelestium exercitu; « si enim maiestas principis terreni apparet in satellitum et militum ac familiarium comitatu, quanto maior apparebit Christi maiestas angelorum sanctorum innumerabili multitudine comitante » (*Tol.*)? Ceterum cf. Matth. 16,17. Marc. 8,38.

Ne vero existiment gloriam illam Christi iam proxime instare, docet antea regnum Dei in hac terra firmiter esse constituendum et simul ad eorum consolationem edicit regnum messianum iri firmiter stabilitum ac conspicue in orbe terrarum intra tempus haud adeo remotum v. 27 *dico autem vobis vere* (ita plerique ἀληθῶς iungunt, neque obstat collocatio; cf. Act. 12,11; *Schanz*) : *sunt aliqui hic stantes qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei* ἐν δυνάμει, in virtute, ut Marc. 8,39 additur. Bene notat *Beda* (ex S. Gregorio, hom. in evang. 32,5) regnum Dei hoc loco vocari Ecclesiam, « et quia nonnulli ex discipulis usque adeo in corpore victuri erant, ut Ecclesiam Dei constructam conspicerent et contra mundi huius gloriam erectam, consolatoria promissione nunc dicitur : sunt quidam etc... ». Manifestum est regnum Dei videre non posse esse videre Iesum venientem in illa gloria de qua in v. 26, quia dictio est plane alia et quia Christus scivit se non ad ultimum iudicium intra illud temporis spatium venturum. Pariter liquet non posse fieri allusionem ad transfigurationem (id quod multi veterum volunt), quia transfigurationem videre non est videre regnum Dei vel regnum messianum et quia de eventu qui intra octo dies futurus est inepte diceretur : sunt aliqui qui non gustabunt mortem. De qua re plura vide ad Matth. 16,28 (Comment. II p. 77). Apud Matthaeum verba Christi ita referuntur, ut aliquam insignem Christi iudicis manifestationem regno messiano constituto exprimant, quam utique in eversione urbis Ierusalem et templi et populi infidelis dispersione cernere licet; vide Comment. l. c. S. Matthaeus itaque censendus erit verba recitasse prout Iesus ea dixit ratione habita suae in Iudaeos manifestationis; alii duo solum unum ex verbis referunt : regnum messianum firmiter constitutum; atque id visum esse a nonnullis gentiles facile intelligere poterant omnes, sane facilius quam tempus eversionis urbis et templi. Unde cur alii duo ita scripserint explicari poterit.

d) De transfiguratione 9,28-36.

9,28. Factum est autem post haec verba fere dies octo, et assumpsit Petrum, et Iacobum, et Ioannem, et ascendit in montem ut oraret. 29. Et facta est, dum oraret, species vultus eius altera, et vestitus eius albus et refulgens. 30. Et ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyses et Elias, 31. Visi in maiestate; et dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem. 32. Petrus vero, et qui cum illo erant, gravati erant somno. Et evigilantes viderunt maiestatem eius, et duos viros qui stabant cum illo. 33. Et factum est, quum discederent ab illo, ait Petrus ad Iesum : Praeceptor, bonum est nos hic esse; et faciamus tria tabernacula, unum Tibi, et unum Moysi, et unum Eliae, nesciens quid diceret. 34. Haec autem illo loquente, facta est nubes, et obumbravit eos; et timuerunt, intrantibus illis in nubem. 35. Et vox facta est de nube, dicens : Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite. 36. Et dum fieret vox, inventus est Iesus solus. Et ipsi tacuerunt, et nemini dixerunt in illis diebus quidquam ex his quae viderant.

9,28. Ἐγένετο δὲ μετὰ τοὺς λόγους τούτους ὡσεὶ ἡμέραι ὀκτὼ, παραλαβὼν Πέτρον καὶ Ἰωάνην καὶ Ἰάκωβον, ἀνέβη εἰς τὸ ὄρος προσεύξασθαι. 29. καὶ ἐγένετο ἐν τῷ προσεύχεσθαι αὐτὸν τὸ εἶδος τοῦ προσώπου αὐτοῦ ἕτερον, καὶ ὁ ἱματισμὸς αὐτοῦ λευκὸς ἐξαστράπτων. 30. Καὶ ἰδοὺ, ἄνδρες δύο συνελάλουν αὐτῷ, οἵτινες ἦσαν Μωυσῆς καὶ Ἠλείας. 31. οἳ ὀφθέντες ἐν δόξῃ ἔλεγον τὴν ἔξοδον αὐτοῦ, ἣν ἤμελλεν πληροῦν ἐν Ἰερουσαλήμ. 32. ὁ δὲ Πέτρος καὶ οἱ σὺν αὐτῷ ἦσαν βεβαρημένοι ὕπνῳ· διαγρηγορήσαντες δὲ εἶδον τὴν δόξαν αὐτοῦ, καὶ τοὺς δύο ἄνδρας τοὺς συνεστῶτας αὐτῷ. 33. καὶ ἐγένετο ἐν τῷ διαχωρίζεσθαι αὐτοὺς ἀπ' αὐτοῦ, εἶπεν ὁ Πέτρος πρὸς τὸν Ἰησοῦν, Ἐπιστάτα, καλόν ἐστιν ἡμᾶς ὧδε εἶναι· καὶ ποιήσωμεν σκηνὰς τρεῖς, μίαν σοὶ, καὶ μίαν Μωυσεῖ, καὶ μίαν Ἠλείᾳ· μὴ εἰδὼς ὃ λέγει. 34. ταῦτα δὲ αὐτοῦ λέγοντος, ἐγένετο νεφέλη καὶ ἐπεσκίαζεν αὐτούς· ἐφοβήθησαν δὲ ἐν τῷ εἰσελθεῖν αὐτοὺς εἰς τὴν νεφέλην. 35. καὶ φωνὴ ἐγένετο ἐκ τῆς νεφέλης λέγουσα, Οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἐκλελεγμένος, αὐτοῦ ἀκούετε. 36. καὶ ἐν τῷ γενέσθαι τὴν φωνὴν εὑρέθη Ἰησοῦς μόνος. Καὶ αὐτοὶ ἐσίγησαν, καὶ οὐδενὶ ἀπήγγειλαν ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις οὐδὲν ὧν ἑώρακαν.

In v. 28 pler και παραλαβων, om και ℵ* B H 28 a b ff² l r eg ger for rush cop syr (utr)arm aeth; *post* dies octo a b ff² l (sex) q eg; codd mu vulg Petrum et Ioannem, uti graeci et it. In v. 29 codd vulg et *factum* est; add facta est a eg; visa est f; erat wil; dum orat facta est b ff² l r q ger; et in orando facta est c e; figura e; effigies a; species aspectus b ff² l r q; commutata alia e; velut sol l; syr (cu) addit ut nix; e ut nix (pro refulgens). In v. 31 a consummationem, d c f exitum. In v. 32 vigilantes for lind corp*. In v. 33 D θελεις ποιησω, d vis facio. In v. 34 επεσκιαζεν ℵ B L al pauc; pler επεσκιασεν; tat syr (sin, sch) : timuerunt cum viderent Mosen et Eliam (sin eos intrantes) qui intraverunt nubem. In v. 35 εκλελεγμενος ℵ B L Z (1. ο εκλεκτος) sin sah cop; electus a ff² l big dub rush; al ο αγαπητος, c dilectissimus; add C³ D M al 20 εν ω ευδοκησα; d in quo bene sensi. In v. 36 eg quae audierant, aeth viderant et quod audierant (sin Kepha in v. 28. 32. 33; v. 28 et duxit Kepham et Iac. et Ioan.).

In Christi transfiguratione et gloria, in apparitione Moysis et Eliae, in voce de nube facta apostolis insignia praebentur documenta fidei et consolationis; iam enim oculis cernunt ad quid tandem passio, crux, abnegatio perducat; et dum Moyses et Elias cum Iesu de eius morte

loquantur, Christi mortem coelesti decreto esse statutam audientes iam offensione eius, dummodo sapiant, non poterunt tangi. Quare iste eventus modo multiplici ad eruditionem discipulorum spectat; v. 28 *factum est autem post haec verba fere dies octo*, cum Matth. 17,1 et Marc. 9,1 legatur *post sex dies*, iam veteres solliciti erant omnem erroris vel contrarietatis umbram aut speciem removere. Ita ait *S. Hieronymus* (ad Matth. 17) facilem esse responsionem, « quia hic medii ponuntur dies (apud Matth. et Marc.), ibi (apud Luc.) primus additur et extremus », eodemque modo etiam loquuntur *S. Aug.* (de cons. evang. 2,56. 113; *M.* 34,1133), *Epiphanius* (haer. 69 n. 77; *M.* 42, 332), *Chrysostomus* (hom. 57 al. 56 in Matth. n. 1; *M.* 58,549), *Theoph. Alb. Bon. Tol. Schegg;* additur *fere*, ut *Tol.* notat, quia primus dies et octavus non intercesserunt integri. Modus varius computandi ex traditione orali facile explicatur[1]; *et assumpsit Petrum et Iacobum et Ioannem,* tres hos quibus prae aliis utitur familiarioribus (cf. 5,3. 10; 8,51) *et ascendit in montem ut oraret;* orationis causa eum ascendisse solus Lucas commemorat. Quae sit traditio de monte transfigurationis, vide ad Matth. et Marc. l. c.; contra quam traditionem de monte Thabor *Luc.* affert esse rem gestam extra Galilaeam ex eo quod in fine historiae Marcus Matthaeo suffragante dicat Iesum eiusque discipulos inde profectos praetergressos esse Galilaeam, Marc. 9,30; sed l. c. παρεπορεύοντο διὰ τῆς Γαλιλαίας id non sequitur.

Post exhortationem ad asperitatem viae subiungitur hic ostensio suavitatis gloriae (*S. Bon.*) v. 29 *et facta est dum oraret species vultus eius altera et vestitus eius albus et refulgens;* quomodo facta sit alia, explicatur Matth. 17,2 : resplenduit facies eius sicut sol; figurae itaque faciei corporisque familiari ac notae discipulis accessit ingens splendor et gloria mirifica (*Luc.*). Convenienter autem dum orat corpus resplendet, ut significet corporis nostri beatitudinem et gloriam (cuius exemplum nobis in sua transfiguratione exhibet) ab animae fruitione emanaturam, ut sicut anima peccati miseria infecta corpus reddidit miserum, ita per gratiam consummatam quae gloria est ornata corpus efficiat gloriosum (*Tol.*). Factam autem transfigurationem putamus, ut *S. Cyr.* ait, haud abiiciendo humani corporis formam, sed lucida quadam gloria illud ambiente et vilem carnis speciem in nobiliorem aspectum mutando, secundum illud : seminatur in ignominia, surgit in gloria, a S. Paulo praeclare dictum.

1. Difficilius id intelligitur in sententia illorum qui Lucam scripsisse censent dum libros Matthaei et Marci frequenter consuleret. Nam quod *Schanz* dicit Lucam magna cautione et circumspectione ductum selegisse numerum magis indeterminatum, nihil explicat; e contra supponit Lucam dubitasse essetne narratio *post sex dies* plane accurata; verum admitti nequit Lucam de aliorum narratione ut minus fida iudicium tulisse.

Praeter fulgorem aspectus et candorem vestitus adest quoque, ut *S. Bon.* loquitur, honor comitatus, « ut sic appareat Christus gloriosus et intra se et circa se et iuxta se, ne quid desit gloriae suae » v. 30 *et ecce duo viri loquebantur cum illo; erant autem Moyses et Elias,* v. 31 *visi in maiestate,* lex et prophetae comites sunt Christi, qui est legis et prophetarum Dominus et ab eis praemonstratus (*S. Cyr.*) ; apparet quippe legislator et maximus prophetarum et loquuntur cum Iesu, ut ostendant ipsum esse quem cuncta legis et prophetarum scripta promiserunt (*Beda*), *et dicebant excessum eius* τὴν ἔξοδον, exitum eius ex hac vita terrestri per mortem, « quia per eam de hoc mundo in quem venerat redemptione peracta exivit ascendens in coelos et sedens ad dexteram Patris » (*Tol.*). Disserebant de tali eius ex mundo exitu tamquam scopo et complemento legis et prophetarum et antitypo totius oeconomiae veteris testamenti; et si Iesus gloria circumdatus cum hisce viris summae apud omnes auctoritatis de sua morte loquitur, eius mortis offensio et horror cessare debet (cf. *Ipr.*) et re ipsa iam portenditur Christum debere pati (idque coelesti decreto esse statutum) et ita intrare in gloriam suam. Haec narrantur, ut *Tol.* adnotat, per quandam anticipationem; nam prius, dum Iesus oraret, discipulo somno gravabantur v. 32 *Petrus vero et qui cum illo erant gravati erant somno, et evigilantes viderunt maiestatem eius et duos viros qui stabant cum illo;* ex qua interpretatione post somnum vigiles facti seu ex somno excitati vident gloriam Iesu et audiunt colloquium (cf. *S. Cyr. Theoph. Tol. Ians. Lap. Calm. Lamy, Fil. Weiss*); verum quod graece legitur διαγρηγορήσαντες δὲ, potius vertendum erit, sed vigiles manentes, ita ut vim somni qua premebantur superaverint (cf. *Schegg, Bisp. Schanz, Meyer, Grimm* in Lexic. s. v. *Sp.*)

Vox haec διαγρηγορεῖν legitur apud Herodianum 4,3. 8, quo loco habet notionem pervigilandi : ἀντιστρατοπεδευσάμενοι περὶ ἑσπέραν πάσης τῆς νυκτὸς ἐν φροντίσι καὶ δέει διαγρηγορήσαντες, ἅμα ἡλίῳ cum enim castra posuissent circa vesperam tota nocte in curis et timore pervigilarunt statimque cum solis ortu etc. ; ex quo loco ea notio est indubia, quare etiam a lexicographis voci solet adscribi. Accedit quod διά in verbis compositis eam significationem alias quoque prae se fert; ita διαγρυπνεῖν, uti apud Diodorum sic. 1,72.2 legitur τὴν νύκτα διηγρύπνησεν ἐν τοῖς ὅπλοις; in aliis verbis διά notionem vocis auget. Verum ex altera parte etiam nequit dubitari, quin saltem tempore posteriore apud scriptores byzantinos vox in notione evigilandi sit adhibita. Legitur vox bis apud Nicephorum Gregor., hist. byz. 18,8 p. 571 (in editione Lud. Schopeni vol. II p. 906, Bonnae 1830) et etiam significatione clariore 8,8 p. 205 (vol. I p. 334) : νῦν δὲ πᾶσαν τὴν περὶ αὐτῶν εὐκλεᾶ δόξαν ἀπεβαλόμην, ὥσπερ οἱ διαγρηγορήσαντες τὰ ἐν τοῖς ὕπνοις ὀνείρατα, nunc vero omnem de illis praeclaram opinionem abieci, sicut experrecti somnia.

« O quanta felicitas visioni Deitatis inter angelorum choros adesse

perpetuo, si tantum transformata Christi humanitas duorumque societas sanctorum ad punctum visa delectet, ut eos ne discedant etiam obsequio Petrus sistere velit » (*Beda*); v. 33 *et factum est cum discederent ab illo* i. e. cum discedere vellent, cum pararent abitum (*S. Bon. Cai. Luc.*); dum enim Petrus videt eos stantes cum Christo, rei sublimitate captus solum considerabat quae videbantur et intendebat iis quae dicebantur; cum autem videret duos illos discedentes, priusquam abirent et omnino recederent, prorupit in verba sequentia (*Tol.*), *ait Petrus ad Iesum : praeceptor, bonum est nos hic esse, et faciamus tria tabernacula, unum tibi et unum Moysi et unum Eliae, nesciens quid diceret,* « absorptus deliciis in mentis excessu dixit, non considerans non esse manendum in monte » (*Alb.*); sed hoc ipso suo ardore desiderii indicavit quam beata fuerit visio illius gloriae; v. 34 *haec autem illo loquente facta est nubes et obumbravit eos* scil. Iesum, Moysen, Eliam (cf. *Cai. Schegg, Fil.*), non etiam discipulos (*Luc.*) quippe qui de nube vocem fieri audiunt v. 35; nubes signum esse solet peculiaris praesentiae ac manifestationis divinae (cf. Ex. 16,10; 19,9. 16 etc. 3 Reg. 8,10), uti hic quoque voce declaratur; *et timuerunt intrantibus illis in nubem;* humana enim fragilitas conspectum maioris gloriae ferre non sustinet (*Beda*); v. 35 *et vox facta est de nube dicens : hic est Filius meus dilectus*, electus, *ipsum audite;* « vox paterna ex nube, nam sic Deus apparet, dignitatem Filii Christo attestabatur; oportebat enim haud a solo Petro cognosci eum esse Christum Dei vivi Filium; neque ipsum Christum tantummodo testari Petro acceptam a Patre coelesti de se notitiam, sed ipsam, inquam, paternam vocem veritatem dicti quasi sigillo confirmare » (*Eus.*); v. 36 *et dum fieret vox, inventus est Iesus solus;* ubi Filius designatur, servi discesserunt, ne ad illos vox paterna emissa putaretur (*Beda*) et Iesus inventus est, scil. in priorem formam restitutus deposita gloria transfigurationis (*Tol.*); *et ipsi tacuerunt et nemini dixerunt in illis diebus quidquam ex his quae viderant,* imperante scil. Domino; illi autem dies sunt tempus donec Filius hominis a mortuis resurrexerit (Matth. 17,9. Marc. 9,8). Plura de eo eventu vide in Comment. Matth. et Marc.

Tota haec narratio apud Lucam ita est conformata ut propter varia quae ei soli propria sunt ex traditione hausta dicenda sit et improbabile sit Lucam aliorum duorum narrationem ob oculos habuisse. Iam notavi dici fere octo dies v. 28; Christum ascendisse ut oraret et dum oraret speciem vultus eius esse factam alteram, solus narrat; nota quoque dictionem satis indeterminatam : species vultus altera. Pariter quae in v. 31 et 32 dicuntur, propria sunt Lucae; item in v. 33 Petrum ea dixisse, cum discederent ab illo, et in v. 34 eos timuisse intrantibus illis in nubem et in v. 36 dum vox

fieret Iesum inventum esse solum. Neque refert Lucas Dominum iis silentium imposuisse neque *illos dies* accuratius determinat. Eum omisisse colloquium de Elia ratione habita eorum quibus scribebat, in omni hypothesi facile intelligitur; sententia enim illa et exspectatio Eliae Iudaeis erat propria.

e) Sanatur lunaticus; docetur de passione et humilitate 9,37-50.

9,37. Factum est autem, in sequenti die, descendentibus illis de monte, occurrit illis turba multa. 38. Et ecce vir de turba exclamavit, dicens : Magister, obsecro te, respice in filium meum, quia unicus est mihi; 39. Et ecce spiritus apprehendit eum et subito clamat, et elidit, et dissipat eum cum spuma, et vix discedit dilanians eum. 40. Et rogavi discipulos tuos ut eiicerent illum, et non potuerunt. 41. Respondens autem Iesus, dixit : O generatio infidelis et perversa, usquequo ero apud vos, et patiar vos? Adduc huc filium tuum. 42. Et quum accederet, elisit illum daemonium, et dissipavit. 43. Et increpavit Iesus spiritum immundum, et sanavit puerum, et reddidit illum patri eius. 44. Stupebant autem omnes in magnitudine Dei : omnibusque mirantibus in omnibus quae faciebat, dixit ad discipulos suos : Ponite vos in cordibus vestris sermones istos : Filius enim hominis futurum est ut tradatur in manus hominum. 45. At illi ignorabant verbum istud; et erat velatum ante eos ut non sentirent illud; et timebant eum interrogare de hoc verbo. 46. Intravit autem cogitatio in eos, quis eorum maior esset. 47. At Iesus videns cogitationes cordis illorum, apprehendit puerum, et statuit illum secus se. 48. Et ait illis : Quicumque susceperit puerum istum in nomine meo, me recipit; et quicumque me receperit, recipit eum qui me misit. Nam qui minor est inter vos omnes, hic maior est.

49. Respondens autem Ioannes, dixit : Praeceptor, vidimus quemdam in nomine tuo eiicientem daemonia; et pro-

9,37. Ἐγένετο δὲ τῇ ἑξῆς ἡμέρᾳ, κατελθόντων αὐτῶν ἀπὸ τοῦ ὄρους, συνήντησεν αὐτῷ ὄχλος πολύς. 38. Καὶ ἰδοὺ, ἀνὴρ ἀπὸ τοῦ ὄχλου ἐβόησεν λέγων, Διδάσκαλε, δέομαί σου, ἐπιβλέψαι ἐπὶ τὸν υἱόν μου, ὅτι μονογενής μοί ἐστιν· 39. καὶ ἰδοὺ, πνεῦμα λαμβάνει αὐτὸν, καὶ ἐξαίφνης κράζει, καὶ σπαράσσει αὐτὸν μετὰ ἀφροῦ, καὶ μόλις ἀποχωρεῖ ἀπ' αὐτοῦ, συντρῖβον αὐτόν· 40. καὶ ἐδεήθην τῶν μαθητῶν σου, ἵνα ἐκβάλωσιν αὐτὸ, καὶ οὐκ ἠδυνήθησαν. 41. ἀποκριθεὶς δὲ ὁ Ἰησοῦς εἶπεν, Ὦ γενεὰ ἄπιστος καὶ διεστραμμένη, ἕως πότε ἔσομαι πρὸς ὑμᾶς, καὶ ἀνέξομαι ὑμῶν; προσάγαγε ὧδε τὸν υἱόν σου. 42. ἔτι δὲ προσερχομένου αὐτοῦ, ἔρρηξεν αὐτὸν τὸ δαιμόνιον καὶ συνεσπάραξεν· 43. ἐπετίμησεν δὲ ὁ Ἰησοῦς τῷ πνεύματι τῷ ἀκαθάρτῳ, καὶ ἰάσατο τὸν παῖδα, καὶ ἀπέδωκεν αὐτὸν τῷ πατρὶ αὐτοῦ. 44. ἐξεπλήσσοντο δὲ πάντες ἐπὶ τῇ μεγαλειότητι τοῦ Θεοῦ. Πάντων δὲ θαυμαζόντων ἐπὶ πᾶσιν οἷς ἐποίει εἶπεν πρὸς τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ, Θέσθε ὑμεῖς εἰς τὰ ὦτα ὑμῶν τοὺς λόγους τούτους· ὁ γὰρ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου μέλλει παραδίδοσθαι εἰς χεῖρας ἀνθρώπων. 45. οἱ δὲ ἠγνόουν τὸ ῥῆμα τοῦτο, καὶ ἦν παρακεκαλυμμένον ἀπ' αὐτῶν, ἵνα μὴ αἴσθωνται αὐτό· καὶ ἐφοβοῦντο ἐρωτῆσαι αὐτὸν περὶ τοῦ ῥήματος τούτου. 46. Εἰσῆλθεν δὲ διαλογισμὸς ἐν αὐτοῖς, τὸ τίς ἂν εἴη μείζων αὐτῶν. 47. ὁ δὲ Ἰησοῦς εἰδὼς τὸν διαλογισμὸν τῆς καρδίας αὐτῶν, ἐπιλαβόμενος παιδίον, ἔστησεν αὐτὸ παρ' ἑαυτῷ, 48. καὶ εἶπεν αὐτοῖς, Ὃς ἂν δέξηται τοῦτο τὸ παιδίον ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου, ἐμὲ δέχεται· καὶ ὃς ἂν ἐμὲ δέξηται, δέχεται τὸν ἀποστείλαντά με. ὁ γὰρ μικρότερος ἐν πᾶσιν ὑμῖν ὑπάρχων, οὗτός ἐστιν μέγας.

49. Ἀποκριθεὶς δὲ Ἰωάνης εἶπεν, Ἐπιστάτα, εἴδομέν τινα ἐν τῷ ὀνόματί σου ἐκ-

hibuimus eum, quia non sequitur nobiscum. 50. Et ait ad illum Iesus : Nolite prohibere; qui enim non est adversum vos, pro vobis est.

βάλλοντα δαιμόνια· καὶ ἐκωλύομεν αὐτόν, ὅτι οὐκ ἀκολουθεῖ μεθ' ἡμῶν. 50. εἶπεν δὲ πρὸς αὐτὸν Ἰησοῦς, Μὴ κωλύετε· ὃς γὰρ οὐκ ἔστιν καθ' ὑμῶν, ὑπὲρ ὑμῶν ἐστίν.

In v. 37 D δια της ημερας, a b e ff² l per diem; D κατελθοντα αυτον, d descendente eo. In v. 38 επιβλεψον ℵ D E X Λ al permu. In v. 39 B R al 5 μολις; al μογις; f q c r spiritus *immundus*; a et concidit; l e spumat; a contribulans; c conterens. In v. 40 D ινα απαλλαξωσιν, e liberarent. In v. 41 ℵ μεθ υμων εσομαι; a sufferam, c sustinebo. In v. 42 a c e adhuc autem accedente illo; a ille spiritus malus, concarpsit; r contorquens contribulavit. In v. 44 l in mirabilibus quae fecit; add aliq it : dixit ei Petrus : Domine quare nos non potuimus eiicere illum? quibus dixit, quoniam huiusmodi (hoc genus) orationibus et ieiuniis eiicitur; ita fere c e f ff² r ex Matth vel Marc; futurus est ut trad. am eg lind; incipit tradi a c. In v. 45 occultum a f ff²; coopertum d r; absconsum e; latens c. In v. 47 a d infantem. In v. 48 εστιν μεγας ℵ B C L X Z aliq minusc it vulg go cop Or; al εσται; addunt a b c ff² l q ken non me recipit sed; a c d e hic magnus est. In v. 49 εκωλυομεν ℵ B L Z WH et ita prohibebamus a b l, vetabamus e; al εκωλυσαμεν, etiam Ti; *qui* ept fuld; sequitur *nos* sixt. In v. 50 *vos, vobis* υμων ℵ$^{c b}$ B C D K L M Z Π al plus 25 it vulg cop syr (sin, utr, cu) arm aeth : al ημων; add hub theod sinite eos; dub ken sinite eum; add in fine ex Marc 9,39 nemo est enim qui faciat virtutem in nomine meo et poterit male loqui de me a b r; nemo est enim qui non f. virt. in n. meo c e l (sin v. 37 et eo die quando descendebant de monte occurrit eis; v. 39 spiritus ei est de repente et proiicit eum et frendere facit eum et lacerat et vix recedens ab eo quando eum contrivit; v. 40 et non poterant liberare eum; v. 45 quia velatum erat ab eis, timebant de verbo hoc (nihil habetur de interrogatione); v. 48 is enim qui parvus est et parvulus vobis hic magnus; v. 49 respondit Ioannes et dixit ei etc.).

Uti in monte transfigurationis maiestas Christi apparuit, ita hic quoque, alio quidem modo, manifestatur (v. 44). Cernitur ad vivum in energumeno ferocia diaboli, in verbo Christi potentia. Christus transfiguratus, qui discipulos testes deliciis coelestibus implet et immanis diaboli furor et vexatio documenta nobis exhibent quae sit indoles ac merces regni et dominationis utriusque. In ipsa reprehensione qua Christus defectum fidei perstringit doctrina continetur egregia. Unde patet eventum hunc totum factum esse ad multiplicem institutionem apostolorum; v. 37 *factum est autem in sequenti die,* docet nos itaque Lucas Christum vespere ascendisse in montem ad orandum et transfigurationem noctu factam esse, *descendentibus illis de monte occurrit illis turba multa;* rem accuratius refert Marc. 9,13 seq. v. 38 *et ecce vir de turba exclamavit dicens : magister, obsecro te, respice in filium meum* i. e. miserere, adiuva filium meum; solemus enim respicere quos volumus adiuvare, avertere autem faciem ab eis quos derelinquere (*Luc.*); ἐπιβλέψαι cf. 1,48; *quia unicus est mihi,* « magnae et naturalis et indivisae dilectionis est allegatio » (*Alb.*); vide 7,12; et

in quam miseram conditionem sit redactus, pater exponit quem amor filii et dolor facit disertum v. 39 *et ecce spiritus apprehendit eum*, corripit eum, invadit; usu temporis praesentis frequentia designatur; *et subito clamat* scil. puer, sentiens scil. daemonis vexationem vociferatur dolore coactus et in eiulatus prorumpit; sermonis concitati argumentum quoque est crebra mutatio subiecti grammaticalis; *et elidit* eum daemon *et dissipat eum cum spuma*, σπαράσσει distorquet eum, convellit totius corporis membra, ita ut prae vehementia agitationis spuma ex ore ebulliat; « solent haec accidere eis qui morbo comitiali laborant, quae in hoc puero tanto vehementiora erant, quanto a potentiore causa, nempe spiritu malo, procedebant » (*Tol.*); et praeter frequentiam et vehementiam vexationis etiam eius diuturnitatem explicat *et vix* μόλις aegre, difficulter (vide lect. var. μόγις eiusdem est notionis) *discedit dilanians eum*, conterens eum vel convellens; concipitur daemon discedere ab eo, si a vexatione desistit; sed antequam desistat, puerum vehementius conterere et terrae illidere et quasi confringere solet (συντρῖβον).

Atque dolor patris et petitionis eius calor etiam magis declaratur v. 40 *rogavi discipulos tuos ut eiicerent illum et non potuerunt*, qui itaque negotium aggressi illud perficere non potuerunt. Cur non valuerint, dubium esse non potest tum ex iis quae in antecedentibus Iesus iam saepe indicavit (cf. 5,20; 8,25. 48. 50), tum ex ipsis Iesu verbis v. 41 *respondens autem Iesus dixit : o generatio infidelis et perversa* ἄπιστος, fidei defectum incusat et cum fides deficiat, istud hominum genus etiam a recto tramite est abductum; *usquequo ero apud vos?* donec tandem doctrina et miraculis Christi ad veram perducantur fidem *et patiar vos?* sustinebo, tolerabo vos? verba sunt animi indignabundi et moleste ferentis se parum proficere et quasi operam perdere in docendis istis : quamdiu hic luctari pergam cum vestra pertinacia? Verum quorum incusat fidei defectum? solius patris censent aliqui (cf. *S. Cyr. Schegg*); sed tum modus alloquendi *o generatio* etc. esset satis mirus. Reprehensionem non dirigi ad discipulos aliqui arbitrantur (cf. *Schegg, Weiss*); at immerito; nam postquam Christus apostolis dedit potestatem super *omnia* daemonia (9,1), eorum impotentia ad expellendum daemonem nequit explicari nisi ex aliquo eorum defectu fidei, praesertim si attenditur qualem vim et efficaciam Iesus ubique attribuat fidei. Neque dici potest unius patris fidem infirmam fuisse in culpa. De eius enim fidei defectu non fit mentio explicita atque eo ipso quod filium ad eos adduxit eosque rogavit ut daemonem expellerent, etiam credidit eos posse. Neque potest supponi Christum ita dedisse apostolis virtutem et potestatem super om-

nia daemonia, ut vis et efficacia eius potestatis ultimatim sola petentium fide determinaretur aut constitueretur. Porro verba Christi *usquequo* etc. sensu pleno congruunt apostolis, quibuscum continuo versabatur, minime vero patri, qui sane non diu apud Iesum commoratus est. Dein manifestum est ex Matth. 17,19 incredulitatem apostolorum (ὀλιγοπιστίαν) a Christo reprehendi. Ceterum vide quae adnotavi ad Matth. 17,16 et Marc. 9,18; recte enim reprehensio Christi refertur ad omnes, ad discipulos, ad patrem, ad turbam, vario tamen modo, ut ibidem exposui.

Ut autem demonstret se non ipsis sed vitiis ipsorum succensere, simul ut et virtutem suam quae in dubium vocata fuerat ab opprobrio vindicet nec existimetur rei difficilis praestationem obiurgationis simulatione subterfugere, pergit benefacere iubetque adduci miserum, non quod absentem curare non posset, sed ut et mali gravitas et sua virtus ad Dei gloriam omnibus perspicuae fierent (*Luc.*); *adduc huc filium tuum;* v. 42 *et cum accederet elisit illum daemonium et dissipavit*, distorsit illum, convulsiones in eo effecit daemon eumque discerpsit, id quod Iesus permisit, ut furor daemonis tyrannisque et vis verbi Christi manifestarentur; v. 43 *et increpavit Iesus spiritum immundum et sanavit puerum et reddidit illum patri eius;* pluribus res narratur Marc. 9,24-26. Reddidit eum patri, ut qui filii ab eius infantia vexationem et infirmitatem sustinuerat, eius iam perfecte liberati opera ac sanitate frueretur (*Tol.*); v. 44 *stupebant autem omnes in magnitudine Dei,* ἐπί, de magnifica virtute Dei, qua Deum per Iesum tam insignia operari videbant, stupore attoniti erant, quod scil. daemon adeo pertinax sola increpatione esset expulsus et puer subito sanitati restitutus. Turbae itaque agnoscunt Iesum in virtute Dei imperare daemonibus; aliter utique pharisaei (cf. Matth. 12,24).

Iterum experti sunt discipuli potentiam Iesu eamque admiratione prosecuti sunt. Hac animi affectione utitur Christus, ut mentione iecta passionis eos doceat se esse passurum; sed is cui talis praesto est potentia, si in manus hominum traditur, profecto solum traditur quia ipse liberrime vult. Id sane concludendum erat ex admiratione potentiae et praedictione passionis; *omnibusque mirantibus in omnibus quae faciebat dixit ad discipulos suos : ponite vos in cordibus vestris* (in auribus vestris, graece et in lat. vet. plur.) *sermones istos;* « inter magnalia divinae potentiae crebrius inculcat et replicat humanae passionis abiecta, ne repente veniens terreat, sed praemeditata mente feratur. Sane quod ait *ponite vos* expressius et vi intentiore legendum est *vos* qui meo discipulatui familiarius adhaeretis, ceteris divina tantum facta mirantibus, sanguinis quoque pretiosi quo mundus est redimendus

eventum mente recondite » (*Beda;* sim. *S. Cyr.*). Ad quid referri oporteat *sermones istos* non inter omnes constat; *Theoph.* quidem haec habet : « ponite vos haec omnia et miracula et miraculorum sermones in auribus vestris; quare? quia tradendus sum et crucifigendus, ut quando crucifixum videritis, ne existimetis prae infirmitate me talia esse passum; nam qui talia miracula facit, potest et non crucifigi ». Unde verba haec ad antecedentia spectare docet; idem fieri posse *Schanz* censet; qua acceptione praeclara habetur significatio et nexus effertur qui est inter miraculum et passionis praedicationem et insuper illud *enim* quod sequitur facile fluit. Alii referunt ad ea quae sequuntur (*Luc. Tol. Schegg, Fil. Keil, Weiss*); verum tum particula γάρ non satis congruit, ut iam *Ians.* advertit et *Schanz* probat. Neque potest dici cum aliquibus *sermones* non posse referri ad antecedentia, cum nulli recenseantur sermones. Nam cum dicatur *omnibus mirantibus,* quid magis pronum est quam ut admiratio hominum multis sermonibus sit manifestata? Quare bene *Ians. :* « potest locus hic intelligi, ut per sermones istos demonstrentur verba populi et sit hic sensus : attendite ad ea quae modo de me homines loquuntur, ut in ea de me sententia in qua nunc estis perseveretis; futurum est enim ut longe aliter mecum acturi sint homines. Ad hunc sensum invitat coniunctio enim, quae secundum priorem sensum videtur esse superflua »; *Filius enim hominis futurum est ut tradatur in manus hominum;* cf. v. 22.

Sed quomodo haec intelligenda sint non assecuti sunt, cum tradi in potestatem impiorum et inimicorum omnino a dignitate et opere Messiae iis abhorrere videretur v. 45 *at illi ignorabant verbum istud et erat velatum ante eos ut non sentirent illud;* « quia per figuras eum saepe loquentem audire solebant, etiam quae de sua traditione loquebatur figurate aliud significare putabant » (*Beda, Alb. Luc. Dion.*); ἵνα μὴ αἴσθωνται, ergo indicatur divino quoque consilio factum esse, ne statim verba Christi de sua passione clare perciperent; et bene dicit *Tol. :* ignorationis causam in divinae providentiae dispensationem evangelista refert; nam unum ex illis quae nondum portare poterant fuit crucis ac mortis mysterium. Quare nullo pacto opus est ἵνα cum aliquibus (*Buttmann* l. c. p. 206, *Bisp.*) explicare *ita ut,* sed dicendum cum *Euth.* (ad Matth. 17,23) divina dispensatione cognitionem esse occultatam ab illis tamquam ab imperfectis qui necdum possent ad supernaturale eius penetrare mysterium; *et timebant eum interrogare de hoc verbo;* satis intellexerunt aliquid triste subesse verbis Christi; quare apud Matthaeum dicitur : et contristati sunt vehementer (17,23). Qui autem ita animis affecti sunt, etiam timore quodam teneri solent et quasi refugere ne triste illud plane pandatur. Putat *Alb.*

eos timuisse interrogare, quia aliquando Iesus exprobrasset dure quod sine intellectu essent et quia antea exclamasset : o generatio infidelis. Utramque rationem coniungit *Luc.* : timebant veriti increpationem, veriti et moeroris quo constricti erant Matthaeo narrante augmentum, si res dilucidius explicaretur. Eos timuisse quia paulo ante audivissent Petrum reprehensum a Christo, cum de passione loquenti se opposuisset, *Tol.* existimat; vide quae ad Marc. 9,31 (Comment. p. 247) adnotavi.

Haec quoque narratio apud Lucam ita conformata est, ut non tam a Matthaeo vel a Marco, quam a traditione orali deprompta censeri debeat. Solus Lucas refert id evenisse sequenti die; verba patris v. 38 alibi non leguntur; de disceptatione, de qua illi duo narrant, Lucas ne verbum quidem habet; puerum in clamores prorumpere, cum a daemone corripiatur, solus narrat Lucas, dum tacet quod alii habent eum cadere in ignem saepe et in aquam, dentibus quoque stridere et arescere. Neque ea verbulo tangit quae Marcus 9,20-23 refert, neque quibus verbis eiecerit spiritum immundum narrat; quae Marcus 9,25. 26 pluribus describit, uno verbo *sanavit* absolvit et addit: et reddidit illum patri eius. De quaestione discipulorum et Christi responsione (Matth. 17,18-20 et Marc. 9,27-29) nihil habetur apud Lucam, qui solus adiungit ad sanationem admirationem populi (v. 44) et immediate quoque subdit iteratam praedictionem passionis, quam tamen factam esse non statim eodem loco, sed cum iter faceret Iesus per Galilaeam aliquantum postea, ex aliis duobus docemur. Qui narrandi modus talis est ut non ab aliis duobus dici possit derivari. — Monet quidem *Schanz* Lucam convenire cum Matthaeo eo quod omittat turbam salutasse Iesum, scribas disceptasse cum discipulis et etiam totum illud Iesu cum patre pueri colloquium; dein affert locutiones quasdam quae ad Matthaeum accedant, scil. κατελθόντων αὐτῶν v. 37, λέγων v. 38, οὐκ ἠδυνήθησαν v. 40, διεστραμμένη v. 41, ἐπετίμησε et ἰάσατο τὸν παῖδα v. 42. Verum haec minime sufficiunt, ut modus narrandi Lucae a Matthaeo derivetur. Nam in v. 38 et 39 sola vox λέγων congruit cum Matth. 17,14; reliqua omnia plane sunt alia; etiam in v. 40 rogavi, dum Matth. 17,15 obtuli, in v. 41 προσάγαγε, Matth. φέρετε; quod in v. 42 legitur non habetur apud Matth. Neque locutiones illae illam cum Matth. similitudinem ostendunt. Nam parum est conferre inter se κατελθόντων αὐτῶν ἀπὸ τοῦ ὄρους et ἐλθόντων πρὸς τὸν ὄχλον; ἐπετίμησε etiam apud Marcum habetur; et ἰάσατο τὸν παῖδα satis recedit a dictione καὶ ἐθεραπεύθη ὁ παῖς ἀπὸ τῆς ὥρας ἐκείνης. Restant itaque solum λέγων, οὐκ ἠδυνήθησαν, διεστραμμένη; quae duo priora nemo serio ad probandam similitudinem adducet; tertia autem vox satis familiaris est Lucae, vide 23,2 et Act. 13,8. 10 et 20,30 et γενεὰ διεστραμμένη etiam a S. Paulo cuius comes erat Lucas adhibetur (Phil. 2,15), dum haec vox apud Matth. non legitur nisi hoc loco.

Complura apud Lucam quoque referuntur ex quibus facile declaratur quomodo pro ea opinione, quam apostoli de regno messiano habebant iis oriri potuerit quaedam de praecellentia cogitatio; ita quae 9,22 habentur : tertia die resurgere, id quod facile ita intelligere poterant ut mox regnum messianum constitueretur; dein 9,26 Iesus loçutus est de suo adventu in maiestate; praeterea Petrum pluribus in

occasionibus praeferri aliis et praeter cum etiam Iacobum et Ioannem prae ceteris a Domino honorari non poterat non adverti (cf. 4,38; 5,3. 10; 6,14; 8,51; 9,20. 28). Ceterum etsi apud Lucam nulla eiusmodi occasio narraretur, tamen ex aliorum relatione (Matth. 16,17. Marc. 3,16. 17. Ioan. 1,42) satis eluceret, unde ansa eiusmodi ambitus capta esset, quae insuper ex sola illa apostolorum notione de regno messiano iam sufficienter habetur, cum pronum esset in regno terreno apud regem non omnes duodecim eadem dignitatis et muneris auctoritatisque excellentia potiri posse. Quare immerito aliqui mirantur quod hanc ambitionis cogitationem Lucas nunc subiungat quamvis in antecedentibus solum retulerit verba Christi : ut tradatur in manus hominum. Melius veteres eam cogitationem explicant ex 9,28 et Matth. 16,17 (*Bed. Bon. Alb. Cai. Tol. Luc.* etc.) v. 46 *intravit autem cogitatio in eos quis eorum maior esset,* quis scil. inter eos maior esset; cum graece habeatur τίς ἂν εἴη μείζων αὐτῶν; censet *Weiss* explicandum esse : quis maior esset quam ipsi. Sed merito plerique priori acceptioni calculum adiecerunt, et genetivum eo loco posse collocari, ex interpretatione Graecorum (cf. *S. Cyr.*) certum est. Insuper quis crediderit apostolis in mentem venisse aliquem qui non esset a Christo vocatus iam et electus summam in regno excellentiam posse nancisci? Cum enim dicatur *intravit* etc. innuitur eam cogitationem originem duxisse ex quibusdam conditionibus, verbis, rebus gestis; sed ex iis quae Iesus dicebat et agebat, certe non poterat gigni apud eos opinio aliquem ipsis fore maiorem.

Rem breviter tangit Lucas; unde occasionem doctrinae humilitatis solum obiter commemorat unius cogitationis mentione facta, quam Iesus utique statim cognovit (ipse enim sciebat quid esset in homine, Ioan. 2,25), etsi non statim ea cogitatione orta documentum humilitatis tradebat; rem accuratius narrat Marcus 9,32 seq.; v. 47 *at Iesus videns cogitationes cordis illorum apprehendit puerum et statuit illum secus se;* residens vocat discipulos ad se; unde statuens puellum secus se etiam eum statuit in medio eorum (Matth. 18,2. Marc. 9,34. 35); uti prophetae haud raro rebus gestis et symbolis doctrinam tradebant, ita Christus quo altius animis documentum humilitatis imprimeretur sensibus quoque externis apostolorum rem voluit exhiberi v. 48 *et ait illis : quicumque susceperit puerum istum in nomine meo,* ἐπί i. e. ita ut Iesu nomen (ipse Iesus et quae Iesus de se manifestavit) sit ratio et causa cur suscipiatur; proin propter Iesum vel quia periculo salutis eripiendus est vel quia propter amorem Iesu tale ei beneficium praestatur etc., *me recipit* (cf. Matth. 25,40) *et quicumque me receperit, recipit eum qui me misit;* vide ad Marc. 9,35. 36; docet itaque

Christus contra ambitionem illam animi demissionem uno hoc exemplo, quo uno humilitatis officio reliqua omnia intelligit (*Luc. Ipr.*); docet eo, ut *Cai.* dicit, ut non appetant magna; qui enim ambitiosus est et superbus, non descendere vult ad curam parvulorum. Cumque addat *me recipit* etc. ostendit tantum se affectum habere ad parvulos ut quod eis fit sibi fieri reputet; unde magnum esse honorem et gloriam parvulorum patet, ex quo apostolis persuadet ne ambiant esse magni sed studeant innocentia et simplicitate esse parvuli (*S. Bon.*). Excitantur itaque ad animi demissionem alienam ab omni simulatione, invidia, ambitione, contentione eo quod iis ob oculos ponitur eius virtutis dignitas, excellentia, utilitas. Dicit enim : « videte quanti referat puerum effici innocentia ac humilitate; nam qui susceperit unum ex iis sive hospitio excipiendo, sive bonum aliquod ei conferendo, idque propter me faciat sive quia meus est, is in me illud bonum confert, quod ideo est quia tales mei similes sunt, tales amore sicut me prosequor » (*Tol.*).

Quam excellens et utilis sit cura haec parvulorum quae speciosi nihil habet ideoque animum requirit humilem, satis declaratur in sententia adiecta *me recipit* etc. Quid enim magis honorificum esse poterit quam Iesum Deumque Patrem hospitio suscipere? quid magis utile quam Iesum et Deum Patrem beneficio praestito sibi devincire? Id autem obtinget humilibus in regno messiano : *nam qui minor est inter vos omnes hic maior* (*magnus*) *est;* haec enim norma in regno messiano valet, hac omnis excellentia dimetienda erit. « Contendite igitur omnium esse humillimi, modestissimi, obedientissimi Deo et officiosissimi erga proximos, si omnium velitis esse maximi » (*Luc.*).

Qua connexione quaestio Ioannis subiungatur varie explicant. Non desunt qui putent ex ultimis Christi verbis Ioannem coepisse timere ne forte malum quid fecissent homine per arrogantiam et superbiam prohibito (*Theoph.* sim. *Weiss*), etiam *S. Bon.* censet hic informari ad humilitatem respectu extraneorum. Alii Ioannem occasionem sumpsisse ex eo quod Christus dixerit : quicumque susceperit... in nomine meo (*Tol. Luc. Schanz, Fil.*) non improbabiliter arbitrantur (vide ad Marc. 9,37; Comment. p. 251); v. 49 *respondens autem* (unde ex verbis Christi ei esse occasionem loquendi oblatam indicari videtur) *Ioannes dixit : praeceptor, vidimus quemquam in nomine tuo eiicientem daemonia et prohibuimus eum quia non sequitur nobiscum ;* hoc quippe munus Iesus suis demandaverat apostolis (9,1); quare ille alienam auctoritatem usurpasse videbatur; v. 50 *et ait ad illum Iesus : nolite prohibere; qui enim non est adversum vos pro vobis est,* id quod eo tempore verissime dici potuit, quia cum pharisaei

et scribae et sacerdotes Iesum vehementer oppugnarent omnesque in suam pertrahere sententiam studerent, eo magis censeri potuit quicumque non a partibus adversariorum stabat revera favere causae Iesu et discipulorum. Dein eo ipso quod ille in nomine Iesu daemones pelleret, aperte profitebatur se non infenso quodam studio contra Iesum eiusque comites agi, verum fide in Iesum animari. Alia eiusdem rei ratio redditur Marc. 9,38.

TERTIA PARS 9,51-19,27.

In hac parte ea narrantur quae Iesus relicta Galilaea eo tempore docuit quo, uti a Ioanne docemur, etiam ter in urbem Ierusalem se contulit. Quae tria itinera Lucas quoque indicat 9,51 et 13,22 et 17,11; vide quae supra in Proleg. p. 21 dicta sunt.

1. *Ex primo itinere* 9,51-11,54.

a) Quibus sensibus discipuli Christi imbui debeant 9,51-62.

9,51. Factum est autem, dum complerentur dies assumptionis eius, et ipse faciem suam firmavit ut iret in Ierusalem. 52. Et misit nuntios ante conspectum suum; et euntes intraverunt in civitatem Samaritanorum, ut pararent illi. 53. Et non receperunt eum, quia facies eius erat euntis in Ierusalem. 54. Quum vidissent autem discipuli eius Iacobus et Ioannes, dixerunt : Domine, vis dicimus ut ignis descendat de coelo, et consumat illos? 55. Et conversus increpavit illos, dicens : Nescitis cuius spiritus estis. 56. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare. Et abierunt in aliud castellum. 57. Factum est autem, ambulantibus illis in via, dixit quidam ad illum : Sequar te quocumque ieris. 58. Dixit illi Iesus : Vulpes foveas habent, et volucres coeli nidos : Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. 59. Ait autem ad alterum : Sequere me. Ille autem dixit : Domine, permitte mihi primum ire, et sepelire patrem meum. 60. Dixitque ei Iesus : Sine ut mortui sepeliant mortuos suos; tu autem vade, et annuntia regnum Dei. 61. Et ait alter : Sequar te, Domine,

9,51. Ἐγένετο δὲ ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὰς ἡμέρας τῆς ἀναλήμψεως αὐτοῦ, καὶ αὐτὸς τὸ πρόσωπον ἐστήρισεν τοῦ πορεύεσθαι εἰς Ἰερουσαλήμ. 52. καὶ ἀπέστειλεν ἀγγέλους πρὸ προσώπου αὐτοῦ· καὶ πορευθέντες εἰσῆλθον εἰς κώμην Σαμαρειτῶν, ὡς ἑτοιμάσαι αὐτῷ. 53. καὶ οὐκ ἐδέξαντο αὐτὸν, ὅτι τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἦν πορευόμενον εἰς Ἰερουσαλήμ. 54. ἰδόντες δὲ οἱ μαθηταὶ Ἰάκωβος καὶ Ἰωάνης εἶπαν, Κύριε, θέλεις εἴπωμεν πῦρ καταβῆναι ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ, καὶ ἀναλῶσαι αὐτούς; 55. στραφεὶς δὲ ἐπετίμησεν αὐτοῖς, [καὶ εἶπεν, Οὐκ οἴδατε οἵου πνεύματός ἐστε ὑμεῖς· ὁ γὰρ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου οὐκ ἦλθε ψυχὰς ἀνθρώπων ἀπολέσαι, ἀλλὰ σῶσαι.] 56. καὶ ἐπορεύθησαν εἰς ἑτέραν κώμην. 57. Καὶ πορευομένων αὐτῶν ἐν τῇ ὁδῷ εἶπέν τις πρὸς αὐτὸν, Ἀκολουθήσω σοι ὅπου ἐὰν ἀπέρχῃ. 58. καὶ εἶπεν αὐτῷ Ἰησοῦς, Αἱ ἀλώπεκες φωλεοὺς ἔχουσιν καὶ τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ κατασκηνώσεις· ὁ δὲ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου οὐκ ἔχει ποῦ τὴν κεφαλὴν κλίνῃ. 59. Εἶπεν δὲ πρὸς ἕτερον, Ἀκολούθει μοι. ὁ δὲ εἶπεν [Κύριε] ἐπίτρεψόν μοι πρῶτον ἀπελθόντι θάψαι τὸν πατέρα μου. 60. εἶπεν δὲ αὐτῷ Ἄφες τοὺς νεκροὺς θάψαι τοὺς ἑαυτῶν νεκρούς· σὺ δὲ ἀπελθὼν διάγγελλε τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ. 61. Εἶπεν δὲ καὶ ἕτερος, Ἀκολουθήσω σοι,

sed permitte mihi primum renuntiare his quae domi sunt. 62. Ait ad illum Iesus: Nemo mittens manum suam ad aratrum et respiciens retro, aptus est regno Dei.

κύριε· πρῶτον δὲ ἐπίτρεψόν μοι ἀποτάξασθαι τοῖς εἰς τὸν οἶκόν μου. 62. εἶπεν δὲ ὁ Ἰησοῦς, Οὐδεὶς ἐπιβαλὼν τὴν χεῖρα ἐπ' ἄροτρον; καὶ βλέπων εἰς τὰ ὀπίσω, εὔθετός ἐστιν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Θεοῦ.

In v. 51 a c receptionis. In v. 52 ως ℵ B, a tamquam, b l q quasi paraturi, e quasi praepararent; ken illi *cenam*. In v. 53 erat tendens a, pergens c. In v. 54 dub eg dicemus; a b l q de coelo super illos; add ως και Ηλιας εποιησεν A C D X Γ Δ Λ Π unc 8 al pler, sicut Elias fecit a b c f q tat syr (sch) go aeth Bas Chr theod med. In v. 55 illud και ειπεν etc. usque ad αλλα σωσαι habetur in (D) K M U Γ Λ Π al permu tat syr (cu, utr) arm it go Did Epiph Chr Antioch Amb Op; non legitur in ℵ A B C E G H L S V X Δ Z mu minusc sin l dub ept fuld ger ken lind gat Bas Hier cat oxon. In v. 57 add κυριε A C X Γ Δ Λ Π unc 8 al pler f q go syr (utr, hr). In v. 58 nidos *ubi requiescant* a b f l q r Ambr dub ken. In v. 59 om κυριε in B* D V 57, Or (in longe pler legitur) Ti, W H in margine. In v. 61 τους εις τον οικον V al 6 cat oxon; his *qui* domi sunt (Wordsworth), *quae* solum habent cav eg hub for tol sixt; dub add *fratribus* meis. In v. 62 τη βασιλεια ℵ* B L Z it Clem Or Cyp Hil; al εις την βασιλειαν; c e retro attendens et superponens manum s. super ar. (sin v. 55 et 56 solum habet: et reprehendit eos et iverunt in aliam civitatem; v. 61 in fine add et veniam; v. 62 ad vomerem (ensem) aratri).

Uti ex Evangelio Ioan. patet, Christus in urbem ascendit tempore vitae suae publicae ad pascha primum (2,13), ad secundum (probabilissime 5,1) et post tertium pascha (ad quod non ascendit) ad festum scenopegiae (7,14) et ad festum encaeniorum (10,22) et demum ad quartum pascha passionis. Aliquot mensibus (ferè sex vel septem) ante passionem reliquit Galilaeam iam non illuc reversurus ad longiorem commorationem, sed profecturus in Peraeam et Iudaeam et saepius visiturus ipsam urbem Ierusalem. Quod tempus designatur v. 51 *factum est autem dum complerentur dies assumptionis eius;* bene notant iam *Tol. Ians. Luc. Cord.* a Luca indicari eam profectionem quae Matth. 19,1 et Marc. 10,1 et Ioan. 7 habeatur; dies *assumptionis* eius in coelum scil.; nam ἀναλαμβάνεσθαι vox est sollemnis de ascensu in coelum; ita Marc. 16,9 et Act. 1,2. 11. 22 et 1 Tim. 3,16 et iam in vetere quoque testamento apud LXX 4 Reg. 2,11 de Elia ἀνελήφθη εἰς τὸν οὐρανόν et Eccli. 48,9 et Eccli. 49,16 de Henoch et 1 Mach. 2,58 de Elia. Sunt itaque isti dies, ut *Euth.* dicit, praefinitum tempus dum a terra assumeretur in coelum et indicatur iam appropinquare tempus illud (*Theoph. cat. Cr. Luc. Ipr.* et recentiores) et quia per passiónem et resurrectionem perventurus erat ad gloriosam assumptionem, alii haec omnia voce significari volunt (cf. *S. Bon. Tol. Ians.*). Apposite monet *Luc.* evangelistam assumptionem nominare potius quam passionem tum quod assumptio magis deceret Christi maiestatem, tum quod Christus

ipse in hoc itinere ineundo ob oculos sibi poneret assumptionem magis quam passionem Paulo attestante Hebr. 12,2 ἀντὶ τῆς προκειμένης αὐτῷ χαρᾶς ὑπέμεινεν σταυρόν. Dicitur autem *dum complerentur dies,* ut innuatur tempus a Deo designatum fuisse idque ipsum Christum non ignorasse (*Mald.*).

Eo itaque tempore *et ipse faciem suam firmavit* cf. שִׂים פָּנִים Gen. 31,21. 2 Reg. 12,18. Ier. 42,15; 44,12. Dan. 11,17; qua dictione intentio et propositum enuntiatur et praeprimis, uti exemplis allatis constat, proficiscendi propositum, ἀφώρισεν, ἐκύρωσεν, ἔστησε βουλήν (*Theoph.*) exinde intentionem defixit, *ut iret in Ierusalem;* neque tamen ea est locutionis vis, ut statim directe tetenderit in urbem (cf. *Schanz*), sed solum ut ex eo tempore iter illud mente constitutum continuo ob oculos haberet. In qua dictione etiam exprimi dicunt animi constantiam, fortitudinem, qua passionis loco et tempori obviam eat (cf. *Tol. Luc. Ians.*), uti iam *S. Hieronymus :* obfirmatione enim et fortitudine opus est ad passionem sponte properanti (ep. 121,5; *M.* 22,1016) et *Beda* eum iter instituisse obstinata atque imperterrita mente. Fortasse praeter apostolos etiam discipulos habuit comites; quare v. 52 *misit nuntios ante conspectum suum,* ante se, *et euntes intraverunt in civitatem Samaritanorum,* εἰς κώμην, unde de ipsa urbe primaria non erit cogitandum, *ut pararent illi* hospitium et necessaria ad cibum etc. providerent; v. 53 *et non receperunt eum;* nuntios illos infecto negotio redire coegerunt denegantes hospitium aliaque subsidia, *quia facies eius erat euntis in Ierusalem,* τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἦν πορευόμενον, hebraismus est, cf. 2 Sam. 17,11, quia scil. in Ierusalem tendere volebat ad diem festum (scenopegiae), ad Deum ibi colendum, dum ipsi Deum colendum esse dicerent in monte Garizim (cf. Ioan. 4,20; *S. Bon. Cai. Ians. Mald. Tol. Luc. Calm. Lamy* etc.). Aliqui putarunt Iesum non esse receptum a Samaritanis quia nuntii eum ut servatorem et redemptorem Israel annuntiassent (*Reischl, Meyer*); verum Iesus prohibuerat ne cuiquam dicerent se esse Messiam; dein ratio cur non sit receptus hic additur explicite *quia* etc.; in hac ergo sistendum est cum *S. Ambr. Bed. Euth. Alb.* aliisque omnibus.

Prae amore et reverentia Domini id indignissime tulerunt filii tonitrui, utpote ingenii fervidioris v. 54 *cum vidissent autem discipuli eius Iacobus et Ioannes* nuntios redire re infecta *dixerunt : Domine, vis, dicimus ut ignis descendat de coelo et consumat illos?* Domino annuente verbum suum esse omnino efficax, ut sicut olim Elias igne coelitus misso eos delere possint confidunt; fidem itaque ostendunt magnam; « et bene praesumunt quia ad sermonem suum ignis de coelo descenderet, quoniam sunt filii tonitrui » (*S. Ambr.*), qui ideo, ut

Alb. dicit per ignem coruscare voluerunt et comminationibus intonare. Verum aliter Iesus v. 55 *et conversus increpavit illos dicens : nescitis cuius spiritus sitis*, quae sententia per interrogationem legi potest idque vim eius auget; ad quem autem spiritum pertineant cum discipuli Christi sint ab eo vocati, electi, edocti, quo itaque spiritu se regi ac duci sinere debeant, statim declarat v. 56 *Filius hominis* (bene additur graece γάρ) *non venit animas perdere sed salvare*, quibus verbis causam simul et exemplum tangit, ut *Alb.* ait, eosque docet quam mentem induisse iamdudum debuerint. Erant insuper Samaritani aliquo modo excusatione digni. Neque enim, ut pharisaei, cognitae veritati resistebant neque opera divina diabolo attribuebant — in talem malitiam Iesus quoque severe animadvertit — sed dum inter Iudaeos et Samaritanos magnae exsisterent simultates et hostili inter se discordarent odio (*S. Hier.*), nolebant eum apud se recipere quem sciebant adoraturum in Ierusalem, cum ipsi Deum coli vellent in monte Garizim. Narrat *Iosephus* morem fuisse Galilaeis in diebus festis Ierusalem euntibus per regionem Samariae iter facere (cf. Vita 52) et Ventidio Cumano procuratore multos Galilaeos iter facientes a Samaritanis esse peremptos (Antiq. 20,6. 1).

Si discipuli de Elia cogitabant vel, ut testes sat multi habent, eius fecerunt mentionem (*Fil.*), eorum postulatio facile intelligitur. Nam, ut scribit *S. Hier.* l. c., « si ad servi Eliae iniuriam descendit ignis de coelo et non Samaritas sed Iudaeos consumpsit incendium, quanto magis ad contemptum Filii Dei in impios Samaritas debet flamma saevire? E regione Dominus qui non ad iudicandum venerat, sed ad salvandum, non in potestate sed in humilitate, non in Patris gloria sed in hominis vilitate, increpat eos quod non meminerint doctrinae suae et bonitatis evangelicae in qua dixerat : qui te percusserit in maxillam, praebe ei et alteram, et : diligite inimicos vestros » ; *et abierunt in aliud castellum* εἰς ἑτέραν κώμην, proin in vicum qui non erat eiusdem gentis (prout scil. ἕτερος distinguitur ab ἄλλος).

Verba haec Christi in v. 55. 56 apud multos testes desunt; vide lect. var.; attamen non videntur esse ad glossam aliquam reiicienda (cf. *Fil. Meyer, Keil, Sp.*). Nam verba haec quam maxime digna sunt Salvatore (cf. Matth. 20,28. Ioan. 3,17), sunt non minus sollemnia quam simplicia et adeo apta ad rem, ut ea esse addita et excogitata ab aliquo interpolatore plane sit improbabile. Adde verba ea satis concorditer referri apud suos testes, cum alias in interpolatione maiore, uti 1 Ioan. 5,7, magna soleat esse diversitas. Porro facilius explicatur cur omissa sint quam unde inserta aut a quo, ut apud tot testes eosque varios reciperentur. Poterant omitti v. g. apud aliquos qui legebant in v. 54 sicut Elias fecit, ne ipsius quoque Eliae repre-

hensio hisce enuntiari videretur; poterant omitti aberrantibus amanuensium oculis ab KAIEIII ad KAIEII.

Uti eventus qui modo narratus est documentum valde utile pro apostolis praebet, ita non minus ea quae sequuntur v. 57 *factum est autem ambulantibus illis in via dixit quidam ad illum* (in via dixit, aliqui iungendum esse censent; cf. *Schanz, Meyer, Weiss, Sp.*), dum Iesus iter faceret : *sequar te quocumque ieris;* verba quidem animum pandere videntur generosum; at ex Domini responso ostenditur « hunc qui obsequium promittit ob hoc repudiatum quod signorum videns magnitudinem sequi voluerit Salvatorem, ut lucra ex operum miraculis quaereret » (*Bed.* sim. *S. Aug.* serm. 100,1; *M.* 38,602; *Alb. Theoph. Bon. Cai. Tol. Luc.*) v. 58 *dixit illi Iesus : vulpes foveas habent et volucres coeli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet;* respondet Iesus non ad eius verba, sed ad eius animi affectum et desiderium. Christus se declarat pauperrimum qui nihil habeat proprium et omni vitae commoditate sit destitutus; ceterum vide quae dixi ad Matth. 8,20 (Comment. I p. 323); notat hic *Cai.* relinqui exemplum praelatis et praedicatoribus non admittendi ad consortium suum homines lucri cupidos.

Praeter animum a rebus terrenis et cupiditate divitiarum et commodorum alienum postulat Christus ut Deo vocanti statim praestetur obsequium posthabitis reliquis omnibus : v. 59 *ait autem ad alterum : sequere me;* Lucas accuratius narrat quam Matth. 8,21, ubi breviter res perstringitur. Neque dici potest cum *Schanz* apud Matthaeum illum se ipsum offerre ad sequendum Dominum, idque magis congruere quam quod Lucas habeat; neque enim esse probabile a Iesu eum vocari et invitari qui haud sit idoneus. Verum haec non satis considerate dicuntur. Nam si legitur : alius de discipulis ait : *permitte me primum* ire etc., iste loquendi modus clare prodit praecessisse Christi invitationem; dein cum etiam apud Matth. Iesus dicat : sequere me et dimitte..., gratis supponitur haec dici ad hominem minime aptum; *ille autem dixit : Domine, permitte mihi primum ire et sepelire patrem meum;* « non discipulatum respuit, sed expleta primum paterni funeris pietate liberior hunc assequi desiderat » (*Bed.*); vere enim notat *Tol.* : non negat qui dicit primum, sed significat se postmodum secuturum, idque causa rei honestae et piae, facultate etiam a Christo petita; argumenta sunt haec animi devoti, pii, humilis et fidelis (sim. *S. Bon. Luc.*); v. 60 *dixitque ei Iesus : sine ut mortui sepeliant mortuos suos; tu autem vade et annuntia regnum Dei;* « non ergo paterni funeris sepultura prohibetur, sed necessitudini generis divinae religionis pietas

antefertur; illud consortibus relinquitur, hoc mandatur electis » (*S. Ambr.*); sunt enim aliquando minora bona praetermittenda pro utilitate maiorum (*Bed. Bon.*) atque ita respondet Christus ut eum et doceat et consoletur; nam eius operam non esse necessariam, esse qui sepeliant nec patrem mansurum insepultum (*Tol.*); ei demandari negotium multo excellentius. Alia vide ad Matth. 8,22 (l. c. p 326 seq.). Illis qui singulari ratione Deo erant consecrati, uti pontifex, nasiraei, lege erat interdictum, ne ad ullum mortuum, ne ad patrem quidem vel matrem, ingrederentur (Lev. 21,11. Num. 6,6. 7)[1]. Quare Christus hac sua responsione simul docet quantae sit sanctitatis opus nuntiandi evangelium.

Alio exemplo docetur opus inceptum non esse intermittendum, non esse procrastinandum (*Tol.*) v. 61 *et ait alter : sequar te, Domine, sed permitte mihi primum renuntiare his quae domi sunt;* ἀποτάσσεσθαι notione valedicendi, valere iubendi adhibetur Marc. 6,46. Act. 18,18. 21 et 2 Cor. 2,13, quibus locis de personis dicitur, Luc. 14,33 de rebus; hoc loco τοῖς εἰς τὸν οἶκόν μου dicitur per attractionem qua duae notiones ἀπέρχεσθαι εἰς τὸν οἶκον καὶ ἀποτ. τοῖς ἐν τῷ οἴκῳ inter se copulantur qui loquendi modus etiam apud profanos haud infrequens est; τοῖς intelligi de cognatis, amicis, domesticis sententia est et veterum et recentiorum plerorumque; ita *Tertullianus* c. Marc. 4,23 suis valedicere (*M.* 2,418); interpres S. Irenaei (1,8. 3; *M.* 7,526) vertit *domesticis, S. Basilius*(const. mon. 20; *M.* 31,1392) τοῖς οἰκείοις explicat et adducit hunc eventum ut probet colloquia cum cognatis non esse requirenda, *S. Aug.* (serm. 100,3 l. c. 604) : « nuntiem meis ne forte quomodo fieri solet me quaerant », *S. Cyr.* τοῖς οἰκείοις, itemque de personis *Theoph. Euth., interpres syrus, cat. Cr. cat. S. Thomae;* item *Bed. Bon. Cai. Tol. Ians. Cord. Lamy* legentes in textu his *qui* domi sunt, ut pariter legit *S. Aug.* quoque (de cons. evang. 2,23. 54; *M.* 34,1103); eodemque modo recentiores; *Luc.* utrumque coniungit : amicis rebusque suis valedicere.

Verum Iesus animum postulat promptum, minime divisum vel moras nectentem v. 62 *ait ad illum Iesus : nemo mittens manum suam ad aratrum et respiciens retro aptus est regno Dei;* ne sulcus evadat tortuosus, qui arat debet semper oculos habere intentos in sulcum; arator, nisi incurvus, praevaricabitur (ait Plinius, h. n. 18,29; *Schegg, Schanz, Fil.*); unde qui arare incipiens retro oculos vertit, ineptus est ad arandum, *delirabit;* antiqui enim liram vocabant sulcum (*Lamy*). Quisquis

1. Quos locos affert *Tertullianus* c. Marc. 4, 23 (*M.* 2, 418) et ait illis verbis Christi utramque legem Creatoris manifeste confirmari; « puto autem et devotioni et sacerdotio destinabat quem praedicando regno Dei imbuerat ».

itaque se vitae meliori ac iustitiae virtutisque laboribus consecrare decrevit, iam non debet respicere retro, id est, non animum deflectere ad ea quae relicta esse oportet (*Ians.* sim. *cat. Cr. Euth. Tol. Luc.* etc.). Praeclare dicit *S. Aug.* (serm. 100,3) : « vocat te Oriens et tu attendis Occidentem » (vocatur enim Messias Oriens in vulgata versione Zach. 3,8; 6,4 et Luc. 1,78).

b) Mittuntur ad praedicandum discipuli 10,1-24.

10,1. Post haec autem designavit Dominus et alios septuaginta duos, et misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus. 2. Et dicebat illis : Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. 3. Ite; ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. 4. Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, et neminem per viam salutaveritis. 5. In quamcumque domum intraveritis, primum dicite : Pax huic domui; 6. Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra : sin autem, ad vos revertetur. 7. In eadem autem domo manete, edentes et bibentes quae apud illos sunt : dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum. 8. Et in quamcumque civitatem intraveritis, et susceperint vos, manducate quae apponuntur vobis; 9. Et curate infirmos, qui in illa sunt, et dicite illis : Appropinquavit in vos regnum Dei. 10. In quamcumque autem civitatem intraveritis, et non susceperint vos, exeuntes in plateas eius, dicite : 11. Etiam pulverem, qui adhaesit nobis de civitate vestra, extergimus in vos; tamen hoc scitote, quia appropinquavit regnum Dei. 12. Dico vobis, quia Sodomis in die illa remissius erit, quam illi civitati. 13. Vae tibi, Corozain, vae tibi, Bethsaida : quia si in Tyro et Sidone factae fuissent virtutes quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere sedentes poeniterent. 14. Verumtamen Tyro et Sidoni remissius erit in iudicio, quam

10,1. Μετὰ δὲ ταῦτα ἀνέδειξεν ὁ Κύριος ἑτέρους ἑβδομήκοντα δύο καὶ ἀπέστειλεν ἀνὰ δύο δύο πρὸ προσώπου αὐτοῦ, εἰς πᾶσαν πόλιν καὶ τόπον οὗ ἤμελλεν αὐτὸς ἔρχεσθαι. 2. Ἔλεγεν δὲ πρὸς αὐτούς, Ὁ μὲν θερισμὸς πολύς, οἱ δὲ ἐργάται ὀλίγοι· δεήθητε οὖν τοῦ κυρίου τοῦ θερισμοῦ, ὅπως ἐργάτας ἐκβάλῃ εἰς τὸν θερισμὸν αὐτοῦ. 3. Ὑπάγετε· ἰδοὺ, ἀποστέλλω ὑμᾶς ὡς ἄρνας ἐν μέσῳ λύκων. 4. μὴ βαστάζετε βαλλάντιον, μὴ πήραν, μὴ ὑποδήματα· καὶ μηδένα κατὰ τὴν ὁδὸν ἀσπάσησθε. 5. Εἰς ἣν δ' ἂν εἰσέλθητε οἰκίαν, πρῶτον λέγετε, Εἰρήνη τῷ οἴκῳ τούτῳ. 6. καὶ ἐὰν ἐκεῖ ᾖ υἱὸς εἰρήνης, ἐπαναπαήσεται ἐπ' αὐτὸν ἡ εἰρήνη ὑμῶν· εἰ δὲ μήγε, ἐφ' ὑμᾶς ἀνακάμψει. 7. ἐν αὐτῇ δὲ τῇ οἰκίᾳ μένετε, ἔσθοντες καὶ πίνοντες τὰ παρ' αὐτῶν· ἄξιος γὰρ ὁ ἐργάτης τοῦ μισθοῦ αὐτοῦ· μὴ μεταβαίνετε ἐξ οἰκίας εἰς οἰκίαν. 8. καὶ εἰς ἣν ἂν πόλιν εἰσέρχησθε, καὶ δέχωνται ὑμᾶς, ἐσθίετε τὰ παρατιθέμενα ὑμῖν, 9. καὶ θεραπεύετε τοὺς ἐν αὐτῇ ἀσθενεῖς, καὶ λέγετε αὐτοῖς, Ἤγγικεν ἐφ' ὑμᾶς ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ. 10. εἰς ἣν δ' ἂν πόλιν εἰσέλθητε, καὶ μὴ δέχωνται ὑμᾶς, ἐξελθόντες εἰς τὰς πλατείας αὐτῆς εἴπατε, 11. Καὶ τὸν κονιορτὸν τὸν κολληθέντα ἡμῖν ἐκ τῆς πόλεως ὑμῶν εἰς τοὺς πόδας ἀπομασσόμεθα ὑμῖν· πλὴν τοῦτο γινώσκετε, ὅτι ἤγγικεν ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ. 12. λέγω ὑμῖν, ὅτι Σοδόμοις ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ἀνεκτότερον ἔσται, ἢ τῇ πόλει ἐκείνῃ. 13. οὐαί σοι, Χοραζείν, οὐαί σοι, Βηθσαϊδά· ὅτι εἰ ἐν Τύρῳ καὶ Σιδῶνι ἐγενήθησαν αἱ δυνάμεις αἱ γενόμεναι ἐν ὑμῖν, πάλαι ἂν ἐν σάκκῳ καὶ σποδῷ καθήμενοι μετενόησαν. 14. πλὴν Τύρῳ καὶ Σιδῶνι ἀνεκτότερον ἔσται ἐν τῇ κρίσει, ἢ ὑμῖν. 15. καὶ σύ,

vobis. 15. Et tu, Capharnaum, usque ad coelum exaltata, usque ad infernum demergeris. 16. Qui vos audit, me audit: et qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.

17. Reversi sunt autem septuaginta duo cum gaudio, dicentes : Domine, etiam daemonia subiiciuntur nobis in nomine tuo. 18. Et ait illis : videbam satanam sicut fulgur de coelo cadentem. 19. Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici; et nihil vobis nocebit. 20. Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subiiciuntur : gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in coelis. 21. In ipsa hora exsultavit Spiritu sancto, et dixit : confiteor tibi, Pater, Domine coeli et terrae, quod abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Etiam, Pater, quoniam sic placuit ante te. 22. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo scit quis sit Filius, nisi Pater; et quis sit Pater, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. 23. Et conversus ad discipulos suos, dixit : Beati oculi, qui vident quae vos videtis. 24. Dico enim vobis, quod multi prophetae et reges voluerunt videre quae vos videtis, et non viderunt; et audire quae auditis, et non audierunt.

Καφαρναούμ, μὴ ἕως οὐρανοῦ ὑψωθήσῃ; ἕως τοῦ ᾅδου καταβήσῃ. 16. Ὁ ἀκούων ὑμῶν ἐμοῦ ἀκούει· καὶ ὁ ἀθετῶν ὑμᾶς ἐμὲ ἀθετεῖ. ὁ δὲ ἐμὲ ἀθετῶν ἀθετεῖ τὸν ἀποστείλαντά με.

17. Ὑπέστρεψαν δὲ οἱ ἑβδομήκοντα δύο μετὰ χαρᾶς, λέγοντες, Κύριε, καὶ τὰ δαιμόνια ὑποτάσσεται ἡμῖν ἐν τῷ ὀνόματί σου. 18. Εἶπεν δὲ αὐτοῖς, Ἐθεώρουν τὸν σατανᾶν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ὡς ἀστραπὴν πεσόντα. 19. ἰδοὺ, δέδωκα ὑμῖν τὴν ἐξουσίαν τοῦ πατεῖν ἐπάνω ὄφεων καὶ σκορπίων, καὶ ἐπὶ πᾶσαν τὴν δύναμιν τοῦ ἐχθροῦ· καὶ οὐδὲν ὑμᾶς οὐ μὴ ἀδικήσῃ. 20. πλὴν ἐν τούτῳ μὴ χαίρετε, ὅτι τὰ πνεύματα ὑμῖν ὑποτάσσεται· χαίρετε δὲ ὅτι τὰ ὀνόματα ὑμῶν ἐγγέγραπται ἐν τοῖς οὐρανοῖς. 21. Ἐν αὐτῇ τῇ ὥρᾳ ἠγαλλιάσατο τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ καὶ εἶπεν, Ἐξομολογοῦμαί σοι, πάτερ, κύριε τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῆς γῆς, ὅτι ἀπέκρυψας ταῦτα ἀπὸ σοφῶν καὶ συνετῶν, καὶ ἀπεκάλυψας αὐτὰ νηπίοις· ναὶ, ὁ πατὴρ, ὅτι οὕτως εὐδοκία ἐγένετο ἔμπροσθέν σου. 22. Πάντα μοι παρεδόθη ὑπὸ τοῦ πατρός μου· καὶ οὐδεὶς γινώσκει τίς ἐστιν ὁ υἱὸς, εἰ μὴ ὁ πατὴρ, καὶ τίς ἐστιν ὁ πατὴρ, εἰ μὴ ὁ υἱὸς, καὶ ᾧ ἂν βούληται ὁ υἱὸς ἀποκαλύψαι. 23. Καὶ στραφεὶς πρὸς τοὺς μαθητὰς κατ' ἰδίαν εἶπεν, Μακάριοι οἱ ὀφθαλμοὶ οἱ βλέποντες ἃ βλέπετε. 24. λέγω γὰρ ὑμῖν, ὅτι πολλοὶ προφῆται καὶ βασιλεῖς ἠθέλησαν ἰδεῖν ἃ ὑμεῖς βλέπετε, καὶ οὐκ εἶδαν· καὶ ἀκοῦσαί μου ἃ ἀκούετε, καὶ οὐκ ἤκουσαν.

In v. 1 sin : segregavit ex discipulis suis alios septuaginta duos, και ετερους ℵ A C D X Γ Δ Λ Π unc 8 al fere omn it vulg tat syr (cu, hr) arm go Eus Bas Tert Ti; om και B L Z 33. cop syr (sin, sch) aeth; εβδομηκοντα ℵ A C L X Γ Δ Λ Z Π unc 7 al pler b f q r go cop tat syr (sch, hr) aeth Ir Tert Eus Cyr Bas Amb cat ox; add δυο B D M R 42. a c e l vulg arm syr (sin, cu) Ephraem (cf. The Diatessaron, Hill, Edinburgh 1894 p. 102, 348) Dial Epiph Recogn clem Aug. In v. 3 ιδου sine εγω ℵ A B aliq minusc a e l arm Ti W H. In v. 4 nolite *ergo* ben car mt ox wil harl. In v. 5 in q. primum domum intr. a, in q. domum primum intr. b l q; imo c q. primam domum intr. primum. In v. 6 codd plur super *illam* et ita edidit Wordsworth. In v. 7 a l quae ab eis apponuntur vobis. In v. 11 εις τους ποδας ℵ B D R aliq minusc it pler sax syr (cu), εις τους ποδας ημων A C G K L M U Z Π al 50 fere f go cop syr (utr, hr) arm; *in pedibus* dub eg ken; in fine add (sed perperam) εφ υμας A C R X Γ Δ Λ Π unc 7 al pler f l eg tat syr (utr, hr). In v. 12 in die iudicii l gat tat syr (sin, cu); D εν τη βασιλεια του θεου, sim. a b in regno Dei. In v. 13 ken egissent poenitentiam. In v. 15 μη υψωθησῃ ℵ B D L Z; sim. a b d i l dub ken; e nedum usque in coelum

exaltata es; al η υψωθεισα; καταβηση B D syr (cu) aeth; al καταβιβασθηση. In v. 16 add D εμου ακουων ακουει του αποστειλαντος με, sim. tat a b i l o. In v. 17 b q in nomine tuo nos audiunt. In v. 18 *fulgor* big cav dub eg ept ger ken rush tol lind; eg descendentem. In v. 20 D e f syr (sin, cu, sch) Eus Bas Cyr Thdrt Or Amb τα δαιμονια. In v. 21 e exhilaratus est Iesus in sancto spiritu; fuit placitum fuld gat; bona voluntas fuit b ff² l q r, fuit b. vol. i. In v. 22 add initio και στραφεις προς τους μαθητας ειπεν in codd sat multis, etiam in tat c ff² i l q r, Ti; non add in ℵ B D L M Z Π a b e f vulg cop syr (cu) arm. In v. 23 κατ ιδιαν seorsum f q go cop syr (utr) aeth; om D it vulg syr (sin, cu); in fine add D και ακουοντες α ακουετε, et aures quae audiunt c e f; et aures quae audiunt quae auditis tol ᶜ. In v. 24 om *et reges* D a e ff² i l lind; habent *et iusti* (ut Matth.) b q r ken; solum B ακουσαι μου (in sin pleraque desunt; v. 14 in eo die; v. 22 quis scit Filium nisi Pater et quis scit Patrem nisi Filius).

Praeter apostolos alios quoque discipulos fuisse comites Iesu assiduos iam discimus Marc. 4,10 (graece; cf. Comment. p. 116; immo *Euth.* ibi discipulos septuaginta indicari putat) idemque comprobatur iis quae Ioan. 6,60 et Act. 1,15. 21 et 1 Cor. 15,6 narrantur. Eos quoque ad praedicandum esse missos solus refert Lucas; v. 1 *post haec autem* scil. postquam firmavit faciem suam ut iret in Ierusalem 9,51 *designavit Dominus et alios septuaginta duos*, si *καί et* retinetur (cf. lect. var.), fit allusio ad 9,1, missionem duodecim apostolorum; alii testes legunt septuaginta; verum probabile est quod censent *Tol. Luc. Cord. Mald. Schanz, Weiss* numerum istum integrum (rotundum, si ita loqui fas est) esse suppletum altero numero omisso, uti in alio exemplo *S. Aug.* monet dici quandoque filios Israel fuisse per quadringentos annos in Aegypto, cum aliquanto plures fuerint. Uti Christus in electione duodecim apostolorum duodecim populi electi patriarchas vel duodecim tribus Israel ob oculos habuisse ideoque numerum istum sacrum elegisse creditur, ita numerum 72 commendant ex eo quod vel unicuique apostolo sex attribuerit quasi socios et adiutores vel ad commemorandas duodecim tribus unicuique tribui etiam sex assignarit (cf. *Mald. Luc. Sylv. Fil.*). Hac electione Christum in Ecclesia sua ostendere voluisse discrimen personarum eosque 72 esse secundi ordinis ab apostolis et quasi secundi ordinis presbyteros minorisque gradus plerique adnotant (cf. *S. Hier.* ep. 75,6; *M.* 22,704; *Bed. Bon. Alb. Tol. Ians. Mald. Luc. Cord.* etc.).

Praeterea variae rationes afferuntur cur praeter apostolos selecti sint 72 discipuli. Frequenter monent de septuaginta senioribus quos iubente Deo Moyses elegerit Num. 11,16, quos septuaginta duos fuisse aliqui probare student ex Num. 11, 26 (cf. *S. Cyr. Bon. Alb. Ians. Mald. Luc. Cord. Schegg, Keil*), ut rabbini quoque dicunt Moysen elegisse sex ex quavis tribu (*Lightfoot* ad Luc. 10,1); vel provocant ad Ex. 15,27 ad septuaginta palmas in Elim iuxta duodecim fontes aquarum (*S. Hier.* l. c. *Cyr. Bon. cat. Cr. Euth.*

Theoph.) vel ad septuaginta gentes mundi quas rabbini numerant (cf. *Bed. Bon. Alb. Reischl*) vel ad 70 animas domus Iacob quae ingressae sunt in Aegyptum (Gen. 46,27; *Ians.*) vel ad numerum synedristarum, cui synedrio Christus alterum quasi opponere voluerit (cf. *Cord. Luc.*). Haud raro in istis discipulis praefigurari dicunt evangelium esse gentibus annuntiandum. Sed eos missos esse ad Samaritanos qui figuram gerant gentium nequit ostendi, et cum Iesus modo a Samaritanis repulsam tulerit, non est probabile eum etiam oppida eorum voluisse frequentare Opinio autem illa de 70 gentibus vel linguis est commentum rabbinorum neque ullum habet in s. litteris fundamentum; proponitur scil. in targum Ionathan ben Uziel ad Gen. 11,8 : dispersit Deus populos super faciem totius terrae in 70 linguas, et ad Deut. 32,8 et in midrasch psalmorum ad Ps. 9 (cf. *Schegg*). Neque in sermone Christi quidquam continetur quo eorum missionem esse typum evangelii gentibus praedicandi indicetur. Quare illa sententia gratis asseritur, quam alii ratione mystica enucleare student; « viginti quattuor horis totus orbis peragitur atque lustratur, ita mysterium illustrandi orbis per evangelium Trinitatis in 72 discipulis intimatur » (*S. Aug.* qu. evang. 2,14; *M.* 35, 1339; *Cat. S. Thom.;* aliter *S. Gregorius* hom. 17 in evang. *Beda*).

Non desunt ex rationalistis qui hanc de missione discipulorum narrationem ad fabulas reiiciant; ita Ammon, de Wette, Strauss, Schwegler, Zeller, Ritschl aliique. Etiam Weiss opinatur Lucam ex errore quodam quem commiserit in usu « fontis » sui inductum esse, ut crederet agi de secunda quadam missione, pro qua iam non iterum apostolos, sed alios discipulos esse accersendos sibi persuasisset; unde autem numerum 70 vel 72 accepisset esse in medio relinquendum. Quam inique et frivole tractent isti auctorem sacrum in aperto est. Ipse nobis pandit quanta diligentia in singula inquisierit (1,3); isti autem sine ulla argumenti veri umbra aut specie hanc missionem negant, cum tamen aliunde quoque constet praeter apostolos apud Christum versatos esse discipulos; Christum autem iis quoque ut praedicatoribus usum esse, qua demum ratione negari poterit? vel quo modo ostendere possunt Lucam pro lubitu res finxisse, cum tamen sincera rerum narratione veritatem stabilire voluerit (1,3)? Iterum cernitur ab istis scriptorem sacrum multo iniquius iudicari quam ullum scriptorem profanum.

Apostoli mittuntur ad praedicandum regnum Dei (9,2); isti solum ut Christo viam quasi praeparent; *et misit illos binos,* « mutuum testimonium, mutuam custodiam morum, mutuam consolationem statuit Iesus in suis discipulis peregrinantibus » (*Cai.*), binos mittit, ut auxilio et consilio mutuo sibi sint, se ad opus magis excitent maioremque fidem et auctoritatem apud alios sibi concilient (*Tol. Luc.*); simili modo missi sunt Moyses et Aaron, Iosue et Caleb, Paulus et Barnabas (*Cord.*), *ante faciem suum in omnem civitatem et locum quo erat ipse venturus;* proinde de missione ad gentes non potest esse sermo; cf. Matth. 15,24. Cur vero eos mittat explicat v. 2 *et dicebat illis : messis*

quidem multa, operarii autem pauci; rogate ergo dominum messis ut mittat operarios in messem suam; vide ad Matth. 9,36. 37; ultimo vitae tempore quasi repetitis conatibus populum ad fidem excitare vult; quare plurimos mittit praedicatores qui miraculorum signis persuadeant appropinquare regnum Dei. Ita quippe verissime dicere poterit : quid est quod debui ultra facere vineae meae et non feci ei (Is. 5,4)? Ne animo cadant, si persecutiones et infestationes experientur, verum ut animos praeparent ad iniurias et contumelias, neve sibi blandiantur quasi faustissimus regni Dei nuntius ab omnibus libentissime susciperetur, ait v. 3 *ite, ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos;* vide ad Matth. 10,16; maximam itaque fiduciam ut habeant in potentissimo Dei auxilio quod iis semper praesto fore pollicetur ab iis exposcit; eandemque fiduciam ut firmissime animis imprimant postulat, cum eos sine ullo itinerantium subsidio mittat v. 4 *nolite portare sacculum*, βαλλάντιον crumenam, marsupium (cf. 12,33); ne secum ferant pecuniam ad necessaria coemenda, *neque peram*, qua scil. cibaria pro itinere recondant, *neque calceamenta;* vide ad Matth. 10,10 et Marc. 6,9; calceatos sandaliis tamquam pauperes eos incedere vult, *et neminem per viam salutaveritis*, festinantes scil. iter peragant nequaquam moram minimam nectentes in via; sedulitati enim nocet respectus ad alios (*S. Cyr.*); pulchra est salutatio, sed pulchrior matura exsecutio divinorum (*S. Ambr.*); eodemque modo explicant praecipi ut cum festinatione ad locum quo destinentur pergant *Bed. Bon. Euth. Tol. Ians. Luc. Schegg, Fil.;* alii censent cum salutatio sit pax vobis i. e. oblatio salutis, eos prohiberi ne iam in via incipiant praedicare (*Keil, Weiss*); ex forma vero grammaticali μηδένα ἀσπάσησθε (coniunct. aor., cum antea positus sit imperativus praes.) concludit *Schanz* eorum relinqui iudicio quando salutatio sit omittenda, ne scil. ministerium retardetur. Notant aliqui salutationes de more fuisse sat longas prolixis variisque confabulationibus, interrogationibus, gratiarum actione (cf. *Fil. Meyer*) aliis id negantibus (*Schegg*). Ea prohibitione praecipi ut festinato iter peragatur etiam ostendunt ex 4 Reg. 4,29, ubi Eliseus mandat Giezi : si occurrerit tibi homo, non salutes eum (cf. *S. Cyr. Ambr. Euth. Bon. Tol. Ians. Iahn*, Archaeol. bibl. § 175, etc.).

Quomodo iter ineundum sit, exponitur v. 4; iam docentur quomodo se habeant in ipso ministerio (v. 5-11) et prius quidem v. 5-9, si bene recipiantur; v. 5 *in quamcumque domum intraveritis, primum dicite : pax huic domui;* v. 6 *et si ibi fuerit filius pacis*, homo habens pacem illam quam vetus dat foedus, qui sit indolis bonae, non contentiosus, sed amans veritatis; *filius* dicitur more hebraeo, uti filius

huius saeculi, cuius mores pertinent ad saeculum, filii lucis, filii diffidentiae, filii iniquitatis etc. (cf. Luc. 16,8; 20,34. Eph. 2,2; 5,6. Col. 3,6. 1 Thess. 5,5 etc.); is scil. qui ab aliqua re pendet vel ad eam pertinet, eius rei filius vocatur; *requiescet super illum pax vestra,* apprecatio pacis et salutis ei afferet emolumentum spirituale; *sin autem, ad vos revertetur;* si nemo est animo bene dispositus, salutatio vestra utique carebit effectu; vide quae dixi ad Matth. 10,13. Proinde eos monet omnino fieri posse, ut annuntiatio et apprecatio pacis et salutis messianae careat fructu apud multos; id quoque praedicit ne animos despondeant si ministerium suum inutiliter impendi viderint; v. 7 *in eadem autem domo,* in ipsa domo, *manete edentes et bibentes quae apud illos sunt; dignus est enim operarius mercede sua;* id addit ne vereantur accipere quae eis offeruntur, τὰ παρ' αὐτῶν; cf. 1 Tim. 5,18; quae verba apostolus ob oculos habuit dum scripsit: ita et Dominus ordinavit iis qui evangelium annuntiant de evangelio vivere (1 Cor. 9,14); *nolite transire de domo in domum,* mutandi hospitii causa quasi lautius et instructius quaereretur (*Luc.*); vide ad Matth. 10,11; v. 8 *et in quamcumque civitatem intraveritis et susceperint vos, manducate quae apponuntur vobis;* monentur itaque ut sint contenti iis quae iis porriguntur (*S. Ambr. Bon. Theoph.*), ne ipsi requirant et petant quae sibi placeant, sed accipiant quae offeruntur (*Tol. Luc.*). Cum mittantur ad Israelitas non potest dici verbis istis tolli praecepta de cibis; nam in domibus piorum Israelitarum non apponi nisi cibos lege permissos supponitur; bene autem dici potest modo loquendi adeo generali discipulos doceri ne ea curent quae pharisaei praeter legem praescripserint (cf. *Schegg, Fil.*); v. 9 *et curate infirmos qui in illa sunt,* ita hospitibus beneficia amplissime rependunt et suae praedicationi auctoritatem et obsequium conciliant, *et dicite illis: appropinquavit in vos regnum Dei,* idem praedicare iubentur quod Ioannes baptista et ipse Christus sedulo annuntiabant (cf. Matth. 3,2; 4,17. Luc. 3,4 seq. 4,18 seq.).

Dein v. 10. 11 traditur quid eos facere oporteat si alicubi non recipiantur v. 10 *in quamcumque autem civitatem intraveritis et non susceperint vos exeuntes in plateas eius dicite:* v. 11 *etiam pulverem qui adhaesit nobis de civitate vestra* in pedibus (vide lect. var.) *extergimus in vos,* abstergimus *vobis* ὑμῖν, abstergendo reddimus vobis, i. e. ne minimum quidem vobiscum commune habere volumus, omnem vobiscum abrumpimus societatem. Iam vero si ita a nuntiis regni Dei repelluntur, eo ipso quoque illos a regno Dei excludi significatur. Veniet quidem regnum Dei, verumtamen illis erit in vindictam et damnationem; unde pergunt: *tamen hoc scitote, quia appropinquavit regnum Dei;* regnum messianum ita iri conditum, ut simul iudicium et

ultio exerceatur in inimicos Dei, iam apud prophetas annuntiatur (cf. Is. 63,3. 4; 66,15. Mal. 3,2) et annuntiavit Ioannes praecursor Matth. 3,10. 12 et ante eum Simeon Luc. 2,34 et ipse quoque Christus Luc. 12,49 et Matth. 10,34. Et quid allaturum sit regnum Dei, ipse Iesus explicat v. 12 *dico vobis, quia Sodomis in die illa* iudicii scil. *remissius erit quam illi civitati;* iam Sodomitae ut pessimi peccatores in s. litteris proponuntur (Gen. 13,13. Is. 1,9; 3,9. Ier. 23,14); unde quali poena illi affligendi sint, concludendum est. Ita declaratur quale scelus sit nuntios regni Dei repellere, gratias a Deo oblatas spernere, veritati evangelii aures occludere.

Ne mirentur discipuli si eorum labores non eum quem exoptant fructum tulerint. Audiunt quippe ipsum Dominum conquerentem quod in aliquibus Galilaeae urbibus eius praedicatio et miracula fuerint frustra impensa; verum simul audiunt quale iudicium illos homines sit mansurum, ut hoc terrore iudicii contumaces salubriter terreant et ad resipiscentiam adducant. Cum Christus iam Galilaeam relinquat, tempore sane aptissimo istae querelae ab eo funduntur v. 13 *vae tibi Corozain, vae tibi Bethsaida, quia si in Tyro et Sidone factae fuissent virtutes quae factae sunt in vobis, olim in cilicio* ἐν σάκκῳ in veste atra et aspera e pilis pellium texta *et cinere sedentes poeniterent,* humi sedentes et capite cinere consperso. Quam maxime perstringit illorum contumaciam; manifestat se quoque scire quae positis quibusdam conditionibus futura fuissent. Ceterum vide quibus pluribus egi de hoc loco in Comment. Matth. I p. 449 seq.; v. 14 *verumtamen Tyro et Sidoni remissius erit in iudicio quam vobis;* hi scil. neglexerunt solum gratias illas quae communiter omnibus offeruntur ad salutem, illi autem Galilaei gratiis plane extraordinariis saepe oblatis abusi sunt; insuper apud eos et maior cognitio et contemptus Dei longe gravior reperiebatur; vide ad Matth. 11,22. Singulari modo reprehenditur illa civitas in qua adeo frequenter versabatur, ut eius civitas ἡ ἰδία πόλις sit appellata (Matth. 9,1) v. 15 *et tu Capharnaum, usque ad coelum exaltata,* numquid usque in coelum exaltaberis? vide lect. var. et Matth. 11,23, *usque in infernum demergeris;* ex superbia illa quam cives eius appetunt deiicietur in summam ignominiam et oblivionem; civibus autem abyssus et ignominia inferni instat nisi resipuerint; vide in Comment. Matth. I p. 452 seq.

Hisce itaque discessurus e Galilaea urbibus illis valedicit iudicium comminans gravissimum iis qui praedicationem evangelii tot signis confirmatam spreverunt. Iam eadem sua auctoritate discipulos quos mittit instruit v. 16 *qui vos audit me audit et qui vos spernit me spernit;* sunt quippe legati et praecones Christi qui ea annuntiant quae

Christus praedicat; *qui autem me spernit spernit eum qui misit me;* est Christus legatus Dei ad homines, qui novissime nobis locutus est in Filio (Hebr. 1,1). Quicumque discipulis inobediens est et incredulus, ipsi Christo negat fidem, immo haec iniuria in Deum ipsum convertitur. Commendatur itaque praedicatio discipulorum ab auctore Deo eamque fieri docetur mandato Dei et potestate ab eo collata.

Evangelista ea narrat quae ad institutionem et doctrinam potissimum spectant. Quare omissis illis quae discipulis contigerunt in itinere ea refert quae reversi a Domino edocti sunt v. 17 *reversi sunt autem septuaginta duo cum gaudio,* vix omnes simul eodem tempore, *dicentes : Domine etiam daemonia subiiciuntur nobis in nomine tuo;* id praeprimis efferunt quod iis difficillimum videbatur; non solum cetera fecimus quae faciliora erant, sed etiam daemones expulimus; vel non solum homines, sed ipsi quoque daemones nobis parebant (*Mald.* sim. *Tol. Luc. Lap. Schegg*). Alii etiam putant ita eos loqui quia potestas in daemones iis a Christo tradita non sit et res tamen bene cesserit; Christum scil. explicite eam potestatem non tradidisse, sed solum dixisse : curate infirmos (cf. *Ians. Luc. Fil.*). Sed cum Christus dicat statim v. 19 ecce dedi vobis etc., prior acceptio videtur praeferenda. Insuper sententia illa generali : curate infirmos, etiam illa in daemones potestas videtur includi, cum ex evangelicis narrationibus constet morbos etiam possessione daemoniaca effici; ita v. g. qui lunaticus dicitur eoque morbo laborat daemonium habet (Matth. 17,15. 18). Dicentes *in nomine tuo,* vi et efficacia nominis Iesu, omnem honorem ad Christum referunt; bene notat *Theoph. :* « vide quomodo non superbiunt, dicunt enim *in nomine tuo,* tua gratia, non nostra virtute » ; et sane licuit discipulis gaudere de tali potestate tradita neque de eo gaudio quasi de quadam elatione arguendi sunt (cf. *Mald. Tol. Sylv.*). Confirmat Christus iis daemonia esse subiecta simulque dicit se iis mente adfuisse et daemonis cladem spectasse v. 18 *et ait illis : videbam satanam sicut fulgur de coelo cadentem,* ἐθεώρουν, iam *Ians.* scite advertit : « cum daemonia eiiceretis, ipse ego vobis aderam ac videbam quod vos non videratis satanam ipsum fulguris ritu cadere viresque eius evanescere. Hic enim sensus convenit verbo imperfecti praeteriti : videbam » ; idem inter alia *Calm.* quoque; atque ἐθεώρουν esse explicandum de eo tempore de quo discipuli narrabant recentiores plerumque statuunt (cf. *Schegg, Bisp. Schanz, Fil. Keil, Weiss, Sp.*). Illud *de coelo* referri posse ad fulgur etiam *Ians.* concedit et docent *Schegg, Schanz;* comparatione fulguris de coelo ruina diaboli eiusque casus et clades designatur fieri « irrevocabiliter » (*S. Bon. Ipr.*), modo quam maxime praecipite et ita ut quo expulsus sit eo iam non possit

redire. Qui iungunt satanam de coelo, coelum explicant eo modo quo Eph. 6,12 daemones esse dicuntur ἐν τοῖς ἐπουρανίοις (cf. *Calm.*), vel cum e sede sua et potestate deiici. Verum simplicius est : videbam satanam cadentem, sicut fulgur de coelo cadit (*Ians.*); cf. Ioann. 16, 11 princeps huius mundi iam iudicatus est.

Sunt qui hoc loco discipulos alicuius elationis et superbiae accusent. Ita *S. Gregorius :* « sancti quoque apostoli ab hoc elationis vitio revocantur, cum elati dicerent » etc. (Moralia, 23,6. 13; *M.* 76,259) et alibi : « in semetipsis praesumentes deterret, cum ait : videbam satanam » etc. (l. c. 20,5. 13; *M.* 142); alias tamen mitius loquitur; ita in homil. in Ez. 2,7. 17 (*M.* 76 1024) : a privato gaudio Veritas ad commune discipulos revocat, cum eos admonet : nolite gaudere etc. et similiter in epistolarum libro 11, ep. 28 (*M.* 77,1139). De superbia eos etiam *S. Hier.* accusat (ad Is. 14,12; *M.* 24,220) eandemque opinionem sequuntur *Bed. Bon. Alb. Ians. Luc. Lap.;* immerito aliqui S. Cyprianum quoque in ea sententia fuisse dicunt (uti *Tol. Mald.*), nam libellus ille de ieiunio et tentationibus Christi non est S. Cypriani; uti iam post Baluzium editor ex monachis maurinis docuit (S. Cypriani opera p. CV, Parisiis 1726) et in editione *M.* 4,812 quoque legitur libellum istum adscribendum esse Arnaldo abbati, amico S. Bernardi; quare merito miraberis quod tamen etiam a recentioribus, uti *Schegg, Bisp. Reischl, Fil.*, afferatur S. Cyprianus qui in libello de ieiunio et tentationibus Christi verba explicet de primo diaboli casu. Haec quippe verba : videbam satanam etc. de angelorum casu accipiunt *Origenes* (de principiis 1,5; *M.* 11,164 et hom. in Ezech. 1,3; *M.* 13,671) qui in utroque loco haec verba coniungit cum Is. 14,12; eodemque modo *S. Hier.* ad Is. 14,12 (*M.* 24,219) et ad Mich. 1 (*M.* 25,1163) et c. Iovin. 2,4 (*M.* 23,289). Eadem videtur fuisse sententia *S. Ambr.* qui scribit : sicut fulgur, quia amisit suum lumen quod habuit (de fuga saeculi 7,40; *M.* 14,588) et *S. Chrysostomi :* fulguris similitudo et claritatem pristinae conversationis ostendit et casus velocitatem (de poenitentia hom. 1; *M.* 49,279). Atque de primo lapsu etiam explicat *S. Gregorius* (Moralia, 23,6. 13; *M.* 76,259) eandemque sententiam adoptarunt *Theoph. Bed. Bon. Alb. Dion. Tol. Cord. Ipr. Lap. Reischl.* Sed, ut iam *Ians.* notat, tum magis dicendum erat *vidi.* Insuper advertendum est plerumque eos putare Christum loqui de diaboli lapsu ut discipulos ab animi elatione absterreat ostendens in casu diaboli qualem exitum habitura sit superbia. Verum immerito discipulos elationis accusari iam vidimus.

Melius alii hunc quem Iesus se vidisse dicit casum diaboli referunt ad tempus post Incarnationem factam; ita *S. Cyr. :* « quod ut fulgur decidisset, significat satanam ex alto humi deiectum, ex gloria in ignominiam, ex viribus in infirmitatem; ante enim Servatoris Incarnationem dominabatur orbi satanas ab omnibus ferme cultus »; simili modo etiam *S. Basilius* (quod Deus non sit auctor malorum, n. 10; M. 31,352), *cat. ox. Theoph. Euth. Cai. Mald. Luc. Sylv.;* quasi Christus diceret : non rem incognitam

mihi narratis; nam antequam vos mitterem, iam vidi etc., ego iam vici et deieci satanam. Sed ne haec quidem acceptio ad tempus verbi ἐθεώρουν apta est.

Porro confirmat Christus a se eam potestatem iis esse concessam v. 19 *ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones* δέδωκα quasi potestatem permanentem; iis animalibus infestationes daemonis designantur vel generatim insidiae et conatus inimicorum; cf. Ps. 90,13. Apoc. 12,9, *et super omnem virtutem inimici et nihil vobis nocebit;* inimicus per emphasin vocatur satan; cf. Matth. 13,39. Christus diabolum vicit et prostravit; diabolum itaque subiici legatis quoque Christi qui eius nomine et auctoritate agunt, profecto non est res adeo mira et magna, diabolum adversarium Dei a servis Dei coerceri et superari ipsam Dei dignitatem plane decet; insuper ne donum quidem miraculorum alicui concessum certum est signum vel argumentum eius ad vitam aeternam electionis (Matth. 7,22); quare est cur Iesus discipulos ab illo gaudio v. 17 avocet eisque veram et unice solidam dignamque gaudendi materiam ostendat v. 20 *verumtamen in hoc nolite gaudere quia spiritus vobis subiiciuntur; gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in coelis;* non est dubium quin Iudas quoque proditor daemonia eiecerit (Matth. 10,1. Marc. 6,7. Luc. 9,1); quae tamen potestas ei collata ipsi saluti non fuit; certum itaque atque solidum gaudii argumentum ac securum non potest esse de eo quod ad beatitudinem non est necessarium et cum quo homo ab ea potest excidere. Notitia et memoria Dei eorum quos suos esse novit et voluit efficaciter esse futuros cives coelorum est veluti liber in quo scripti dicuntur qui revera ad salutem perventuri sunt; cf. Apoc. 20,15 qui non inventus est in libro vitae scriptus missus est in stagnum ignis. Modus loquendi is est ut discipulos ad maius et sublimius gaudium erigat et invitet; quare pro consuetudine sermonis humani prius illud gaudium non reprehendit neque prohibet, sed maius quoddam et melius ostendit cui sese tradere satius et perfectius sit, quia hoc tandem de bono incommutabili et aeterno habetur (cf. *Tol. Ians. Mald. Lap. Luc.*). Nam, *Cai.* notat, spiritus subiici vobis non spectat ad vestram salutem, non est initium neque pars materiae duraturi in sempiternum gaudii.

Et cum coram se videret discipulos hos a Patre sibi datos et a Patre electos et dilectos, fideles suos comites et socios quibus datum esset nosse mysteria regni Dei (Marc. 4,11. Ioan. 17,6), v. 21 *in ipsa hora exsultavit Spiritu sancto*, gavisus est ut homo gaudio a Spiritu sancto procedente et gavisus est laetitia, gaudio animae resultante in carnem,

quae quidem exsultatio a Spiritu sancto et a divinitate unita humanitati communicabatur (*Tol.*), *et dixit: confiteor tibi,* te celebro et praedico, laudo, *Pater, Domine coeli et terrae,* quem celebrare volumus, eximiis salutamus titulis quibus simul amoris et reverentiae affectus significamus; ita Christus quoque, *quod abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis;* deposuit potentes de sede et exaltavit humiles; esurientes implevit bonis et divites dimisit inanes. Sapientes illi cumprimis sunt superbi legis doctores et pharisaei, qui sibi sapientes et intelligentes videntur ideoque cum Deus superbis resistat donis divinis sunt indigni; parvuli autem sunt simplices, qui ut parvuli se duci et doceri sinunt alieni ab animi tumore; hisce divina sapientia sese communicat (cf. Ps. 18,9. Prov. 8,5; 9,4). In illa absconsione relucet iustitia Dei, quippe qui illos tot Christi doctrinis et miraculis invitatos et edoctos tandem reliquit in eorum sensu reprobo, in revelatione parvulis facta relucet misericordia; utrimque sapientia Dei; quare merito Deus laudatur qui eo modo iustitiam, misericordiam, sapientiam praeclare manifestat. Pluribus de eo loco egi in Comment. Matth. I p. 455 seq.; et repetito Christus hanc Dei laudem asserit et de ea gaudet: *etiam, Pater, quoniam sic placuit ante te;* vide ad Matth. 11,26. Quaenam sint illa quae abscondita sunt superbis, sed quae revelantur parvulis (*Tol.*) declarat Christus v. 22 *omnia mihi tradita sunt a Patre meo et nemo scit quis sit Filius nisi Pater, et quis sit Pater nisi Filius et cui voluerit Filius revelare;* se revelat aequalem Patri, cui eadem sit cum Patre potestas, eadem dominatio, qui ita sit super omnia elevatus, ut solus Pater eum plene et perfecte cognoscat, et qui solus Patrem cognoscat. Cum itaque soli inter se perfecte cognoscant, eiusdem naturae et perfectionis sunt. Dein Filius statuitur unicus salutis omnium mediator *et cui voluerit Filius revelare,* cognitio enim Dei ad salutem est necessaria; haec est enim vita aeterna ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti (Ioan. 17, 3). Plura vide ad Matth. 11,27 (l. c. p. 459 seq.).

Cum itaque discipuli talem Filium videant, audiant et ab eo doceantur, quid eorum felicitati deesse potest? Unde v. 23 *et conversus ad discipulos suos dixit: beati oculi qui vident quae vos videtis;* v. 24 *dico enim vobis, quod multi prophetae et reges voluerunt videre quae vos videtis et non viderunt, et audire quae auditis et non audierunt;* vide ad Matth. 13,16. 17, et recogita Is. 45,8; 64,1. Ioan. 8,56. 1 Petr. 1, 10-12.

Cum sermo Iesu ad discipulos magnam habeat similitudinem cum altero de apostolorum missione (Matth. 10. Marc. 6,8-11. Luc. 9,3-5), volunt aliqui esse sermonem eundem atque inde quoque ostendi hanc discipulorum missionem esse ad fabulas

ablegandam (cf. *Weiss*). Verum praeter alia quae supra iam monui adverti debet, uti in tota hac narratione, ita in sermone quoque cerni peculiaria quaedam quae ex iis locis hausta esse nequeant; unde perperam asseritur omnia haec ad unum eventum et ad unum eundemque fontem referri. Nam hi mittuntur, ut Christo postea venturo viam parent; nihil tale de missione apostolorum; quae in v. 2 dicuntur, non reperiuntur in sermone ad apostolos; itemque ab eo abest quod illis in v. 4 praecipitur, ne quemquam per viam salutent; pariter huic sermoni proprium est praeceptum bis propositum de cibis v. 7 et 8, item quod iubentur, si non recipiantur in plateas exire et conceptis verbis obstinatis illis poenam denuntiare; insuper actio illa symbolica hoc loco aliam habet significationem, quam 9,5 ex quo uno iam sufficienter elucet esse sermonem diversum a priore. Porro in missione apostolorum illa vae non enuntiantur quae hic leguntur tempore quam maxime apto cum Iesus suae in Galilaea praedicationi finem imponat, neque in illa missione audiunt apostoli quod hic in v. 16 discipulis dicitur. Pariter diversa sunt quae de reditu discipulorum narrantur. Apostolos reduces ducit Iesus in locum desertum qui est Bethsaidae (9,10. Marc. 6,30). Nihil tale de discipulis. Hi gaudent de daemonum subiectione; unde occasionem dant verbis Christi v. 18-20 quae alias non leguntur; nihil tale post reditum apostolorum. Quae dicuntur v. 21 et seq. etiam habentur Matth. 11, 25 seq.; ea autem aptissime congruere ad occasionem quam Lucas refert manifestum est iam ex eo quia exsultatio Iesu inde facillime fluit quod ipsos discipulos adhortatus est ad gaudium et quod eorum nomina scripta sunt in coelis. Unde verba haec revera dicta esse ea occasione quam Lucas refert hac iam consideratione suadetur. Alia occasione non valde absimili iisdem verbis uti Matthaeum eaque adhibere, ut doceat contra ineptos ad regnum Dei quibus mysteria regni pandantur, eumque merito verba haec ad suum consilium transferre, etsi ea tempore alio a Christo dicta sint, conabar ostendere in Comment. Matth. I, p. 454. Ceterum si quis putaverit haec verba bis a Christo esse dicta nullus refragabor. Nam uti alia bis dixit, uti quae hic in v. 24 legimus aptissima sunt et ad hanc occasionem et ad illam Matth. 13, 16. 17, ita idem existimare licet de hac sollemni confessione Christi.

c) De amore Dei et proximi 10,25-37.

10,25. Et ecce quidam legisperitus surrexit tentans illum, et dicens : Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo? 26. At ille dixit ad eum : In lege quid scriptum est? quomodo legis? 27. Ille respondens dixit : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua; et proximum tuum sicut te ipsum. 28. Dixitque illi : Recte respondisti; hoc fac, et vives. 29. Ille autem volens iustificare se ipsum, dixit ad Iesum : Et quis est meus proximus? 30. Suscipiens autem Iesus, dixit : Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, et incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum; et plagis

10,25. Καὶ ἰδοὺ, νομικός τις ἀνέστη, ἐκπειράζων αὐτὸν λέγων, Διδάσκαλε, τί ποιήσας ζωὴν αἰώνιον κληρονομήσω; 26. ὁ δὲ εἶπεν πρὸς αὐτὸν, Ἐν τῷ νόμῳ τί γέγραπται; πῶς ἀναγινώσκεις; 27. ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν, Ἀγαπήσεις Κύριον τὸν Θεόν σου ἐξ ὅλης καρδίας σου ἐν ὅλῃ τῇ ψυχῇ σου, καὶ ἐν ὅλῃ τῇ ἰσχύι σου, καὶ ἐν ὅλῃ τῇ διανοίᾳ σου· καὶ τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτόν. 28. εἶπεν δὲ αὐτῷ, Ὀρθῶς ἀπεκρίθης· τοῦτο ποίει, καὶ ζήσῃ. 29. ὁ δὲ, θέλων δικαιῶσαι ἑαυτὸν, εἶπεν πρὸς τὸν Ἰησοῦν, Καὶ τίς ἐστί μου πλησίον; 30. Ὑπολαβὼν ὁ Ἰησοῦς εἶπεν, Ἄνθρωπός τις κατέβαινεν ἀπὸ Ἰερουσαλὴμ εἰς Ἰερειχὼ, καὶ λῃσταῖς περιέπεσεν, οἳ καὶ ἐκδύσαντες αὐτὸν καὶ

impositis, abierunt semivivo relicto. 31. Accidit autem ut sacerdos quidam descenderet eadem via; et viso illo praeterivit. 32. Similiter et levita, quum esset secus locum, et videret eum, pertransiit. 33. Samaritanus autem quidam, iter faciens, venit secus eum : et videns eum, misericordia motus est. 34. Et appropians alligavit vulnera eius, infundens oleum et vinum; et imponens illum in iumentum suum, duxit in stabulum, et curam eius egit. 35. Et altera die protulit duos denarios, et dedit stabulario, et ait : Curam illius habe : et quodcumque supererogaveris, ego, quum rediero, reddam tibi. 36. Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi qui incidit in latrones? 37. At ille dixit : Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Iesus : Vade, et tu fac similiter.

πληγὰς ἐπιθέντες ἀπῆλθον, ἀφέντες ἡμιθανῆ. 31. κατὰ συγκυρίαν δὲ ἱερεύς τις κατέβαινεν τῇ ὁδῷ ἐκείνῃ, καὶ ἰδὼν αὐτὸν ἀντιπαρῆλθεν. 32. ὁμοίως δὲ καὶ λευείτης κατὰ τὸν τόπον ἐλθὼν καὶ ἰδὼν ἀντιπαρῆλθεν. 33. Σαμαρείτης δέ τις ὁδεύων ἦλθεν κατ' αὐτὸν, καὶ ἰδὼν ἐσπλαγχνίσθη· 34. καὶ προσελθὼν κατέδησεν τὰ τραύματα αὐτοῦ, ἐπιχέων ἔλαιον καὶ οἶνον· ἐπιβιβάσας δὲ αὐτὸν ἐπὶ τὸ ἴδιον κτῆνος, ἤγαγεν αὐτὸν εἰς πανδοχεῖον, καὶ ἐπεμελήθη αὐτοῦ. 35. καὶ ἐπὶ τὴν αὔριον ἐκβαλὼν ἔδωκεν δύο δηνάρια τῷ πανδοχεῖ, καὶ εἶπεν, Ἐπιμελήθητι αὐτοῦ, καὶ ὅ τι ἐὰν προσδαπανήσῃς, ἐγὼ ἐν τῷ ἐπανέρχεσθαί με ἀποδώσω σοι. 36. τίς τούτων τῶν τριῶν πλησίον δοκεῖ σοι γεγονέναι τοῦ ἐμπεσόντος εἰς τοὺς λῃστάς; 37. ὁ δὲ εἶπεν, Ὁ ποιήσας τὸ ἔλεος μετ' αὐτοῦ. εἶπεν δὲ αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, Πορεύου, καὶ σὺ ποίει ὁμοίως.

In v. 25 b c f ff^2 i l r haec eo dicente ecce; sim syr (sin, cu). In v. 27 εν ολη τη ψυχη etc. cum εν ℵ B D Δ Z aliq minusc a b ff^2 i l q r; al εκ; dub hub omnibus virtutibus, e totis visceribus; tamquam a c e dub. In v. 28 D ζησεις. In v. 30 pler υπολαβων δε. In v. 31 a ff^2 q r fortuito autem, e derepente autem. In v. 32 pler codd λευειτης γενομενος; om γενομ ℵ^c B L X Z aliq minusc al. In v. 35 αυριον εξελθων A C Γ Δ Λ Π unc 9 al pler arm; q altera die procedens. In v. 37 add a recte respondisti; c in fine *et vives* (sin v. 25 cum haec dixisset appropinquavit doctor legis quidam et surrexit etc. v. 27 dixit ei; v. 30 dixit ei : homo quidam... et irruerunt latrones; v. 34 infundens eis; curam agere exprimitur verbo cibandi; v. 36 incidit in manus latronum).

Iesus cum iter agens in urbem ad festum tabernaculorum non esset receptus a Samaritanis per Peraeam tetendit in urbem. Unde quia in sequenti narratione eum Bethaniae versari deprehendimus, haud improbabiliter dicere licebit eum hanc de Samaritano parabolam proposuisse prope Iericho vel in synagoga urbis eiusdem, ideoque ipsum urbis nomen parabolae inseruisse. Cur scil. locum parabolae selegerit regionem inter Ierusalem et Iericho, vix alia ratio commodior excogitari potest quam quia ea in urbe vel in eius vicinitate versabatur ideoque rem proponebat pro auditoribus modo perquam accommodato. Cur enim loquens ad homines alterius regionis eos mente et animo avocaret ad alienam regionem non apparet ratio. Periculum enim latronum, etsi erat in via illa ab Ierusalem in Iericho, non tamen unice ibi imminebat; pariter sacerdos et levita ab urbe in quamvis aliam civitatem tendere poterant; immo cur Iesus non elegit civitatem sacerdotalem? Nam quod aliqui asserunt Iericho fuisse civitatem sacerdotalem solum ortum est ex male intellectis quibusdam locis rabbinicis.

Nexum cum antecedentibus aliqui repetunt ex v. 21 (iam *Alb.*, ostendi Deum abscondere arcana a sapientibus), ita quidem ut legisperitus manifestare contendat immerito sui ordinis viros a Iesu contemni (*Schanz;* aliter *Ed.* II p. 144), *Beda* vero censet eum occasionem sumpsisse ex v. 20 : gaudete autem. Sed bene notat *Ians.* quae antecedunt dicta esse κατ' ἰδίαν seorsum ad discipulos, hanc autem historiam contigisse populo praesente et verisimiliter in synagoga, ubi multis doctoribus sedentibus et Domino cum eis disputante iste legisperitus surrexerit. Vix alius nexus quaerendus erit praeter ordinem temporis; didicerat scil. Lucas id evenisse dum Iesus post missionem discipulorum versaretur prope Iericho profecturus in urbem ad festum tabernaculorum (Ioan. 7). Quare alii haud immerito dicunt non cohaerere hunc eventum cum antecedentibus (*Tol. Mald. Ians. Schegg*).

Cum dicatur v. 25 *et ecce quidam legisperitus surrexit* ἀνέστη, merito concludunt haec contigisse dum Christum loquentem multi auscultarent sedentes, e quorum medio surrexerit legisperitus ad quaestionem ponendam (cf. *Tol. Cai. Mald. Ians. Luc. Schegg, Schanz*) et si eo modo evangelista eventum recogitat, etiam facile explicatur cur illum subito e medio assurgentem vocabulo *et ecce* in narrationem inducat; *tentans illum et dicens : magister, quid faciendo vitam aeternam possidebo?* hereditabo; ἐκπειράζων (explorans, pertentans), ut accusari posset si quid contra responderet (*S. Cyr. Euth. Tol. Luc. Ians. Ipr. Lamy*) vel contra sententias in scholis doctorum iactatas (*Fil. Reischl*); sed simplicius erit cum aliis explicare eum voluisse explorare possetne Christus respondere vel voluisse eum in aliquam difficultatem respondendi coniicere (cf. *Schegg, Schanz, Keil, Weiss*); unde *S. Cyr.*, cum hypocrisi, inquit, procedit et ficta mente et honorare simulans magistrum appellat, ut sub blandi sermonis velamine tentatio lateret. Verum Iesus legisperitum ad legem remittit ipse ponens quaestionem, quod facere solebat cum tentabatur (*Mald.*) v. 26 *at ille dixit ad eum : in lege* cum emphasi id primo loco ponitur, quia legisperitus interrogavit, *quid scriptum est? quomodo legis?* quibus scil. verbis? quid praeprimis lex praecipit et iniungit? quae est summa mandatorum? notant מאי קראת quid legis? esse formulam apud rabbinos quoque frequentissimam, si agebatur de argumento e s. litteris depromendo. Dicit ei itaque Christus : tu qui legis scientiam profiteris, ipse responde quid lex praecipue requirat; ea cum scire tenearis, mirum est te interrogare quasi nescias (*Luc. Ians.*); v. 27 *ille respondens dixit : diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex omnibus viribus tuis et ex tota mente tua;* cf. Deut. 6,5 et vide ad Matth. 22,37 et ad Marc. 12,

30; praeceptum hoc in lege l. c. permultum commendatur; recitabatur a Iudaeis mane et vespere, et scriptum erat in phylacteriis (vide ad Matth. 23,5); unde pronum erat id recitari a legisperito; addit alterum *et proximum tuum sicut teipsum;* Lev. 19,18 (vide ad Matth. 5,43); cum in vetere testamento varia praescribantur quibus fratribus, pupillis, viduis, egenis succurrendum sit, merito legisperitus id quoque addidit. Eum praeclare respondisse patet; nam ipse Christus postea non aliud dedit responsum, cum de mandato magno interrogaretur (Matth. 22,37).

Quare approbans v. 28 *dixit illi : recte respondisti; hoc fac et vives;* « dum legisperito respondet, perfectum nobis Salvator iter vitae coelestis ostendit » (*Beda*); v. 29 *ille autem volens iustificare seipsum;* cum scil. ipse suam quaestionem recte solvisset, poterat videri satis frivole vel saltem inutiliter interrogasse; hanc igitur a se suspicionem avertere vult alteram ponens quaestionem ex qua eluceat se non sine gravi causa quaestionem posuisse (cf. *Calm. Schegg, Reischl, Ed.* II p. 36), neque de re adeo plana et obvia, sed de difficili (*Mald. Lamy, Fil. Schanz*). Alii *iustificare* concipiunt eum voluisse se praebere hominem timoratae conscientiae qui scire cupiat legis implendae causa quis sit proximus (*Tol. Ians. Ipr. Lap.*) et tale exspectasse responsum ex quo appareat sibi ne ad proximum quidem diligendum quidquam deesse (*Luc.*); immo sunt qui censeant voluisse eum asserere neminem sibi virtute parem esse : « quis est hic ut eum tamquam me ipsum amem? ego enim cunctis emineo, excedo dignitate omnes » (*S. Cyr.* sim. *Orig. cat. Cr. Theoph. Euth.*). Sed apertum est has acceptiones esse reiiciendas et sistendum in priore, eum ponere hanc quaestionem ad se excusandum et ostendendum qualis relinquatur difficultas in responsione laudata; *dixit ad Iesum : et quis est meus proximus?* quem itaque diligere debeo sicut me ipsum? Superbos legisperitos tali honore et amore haud multos esse dignos putasse nemo facile negaverit.

« Animadverte quomodo proximum designet Salvator, non ex genere illum definiens, non virtute probans, sed ex sola natura denotans » (*S. Cyr.*). Ad quaestionem more suo respondet parabola quam aliqui rem vere gestam existimant; v. 30 *suscipiens autem Iesus,* ὑπολαβών excipiens sermone, *dixit : homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho,* Iudaeum designari cum ab Ierusalem descendisse dicatur plerique censent et certe qui Iesum audiebant de alio non cogitabant, *et incidit in latrones,* regionem viamque illam ob valles angustas et cavernas esse latronibus valde opportunam et veteres et recentiores testantur; totum usque ad Ierusalem tractum ab Iericho

vocat *Iosephus* desertum et saxosum (Bell. iud. 4,8. 3) et *S. Hier.* vias illas ab urbe in Iericho a latronibus obsideri scribit ad Ier. 3,2 (*M.* 24,699; cf. ad Matth. 20,29; *M.* 25,145; epist. 108,12; *M.* 22,887); e recentioribus *Schegg, Fil.* allatis testimoniis idem asserunt. Verum cum regio illa non esset sola quae periculo latronum exponeretur, haec non potest esse ratio cur eam elegerit scenam parabolae; eam prae aliis elegisse censeri iure potest, ut dixi, quia nota erat iis ad quos loquebatur, quia ipse ea in regione rem proponebat, *qui etiam despoliaverunt eum et,* forte cum ille sese defendere conaretur, *plagis impositis abierunt semivivo relicto* ἡμιθανῆ seminecem (ut *S. Hier.* scribit epist. 108,12), omni ope destitutum reliquerunt; iacet igitur maxima miseratione dignus; v. 31 *accidit autem ut sacerdos quidam descenderet eadem via* κατὰ συγκυρίαν casu, fortuito descendit, *et viso illo praeteriit* ἀντιπαρῆλθεν ex adverso praeteriit; venit a templo, venit a sacrificiorum oblatione; nihil tamen pietatis didicerat; erat sacerdos quem religio misericordem reddidisse debuerat, cui ex officio et dignitate incumbebat legem docere et facere et legem illam quae adeo de caritatis officiis sollicita est, ut praescribat: si videris asinum odientis te iacere sub onere, *non pertransibis* sed sublevabis cum eo (Ex. 23,5); verum ille sacerdos fratrem in extrema necessitate iacentem videt neque ullo modo ei succurrit. Notat hic Christus praeposteram religionem sacerdotum qui externas tantum caerimonias et ritus curantes internam pietatem et misericordiam negligebant, immo pessumdabant (cf. *Luc. Tol. Lap.*).

Neque melius agit alter minister altaris isque ordinis inferioris v. 32 *similiter et levita cum esset secus locum et videret eum, pertransiit;* minor sequitur maioris exemplum (*Luc.*). Verum aliter is quem isti duo ne aspectu quidem dignum habuissent v. 33 *Samaritanus autem quidam iter faciens venit secus eum et videns eum misericordia motus est,* idque eo magis laude et admiratione prosequendum est quia inter Samaritanos et Iudaeos odium exsistebat letale; cf. Eccli. 50,27. 28 duas gentes odit anima mea, tertia autem non est gens quam oderim; qui sedent in monte Seir et Philisthiim et stultus populus qui habitat in Sichimis; Ioan. 4,9 et supra 9,53; et ab affectu et miseratione, cuius ostensio iam est afflicto solatium, transit ad praestanda auxilia omnia quae ea in conditione misero impendere poterat v. 34 *et appropians alligavit vulnera eius,* obligavit, *infundens oleum et vinum;* eam mixtionem veteres adhibuisse vulneribus probat *Wetstein* compluribus exemplis (cf. *Plinius,* h. n. 29,9; 31,47; Columella 7,5. 18; hieros. Berachoth f. 3,1 etc.; *Lightfoot* ad h. l.) *et imponens illum in iumentum suum duxit in stabulum* πανδοχεῖον deversorium, hospitium publi-

cum; « rectius fortasse latinus interpres *stabulum;* nam et in iure romano stabulum πανδοχεῖον vertunt Graeci » (*Rosenmüller* ad h. l.); etiam rabbinis haec vox in usu erat פונדק (cf. *Buxtorf,* Lex. Chald. 1754); *et curam eius egit.* Neque hisce contentus v. 35 *altera die protulit duos denarios et dedit stabulario,* πανδοχεῖ cauponi, *et ait : curam illius habe et quodcumque supererogaveris, ego cum rediero reddam tibi;* denarius merces est pro labore unius diei (Matth. 20,2); sumptus in se assumit non inquirens habeatne ille aliunde ex quo ipse pro se postmodum solvat aut pecuniam expensam Samaritano refundat. Proin agit misericorditer non solum, sed etiam liberaliter.

Legisperitus iterum cogitur suam solvere quaestionem v. 36 *quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi qui incidit in latrones?* γεγονέναι proximum factum esse, sese praestitisse proximum, qui scil. alterum amaverit sicut seipsum (cf. *Mald. Ians. Luc. Lap.*); v. 37 *at ille dixit : qui fecit misericordiam in illum;* « non dicit *Samaritanus* quod durum ipsi videretur id respondere; quia tamen fateri cogebatur, nisi carere se omni iudicio proderet, loco nominis proprii causam affert » (*Luc.*); idem recentiores monent noluisse eum nomen odiosum Samaritani proferre; *et ait illi Iesus : vade et tu fac similiter;* « utere misericordia in hominem obvium indigentem, non discernendo genus, mores aut affectum » (*Cai.*); « patet etiam ex hoc quod nomine proximi intelligitur omnis qui misericordia indiget vel qui misericordiam impendere potest, et per hoc omnis homo » (*S. Bon.*). Rogaverat legisperitus : quis est meus proximus? Iesus proponit ei imitandum exemplum Samaritani qui in censendo proximo nullam generis, patriae aut amicitiae, sed solius communis humanae naturae rationem habuerat (*Luc.*). Fortasse putabat legisperitus, ut *Mald.* notat, aut solos iustos aut solos amicos aut solos certe Iudaeos proximos sibi esse; poterat ex verbis ipsis legis aliquam errandi occasionem sumere; nam רעה quo verbo lex usa fuerat, amicum et socium significat. Voluit illi Iesus eum ex animo errorem eripere cogereque ipsum suo ore confiteri non solum Iudaeum Iudaeo, sed Samaritanum etiam Iudaeo, id est hostem hosti esse proximum; quodsi hostis hosti proximus est, omnem hominem omni homini habendum esse proximum. Probavit ergo optimo et efficacissimo argumentandi genere ex effectu hostem hosti i. e. Samaritanum Iudaeo proximum esse quia fecit quod proprium est proximi, proximum adiuvare (*Mald.*).

Sollemne est apud SS. Patres et interpretes hanc parabolam de Samaritano qui adeo misericordem se exhibuit transferre in Christum et in vulnerato illo cernere post Adam genus humanum et unumquemque nostrum.

Nec sacerdos nec levita i. e. nec sacrificia vetera nec lex opem ferre potuerunt; solus Samaritanus, Christus qui custos hominum est sanavit; ipse carne sua tulit et abstulit peccata, in Ecclesiae hospitium nos conduxit, qui nobis prospicerent providit etc. cf. *Orig.* hom. in Luc. 34 et in Prologo ad Canticum Canticorum (*M.* 13,70), *S. Cyr. Ambr.* (in Lucam, et de poenitentia 1,11. 51; *M.* 16,482), *Aug.* (quaest. evang. 2,19; *M.* 35,1340), *Bed. Bon. Theoph. Euth. Tol. Ians. Mald. Luc. Ipr. Calm.* etc. Bene autem monet *Mald.* multa in parabolis dici solere, non ut aliquid significetur, sed quia in re in qua parabola consistat ita fieri soleat itaque factum fuisse verosimile sit; eiusmodi esse ea quae in v. 34 et 35 narrentur; « haec enim omnia etsi distincta sunt distinctam non habent significationem; sed huc spectant omnia, ut intelligamus Samaritanum illum omnia caritatis et misericordiae officia quae exhiberi poterant exhibuisse et quia illa erant quae maxime desiderari poterant ab homine vulnerato ea in parabola posita sunt ». Haud incongrue dixeris in ea caritatis sedulitate Iesum sui ipsius quasi imaginem expressisse et maximam illam depinxisse misericordiam qua generi humano ad mortem vulnerato succurrat.

Iam *Tol.* meminit « quosdam recentiores » existimare hanc historiam de legisperito interrogante esse eandem cum ea quam Matthaeus cap. 22 et Marcus cap. 12 referunt; eandem sententiam recentiores quoque nostri temporis repetierunt, *Sepp, Holtzmann, Weiss* aliique. Quam sententiam iam bene refutavit *S. Aug.* de cons. evang. 2,73. 142; tota similitudo in eo est quod utrimque recitatur praeceptum de dilectione Dei et proximi; reliqua omnia quam maxime differunt per utramque narrationem totam. Quare frivolum est asserere Lucam nihil aliud habuisse compertum quam quod Matth. 22,35 narretur et reliqua proprio marte addidisse et confinxisse. Verum quid ipse affirmat 1,3?

d) Iesus in Bethania 10,38-42.

10,38. Factum est autem, dum irent, et ipse intravit in quoddam castellum; et mulier quaedam, Martha nomine, excepit illum in domum suam; 39. Et huic erat soror nomine Maria, quae etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius. 40. Martha autem satagebat circa frequens ministerium; quae stetit, et ait: Domine, non est tibi curae, quod soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi, ut me adiuvet. 41. Et respondens, dixit illi Dominus: Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima. 42. Porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea.

10,38. Ἐν δὲ τῷ πορεύεσθαι αὐτοὺς αὐτὸς εἰσῆλθεν εἰς κώμην τινά· γυνὴ δέ τις ὀνόματι Μάρθα ὑπεδέξατο αὐτὸν [εἰς τὸν οἶκον αὐτῆς]. 39. καὶ τῇδε ἦν ἀδελφὴ καλουμένη Μαρία, ἣ καὶ παρακαθεσθεῖσα πρὸς τοὺς πόδας τοῦ Κυρίου ἤκουεν τὸν λόγον αὐτοῦ. 40. ἡ δὲ Μάρθα περιεσπᾶτο περὶ πολλὴν διακονίαν· ἐπιστᾶσα δὲ εἶπεν, Κύριε, οὐ μέλει σοι ὅτι ἡ ἀδελφή μου μόνην με κατέλειπεν διακονεῖν; εἰπὲ οὖν αὐτῇ ἵνα μοι συναντιλάβηται. 41. ἀποκριθεὶς δὲ εἶπεν αὐτῇ ὁ Κύριος, Μάρθα, Μάρθα, μεριμνᾷς καὶ θορυβάζῃ περὶ πολλά. 42. ὀλίγων δὲ χρεία ἐστὶν ἢ ἑνός. Μαρία γὰρ τὴν ἀγαθὴν μερίδα ἐξελέξατο, ἥτις οὐκ ἀφαιρεθήσεται αὐτῆς.

In v. 38 εγενετο δε εν τω... και αυτος A C D P Γ Δ Λ Π unc 9 al omn fere it vulg. syr (utr, hr) arm aeth Ti; εν δε τω πορ ℵ B L Z 33 syr (sin, cu) cop tat; dum *iret* dub cg ept ken gat. In v. 39 ℵ B^3 C* L P Z μαριαμ. In v. 41 θορυβαζη ℵ B C D L 1. 33. al τυρβαζη; pler codd vulg *circa* plurima (Wordsworth ita edidit). In v. 42 ολιγων δε etc. ℵ B C^2 L 1. 33 cop aeth Or Bas Olympiod Geometr (cat Cord) Hier; solum ολιγων δε εστιν χρεια 38 arm; syr (hr) exiguo opus est; eam partem plane om sin D a b c e ff^2 i l Amb; solum habent ενος δε εστιν χρεια A C* P Γ Δ Λ Π unc 9 al pler f q tat vulg syr (cu, sch) Chr Dam Aug Macarius aeg. Antiochus hom. 14 (de quibus infra) Ti quae lectio cum vulg retinenda est, cum altera ex erronea orta sit interpretatione; μαρια γαρ ℵ B L Λ aliq minusc tat Bas Dam; al δε, uti etiam eg ger mt ken rush Maria *autem* (sin v. 49 et venit et sedit ad pedes Iesu; v. 40 om frequens; et venit dicens ei; v. 41.42 Martha, Martha, Maria partem bonam elegit sibi, quae etc.).

« Haec lectio superiori pulcherrima ratione connectitur, quia videlicet illa dilectionem Dei et proximi verbis et parabolis, haec autem ipsis rebus et veritate designat. Duae quippe istae Domino dilectae sorores duas vitas spiritales quibus in praesenti sancta exercetur Ecclesia demonstrant. Martha quidem actualem qua proximo in caritate sociamur, Maria vero contemplativam qua in Dei amore suspiramus » (*Beda*). Atque in iis adumbrari vitam activam et contemplativam sententia est communissimâ (cf. *S. Greg.* Moralia, 6,37. 61; *M.* 75,764; *Bed. Theoph. Euth. Bon. cat. Cr. Alb. Ioannes geometra* in cat. Cord. *Cai. Mald.* etc.; vitam praesentem laboriosam et futuram beatam explicat *S. Aug.* serm. 104,3; *M.* 38,617). Praeter eum typum *Ians.* advertit Iesum voluisse ostendere quomodo magis delectaretur studio audiendi verbum Dei quam sedulitate se pascendi corporaliter et quomodo hospitio receptus magis studeret hospites sua pascere doctrina quam ab illis pasci, quo exemplo simul doceret apostolos. Verum imprimis hac narratione ob oculos ponitur optimum esse relictis curis terrenis toto corde uni Deo adhaerere; v. 38 *factum est autem dum irent,* dum scil. in itinere essent hierosolymitano, ad festum scil. scenopegiae, *et ipse intravit in quoddam castellum* εἰς κώμην τινά, Ioan. 11,1 vocat Bethaniam τὴν κώμην Mariae et Marthae. Cum ipse saepius ad narrationes synopticorum respiciat, merito explicabimus istud castellum fuisse Bethaniam, uti iam ex Ioanne concludendum esse *Euth.* statuit; recentiores quidam fingunt viculum quendam in Galilaea vel Peraea Lucam designare voluisse (immo Martham in ea regione matrimonio iunctam fuisse et postea cum Lazarus frater aegrotaret Bethaniam se contulisse, *Schegg*); sed cum testimonium habeamus Ioannis tuto asserere licet haec acta esse in Bethania, uti longe plerique censent (cf. *Dion. Cai. Tol. Mald. Estius, Ians. Luc. Ipr. Sa, Lap. Menochius, Tirinus, Calm. Lamy, Bisp. Reischl, Fil. Keil, Ed.* II p. 144).

In Bethania igitur (iuxta Ierusalem quasi stadiis quindecim, Ioan.

11,18) *mulier quaedam, Martha nomine, excepit illum in domum suam;* inde concludunt eam fuisse natu maiorem et fere heram domus. Martha, nomen hoc muliebre frequentissime quoque occurrit apud talmudicos (*Lightfoot*, Horae hebr. ad Ioan. 11,1), explicatur plerumque forma femin. a מר, unde hera, domina (sed *Schegg* possessio, pars? quasi a ירת i. e. ירש); v. 39 *et huic erat soror nomine Maria quae etiam sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius;* ut discipula Domini secus pedes Domini sedebat; cf. Act. 22,3; nihil aliud curat, nisi ut avide verba Christi excipiat et coelesti eius doctrina animum pascat et tota in amorem Iesu se tradat eius fruens beata praesentia. Illud καί *etiam* haud mediocriter ingenia interpretum exercuit: etiam sedens, sicut aliae mulieres (*Ians. Calm. Fil.*), non solum non fuisse sollicitam, sed etiam omnis alterius oblitam curae ad pedes Iesu sedisse (*Mald.*), etiam, sicut quandoque Martha (*Tol.*); praeter alia quae post Iesu adventum fecit, etiam sedebat (*Meyer*), non solum verba audiebat, sed etiam ad pedes sedebat, ut scil. continuo audiret (*Keil, Weiss*). Nonne haec omnia longius petita sunt? immo aliquid in narrationem ingerunt cuius ne vestigium quidem in ipsis verbis deprehenditur. Quare fortasse dicendum erit cum *Buttmann* p. 243 et *Schegg* in seriore graecitate sententias relativas haud raro sicuti sententiam primariam continuent ita quoque particula καί ei adiungi et quasi eodem cum illa ordine collocari, et hoc apud Lucam frequenter deprehendi (cf. 10,30); v. 40 *Martha autem satagebat* περιεσπᾶτο distrahebatur, distendebatur (*Ians.*) *circa frequens ministerium,* πολλὴν circa multam ministrationem, sollicite scil. curans ut ad convivium pro Domino et discipulis omnia bene praepararentur. Etiam Martha demonstravit multum se et amare et revereri Dominum, quia ei digne excipiendo erat tota intenta, nihil satis esse putans sed diligenter omnia et affatim administrare cupiens; Mariam ergo amor Iesu non patiebatur avelli ab illius pedibus; Martham vero idem amor sursum ac deorsum circumagebat nec patiebatur adhaerere Domino (*Ians.*).

Quare demum qua erat sollicitudine timens ut omnibus obeundis sufficeret, *stetit et ait: Domine non est tibi curae quod soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi ut me adiuvet!* alioquin scio, non avelletur a te nisi tu iusseris (*Ians.*); quare non sororem, sed Dominum interpellat « hospitem, ad iudicem deponit postulationem piarum querelarum quod soror eam deseruerit et sic laborantem in ministerio adiuvare neglexerit » (*S. Aug.* serm. 103,2; *M.* 38,614). Cum dicatur *reliquit* κατέλειπε vel κατέλιπε, aliqui concludunt Mariam antea simul cum Martha ministrasse verum mox se totam ad Dominum audiendum contulisse (cf. *Fil.*); sed haec acceptio necessaria minime est. Eadem quippe dictione etiam expri-

mitur eam debuisse adiuvare sororem neque hoc fecisse; v. 41 *et respondens dixit illi Dominus : Martha, Martha,* geminatio vocis, uti attentionem audientis ad rem gravem provocat, ita loquentis ostendit benevolentiam, studium et curam admonitionis, et si qua levis reprehensio sequitur, admiscet dulcedinem quandam (*Tol.*), *sollicita es et turbaris erga plurima,* πολλά multa; « taxat eam non facti, quia bonum et laudabile erat, sed nimietatis in rebus et superfluae sollicitudinis » (*Tol.*). Domino enim et discipulis hospitium et convivium parare et curam hospitalitatis exercere res erat laude digna; verum in modo agendi Marthae et in eius postulatione apparebat nimia quaedam sedulitas et trepidatio. Unde ab ea illam avocat Christus; v. 42 *porro unum est necessarium,* ἑνὸς δέ ἐστιν χρεία, unum autem opus est; et quid hoc unum necessarium sit, innuitur Μαρία γὰρ τὴν ἀγαθὴν μερίδα ἐξελέξατο, *Maria* enim *optimam partem elegit quae non auferetur ab ea,* Domino itaque adhaerere, eius verbis animum advertere, ab eo nullo modo avelli se sinere, hanc partem eamque bonam sibi selegit Maria et haec pars ipsi manet et manebit. Explicare cum aliquibus : non patiar ut a me discedens te in ministerio adiuvet, etsi est verum, est tamen parum, ut *Mald.* notat; longius utique tendebat Iesus; quam partem sibi elegit, haec in aeternum non tolletur ab ea. « Hoc enim elegit quod semper manebit; circa unum se voluit occupari; iam tenebat : mihi autem adhaerere Deo bonum est » (*S. Aug.* serm. 104, 2.)

Cum emphasi dicitur : Maria *bonam* partem elegit, et re ipsa continetur quaedam comparatio. Unde *S. Aug.* legit : Maria meliorem partem elegit (serm. 169,14). In qua tamen comparatione nulla exprimitur reprehensio Marthae. Bene notat idem *S. Aug.* : « tu bonam, ista meliorem; tu bonam (bonum enim est conversari in obsequio sanctorum) sed ista meliorem; denique quod tu elegisti transit; ministras esurientibus, ministras sitientibus... erit tempus ubi nemo esuriat, nemo sitiat; ergo cura tua auferetur a te ». Et *S. Ambr.* : « nec Martha tamen in bono ministerio reprehenditur, sed Maria quod meliorem sibi elegerit antefertur », id quod *S. Macarius* aegyptius pluribus prosequitur : « hoc autem dixit Christus, non ut ministerii opus reprobaret, sed ut maius minori praeponeret; enimvero cui tandem videri posset male illum sensisse de ministerio, cuius utique auctorem et exemplar se ipsum exhibuit pedes etiam discipulorum lavans? tantum profecto abfuit ut illud vetaret, ut discipulis praeceperit idem similiter erga sese mutuo exercere » (lib. de oratione 14; *M.* 34,866) et *S. Basilius* bonum in utraque sorore studium laudat et duos vitae status, alterum meliorem; et similiter *Cassianus* coll. 1,8 et 23,3; *M.* 49,491.1246; *Beda, Euth. Luc. Ians.* etc.

Illud *unum est necessarium* longe plerique exponunt de re spirituali

quae necessaria sit pro anima; cf. *S. Damasus* de fide 2,11; *M.* 94,916; *Antiochus* hom. 14; *M.* 89,1472, qui hunc locum in ea rerum serie recitant, ut de acceptione spirituali nequeat dubitari; item *Olympiodorus*, qui de praeceptis Dei aut de caritate omnia complectente explicat (in Eccl. 1,13; *M.* 93,489), pariter *Ioannes geometra* in cat. Cord. et eodem modo *Euth.* qui verbum de auscultatione sermonum Domini accipit; *Beda* ad illud verbum recitat Ps. 26,4 et 72, 28; praeterea *S. Bon. Dion. Cai. Mald.* (illud unum esse verbum Dei audire et saluti operam dare; « illud necessarium esse dicit, haec multa non necessaria, non quod haec non sint aliquando necessaria, nam et corporis moderata cura habenda est; sed quod illud per se, haec non nisi quatenus ad illud referuntur curari debeant ») *Sa, Tirinus, Cord. Lamy, Bisp. Reischl, Schegg, Schanz, Meyer, Keil, Weiss, Sp.;* et profecto haec de salute animae explicatio est retinenda. Haec enim indicatur oppositione unius necessarii ad multa illa quibus sollicitudo nimia impenditur, haec unice suadetur sententia sequenti cum particula γάρ, haec demum sola sensum effert dignitati Iesu consentaneum.

Verum non deerant qui illud *unum* de uno cibo, de uno ferculo quo solo opus esset exponerent. Quae explanatio etiam glossam illam induxit, quae in ℵ B etc. (vide lect. var.) legitur. Ita legit et explicat *S. Bas.* (reg. fus. interrog. 20,3; *M.* 31,973) : paucis opus esse ad apparatum, uno ut necessitati fiat satis — at in Constit. monast. 1,1 partem illam ὀλίγων δὲ etc. non recitat (*M.* 31,1325) — et *Theoph.* scribit ἑνὸς ἔχομεν χρείαν τοῦ φαγεῖν ὅ τι δήποτε οὐχὶ ποικιλίας, uno nobis opus est ut comedamus qualitercumque, non variis; at statim addit τινὲς id non de esu sed de attentione doctrinae exponere; de uno tamen ferculo accipiunt *Tol. Ians. Luc. Ipr. Mariana, Menochius, Sylv.;* alii, uti *Alb. Lap. Calm.*, utramque acceptionem proponunt. Immo reperti sunt qui interpretarentur : una persona opus est in culina (Nachtigall, Stolz apud Weiss). Quod *S. Hier.* habet in ep. 22,24 (ad Eustoch. de custodia virgin. *M.* 22,410) : « pauca autem necessaria sunt aut unum » cum glossam illam referat, non poterit aliter intelligi nisi de cibis. Falso autem aliqui, ut *Meyer, Weiss,* etiam S. Greg. et Bed. allegant pro illa de uno obsonio explicatione; quid hi sentiant, supra iam indicavi; *S. Greg.* etiam in homiliis in Ezech. (lib. 1 hom. 3,9 et lib. 2 hom. 2,9; *M.* 76,809. 953) solum mentionem facit vitae activae et contemplativae.

Cur in liturgia festo assumptionis b. Virginis hoc evangelium legatur, rationes affert mentione dignas *S. Bon.* varias : finis enim : Maria optimam partem etc., Mariae optime congruit; dein quia in Maria perfectissime aderat perfectio vitae activae et contemplativae quae in duabus sororibus describitur; quod enim fuit datum istis sororibus per partem, Mariae totum datum fuit et integre; porro quia hic agitur de duplici Christi susceptione, corporali et spirituali, quae duplex susceptio erat perfectissime in Maria, quae ipsum suscepit in thalamo corporis, aluit, nutrivit, educavit ac sedulo ministravit; suscepit etiam in thalamo cordis ipsum videndo, credendo, amando, imitando; sive etiam quia hic tria determinantur : divinum hospitium, divinum ministerium, divinum contubernium, quae tria fuerunt perfectissime in Virgine Maria. Ita *S. Bon.;* similiter respondet b. *Petrus Canisius :* quia Deipara

omnium officiosissima fuit hospita Christi et utrumque officium, Marthae scil. et Mariae, in perfectissimo gradu obivit, et quia tota vita et in omni negotio optimam partem studiosissime elegit.

e) Iesus docet de oratione 11,1-13.

11,1. Et factum est, quum esset in quodam loco orans, ut cessavit, dixit unus ex discipulis eius ad eum : Domine, doce nos orare, sicut docuit et Ioannes discipulos suos. 2. Et ait illis : cum oratis, dicite : Pater, sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. 3. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. 4. Et dimitte nobis peccata nostra, siquidem et ipsi dimittimus omni debenti nobis. Et ne nos inducas in tentationem. 5. Et ait ad illos : Quis vestrum habebit amicum, et ibit ad illum media nocte, et dicet illi : Amice, commoda mihi tres panes, 6. Quoniam amicus meus venit de via ad me, et non habeo quod ponam ante illum. 7. Et ille deintus respondens dicat : Noli mihi molestus esse : iam ostium clausum est, et pueri mei mecum sunt in cubili : non possum surgere et dare tibi. 8. Et si ille perseveraverit pulsans, dico vobis, et si non dabit illi surgens eo quod amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, et dabit illi quotquot habet necessarios. 9. Et ego dico vobis : Petite, et dabitur vobis; quaerite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis. 10. Omnis enim qui petit, accipit; et qui quaerit, invenit; et pulsanti aperietur. 11. Quis autem ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? Aut piscem, numquid pro pisce serpentem dabit illi. 12. Aut si petierit ovum, numquid porriget illi scorpionem? 13. Si ergo vos, quum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris; quanto magis Pater vester de coelo dabit spiritum bonum petentibus se?

11,1. Καὶ ἐγένετο ἐν τῷ εἶναι αὐτὸν ἐν τόπῳ τινὶ προσευχόμενον, ὡς ἐπαύσατο, εἶπέν τις τῶν μαθητῶν αὐτοῦ πρὸς αὐτόν, Κύριε, δίδαξον ἡμᾶς προσεύχεσθαι, καθὼς καὶ Ἰωάνης ἐδίδαξεν τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ. 2. εἶπεν δὲ αὐτοῖς, Ὅταν προσεύχησθε, λέγετε, Πάτερ, ἁγιασθήτω τὸ ὄνομά σου· ἐλθέτω ἡ βασιλεία σου. 3. τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον δίδου ἡμῖν τὸ καθ' ἡμέραν. 4. καὶ ἄφες ἡμῖν τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν, καὶ γὰρ αὐτοὶ ἀφίομεν παντὶ ὀφείλοντι ἡμῖν. καὶ μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς εἰς πειρασμόν. 5. καὶ εἶπεν πρὸς αὐτούς, Τίς ἐξ ὑμῶν ἕξει φίλον, καὶ πορεύσεται πρὸς αὐτὸν μεσονυκτίου, καὶ εἴπῃ αὐτῷ, Φίλε, χρῆσόν μοι τρεῖς ἄρτους, 6. ἐπειδὴ φίλος μου παρεγένετο ἐξ ὁδοῦ πρός με, καὶ οὐκ ἔχω ὃ παραθήσω αὐτῷ; 7. κἀκεῖνος ἔσωθεν ἀποκριθεὶς εἴπῃ, Μή μοι κόπους πάρεχε· ἤδη ἡ θύρα κέκλεισται, καὶ τὰ παιδία μου μετ' ἐμοῦ εἰς τὴν κοίτην εἰσίν· οὐ δύναμαι ἀναστὰς δοῦναί σοι· 8. λέγω ὑμῖν, εἰ καὶ οὐ δώσει αὐτῷ ἀναστὰς διὰ τὸ εἶναι φίλον αὐτοῦ, διά γε τὴν ἀναίδειαν αὐτοῦ ἐγερθεὶς δώσει αὐτῷ ὅσων χρῄζει. 9. κἀγὼ ὑμῖν λέγω, Αἰτεῖτε, καὶ δοθήσεται ὑμῖν, ζητεῖτε, καὶ εὑρήσετε· κρούετε, καὶ ἀνοιγήσεται ὑμῖν. 10. πᾶς γὰρ ὁ αἰτῶν λαμβάνει· καὶ ὁ ζητῶν εὑρίσκει· καὶ τῷ κρούοντι ἀνοίγεται. 11. τίνα δὲ ἐξ ὑμῶν αἰτήσει τὸν πατέρα ὁ υἱὸς [ἄρτον, μὴ λίθον ἐπιδώσει αὐτῷ; ἢ καὶ] ἰχθύν, μὴ ἀντὶ ἰχθύος ὄφιν αὐτῷ ἐπιδώσει; 12. ἢ καὶ αἰτήσει ᾠόν, ἐπιδώσει αὐτῷ σκορπίον; 13. εἰ οὖν ὑμεῖς πονηροὶ ὑπάρχοντες οἴδατε δόματα ἀγαθὰ διδόναι τοῖς τέκνοις ὑμῶν, πόσῳ μᾶλλον ὁ πατὴρ ὁ ἐξ οὐρανοῦ δώσει Πνεῦμα Ἅγιον τοῖς αἰτοῦσιν αὐτόν.

In v. 2 D add ex Matth. 6,7 μη βαττολογειτε ως οι λοιποι etc.; πατερ sine add ℵ B L aliq minusc sin vulg arm Or Ti W H; al uti apud Matth.; non legitur γενηθητω το θελημα σου etc. in B L pauc minusc ff^2 vulg syr (sin, cu) arm Or Aug Ti W H; in al additur, etiam in big ben dub ept^s ox per ken rush tol sixt et pl it. In v. 4 D οφειλημματα, debita b c ff^2 per ken tol (c debita et peccata); πειρασμον sine add ℵ* B L aliq

minusc sin vulg arm Or Cyr Ti W H. In v. 8 *dico vobis* (nullis verbis praemissis) big* cpt fuld ger for med per lind Wordsworth; item b f q; tat amen dico vobis; ben ox inportunitatem; quantos desiderat a b f i l q. In v. 11 αρτον μη λιθον etc. om B sin ff² i l sah arm Or Epiph; b q a quo autem patre ex vobis petit filius eius panem; porriget b q r eg. In v. 12 pler codd μη επιδωσει; B L sah om μη. In v. 13 D αγαθον δομα, b c ff² i l r bonum datum; cg spiritum bonum datum; arm dona bona; aeth bonum donum spiritus sancti (sin v. 3 panem constantem (firmiter manentem אמינא) omnis diei; v. 7 quia porta clausa est; v. 10 et omni qui pulsat; v. 11 quem filius eius rogat piscem; si ovum rogat eum; v. 13 in fine dabit bonum).

In textu qui vocatur receptus quem hoc loco Lachmann quoque sequitur leguntur petitiones uti apud Matth.; i. e. ημων ο εν τ. ουρ., γενηθητω etc., αλλα ρυσαι etc., quae in codd A C D P Χ Γ Δ Λ Π unc 9 al pler a b c e f ff² i l q in aliq codd vulg syr (cu, sch) aeth leguntur. Unde haec additamenta apud testes plerosque reperiuntur, ob quorum numerum fortasse nonnemo dubitare posset, num non potius dicendum esset codd ℵ B L esse vitiosos et mancos. Verum iam ***Mald.*** bene monet : « facilius fuit aliquem cum videret plura apud Matthaeum quam apud Lucam legi, vitium ratum ex Matthaeo in Lucam transscribere quae deesse videbantur quam ex exemplaribus delere quae habebantur; quis enim potuit esse tam audax ut deleret ea praesertim quae cum apud alterum essent evangelistam, reponenda potius si non legerentur videri poterant »? sim. etiam *Ians. Luc. Ipr.* aliique. Insuper habemus veterum testimonia ea apud Lucam revera non legi. Ita *Orig.* explicite inter se confert orationem apud Matthaeum et apud Lucam et eam recitat apud Lucam formam quam breviorem in B etc. et in vulg. habemus (de orat. 18; *M.* 11, 473) et iterum l. c. n. 29 monet illud : sed libera nos a malo apud Lucam taceri, et similiter n. 30 (*M.* 529. 545). Id quoque statuit conceptis verbis *S. Aug.* (Enchirid. 116; *M.* 40. 286); « evangelista vero Lucas in oratione dominica petitiones non septem sed quinque complexus est... ostendens tertiam petitionem duarum superiorum esse quodammodo repetitionem magis eam praetermittendo facit intelligi...; at quod ille (Matth.) in ultimo posuit; sed libera etc. iste non posuit, ut intelligeremus ad illud superius quod de tentatione dictum est pertinere ». Etiam *Tertullianum* apud Lucam legisse formam breviorem apparet ex iis quae adv. Marc. 4, 26 (*M.* 2, 425) disputat. Quare recentiores merito statuunt apud Lucam formam breviorem esse retinendam.

Nexum quendam cum antecedentibus statuit *Beda* quem *Alb.* sequitur, orationem scil. in se continere vitae utriusque (activae et contemplativae) mysterium et harum perfectionem vitarum non nostris viribus sed precibus esse obtinendam. At *S. Bon.* altius nexum repetit : « postquam tradidit discipulis formam docendi (10,1 seq.) et formam vivendi (10,25-42), in hac parte tribuit formam orandi, per quam impetratur gratia cognoscendi et recte iudicandi ». Cum dicatur v. 1 *et factum est cum esset in quodam loco orans*, ipso loquendi modo aliquod temporis intervallum significari videtur post antecedentem narrationem. Unde non improbabiliter statuere possumus a Bethania Iesum tetendisse in urbem ad festum scenopegiae (Ioan. 7, 14) et festo transacto rediisse ex urbe in eam regionem, ubi antea Ioannes praedicabat et baptizabat. Qua scil. regione ipsius memoria revocatur; de oratione Christi vide Comment. in Marc. p. 59 seq.

179; exemplo suo Christum nobis praeire voluisse, *S. Cyr.* praecipue inculcat, quippe qui optimae cuiusque rei initium nobis fieri ac magister voluerit; *ut cessavit, dixit unus ex discipulis eius ad eum,* fuisse unum ex septuaginta illis aliqui coniectant (cf. *Euth. Bon. Luc.*); exemplo Iesu orantis et ipse desiderio accenditur noscendi quomodo et quid orandum sit : *Domine doce nos orare, sicut docuit et Ioannes discipulos suos,* qua animadversione innuit petitionem suam esse omnino consentaneam. Nam ex ipsius Ioannis de Iesu testimoniis consequens erat concludere Iesum dare debere perfectiorem quoque orandi modum quam dare potuerit praecursor.

Docet itaque evangelista nos aliquid de Ioanne et de occasione qua Christus suam orationem tradidit, quod utrumque apud ipsum solum legimus; v. 2 *et ait illis*, uti quoque ex *doce nos* et hoc loco suadetur, discipulus ille non suo tantum nomine Iesum rogavit; *cum oratis, dicite : Pater,* perfectam iam adoptionem concedi, hac voce declarat (*Tol.*) et quantum sit adeo familiariter Deum compellare, *S. Cyr.* miratur : « o magna liberalitas, o incomparabilis unique ipsi conveniens clementia! suam nobis largitur gloriam, servum ad liberi dignitatem evehit, Patrem nobis concedit appellare Deum ceu in filiorum ordine constitutis; ab ipso autem hoc quoque munus accepimus » ; *sanctificetur nomen tuum;* summum quod homo appetere potest et quod ipse Deus in suis operibus necessario intendit est gloria Dei; ad hoc bonum divinum tendit prima petitio; nam sanctificare nomen Dei est colere et venerari Deum; dilatationem itaque et propagationem cultus Dei ac religionis efflagitamus (*Tol.*); neque pro seipsis tantum, sed pro universo mundo hoc orantes petunt (*S. Cyr.*). Haec autem Dei gloria et summa hominum felicitas constituitur in regno Dei; unde *adveniat regnum tuum,* in Dei enim regno bona cuncta concluduntur et pro tempore et pro aeternitate; iam apud prophetam tamquam omnium bonorum compendium dicitur ad Sion : regnabit Deus tuus (Is. 52,7). Plura vide ad Matth. 6,10; v. 3 *panem nostrum quotidianum da nobis hodie,* καθ' ἡμέραν quotidie; de voce ἐπιούσιον vide quae dixi ad Matth. 6,11, quibus addo nuper praeter alias explicationes hanc novam esse propositam : cum ἐπιών significet *sequens*, ἐπιόντος, ἐπιούσιος dicere *secundum, secundarium* et significari panem deteriorem, panem scil. hordeaceum, cum panis triticeus sit panis melior, panis divitum (ita *Kothe,* cf. Hugo Weiss, die Bergpredigt p. 78). Interpretatio *panem crastinum,* cui teste *S. Hier.* suffragium fertur evangelio secundum Hebraeos voce מחר, suaderi quoque potest ex psalterio salomonis 5, 13-17, quem locum pro ea acceptione allegat et explicat *Zenner* (Zeitschrift f. kath. Theologie, Innsbruck 1893 p. 174).

Post panem corporalem (*S. Cyr. Alb.*) petimus nobis bonum ordinis altioris, infusionem gratiae eiusque augmentum, quia scil. in praesenti ordine supernaturali remissio peccati fit largitione gratiae habitualis vel eius augmento v. 4 *et dimitte nobis peccata nostra, siquidem et ipsi dimittimus omni debenti nobis;* cf. Matth. 6,12. 14-16; 18,35. Marc. 11,25. 26 et iam Eccli. 28,3 : homo homini reservat iram et a Deo quaerit medelam? in hominem similem sibi non habet misericordiam et de peccatis suis deprecatur? — Dein efflagitamus ut a peccandi periculis praeservati in posterum peccata vitemus : *et ne nos inducas in tentationem,* atque hac petitione finiri orationem apud Lucam etiam *S. Cyr.* commemorat. — Traditur nobis itaque, ut *S. Bon.* ait, a Domino orationis documentum et in eo forma invocandi et forma postulandi; pariter docemur vocalem orationem esse Deo acceptam, cuius utilitatem idem describit : « quia valet ad memoriam suscitandam, ad desiderium accendendum, ad somnolentiam excutiendam, ad obsequium impendendum, ad gaudium exprimendum et ad exemplum demonstrandum ».

Quomodo factum sit ut oratio dominica prout a Luca refertur discrepet ab illa apud Matthaeum, varie explicant. Orationem esse bis a Christo dictam ita ut ipsa haec varietas ad Christum referenda sit aliqui statuunt; « non curavit Christus dum hanc orandi formam repetivit eadem semper verba numerare; non enim tam verbis suos astringere voluit quam docere, quid qua ratione et quibus affectibus orandum esset » (*Luc.*); item *Lamy :* « potuit Dominus dicta iterare, modo fusius, modo breviter » et *Calm. :* « ne mirere verba eadem hic a Christo non repeti; satis erat rei summam persequi » (cf. *Tol. Reischl, Bisp. Schegg, Schanz, Fil.;* semel apostolis, dein discipulis (*S. Bon.*), antea turbae, post discipulis (*Mald.*) formam precandi tradidisse). Et advertunt formam breviorem eo facilius potuisse adhiberi quia quae apud Matth. habeantur implicite etiam apud Lucam contineantur (cf. *Bed. Bon. Alb. Luc. Ipr. Bisp.*). Atque eam breviorem formam ad ipsum Lucam auctorem referunt; ita iam *S. Aug.* (Enchirid. 116), *Cai. :* « parvi refert quoniam tertia petitio tacita in praecedentibus duabus quodammodo continetur et similiter ultima continetur in praecedentibus » et similiter *Lap.*, neque aliter censet *Ians.* qui inde concludit : « ex hac varietate palam est quam evangelistae non fuerint de verbis superstitiosi et tamen in tantula precatione non consentit Lucas cum Matthaeo,... ut hinc discere possimus non tam de verbis sollicitos nos esse oportere quam ut spiritu oremus et mente ». Aliis tamen facinus videtur audacius verba Iesu vel mutare vel contrahere neque id ullo modo Lucae esse adscribendum (cf. *Schegg*). Utique censendum erit, si Lucas singula verba quibus Iesus usus esset accurate comperisset futurum fuisse ut nullum omitteret. Verum sicut verba consecrationis panis et vini in ultima coena non eadem plane conservata nobisque tradita sunt, ita fieri potuit ut ipsa quoque oratio dominica duplicem in traditione induceret formam. Dico id potuisse evenire; neque enim alterum negare mihi in animo est potuisse Christum, uti valde probabiliter bis eam orationem docuit (cf. Comment. in Matth. I p. 174), ita eam forma parumper mutata tradere. Hoc certum est ex 11, 1, ubi Lucas duo

narrat quae alias non memorantur et ex 1, 3 evangelistam inquisitione diligenter facta rem litteris mandasse.

Alia quoque lectio varians memoriae tradita est. Nam *S. Gregorius* nyssenus (de orat. dom. or. 3; *M.* 44, 1157) affirmat apud Lucam pro petitione : adveniat regnum tuum legi : ἐλθέτω τὸ ἅγιον πνεῦμά σου ἐφ' ἡμᾶς καὶ καθαρισάτω ἡμᾶς; idem affirmat *Maximus* (expos. orat. dom. *M.* 90, 840) et eius lectionis vestigium videtur etiam deprehendi apud Tertullianum (adv. Marc, 4, 26); nam postquam dixit : cui dicam *pater*, mox pergit : a quo Spiritum sanctum postulem? Quae lectio varians videtur originem duxisse ex v. 13, ad quem versum *Orig.* scribit : δώσει οὖν τὸ ἀγαθὸν δόμα τὴν παντελῆ καθάρευσιν ἐν ἀγαμίᾳ καὶ ἁγνείᾳ etc. (*M.* 13, 1252).

Tradita orationis forma altero documento ostendit Iesus quae sit orationis vis et efficacia, ut sic ad fiduciam impetrandi et ad constantiam nos provocet quae duo summe necessaria sunt orationi (cf. *Ians. Tol. Luc.*). Idque parabola proposita oculis quasi subiicit v. 5 *et ait ad illos : quis vestrum habebit amicum et ibit ad illum media nocte et dicet illi : amice, commoda mihi tres panes*, v. 6 *quoniam amicus meus venit de via ad me et non habeo quod ponam ante illum*, v. 7 *et ille deintus respondens dicat : noli mihi molestus esse; iam ostium clausum est et pueri mei* τὰ παιδία μου pueruli mei; proinde *pueri* non possunt cum *S. Aug.* (ep. 130,8. 15; *M.* 33,500) explicari de servis; παῖς utique de servo quoque dicitur, neque tamen παιδίον; *mecum sunt in cubili* εἰς τὴν κοίτην cf. 1,44; Marc. 2,1. Ioan. 1,18 etc.; de ista turbatione et petitione nocturna ille satis impatiens est, id quod primis statim verbis prodit; neque enim amice eum compellat, verum dure respondet μή μοι κόπους πάρεχε ne mihi molestias afferas; obtendit ostium clausum pessulis scil. et repagulis, quod scil. non sine labore, incommodo, strepitu multo aperiri possit; puerulos dormientes quoque quos excitare et turbare veretur obtendit; demum breviter concludit : *non possum surgere et dare tibi*, illud *non possum* rationibus allatis idem sonat ac prorsus nolo. Et tamen petitio alterius sane digna erat quam concederet. Postulat amicus, non pro se, sed pro amico, cuius inopiae non posse succurrere durum est; venit ille ex itinere longiore quod propter calores diurnos in multam noctem protrahere cogebatur; venit fatigatus et famelicus; amicus cum magno suo dolore non habet quo eum reficiat; titulo amicitiae recurrit ad amicum, ut duplici incommodo remedium praestet. — Tota haec sententia v. 5-7 considerari potest tamquam protasis, quae pro forma conditionali efferatur per interrogationem et cui in v. 8 subdatur apodosis. Alii aliter anacoluthon solvunt : quis vestrum habebit amicum? et ibit ad illum etc. vel interrogationem protendi usque ad *ponam ante illum* et v. 7 continuari ac si sententia tota ab initio conditionis particula ἐάν esset vestita (cf. *Schanz, Keil, Weiss*).

Quod legitur in latinis v. 8 *et si ille perseveraverit pulsans* graece non habetur, at necessario consequitur ita rem cogitandam esse ex sequentibus : *dico vobis : etsi non dabit illi surgens eo quod amicus eius sit, propter improbitatem,* ἀναίδειαν impudentiam i. e. importunitatem (*Luc. Lap.*) qua nullo modo veretur assidua et vehementi petitione rem suam urgere, *tamen eius surget et dabit illi quotquot habet necessarios;* quamvis igitur petat tempore maxime importuno et maximo illius incommodo, tamen obtinet quod vult διὰ τὴν ἀναίδειαν qua voce optime describitur quomodo alterius excusatione minime deterretur, verum impudentia quadam pergit illum precibus urgere; quare instantia et perseverantia petitionis necessario includitur et nobis proponitur, ut illi quoque explicant qui solo textu graeco utuntur; ita *S. Cyr.* docet colligendum esse ne desistamus a precibus etsi post primam vel secundam petitionem non exaudiamur, sed utilissimam esse ὑπομονήν constantiam, perseverantiam et *Theoph.* ait nos erudiri ea parabola ne ἀόκνως segniter oremus atque ἀναίδειαν dici τὴν μεθ' ὑπομονῆς ἐπιτεταμένην προσευχήν ; similiter *Euth.* Christum docere illum esse tandem exauditum διὰ τὴν ἐπιμονήν, et quod *S. Ambr.* dicit : in ipsa petendi intentione persistens non defraudatur oratis, interpretes fere repetunt monentes instantia et perseverantia petendi eum tandem obtinuisse ab invito quod optabat. Res est clara; quare mirum est a *Schegg* et *Meyer* eos reprehendi qui parabolam de perseverantia orationis accipiant.

« In hac ergo similitudine adiunxit hortationem Dominus et omnino stimulavit nos petere, quaerere, pulsare, donec accipiamus » (*S. Aug.* serm. 105,1 ; *M.* 38,618) v. 9 *et ego dico vobis : petite et dabitur vobis, quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis ;* cum emphasi loquitur, ita ut dici possit cum *S. Cyr.* verba *dico vobis* iurisiurandi vice fungi, et profecto ex parabola allata concludendum est cum *S. Aug. :* « ille qui nolebat dare, quod petebatur fecit, quia ille in petendo non defecit; quanto magis dabit bonus, qui nos hortatur ut petamus, cui displicet si non petamus » (serm. 61,5; *M.* 38,411) et alio loco : « si dare cogitur qui cum dormiat a petente excitatur invitus, quanto dabit benignius qui nec dormire novit et dormientes nos excitat ut petamus » (serm. 130,8. 15 ; *M.* 38,500) vel cum *Beda :* « si ille dat non amicitia sed taedio compulsus, quanto magis dat Deus qui sine taedio largissime donat quod petitur? sed ad hoc se peti vult, ut capaces donorum eius fiant qui petunt ». Atque novo modo Christus nos ad fiduciam petendi invitat v. 10 *omnis enim qui petit accipit, et qui quaerit invenit, et pulsanti aperietur ;* vide ad Matth. 7,7. 8. Et quantopere ipsi cordi sit ut maxima cum fiducia petamus et quantae

necessitatis et utilitatis haec fiducia firma sit, ostendit Iesus alia comparatione et argumentatione a minore ad maius v. 11 *quis autem ex vobis patrem petit panem*, τίνα etc. quem ex vobis parentem (qui pater sit) rogabit filius panem, qui modus loquendi ad v. 13 magis aptus est, *numquid lapidem dabit illi? aut piscem, numquid pro pisce serpentem dabit illi?* vide ad Matth. 7,9. 10; tertium exemplum hic solum additur, quo adhortatio et doctrina magis inculcatur v. 12 *aut si petierit ovum, numquid porriget illi scorpionem?* iam fit conclusio a minore ad maius, conclusio a fortiore v. 13 *si ergo vos cum sitis mali nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester de coelo dabit spiritum bonum petentibus se?* πνεῦμα ἅγιον Spiritum sanctum, donum utique optimum et sublimissimum, quippe qui Spiritus cum gratia habituali inhabitat in nobis nosque ad optimum quodque potenter adiuvat (Rom. 8, 26); cf. Matth. 7,11.

Cur amicus in v. 5 *tres* panes postulet, *Mald.* explicat quia unum sibi ipsi, alterum amico destinabat, tertium autem communem esse volebat, si forte unus uni non esset satis; « solebant enim singulis convivis singuli panes apponi; deinde communis aliquis panis reservari qui sit si cui panis defuerit supplementum »; aliud *Calm.* praeterea proponit: unum hospiti, alterum illius uxori, tertium servo. Verum haec subtilius excogitata sunt. Seligitur numerus certus quia quis non incerto numero petere solet.

Sicuti tres panes mystice explicant aliqui de gratia SS. Trinitatis (cf. *S. Aug.* epist 130, 8. 15; *Bed. Theoph. Euth.*), ita piscem, ovum, panem quoque ad spiritualia transferunt. Nobis scil. declarari in pisce petendam esse fidem, propter aquam baptismi vel quia fides in huius saeculi fluctibus integra est, et fidei esse contrarium serpentem qui ut non crederetur Deo persuaserit; ovo nos admoneri spei « quia vita pulli nondum est, sed futura est, nec iam videtur, sed adhuc speratur »; pane autem caritatis (*S. Aug.* l. c. 16 et serm. 105, 4. 6). Cur autem haec tria ponantur, *Alb.* ita concipit ut in tribus istis « omne genus petibilium » intelligatur; in pane intelligi quod necessarium est communiter ad vitae sustentationem; in pisce quod est delectationis dulcoramentum, in ovo quod promittit utilitatis futurae fructum.

Cur ovo opponatur scorpio, ita declarat *Lamy*: « scorpionis corpus est ovo simile, maxime si sit album, quae scorpionum prima est species apud Nicandrum, Aelianum, Avicennum et alios. In Iudaea scorpiones ab ovo mole non distare probat Bochartus prolatis testimoniis; itaque albus scorpio, cum pedes colligit, similitudine ovi incautos fallere potest ». Agit *Bochartus* ea de re in Hierozoic. parte post. lib. 4 cap. 29 p. 636. 641 (Francofurti ad M. 1675). Punctio scorpionis magnum affert dolorem, inflammationem, immo mortis periculum.

f) Pharisaei revincuntur 11,14-28.

11,14. Et erat eiiciens daemonium, et illud erat mutum. Et quum eiecisset daemonium, locutus est mutus, et admi-

11,14. Καὶ ἦν ἐκβάλλων δαιμόνιον κωφόν· ἐγένετο δὲ, τοῦ δαιμονίου ἐξελθόντος, ἐλάλησεν ὁ κωφός· καὶ ἐθαύμασαν οἱ ὄχλοι.

ratae sunt turbae. 15. Quidam autem ex eis dixerunt : In Beelzebub principe daemoniorum eicit daemonia. 16. Et alii tentantes, signum de coelo quaerebant ab eo. 17. Ipse autem ut vidit cogitationes eorum, dixit eis : Omne regnum in se ipsum divisum desolabitur, et domus supra domum cadet. 18. Si autem et satanas in se ipsum divisus est, quomodo stabit regnum eius? quia dicitis in Beelzebub me eiicere daemonia. 19. Si autem ego in Beelzebub eiicio daemonia, filii vestri in quo eiiciunt? Ideo ipsi iudices vestri erunt. 20. Porro si in digito Dei eiicio daemonia, profecto pervenit in vos regnum Dei. 21. Quum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quae possidet. 22. Si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma eius auferet, in quibus confidebat, et spolia eius distribuet. 23. Qui non est mecum, contra me est; et qui non colligit mecum, dispergit. 24. Quum immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquosa, quaerens requiem; et non inveniens dicit : Revertar in domum meam unde exivi. 25. Et quum venerit, invenit eam scopis mundatam et ornatam. 26. Tunc vadit, et assumit septem alios spiritus secum, nequiores se; et ingressi habitant ibi. Et fiunt novissima hominis illius peiora prioribus.

27. Factum est autem, quum haec diceret, extollens vocem quaedam mulier de turba dixit illi : Beatus venter qui te portavit, et ubera, quae suxisti. 28. At ille dixit : Quin imo, beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.

15. τινὲς δὲ ἐξ αὐτῶν εἶπαν, Ἐν Βεεζεβοὺλ τῷ ἄρχοντι τῶν δαιμονίων ἐκβάλλει τὰ δαιμόνια. 16. ἕτεροι δὲ πειράζοντες σημεῖον ἐξ οὐρανοῦ ἐζήτουν παρ' αὐτοῦ. 17. Αὐτὸς δὲ εἰδὼς αὐτῶν τὰ διανοήματα εἶπεν αὐτοῖς, Πᾶσα βασιλεία διαμερισθεῖσα ἐφ' ἑαυτὴν ἐρημοῦται· καὶ οἶκος ἐπὶ οἶκον πίπτει. 18. εἰ δὲ καὶ ὁ Σατανᾶς ἐφ' ἑαυτὸν διεμερίσθη, πῶς σταθήσεται ἡ βασιλεία αὐτοῦ; ὅτι λέγετε ἐν Βεεζεβοὺλ ἐκβάλλειν με τὰ δαιμόνια. 19. εἰ δὲ ἐγὼ ἐν Βεεζεβοὺλ ἐκβάλλω τὰ δαιμόνια, οἱ υἱοὶ ὑμῶν ἐν τίνι ἐκβάλλουσιν; διὰ τοῦτο αὐτοὶ ὑμῶν κριταὶ ἔσονται. 20. εἰ δὲ ἐν δακτύλῳ Θεοῦ ἐγὼ ἐκβάλλω τὰ δαιμόνια, ἄρα ἔφθασεν ἐφ' ὑμᾶς ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ. 21. ὅταν ὁ ἰσχυρὸς καθωπλισμένος φυλάσσῃ τὴν ἑαυτοῦ αὐλὴν, ἐν εἰρήνῃ ἐστὶν τὰ ὑπάρχοντα αὐτοῦ. 22. ἐπὰν δὲ ἰσχυρότερος αὐτοῦ ἐπελθὼν νικήσῃ αὐτὸν, τὴν πανοπλίαν αὐτοῦ αἴρει ἐφ' ᾗ ἐπεποίθει, καὶ τὰ σκῦλα αὐτοῦ διαδίδωσιν. 23. ὁ μὴ ὢν μετ' ἐμοῦ κατ' ἐμοῦ ἐστίν· καὶ ὁ μὴ συνάγων μετ' ἐμοῦ σκορπίζει. 24. Ὅταν τὸ ἀκάθαρτον πνεῦμα ἐξέλθῃ ἀπὸ τοῦ ἀνθρώπου, διέρχεται δι' ἀνύδρων τόπων, ζητοῦν ἀνάπαυσιν· καὶ μὴ εὑρίσκον τότε λέγει, Ὑποστρέψω εἰς τὸν οἶκόν μου ὅθεν ἐξῆλθον· 25. καὶ ἐλθὸν εὑρίσκει σχολάζοντα, σεσαρωμένον καὶ κεκοσμημένον. 26. τότε πορεύεται καὶ παραλαμβάνει ἕτερα πνεύματα πονηρότερα ἑαυτοῦ ἑπτά, καὶ εἰσελθόντα κατοικεῖ ἐκεῖ· καὶ γίνεται τὰ ἔσχατα τοῦ ἀνθρώπου ἐκείνου χείρονα τῶν πρώτων.

27. Ἐγένετο δὲ ἐν τῷ λέγειν αὐτὸν ταῦτα, ἐπάρασά τις φωνὴν γυνὴ ἐκ τοῦ ὄχλου εἶπεν αὐτῷ, Μακαρία ἡ κοιλία ἡ βαστάσασά σε, καὶ μαστοὶ οὓς ἐθήλασας. 28. αὐτὸς δὲ εἶπεν, Μενοῦν μακάριοι οἱ ἀκούοντες τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ καὶ φυλάσσοντες.

In v. 14 δαιμονιον κωφον ℵ A* B L al 7 cop arm aeth syr (cu); al και αυτο ην κωφον; D incipit ταυτα δε ειποντος αυτου προσφερετε αυτω δαιμονιζομενος κωφος sim c f; cum eiecisset *mutum* daemonium a² ff² i l; a muto daemonium b; stupebant a² i l. In v. 15 βεεζεβουλ ℵ B W H; quidam ex *pharisaeis* b ff² i l syr (cu) big ken rush; in fine add ex Marc 3, 23 ο δε αποκριθεις ειπεν· πως δυναται σατανας σατ. εκβαλλειν A D K M X Π al 40 fere aeth r; praebent beelzebul big eg ger ken rush corp gat. In v. 20 *praevenit* b f q r am ben cav eg ken rush tol lind Wordsworth. In v. 24 τοτε λεγει ℵ^c B L X Z 33. 157. 48 evang b l cop Or. In v. 25 add σχολαζοντα ℵ^c B C L R Γ al 12 fere (vacantem f l r) cop aeth Or; pler codd vulg om et ornatam; habent it eg rush wil. In

v. 26 codd pler et *sunt* novissima; fiunt dub eg mt per rush; b ff² i l et fit huiusmodi hominis vita multo peior prioris. In v. 27 a levata voce. In v. 28 quinimmo big' for car val wil harl; quippe enim fuld; quippini am med ox per corp lind Wordsworth; manifestissime cav tol; non exprimitur μενουν in a b f ff² i q eg tat syr (cu, sch, hr). In sin solum pauca verba restant.

Discipulis Christi opponuntur homines pervicaces ex turbis, pharisaei et scribae (cf. Matth. 12,22. Marc. 3,22); « ecce casus qui poneret ob oculos quid malus spiritus ageret in animis Iudaeorum Spiritui sancto reluctantium » (*Erasmus*) v. 14 *et erat eiiciens daemonium ἦν ἐκβάλλων*, uti saepe in narratione apud Lucam (cf. *Buttmann* p. 268) *et illud erat mutum* i. e. daemoniacus per daemonem mutus reddebatur impedita loquendi facultate; daemon enim in eius quem possidet membra dominium exercet; dicitur daemonium mutum, quia daemon simul cum possesso quasi unum quoddam constituit; *et cum eiecisset daemonium, locutus est mutus et admiratae sunt turbae;* immo Iesum esse filium David, Messiam, incipiebant credere; cf. Matth. 12,23; quam fidem nascentem opprimere studebant pharisaei v. 15 *quidam autem ex eis dixerunt : in Beelzebub principe daemoniorum eiicit daemonia;* rem ipsam negare non possunt; unde ut admirationem turbae in odium, contemptum, horrorem convertant, id solum fieri dicunt ope daemonis et foedere cum eo inito; quare Iesum hominem esse scelestissimum asserere non verentur. Praeter hos qui blasphemantes opera Dei daemoni attribuunt alium ordinem contumacium evangelista nobis describit v. 16 *et alii tentantes signum de coelo quaerebant ab eo,* testimoniis Ioannis praecursoris et tot Iesu miraculis se posse non acquiescere aiunt; ut credant Iesum esse legatum divinum opus esse signum de coelo, quasi quae eousque dedisset essent nimis communia; rem plane aliam, plane stupendam, quae fiat in aere, in coelo, in astris postulant (cf. Matth. 16,1. Marc. 8,11).

Iesus priorum malitiam detegit (v. 17 seq.), deinde hisce respondet v. 29 seq. v. 17 *ipse autem ut vidit cogitationes eorum*, scivit scil. quid et quo animo turbis loquerentur, *dixit eis* et ita quidem ut turbae quoque de eorum perfidia edocerentur (Marc. 3,23) : *omne regnum in se ipsum divisum desolabitur et domus supra domum cadet,* si regnum internis dissidiis vastatur, urbes quoque destruuntur et ruina unius domus alterius quoque ruinam efficit, dum cadens in eam impingit vel etiam familiae inter se furunt. Applicatio patet. Num satanas ipse regnum suum destruet? hoc autem faceret, si ipse alios daemones expelleret, v. 18 *si autem et satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum eius? quia dicitis in Beelzebub me eiicere daemonia;* satanas homines vexare, in iis habitare, eos ad mala quaevis pertrahere

vult et conatur quantum potest; hoc est eius regnum; si itaque ipse daemones ex hominibus expellit et homines reddit sanos et pios, manifestum est quod se ipsum destruit (*Theoph.*); daemones pelli invitos, reluctantes, petere a Iesu ne se cruciet pariter certum erat et in miraculis Iesu conspicuum. Unde haec argumentatio Iesu erat prorsus clara et apta qua malitia adversariorum statim omnibus innotesceret, qua contra veritatem cognitam certare studebant. Eos insuper alio modo perstringit v. 19 *si autem ego in Beelzebub eiicio daemonia, filii vestri in quo eiiciunt? ideo ipsi iudices vestri erunt;* « exorcistas gentis illius ex more significat qui ad invocationem eiiciebant daemones, et coarctat eos interrogatione prudenti, ut confiteantur Spiritus sancti esse opus; quodsi expulsio daemonum (inquit) in filiis vestris Deo non daemonibus deputatur, quare in me idem opus non eandem habeat causam? ergo ipsi vestri iudices erunt, non potestate sed comparatione, dum illi expulsionem Deo assignant, vos principi daemoniorum » (*Beda*).

Dein docet quid discere potuerint et debuerint ex modo quo ipse dominium daemonum destruit v. 20 *porro si in digito Dei eiicio daemonia* i. e. in Dei potentia et virtute; cf. Ex. 8,19 digitus Dei est hic i. e. eius potentia, operatio hic cernitur; Ps. 8,4; notant quandoque digito Dei significari vel modicum virtutis Dei esse fortissimum; similiter sermo fit de brachio Domini, de manu eius (cf. 1,51. 66), *profecto pervenit in vos regnum Dei* ἔφθασεν, quae vox si in sua notione communi retinetur, sensus erit *praevenit,* citius, vobis non opinantibus, venit regnum Dei; verum in graecitate seriore ei quoque inest notio simplex perveniendi (cf. 2 Cor. 10,14. Phil. 3,16); eo ipso quod daemonis regnum evertitur, constituitur regnum Dei, regnum messianum. Nam de Messiae munere et tempore praedictum erat oraculis prophetarum fore ut ab eo iniquitas deleatur et iustitia et sanctitas firmiter constituatur et regnum pacis condatur (cf. Is. 9,6; 11,1 seq. 49,6. 9. Ps. 72. Ier. 31,33. Ez. 34,23. Os. 3,5). Et quantopere devicto satana regnum eius evertat, declarat v. 21 *cum fortis armatus custodit atrium suum* αὐλήν aliqui explicant palatium, *in pace sunt ea quae possidet;* v. 22 *si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma eius auferet in quibus confidebat et spolia eius distribuet;* cf. ad Matth. 12,29; arma diaboli sunt eius potentia, doli, fraudes (*Beda*); haec aufert Christus, dum aliis quoque tribuit potestatem expellendi daemones, dum suo exemplo et doctrina ostendit quomodo tentationes vincendae sint: spolia diaboli sunt ipsi homines quos possidet et captivos tenet (*Eus. Beda*). Haec spolia Iesus ei eripit. Ceterum haec locutio parabolica deprompta est ex Is. 49,24. Cum itaque Christus satana devicto re-

gnum condat Dei (v. 20-22), iam nemo potest manere iners v. 23 *qui non est mecum contra me est, et qui non colligit mecum dispergit;* qui Christi operi non favet, illud non pro sua parte promovet, eo ipso contra illud agit; « ego veni, inquit, ut omnes diaboli manu eripiam, ut captivos liberem, obtenebratos illuminem, lapsos relevem, confractos sanem, ut Dei filios a diabolo dispersos congregem » (*S. Cyr.*); qui eo in opere non cum Christo est, eo ipso partes et conamina satanae adiuvat et promovet. Terret, ut ait *Luc.*, auditores qui medii ita se gerebant, ut nec adhaerere Christo nec ei obsistere vellent; non licere medium neutrumve esse. Calumnia illa reiecta graviter omnes monet suas partes esse fortiter eligendas. De varia eius loci acceptione vide quae dixi in Comment. Matth. I p. 485.

Quae vero futura sit sors eorum qui obdurati a partibus Christi stare noluerint, sequentibus declaratur. Occasionem parabolae inducendae capit a beneficio daemoniaco praestito, a quo illi occasionem blasphemiae sumebant, ut exponat quo quis maiora dona Dei et gratias oblatas spreverit et neglexerit, eo maiori ruinae eum futurae obnoxium v. 24 *cum immundus spiritus exierit ab homine* (en beneficium a Deo collatum!) *ambulat per loca inaquosa, quaerens requiem* depingitur more humano satanam moleste ferre, si a tentatione et vexatione impediatur eumque vehementer appetere quomodo struat insidias *et non inveniens dicit: revertar in domum meam unde exivi;* denuo conatus tentandi et impetus repetit; v. 25 *et cum venerit, invenit eam scopis mundatam et ornatam;* proin ita instructam ut quivis ad eam inhabitandam vehementer sollicitetur; v. 26 *tunc vadit et assumit septem alios spiritus secum nequiores se et ingressi habitant ibi; et fiunt novissima hominis illius peiora prioribus*, quippe qui iam non ab uno daemone, sed a pluribus iisque peioribus vexetur. Id quod Christus apud Matthaeum de generatione hac pessima dicit, eodem modo hic in universum proponitur, ita tamen ut applicatio ad singulos sua sponte colligatur. Pluribus de hoc loco egi in Comment. Matth. I p. 503-506. Depingitur in hac parabola conditio eorum quoque qui agnita veritate ab ea desciscunt (*Beda*) et Christus monet eadem ratione docens : ecce sanus factus es; iam noli peccare ne deterius tibi aliquid contingat (Ioan. 5,14. *S. Bon.*) et S. Petrus : si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri, his rursus implicati superantur, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus; melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiae quam post agnitionem retrorsum converti ab eo quod illis traditum est sancto mandato; contingit enim eis illud veri proverbii : canis reversus ad suum vomitum et : sus lota in volutabro luti (2 Petr. 2,20-22. Prov. 26,11).

Pharisaeis et scribis calumniam inferentibus Christo mulier simplex doloque carens eum celebrat (*Theoph.*) et tacentibus aliis mulier una accensa fide et benevolo erga Iesum affectu se continere non potuit quin admirationem suam clamore declararet et in eiusmodi vocem erumperet qua Iesum palam defenderet ac laudaret, nihil verita praesentium Iesu adversariorum auctoritatem (*Luc.*) v. 27 *factum est autem cum haec diceret extollens vocem quaedam mulier de turba*, « magnum declarat affectum magnamque fidem in clamorem erumpentem; ex intimis animi sensibus loquebatur, quae quanta poterat contentione clamabat; mulierem ignotam atque obscuram indicat fuisse atque plebeiam, cum in media fuerit turba, quae tamen viris qui sibi sapientes videbantur non credentibus ipsa ita crediderit, ut quasi afflata numine clamaverit » (*Mald.*), *dixit illi : beatus venter qui te portavit et ubera quae suxisti*, beatam, felicem, honore cumulatissimam praedicat matrem quae talem tantumque virum qualem quantumque verba et opera prae se ferunt genuit et enutrivit; periphrasis est matris similis illi 23,29 (*Luc.*). Iam impleri coeptum est illud : beatam me dicent omnes generationes (1,48 ; cf. 1,28. 45). Ut mulier matrem laudat matrisque officia, quamvis probabile sit actam a Spiritu sancto ita esse locutam, ut solius matris in generando partes efferret. Matre autem laudata et celebrata propter filium filii excellentia tali elogio plurimum commendatur; est enim consequens, ut si beata sit mater ratione filii, filius multo magis sit beatus; v. 28 *at ille dixit : quinimmo beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud*, μενοῦν (ubi μέν rem de qua agitur confirmat, οὖν vero conclusionem vel transitionem efficit; cf. *Klotz* ad Dev. p. 663; *W. Grimm*, Lexicon s. v.), *Euth.* explicat vocem ἀληθῶς. Atque haec beatitudo excellenti quoque modo b. Virgini convenit, « quia et ipsa prius verbum auditum corde concepit et portavit quam in utero corporaliter conciperet et ex beatitudine conceptionis spiritualis causata est per modum congrui beatitudo maternitatis specialis » (*Alb.*), nam « inde multo beatior quia eiusdem Verbi amandi custos manebat aeterna » (*Beda*). Christus itaque mulieris praedicationem perficit (*Erasmus*), aliquid addit et in omnium utilitatem id monet, unde pro omnibus exsistat beatitudo et unde etiam pro ipsius matre maxima enascatur gloria. Ipsa enim animum suum pandit dicens : ecce ancilla Domini etc.; ipsa ab Elisabeth repleta Spiritu sancto laudatur : beata quae credidisti (1,45); cf. 8,20. 21. Et bene advertit *Beda :* « pulchre Salvator attestationi mulieris annuit non eam tantummodo quae Verbum Dei corporaliter generare meruerat, sed et omnes qui idem Verbum spiritualiter auditu fidei concipere et boni operis custodia vel in suo vel in proximorum corde

parere et quasi alere studuerint, asseverans esse beatos » et *S. Aug.* quoque scribit : « hoc in ea magnificavit Dominus quia fecit voluntatem Patris, non quia caro genuit carnem; inde felix quia verbum Dei custodit » (in Ioan. tract. 10,3; *M.* 35,1468); verum minime negari beatitatem maternitatis patet et insuper alibi scribit : « beatior Maria percipiendo fidem Christi quam concipiendo carnem Christi » (de virgin. cap. 3; *M.* 40,398).

Alii docent μενοῦν et quasi corrigere antecedentia (imo vero) et confirmare (utique). Unde qua notione particula capienda sit esse dispiciendum : cf. *Hartung,* Partikellehre II p. 400; *Kühner* ad Xen. Mem. 1,3.9 et 2,7.5 (apud *Weiss*). Sensu, quo verbis mulieris aliqua addatur correctio, ita scil. ut quod addatur maiore aestimatione dignum habeatur, particula hoc loco erit accipienda, uti eam acceperunt sua explicatione *S. Aug. Beda, Bon.* (verum etiam beatior qui suscipit verbum a me prolatum) *Cai. Mald. Tol.* (illa beatitudo magna, haec maior) *Ians. Lap. Calm. Bisp. Fil.* Alii particulam ita concipiunt, ut Christus nec admittat nec neget quod mulier dixerat (*Ipr. Luc.*) vel ut mulieris laudem non affirmet (*Schegg, Schanz, Weiss*) sed potius mulierem aliquo modo tacite reprehendat, quod solum ex propinquitate carnis beatam praedicet matrem. Quod ultimum tamen durius dici videtur. Nam ipsa quoque carnis propinquitas iure apud homines magni aestimatur; mulier in Iesu agnoscit dona eximia; unde merito matrem etiam celebrare potest quia ut mater sane censeri potest iure potiore fieri particeps beneficiorum filii. Ceterum nonne ipsa quoque maternitas in numero gratiae eximiae est collocanda? id quidem ab angelo innuitur, cum dicat : invenisti gratiam apud Deum, ecce concipies in utero etc. — Veteres quidem protestantes verba Iesu ita interpretati sunt, ut Christus neget quod mulier dixerat (cf. Calvinus, apud *Mald.*); hodie autem et ipsi omnino fatentur Christum non contradicere mulieri, non negare matrem suam esse beatam.

g) **Respondetur petentibus signum 11,29-36.**

11,29. Turbis autem concurrentibus coepit dicere : Generatio haec, generatio nequam est; signum quaerit, et signum non dabitur ei, nisi signum Ionae prophetae. 30. Nam sicut fuit Ionas signum Ninivitis, ita erit et Filius hominis generationi isti. 31. Regina austri surget in iudicio cum viris generationis huius, et condemnabit illos, quia venit a finibus terrae audire sapientiam Salomonis; et ecce plus quam Salomon hic. 32. Viri Ninivitae surgent in iudicio cum generatione hac, et condemnabunt illam, quia poenitentiam egerunt ad praedicationem Ionae; et ecce plus quam Ionas hic.

33. Nemo lucernam accendit, et in abscondito ponit, neque sub modio, sed

11,29. Τῶν δὲ ὄχλων ἐπαθροιζομένων ἤρξατο λέγειν, Ἡ γενεὰ αὕτη γενεὰ πονηρά ἐστιν· σημεῖον ζητεῖ, καὶ σημεῖον οὐ δοθήσεται αὐτῇ, εἰ μὴ τὸ σημεῖον Ἰωνᾶ. 30. καθὼς γὰρ ἐγένετο ὁ Ἰωνᾶς τοῖς Νινευείταις σημεῖον, οὕτως ἔσται καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου τῇ γενεᾷ ταύτῃ. 31. βασίλισσα νότου ἐγερθήσεται ἐν τῇ κρίσει μετὰ τῶν ἀνδρῶν τῆς γενεᾶς ταύτης καὶ κατακρινεῖ αὐτούς· ὅτι ἦλθεν ἐκ τῶν περάτων τῆς γῆς ἀκοῦσαι τὴν σοφίαν Σολομῶνος· καὶ ἰδοὺ πλεῖον Σολομῶνος ὧδε. 32. ἄνδρες Νινευεῖται ἀναστήσονται ἐν τῇ κρίσει μετὰ τῆς γενεᾶς ταύτης, καὶ κατακρινοῦσιν αὐτήν· ὅτι μετενόησαν εἰς τὸ κήρυγμα Ἰωνᾶ· καὶ ἰδοὺ πλεῖον Ἰωνᾶ ὧδε.

33. Οὐδεὶς λύχνον ἅψας εἰς κρυπτὴν

supra candelabrum; ut qui ingrediuntur lumen videant. 34. Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit; si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit. 35. Vide ergo ne lumen, quod in te est, tenebrae sint. 36. Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, et sicut lucerna fulgoris illuminabit te.

τίθησιν οὐδὲ ὑπὸ τὸν μόδιον, ἀλλ' ἐπὶ τὴν λυχνίαν, ἵνα οἱ εἰσπορευόμενοι τὸ φῶς βλέπωσιν. 34. ὁ λύχνος τοῦ σώματός ἐστιν ὁ ὀφθαλμός σου· ὅταν ὁ ὀφθαλμός σου ἁπλοῦς ᾖ, καὶ ὅλον τὸ σῶμά σου φωτεινόν ἐστιν· ἐπὰν δὲ πονηρὸς ᾖ, καὶ τὸ σῶμά σου σκοτεινόν. 35. σκόπει οὖν μὴ τὸ φῶς τὸ ἐν σοὶ σκότος ἐστίν. 36. εἰ οὖν τὸ σῶμά σου ὅλον φωτεινὸν, μὴ ἔχον μέρος τι σκοτεινὸν, ἔσται φωτεινὸν ὅλον, ὡς ὅταν ὁ λύχνος ἐν τῇ ἀστραπῇ φωτίζῃ σε.

In v. 29 Ιωνα sine additam ℵ B D L Z pler it et vulg syr (hr) arm Ti W H Wordsworth; e vulg codd solum rush wil add prophetae. In v. 30 B Λ o ιωνας, al sine articulo; in fine add D a ff² r e simile quid quod Matth. 12, 40 legitur. In v. 31 ab austro b q. D om totum v. 32 In v. 33 φεγγος A L ΓΔΛΠ unc 8 al longe pl Ti; φως ℵ B C D X al plus 30 W H. In v. 34 οφθαλμος σου priore loco ℵ* A B C D M al pauc it vulg cop syr (sch) aeth Ti; verum id melius om rell codd maiusc et al plu syr (sin, cu) arm, cum sententia aptius modo generali enuntietur; vide ad Matth 6, 22; οταν sine ουν ℵ B D L Λ it vulg cop arm aeth. Pro v. 35 et 36 praebent D a b c ff² i r id quod Matth 6,23 (si ergo lumen etc.) habetur; eadem add syr (cu) post v. 35 omisso v. 36; quem v. 36 q ita : si ergo corpus tuum lucernam non habens lucidam obscurum est, quanto magis cum lucerna luceat inluminat te; et f add post v. 36 : si enim corpus quod in te est lucernam non habuerit lucentem tibi tenebrosa est; quanto magis autem lucerna tua fulgens lucebit tibi; (sin in v. 33 non habet : aut sub modio; in v. 34 nam lucerna corporis est oculus; si autem oculus est malus; v. 36 etiam corpus tuum si non habet lucernam lucentem est tenebrosum, sic si lucerna tua est splendida illuminans te).

Respondet Iesus aliis qui signum de coelo postulaverant, qui itaque Iesum a Deo esse missum non constare affirmabant testimoniis et signis eousque editis, verum id esse probandum re quadam plane extraordinaria. Quae postulatio eiusdem generis est sicut quae facta est circa tempus paschale in Capharnaum : quod ergo tu signum facis, ut videamus et credamus tibi? Et quale signum spectent, indicant dicentes : patres nostri manducaverunt manna in deserto, sicut scriptum est : panem *de coelo* dedit eis manducare (Ioan. 6,30. 31). Sicut igitur Moyses hoc signo de coelo a Deo comprobatus est, ita simili signo ut Iesus ostendat suam missionem postulant. Haec postulatio profecto erat magis captiosa et fallax magisque apta ad dubium de Iesu simplicibus ingerendum quam crassa illa de Beelzebub accusatio. Quare eam Iesus reiicit et refutat et condemnat coram corona audientium frequentiore v. 29 *turbis autem concurrentibus* ἐπαθροιζομένων i. e. congregatis ad aliam turbam quae iam aderat *coepit dicere : generatio haec generatio nequam est*, Matthaeus Iudaeis scribens addit quod iis ex modo loquendi s. Scripturae perspicuum erat : adultera (12,39);

signum quaerit et signum non dabitur ei nisi signum Ionae prophetae; vide ad Matth. l. c.; respondet, sicut statim ab initio vitae publicae Iudaeos expostulantes : quod signum ostendis nobis quia haec facis! ad suam remisit resurrectionem (Ioan. 2,18. 19). Hoc utique signum est plane maximum et hoc signum est omnium efficacissimum ad probandam divinam Iesu legationem et veritatem eius doctrinae. Postulant illi signum quamvis Christus plurima iam miracula patraverit; quare eo sensu dicunt signum quod sit aliud ab hisce, magis stupendum, magis efficax ad probandum; unde elucet cur Iesus dicat et dicere omnino possit : non dabitur signum *nisi...* quamvis multa alia signa etiam postea ediderit iisque dederit : *tale* signum non habebunt nisi in morte et resurrectione; v. 30 *nam sicut fuit Ionas signum Ninivitis, ita erit et Filius hominis generationi isti;* Ionas sua praedicatione et irae Dei denuntiatione signum quoque factus est Ninivitis; ad quod signum, si non egissent poenitentiam, interitui fuissent obnoxii; eodem modo Iesus quoque missus est Iudaeis signum a Deo et facta resurrectione erit signum iis in salutem qui credunt, in condemnationem vero infidelibus.

Sed Christum et nunc invenire parum fidei apud Iudaeos et postea quoque tristi praesagio Iudaeos maximam partem in obduratione permansuros, sequentibus clare edicitur v. 31 *regina austri surget in iudicio cum viris generationis huius et condemnabit illos, quia venit a finibus terrae audire sapientiam Salomonis; et ecce plus quam Salomon hic;* « condemnabit utique non potestate iudicii, sed comparatione facti melioris » (*Beda*); enumerat *S. Bon.* septem praeeminentias quibus Iudaeos incredulos superat et condemnat : « regina sexus fragilis, de remotis regionibus, cum difficultate, relicto imperio, cum muneribus, ad hominem paris conditionis, sola eius fama cognita venit; sed Iudaei viri Christum praesentem, gratis oblatum, sui generis beneficum, Deum et hominem miraculis probatum contemnunt et despiciunt »; v. 32 *viri Ninivitae surgent in iudicio cum generatione hac et condemnabunt illam, quia poenitentiam egerunt ad praedicationem Ionae; et ecce plus quam Ionas hic;* cf. Matth. 12,41. 42; duo haec S. Lucas ordine temporis proponit et simul gradatione quadam contumaciam Iudaeorum perstringit, cum exemplum Ninivitarum etiam magis eorum obdurationem condemnet; bene *Beda :* « Ionas paucis diebus praedicavit, ego tanto tempore; ille Assyriis genti incredulae, ego Iudaeis populo Dei; ille peregrinis, ego civibus; ille voce locutus simplici nilque signorum faciens acceptus est, ego tanta signa faciens Beelzebub calumniam sustineo ». Et cum Iesus affirmet se esse multo maiorem Salomone rege, cui maximam sapientiam Deus

contulit, excellentiorem propheta, eo ipso affirmat se esse illum unum qui et regiam dignitatem et propheticum munus summa perfectione possideat i. e. Messiam regem et prophetam.

Et has accusationes proferri summo iure demonstratur sequentibus. Nam ex parte Dei clarissime iis proponitur esse Iesum legatum divinum; ipsi habent quoque rationem et mentem qua possent, dummodo peccatis non obfuscarent oculum mentis, id cognoscere quod adeo clare iis exhibetur. Haec autem parabolica locutione traduntur v. 33 *nemo lucernam accendit et in abscondito ponit,* εἰς κρυπτήν, in crypta, *neque sub modio, sed supra candelabrum, ut qui ingrediuntur lumen videant;* cf. 8,16. Matth. 5,15; ita scil. Deus agit; voluntatem suam clare manifestat; Iesum misit et suam in Iesu revelationem perspicue testimoniis manifestissimis ob omnium oculos ponit; lux notitiae Christi (*Alb.*) aperte fulget; « lucernam veluti quandam mundo Pater obtulit Filium suum » (*S. Cyr.*). Huic autem lucernae a Deo mundo accensae, huic quasi soli coelesti, homo ex sua parte obviam ferre debet suam lucernam, sicut oculos debet aperire luci solis; v. 34 *lucerna corporis tui est oculus tuus; si oculus tuus fuerit simplex*, sanus, *totum corpus tuum lucidum erit; si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit;* haec lucerna quam homo habet est naturalis ratio, est mens veritatis appetens et capax, cui illuminatio et gratia Dei praesto est, dummodo homo non ponat impedimentum; quare in ipsa locutione parabolica Iesus iam utitur iis vocibus quae potius ad mores spectant quam ad oculi sani vel aegroti conditionem : ἁπλοῦς, πονηρός. Sunt qui, uti Matth. 6,22, explicent oculum de intentione (*Bed. Bon. Alb. Lap.*); sed eiusmodi sententiis adeo generalibus multa exprimi possunt; quare in singulis locis dispiciendum est quid contexta oratione exigatur. Hoc loco hominis mentem designari cum *Cai. Lap.* quoque et recentioribus sentiendum erit. Hanc itaque veri cognoscendi facultatem quam Deus sua gratia illustrat caveant sua culpa imminuant aut exstinguant v. 35 *vide ergo ne lumen quod in te est tenebrae sint,* et quomodo tenebrae inducantur, Iesus declarat : dilexerunt homines magis tenebras quam lucem, erant enim eorum mala opera; omnis enim qui male agit odit lucem; quomodo vos potestis credere qui gloriam ab invicem accipitis et gloriam quae a solo Deo est non quaeritis (Ioan. 3,19. 20; 5,44)?

Qui vero lumen a Deo oblatum pura mente suscipit, is ipso hoc lumine in dies magis illustrabitur et in eam lucis imaginem transformabitur a claritate in claritatem (2 Cor. 3,18) v. 36 *si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum et sicut lucerna fulgoris illuminabit te,* ὡς ὅταν tamquam

si lucerna suo te fulgore collustret; in priore parte sententia addita explicatur *totum*, scil. si corpus lucidum fuerit *totum*, ita ut nullibi quidquam tenebrarum relinquatur, in altero membro comparatione subiuncta declaratur *lucidum*, scil. quam magna futura sit lux conditione illa impleta. Sensus itaque est : quo maiore mentis puritate quis lucem divinam (revelationem, doctrinam Christi) in se suscipit, eo maiore claritate et pulchritudine coelesti animus eius exornabitur. Effertur nempe in priore membro peculiari emphasi *totum*, quia sententia adiecta *non habens* etc. declaratur; eodem modo in altero membro epitasi quadam notatur *lucidum*, cum subdatur modus quo lucidum sit ὡς ὅταν; quare tautologia vitatur (cf. *Schegg*, *Bisp. Schanz*, *Fil. Keil*, *Weiss*, *Sp.*), quem explicandi modum ad tautologiam vitandam iam indicatum reperimus apud *Alb. Cai. Mald. Ians. Luc.*, quare immerito quandoque *Meyer* eius explicationis laudatur auctor.

Scribit *Mald.* : « qui optime omnium exponere videntur ad hunc modum exponunt (scil. ad tautologiam vitandam) : dicunt non concludi omnino idem, sed idem cum similitudine et comparatione quadam. Sumptum fuerat : si totum corpus tuum lucidum fuerit, concluditur non quidem totum lucidum fore, sed quomodo lucidum erit, nempe ita, ut si lucerna aliqua fulgente illuminaretur. Hoc pluribus atque melioribus auctoribus placuit ». Et *Ians.* quoque notat in secundo membro inferri modum quo corpus lucidum sit; fore bis lucidum, ut *Luc.* ait, vel fore lucidum ut clarum quod videatur sub fulgore lucernae (*Cai.*), quae undique fulgorem emittat (*Alb.*). A qua acceptione non distat *Euth.* : sicut enim in corpore, ita et in anima : si haec tota lucida fuerit non habens quidquam affectione tenebrosum, erit lucida tota, sicut quando lucerna fulgore suo illuminat te, hoc est, splendidissima et lucidissima.

Aliam tamen explicationem *Mald.* praefert; illud enim *lucidum totum* in altero membro non refert ad *corpus*, sed ad totum absolute, ad omnia quae homo habet, ad omnes actiones humanas quae ex facultatibus proficiscuntur; proinde explicat : si totum corpus tuum (omnes tuae facultates) fuerit lucidum, totum omnino quidquid inde proficiscitur lucidum et rectum erit. Quam interpretationem etiam Ipr. Lap. Calm. praebent (de rebus quae sub sensum cadunt et a ceteris geruntur, recte iudicabis, tibi undique futurum est iubar, intus ac foris). Verum tum exspectandum esset non tam *totum*, quam *omnia*, neque ad eam acceptionem apta est comparatio ὡς ὅταν, ac si illuminet *te* suo lucerna fulgore.

Alii etiam textum corrigere volebant ad tollendam tautologiam. Legendum esse non σῶμα, sed ὄμμα monet *Tol.* neque abnuunt *Mald. Lap.* : si *oculus* tuus lucidus fuerit, quam coniecturam Eichthal adoptavit. Alii prius ὅλον deleri malunt, vel alteri addere articulum τὸ ὅλον, ut significetur corpus et anima, vel interpunctione mutata scribere : εἰ οὖν τὸ σῶμά σου ὅλον, φωτεινὸν μὴ ἔχον τι μέρος, σκοτεινόν, ἔσται φωτεινὸν ὅλον etc. (cf. *Weiss*); vide in lect. var. q.

h) Increpantur pharisaei 11,37-54.

11,37. Et quum loqueretur, rogavit illum quidam pharisaeus ut pranderet apud se. Et ingressus recubuit. 38. Pha-

11,37. Ἐν δὲ τῷ λαλῆσαι, ἐρωτᾷ αὐτὸν Φαρισαῖος ὅπως ἀριστήσῃ παρ' αὐτῷ· εἰσελθὼν δὲ ἀνέπεσεν. 38. ὁ δὲ Φαρι-

risaeus autem coepit intra se reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prandium. 39. Et ait Dominus ad illum : Nunc vos, pharisaei, quod deforis est calicis et catini, mundatis, quod autem intus est vestrum, plenum est rapina et iniquitate. 40. Stulti, nonne qui fecit quod deforis est, etiam id, quod deintus est, fecit? 41. Verumtamen quod superest, date eleemosynam : et ecce omnia munda sunt vobis. 42. Sed vae vobis pharisaeis, quia decimatis mentham, et rutam, et omne olus, et praeteritis iudicium et caritatem Dei; haec autem oportuit facere, et illa non omittere. 43. Vae vobis pharisaeis, quia diligitis primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro. 44. Vae vobis, quia estis ut monumenta quae non apparent, et homines ambulantes supra nesciunt. 45. Respondens autem quidam ex legisperitis, ait illi : Magister, haec dicens, etiam contumeliam nobis facis. 46. At ille ait : Et vobis legisperitis vae, quia oneratis homines oneribus quae portare non possunt, et ipsi uno digito vestro non tangitis sarcinas. 47. Vae vobis, qui aedificatis monumenta prophetarum; patres autem vestri occiderunt illos. 48. Profecto testificamini quod consentitis operibus patrum vestrorum : quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem aedificatis eorum sepulcra. 49. Propterea et sapientia Dei dixit : Mittam ad illos prophetas, et apostolos, et ex illis occident, et persequentur, 50. Ut inquiratur sanguis omnium prophetarum qui effusus est a constitutione mundi a generatione ista, 51. A sanguine Abel usque ad sanguinem Zachariae, qui periit inter altare et aedem. Ita dico vobis : requiretur ab hac generatione. 52. Vae vobis legisperitis, quia tulistis clavem scientiae, ipsi non introistis, et eos, qui introibant, prohibuistis.

53. Quum autem haec ad illos diceret, coeperunt pharisaei et legisperiti graviter insistere, et os eius opprimere de multis, 54. Insidiantes ei, et quaerentes aliquid capere de ore eius, ut accusarent eum.

σαῖος ἰδὼν ἐθαύμασεν ὅτι οὐ πρῶτον ἐβαπτίσθη πρὸ τοῦ ἀρίστου. 39. εἶπεν δὲ ὁ Κύριος πρὸς αὐτόν, Νῦν ὑμεῖς οἱ Φαρισαῖοι τὸ ἔξωθεν τοῦ ποτηρίου καὶ τοῦ πίνακος καθαρίζετε· τὸ δὲ ἔσωθεν ὑμῶν γέμει ἁρπαγῆς καὶ πονηρίας. 40. ἄφρονες, οὐχ ὁ ποιήσας τὸ ἔξωθεν καὶ τὸ ἔσωθεν ἐποίησεν; 41. πλὴν τὰ ἐνόντα δότε ἐλεημοσύνην· καὶ ἰδοὺ, πάντα καθαρὰ ὑμῖν ἐστίν. 42. ἀλλὰ οὐαὶ ὑμῖν τοῖς Φαρισαίοις, ὅτι ἀποδεκατοῦτε τὸ ἡδύοσμον καὶ τὸ πήγανον καὶ πᾶν λάχανον, καὶ παρέρχεσθε τὴν κρίσιν καὶ τὴν ἀγάπην τοῦ Θεοῦ. ταῦτα δὲ ἔδει ποιῆσαι, κἀκεῖνα μὴ παρεῖναι. 43. οὐαὶ ὑμῖν τοῖς Φαρισαίοις, ὅτι ἀγαπᾶτε τὴν πρωτοκαθεδρίαν ἐν ταῖς συναγωγαῖς, καὶ τοὺς ἀσπασμοὺς ἐν ταῖς ἀγοραῖς. 44. οὐαὶ ὑμῖν, ὅτι ἐστὲ ὡς τὰ μνημεῖα τὰ ἄδηλα, καὶ οἱ ἄνθρωποι οἱ περιπατοῦντες ἐπάνω οὐκ οἴδασιν. 45. Ἀποκριθεὶς δέ τις τῶν νομικῶν λέγει αὐτῷ, Διδάσκαλε, ταῦτα λέγων καὶ ἡμᾶς ὑβρίζεις. 46. ὁ δὲ εἶπεν, Καὶ ὑμῖν τοῖς νομικοῖς οὐαὶ, ὅτι φορτίζετε τοὺς ἀνθρώπους φορτία δυσβάστακτα, καὶ αὐτοὶ ὑμεῖς ἑνὶ τῶν δακτύλων ὑμῶν οὐ προσψαύετε τοῖς φορτίοις. 47. οὐαὶ ὑμῖν, ὅτε οἰκοδομεῖτε τὰ μνημεῖα τῶν προφητῶν, οἱ δὲ πατέρες ὑμῶν ἀπέκτειναν αὐτούς. 48. ἄρα μάρτυρές ἐστε καὶ συνευδοκεῖτε τοῖς ἔργοις τῶν πατέρων ὑμῶν· ὅτι αὐτοὶ μὲν ἀπέκτειναν αὐτοὺς, ὑμεῖς δὲ οἰκοδομεῖτε. 49. διὰ τοῦτο καὶ ἡ σοφία τοῦ Θεοῦ εἶπεν, Ἀποστελῶ εἰς αὐτοὺς προφήτας καὶ ἀποστόλους, καὶ ἐξ αὐτῶν ἀποκτενοῦσι καὶ διώξουσιν· 50. ἵνα ἐκζητηθῇ τὸ αἷμα πάντων τῶν προφητῶν τὸ ἐκκεχυμένον ἀπὸ καταβολῆς κόσμου ἀπὸ τῆς γενεᾶς ταύτης, 51. ἀπὸ αἵματος Ἄβελ ἕως αἵματος Ζαχαρίου τοῦ ἀπολομένου μεταξὺ τοῦ θυσιαστηρίου καὶ τοῦ οἴκου· ναὶ, λέγω ὑμῖν, ἐκζητηθήσεται ἀπὸ τῆς γενεᾶς ταύτης. 52. Οὐαὶ ὑμῖν τοῖς νομικοῖς, ὅτι ἤρατε τὴν κλεῖδα τῆς γνώσεως· αὐτοὶ οὐκ εἰσήλθατε, καὶ τοὺς εἰσερχομένους ἐκωλύσατε.

53. Κἀκεῖθεν ἐξελθόντος αὐτοῦ, ἤρξαντο οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ Φαρισαῖοι δεινῶς ἐνέχειν, καὶ ἀποστοματίζειν αὐτὸν περὶ πλειόνων, 54. ἐνεδρεύοντες αὐτὸν θηρεῦσαί τι ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ.

In v. 37 ερωτα ℵ A B M aliq minusc, e petit. In v. 38 D ηρξατο διακρεινομενος εν εαυτω λεγειν διατι, et similiter it pler vulg; syr (cu) coepit dicere in seipso; similiter Tertullianus (c. Marc. 4,27). In v. 39 D add υποκριται, item b; intra vos est c, intrinsecus est vobis e. In v. 40 a nonne qui fecit interiora et exteriora fecit; similiter c e qui fecit quod intus est fecit et quod foris est, uti collocant C D Γ aliq minusc Petr alex Cypr. In v. 41 τα ενοντα, b q quae sunt, f ex his quae habetis. In v. 42 eg anetum (pro : rutam); e transitis. In v. 43 syr (cu) aeth scribis et pharisaeis; gat scribae et pharisaei; add b q l r et primos discubitos in conviviis, uti C D aliq minusc. In v. 44 add γραμματεις και φαρισαιοι υποκριται A D X Γ Δ Λ Π unc 8 al pler b f i q r ken syr (sch, p) aeth Cyr Lcif; monumenta incerta e, m. ignobilia a. In v. 46 codd pler *portari*, importabilibus a, gravibus sin c e. In v. 47 *qui* aedificatis in dub eg for car med ken rush val wil harl; al quia (Wordsworth). In v. 48 μαρτυρες εστε ℵ B L; al μαρτυρειτε; testimonium perhibetis a b f q r; pauc minusc οτι συνευδ, item arm vulg (cav tol *et* consentitis), consentire c i l rush, consentientes f; verum D μη συνευδοκειν, non consentientes a b q; nempe consentitis non placere vobis facta p. v. quia ipsi eos occiderunt vos autem gloriamini e; οικοδομειτε sine additam ℵ B D L sin a b e i l r; al add αυτων τα μνημεια (τους ταφους), monumenta f q. In v. 49 sin c occidetis et persequemini. In v. 50 εκκεχυμενον B 33.69. al εκχυννομενον, D εως της γ. τ. usque ad generationem (progeniem c) istam b c d i l q r syr (sin, cu) Lcif; usque in gente hac a. In v. 51 D ον εφονευσαν ανα μεσον, quem occiderunt a d; D add υιου βαραχιου aliq minusc syr (cu); D sin ναου (pro οικου), templum e; exquiretur a saeculo isto e. In v. 52 D εκρυψατε, abscondistis clavem a b c e q syr (sin, cu) tat arm (aeth utrumque exprimit ηρ και εκρ). In v. 53 κακειθεν εξελθοντος αυτου ℵ B C L 33. cop; al uti vulg; at D X add ενωπιον παντος του λαου (X οχλου), similiter a b ec f i l q r syr (cu) aeth; δεινως ενεχειν (D S εχειν; H al plus 30 συνεχειν, al pauc ανεχειν, ελεγχ, C επεχειν) varie redditur : male habere a b q, graviter habere c e i, constristari f, graviter (moleste r) ferre l; D 69. συνδαλλειν (pro αποστοματιζειν) comminare illi a, committere cum illo b i l q r, conferre cum eo c, altercari cum illo f. In v. 54 non habent και ζητουντες ℵ B L aliq minusc cop Ti W H; post στοματος αυτου nil add in ℵ B L cop aeth Ti W H; D hic quoque singularia habet : αφορμην τινα λαβειν αυτου, unde : occasionem aliquam invenire ab illo (de illo b q, in illo i) a b c e i l q r; D ινα ευρωσιν κατηγορησαι αυτου syr (cu), f ut occasionem invenirent accusare eum, tat ut eum accusare possent (sin v. 37 (incipit) et rogavit eum pharisaeus quidam etc. et cum accumberet miratus est quod non baptizatus est ante prandium; v. 41 quod est intra vos; v. 46 uno ex digitis vestris non tangitis illa; v. 51 requiretur e manibus generationis huius; v. 53 cum dixisset haec contra eos coram omni populo; v. 54 et disputarunt cum eo de multis et quaerebant captare de eo causam).

Monuerat Christus v. 35 vide ne lumen quod in te est tenebrae sint. Iam ostenditur, in quibus et quare istud lumen tenebrae eaeque densissimae factae sint. Similis quaedam reprehensio pharisaeorum legitur Matth. 23 alio tempore aliaque occasione. Unde aliqui putant hanc esse eandem quam Matthaeus refert (cf. *Weiss*). Verum id aperte iis contradicit quae Lucas refert. Nam primo conceptis verbis narrat qua occasione hanc reprehensionem Iesus proposuerit v. 37. 38; dein narrat v. 45 legisperitum esse conquestum de Iesu sermone; unde is probat etiam legisperitis merito vae dici; in hoc itaque sermone quae

dicuntur scribis separantur ab increpatione pharisaeorum (id quod apud Matth. non fit); porro in v. 53. 54 docemur quam indigne tulerint istas reprehensiones et quas molestias et insidias Christo struxerint; demum aliquae sententiae et rationes allatae satis discrepant a sermone apud Matth.; quare dicendum est a Luca hic narrari alium eventum Christumque vitia pharisaeorum et scribarum saepius perstrinxisse. Qui id negant, Lucam qui asserit se omnia accurate inquisivisse quasi mendacem faciunt.

Cum evangelista scribat v. 37 *et cum loqueretur*, neque tamen addat *haec*, putant aliqui nullum temporis nexum cum antecedentibus indicari, sed solum dici : cum quodam tempore ad populum sermocinaretur (cf. *Bed. Tol. Ians. Luc. Lap.*). Id censeri posset si qua ratione gravi aliunde suaderetur (vide quae dixi ad Matth. 12,46); quae cum non adsit, potius standum est sensu obvio et dicendum cum *Mald.* voluisse evangelistam tempus designare et quae locutus sit facillime ex praecedentibus intelligi et indicari qua occasione Iesus sit invitatus; *rogavit illum quidam pharisaeus ut pranderet apud se; et ingressus recubuit;* putant aliqui pharisaeum mala mente et intentione Iesum invitasse (cf. *cat. Cr. Theoph. Alb. Luc. Lap. Fil. Weiss*); sed quia evangelista id nullo modo indicat neque addit tentans eum vel simile quid, potius sentiendum erit cum *Tol. Schanz* eum animo bono et benevolo invitasse; pariter *Euth.* pharisaeum ea invitatione censet manifestasse se esse liberum ab aliorum invidia. Iesus autem ei acquiescit cupiens mensa uti ad hospitis admonitionem et emendationem (*Theoph. Euth.*); venit enim in mundum ad peccatores salvandos (*S. Cyr.*).

Iesus egerat cum daemoniaco, mediis in hominum turbis commoratus erat; quare ex pharisaeorum doctrina, cum aliqua immundities ex tot hominum societate facillime contrahi potuisset, lotio non erat omittenda; quare pharisaei a foro reduces nisi baptizentur non comedunt (Marc. 7,4; *Euth. Bed. Bon.*); unde v. 38 *pharisaeus autem coepit intra se reputans dicere quare non baptizatus esset ante prandium*, graece : miratus est quod non prius lotus esset ante prandium, ἐθαπτίσθη aliqui accipiunt de lotione manuum (*Tol. Cai. Mald. Luc. Lap. Calm. Lamy, Fil.*), sed verbum ipsum maiorem dicit lotionem idque confirmatur Marc. 7,3. 4 pharisaei nisi crebro laverint manus non manducant, et a foro nisi baptizentur non comedunt; si de sola ablutione manuum sermo est, solet dici lavare manus; cf. Matth. 15,2. 28; 27,24. Marc. 7,2. 3. Iesus qui sciebat quid esset in homine (Ioan. 2,25) ex eius tacita cogitatione et reprehensione de omissa lotione occasionem capit carpendi totum pharisaeorum ordinem quod religio-

nem pietatemque in ritibus externis collocant, internam animi puritatem et sanctitatem prorsus negligunt v. 39 *et ait Dominus ad illum : nunc vos, pharisaei, quod deforis est calicis et catini mundatis; quod autem intus est vestrum plenum est rapina et iniquitate;* hanc narrationem aliqui recentiores ex eo quoque in dubium vocant quod improbabile sit Iesum ad prandium invitatum adeo dure in eum invectum esse qui invitaverat; id quod quam maxime contra urbanitatem fieri censent. Iis iam respondit *S. Aug. :* « o venire ad prandium! quomodo non pepercit homini a quo fuerat invitatus? magis obiurgando pepercit, ut correcto in iudicio parceret » (serm. 106,1; *M.* 38,625) et pariter respondit *Luc. :* « dicat aliquis incivilem convivam videri Dominum et ingratum, qui loco actionis gratiarum perstringat vitia eius a quo mensa excipitur. Atqui non poterat Dominus memor se doctorem esse veritatis et medicum animorum connivere ad haec vitia eorum a quibus fuerat invitatus, ne ventris negotium ageret potius quam evangelii, nec poterat maiores referre gratias quam ut sanaret hospitem suum male habentem animo, qui quomodo curandus esset dulcibusne an amaris ipse optime noverat ». Ceterum uti prophetae merito ac debite sibi ius vindicabant reprehendendi delicta regum, sacerdotum, principum, ita minime est mirandum quod Messias omni utatur opportunitate corrigendi vitia; cf. 7,40 seq.

Particula νῦν hoc loco videtur retinenda esse primaria sua notione *nunc, praesenti tempore*, ita ut oppositio quaedam ad tempus anteactum significetur et indicetur olim, antea, in prima sua origine pharisaeorum factionem fuisse omnino meliorem. Qua acceptione acrior evadit reprehensio, quia a prima sua institutione et indole defecisse arguuntur, id quod turpe est. Atque haec vituperatio merito iis fit, si eorum factio originem ducit ab iis qui assidaei (οἱ Ἀσιδαῖοι, i. e. חסידים pii) appellantur (1 Mach. 2,42; 7,13 seq.; cf. *Schürer* l. c. II p. 334). Particulam ea notione temporali accipiunt *Alb. Cai. Tol. Schegg, Schanz, Weiss;* alii autem prout in conclusione ponitur (iam, ea rerum conditione; cf. *Luc. Ipr. Fil. Grimm, Lex.*); vim adversativam ei tribuit *Mald. :* ac si diceret : si quemadmodum quae foris ita etiam quae intus sunt mundaretis, reprehendenda non esset consuetudo vestra, nunc vero, cum id quod foris est diligenter mundetis... stulti et hypocritae estis. Illud τὸ ἔσωθεν ὑμῶν rem statim transfert ad mores et animum : quod in vobis est, animi vestri pleni sunt rapina (rapacitate) et pravitate. Neque enim, ut sententia habeatur conformis ad Matth. 23,25 graece, licet verba explicare : quod intus in calice est plenum est rapina vestra, traiectione quadam ὑμῶν assumpta (ut clarius quidam vertunt, ait *Luc.* et approbat *Keil*).

Quam vero perversum sit munditiem curare in rebus externis, internam autem animi puritatem negligere, declaratur v. 40 *stulti, nonne qui fecit quod deforis est etiam id quod deintus est fecit?* ὁ ποιήσας scil. Deus; si itaque propter cultum et reverentiam Dei ea quae deforis sunt, calices, catinos diligenter mundant, corpus lavant, idque Deo gratum et acceptum esse, immo ab eo praeceptum esse putant, quomodo non eadem Dei reverentia multo magis impelluntur, ut interiorem animi munditiem sectentur? Si itaque creatura Dei munde tractari ac servari debet quare idem non ad creaturam Dei nobilissimam, ad animum, transferunt? Ergo merito ἄφρονες, ratione carentes, insipientes appellantur. Ex v. 39 sequitur τὸ ἔξωθεν non esse cum multis (*S. Cyr. Bed. Alb. Bon. Theoph. Cai. Tol. Ians. Ipr. Lamy, Fil.*) ad corpus restringendum, verum generatim sensu latiore res externas et internas denotari (cf. *Luc. Schanz*). Et cum avaritia vitium sit eorum unum ex praecipuis, remedium contra illud suggerit quo veram assequi possint munditiem (cf. *S. Cyr. Theoph. Euth. Ians. Luc.*) v. 41 *verumtamen quod superest date eleemosynam et ecce omnia munda sunt vobis;* πλήν, cum in v. 39. 40 simul cum reprehensione admonitio quaedam tradatur, πλήν hoc loco inservit ad amplificanda ea quae dicta sunt; unde vertere possis *ceterum,* τὰ ἐνόντα ea quae insunt scil. in calice, in catino; ergo cibum potumque date eleemosynam; avaris congruum datur remedium, quandoquidem contraria saepe contrariis curantur (*Luc. Ians.*). Opera caritatis ut exerceant superata possidendi cupiditate admonentur, quae via est ad munditiem internam consequendam, quae si adest, tum etiam exteriora iis vere munda sunt. Eleemosyna frequenter commendatur et ut adiumentum salutis adipiscendae laudatur; cf. 3,11; 6,30. 38. Prov. 16,6. Eccli. 29,15. Tob. 4,9; 12,9. Dan. 4,24. Haec quippe opera caritatis animum disponunt ad gratias Dei uberiores accipiendas; qua Deus est clementia, eorum intuitu opem suam largam iis praestat qui sunt misericordes (cf. Matth. 5,7 beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur).

Aliqui offendebantur eo quod eleemosynae effectus adeo sublimis adscriberetur. Ita censet *Weiss* eam sententiam aliquid periculi in se continerie (dieser nicht ganz unbedenkliche Satz). Non mirum, nam protestantes aegre ferunt si operibus aliquid mercedis attribuitur. Ne soli eleemosynae nimium tribuatur, etiam *S. Aug.* notionem eleemosynae quam maxime extendit et ad multa alia transfert; unde dicit primam eleemosynam unumquemque sibi ipsi dare debere, quae in eo consistat, ut misereatur animae suae, ut animae det panem i. e. iudicium et caritatem, ut pascat animum pane vitae etc. (serm. 106,4; Enchirid. cap. 75. 76; *M.* 38,627; 40,267 seq.). Verum tali explicatione opus non est. Nam in sententiis quibus aliquid at-

firmatur, id affirmari censetur aliis quae necessaria sunt subintellectis. Perpende v. g. sententias : qui manducat hunc panem, vivet in aeternum; qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit; etc. sententiae affirmativae non affirmant in universum, sicut negativae negant in universum : qui non crediderit condemnabitur (i. e. non salvabitur).

Quod in *vulg.* habetur *quod superest*, varie accipitur : quod superest victui et vestimento necessario (*Bed. Alb.*) vel quod superest facta rapinarum restitutione, vel : unicum vobis remedium superest (etiam *Bed. Bon. Ipr.*); vel : si quod est rerum summa audire velitis (*Luc. Lap.*); sed frequentius eandem dictioni notionem tribuunt qua *Theoph. Euth.* τὰ ἐνόντα explicant : τὰ ὑπάρχοντα, τὰ ἐναποκείμενα χρήματα, facultates, ea quae habetis, uti Tertullianus habet (c. Marc. 4,27; *M.* 2,428) et eodem modo *Mald. Tol. Ians. Luc. Ipr. Calm.;* sed ἐνόντα accuratius alii accipiunt de iis quae insunt in vasis scil., ita inter alia iam *Luc.* et generatim recentiores. Demum aliis placuit ἐνόν accipere quasi ἐξόν et explicare κατὰ δύναμιν (cf. in nota ad *Euth. M.* 129,977. 3; *Lamy*).

Demum commemorare non piget sententiam eorum qui haec non serio a Domino dici existimant, sed cum ironia : complere scil. Iesum perversitatem pharisaicam his verbis, quibus significet illos plenos malignitate et rapina apud se statuisse, si dederint eleemosynam omnia fore sibi munda, omnia scelera expiata (cf. *Cai. Erasmus, Lightfoot* ad h. l); alio modo ironiam intelligit *Schegg :* si estis dubii, sitne quod in calice et catino est mundum necne, date id pauperibus; en ita omnino tuti estis ab omni immunditie. Quae tamen explicatio cum neque ad verba neque ad orationem contextam congruat paucos invenit laudatores. Insuper nemo facile concedet pharisaeos quamvis de ostentatione in eleemosynis dandis reprehendantur (cf. Matth. 6,2) fuisse in dandis adeo liberales, ut eius ironiae locus esse possit; potius avaritiae accusantur (cf. Matth. 23,14. Marc. 12,40. Luc. 20,47). Id vero quod *Schegg* proposuit post v. 40 minime exspectatur.

Aliud affertur exemplum eos minima quaedam eaque externa sollicite curare, gravissima eaque interna negligere v. 42 *sed* (multum scil. absunt ab eo quod Iesus monuit in v. 40. 41) *vae vobis pharisaeis qui decimatis mentham* i. e. solvitis decimas ex mentha, *et rutam et omne olus*, ruta graveolens quae ad plantas terebinthinas pertinet (cf. *Schegg,* Bibl. Archaeologie p. 161, *Schanz, Fil.*) *et praeteritis iudicium et caritatem Dei,* nec ullum futuri iudicii metum nec aliquam Dei habent caritatem (*S. Ambr.*); minime attendunt ad Dei iudicium, ubi ratio reddenda est secundum normam iustitiae, ut id ob oculos habentes mores suos ad omnem componant iustitiam; alii κρίσιν de virtute iustitiae exponunt (cf. *S. Cyr. Cai. Ians. Luc. Fil. Theoph.* δικαιοκρισίαν exponit et dilectionem proximi); ceterum vide ad Matth. 23,23. Ex plantis illis decimas solventes plus praestant quam lex prae-

scribit (cf. Lev. 27,30. Deut. 14,22 et quae notavi ad Matth. l. c.). Hoc studium operis ut aiunt supererogatorii Christus non vituperat : *haec autem oportuit facere et illa non omittere;* sed nunquam abesse debet quod est in religione primum ac praecipuum et ex quo solo reliqua opera externa suam nanciscuntur coram Deo dignitatem.

Externa illa observant, plus praestant quam a lege exigitur. Sed quo animo? ut laudem et admirationem hominum sibi attrahant. Hoc superbiae vitium iam castigat v. 43 *vae vobis pharisaei qui diligitis primas cathedras in synagogis et salutationes in foro;* vide ad Matth. 23,6. 7; ab omnibus honorari et insigni observantia coli appetunt et ea de re oblectantur eamque maximi aestimant caramque habent, scil. ἀγαπᾶτε. Verum plane immerito honorem exigunt; nam quamvis speciem religionis et pietatis prae se ferant, pleni sunt sordibus peccatorum v. 44 *vae vobis qui estis ut monumenta quae non apparent,* sepulcra scil. quae intus ossa multamque includunt spurcitiam, sed externa specie ut talia non cognoscuntur, sed communem terrae superficiem ostentant (cf. *S. Ambr. Beda*), quare *et homines ambulantes supra nesciunt;* nesciunt se fieri immundos (Num. 16,9); ita qui cum pharisaeis consuetudinem habent nesciunt quae putredo et iniquitas lateat sub illa pietatis specie externa et ipsi quoque eorum consortio evadunt deteriores ita ut non advertant. Apud Matth. 23,27 sermo est de sepulcris dealbatis ex more Iudaeorum.

Pharisaei observantissimi erant in rebus externis eorum praeceptorum quae scribae vel legisperiti ex lege mosaica ad perfectam eius observantiam excogitarant et statuerant. Utrique summum legis studium prae se ferebant, utrique arctis necessitudinis familiaritatisque vinculis erant sociati; unde v. 45 *respondens autem quidam ex legisperitis ait illi : magister, haec dicens etiam contumeliam nobis facis;* indignatur quod et pharisaei et scribae tractentur contumeliose καὶ ἡμᾶς, illis et nobis quoque fit iniuria; v. 46 *at ille ait : et vobis legisperitis vae, quia oneratis homines oneribus quae portare non possunt;* lex mosaica ipsa iam erat onus sat grave (cf. Act. 15,10) vocatur iugum servitutis ab apostolo (Gal. 5,1), cui iugo illi addunt suis explicationibus; ipsi de suo exaggerabant praecepta, ut Tertullianus ait (adv. Marc. 4,27); verum dum alios onerant, in se sunt indulgentissimi, id quod per hyperbolen enuntiatur, ut consuetudo sermonis humani fert, *et ipsi uno digito vestro non tangitis sarcinas;* ipsis scil. nunquam desunt rationes quibus se exsolvant ab observatione; vide ad Matth. 23,4. Verum hi rigidi legum ab aliis exactores odium et caedem spirant in cultores et legatos Dei eodem modo quo veteres Iudaei prophetas occiderunt v. 47 *vae vobis qui aedificatis monumenta prophe-*

tarum, patres autem vestri occiderunt illos; illi utique monumenta erigentes se honorare dicunt prophetas; cf. Matth. 23,29. 30; Iesus vero noscens animos eorum hanc aedificationem ita explanat non sine gravi irrisione eorum, ut dicat eos perficere et celebrare ea quae patres eorum commiserunt v. 48 *profecto testificamini,* ipsi testes estis, *quod consentitis operibus patrum vestrorum* συνευδοκεῖτε una cum illis probatis et delectamini, *quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem aedificatis eorum sepulcra;* affectu scil. et imitatione ingenium patrum exprimunt; quare Christus in contrarium retorquet eorum factum, tamquam id fecerint ut patrum suorum impietatem approbarent; nam, uti v. 49 ostenditur, similium aemulatione factorum se quoque declarabant paternae iniquitatis heredes (*S. Ambr.* similiter *S. Cyr. Bed. Bon. Ians. Tol. Luc.*).

Atque eos merere ut ipsorum opera eo modo in ipsos retorqueantur (*Luc.*) monstrat Christus v. 49 *propterea et sapientia Dei dixit : mittam ad illos prophetas et apostolos et ex illis occident et persequentur;* frustra haec verba aliqui in libris veteris foederis quaesierunt (2 Par. 24,19. Prov. 1,20-31) vel generatim Dei consilium in s. litteris expressum proponi statuerunt (*Keil*) vel citari Scripturam authenticam quae tamen nobis sit deperdita (*Cai.*), vel (etiam infelicius) afferri locum ex libro apocrypho; sed Christus loquitur more et ritu prophetarum, ita ut quod sapiens Dei consilium et providentia facere decreverat et igitur rebus gestis postea loquetur et consilio et decreto facto iam expressit, conceptis verbis ab hac ipsa sapientia Dei enuntiari proponat. Neque agi de verbis e libro quodam prolatis iam concludi poterat ex Matth. 23,34 ideo ecce ego mitto ad vos prophetas etc.; ex quo loco etiam patet sermonem fieri de prophetis et apostolis novi foederis. Sat multi quoque inde collegerunt Iesum seipsum hic appellare sapientiam Dei (*S. Cyr. Ambr. Bed. Euth. Tol. Ians. Luc. Lamy, Calm.* etc.). Id tamen non sequitur et insuper modus loquendi non potuisset intelligi; quare verbis standum est, nominari scil. Dei sapientiam qua ita decretum fuerit (cf. *Schegg, Schanz, Fil. Weiss*); v. 50 *ut inquiratur sanguis omnium prophetarum qui effusus est a constitutione mundi a generatione ista,* ut repetatur poena de caede etc.; dum enim ipsum Messiam et eius legatos occidunt, mensuram patrum suorum implent et tandem Dei vindictam sibi attrahunt qua populum istum abiiciat qui per saeculorum cursum semper contumax fuerit et rebellis. Uti prophetae ad suos aequales loquuntur quasi iidem in Aegypto fuissent, tum educti per saecula in terra Chanaan vixissent (cf. Ier. 2,2 seq. Ez. 16. 23), ita Christus quoque; v. 51 *a sanguine Abel usque ad sanguinem Zachariae qui periit inter altare et aedem; ita dico vobis : requiretur ab hac ge-*

neratione; eam incurrent poenam quam Deus rebellibus minatus est (cf. Lev. 26,14 seq. Deut. 28,15; 29,20 etc.), ceterum vide ad Matth. 23,35. 36. Et quomodo culpa ipsorum doctorum ac ducum generatio ista obnoxia futura sit interitui elucet ex v. 52 *vae vobis legisperitis, quia tulistis,* ἤρατε i. e. ἀπέκρυψαν, ἠφάνισαν (*Theoph.*) abstulistis *clavem scientiae; ipsi non introistis et eos qui introibant prohibuistis;* illis data erat clavis ad aperiendos thesauros scientiae in s. litteris contentae; illa scientia parabatur via ad credendum Christo (cf. Ioan. 5,46). Verum isti hanc interpretationem Scripturae penitus neglexerunt et pro ea populum observantiis externis onerabant; ipsi non ingressi sunt in regnum messianum, pro cuius ianua aperienda clavem habebant in oraculis sacris i. e. eorum iusta interpretatione agnitus fuisset Iesus ut Messias, et insuper alios prohibebant ne intrarent odio suo et calumniis contra Iesum sparsis (*S. Cyr. Theoph. Luc.* Ioan. 9,22 : iam enim conspiraverant, ut si quis eum confiteretur esse Christum extra synagogam fieret).

Etiam hic veritas peperit odium v. 53 *cum autem haec ad illos diceret coeperunt pharisaei et legisperiti graviter insistere,* δεινῶς ἐνέχειν id quod *S. Cyr.* explicat ἐγκεῖσθαι καὶ ἐγκοτεῖν ἤτοι δυσμεναίνειν, urgere, irasci, stomachari, *Euth.* ὀργίζεσθαι, *et os eius opprimere de multis* ἀποστοματίζειν, quod *Theoph.* declarat esse πυκνῶς ἐρωτᾶν αὐτὸν καὶ ἀπορεῖν, vel ut *Euth.* dicit, ad dolosas quaestiones volebant elicere inconsideratas responsiones; multis itaque et callidis quaestionibus eum obruebant exigentes ut statim responderet et sperantes eum aliquid dicturum quod ei crimini vertere possent (*S. Cyr.*), v. 54 *insidiantes ei et quaerentes aliquid capere de ore eius ut accusarent eum;* vide lect. var. Quo agendi modo ipsi egregie confirmant quod Iesus modo eis exprobraverat v. 52; evangelista autem ostendit odium eorum in Iesum letale, quo et Christi mors et ruinae synagogae praeparatur.

2. *Ex altero itinere* 12,1-13,22.

a) **Monentur discipuli ut sincere et intrepide agant 12,1-12.**

12,1. Multis autem turbis circumstantibus, ita ut se invicem conculcarent, coepit dicere ad discipulos suos : Attendite a fermento pharisaeorum, quod est hypocrisis. 2. Nihil autem opertum est, quod non reveletur; neque absconditum, quod non sciatur. 3. Quoniam quae in tenebris dixistis, in lumine dicentur; et quod in aurem locuti estis in cubiculis,

12,1. Ἐν οἷς ἐπισυναχθεισῶν τῶν μυριάδων τοῦ ὄχλου, ὥστε καταπατεῖν ἀλλήλους, ἤρξατο λέγειν πρὸς τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ πρῶτον. Προσέχετε ἑαυτοῖς ἀπὸ τῆς ζύμης, ἥτις ἐστὶν ὑπόκρισις τῶν Φαρισαίων. 2. οὐδὲν δὲ συγκεκαλυμμένον ἐστὶν, ὃ οὐκ ἀποκαλυφθήσεται· καὶ κρυπτὸν, ὃ οὐ γνωσθήσεται. 3. ἀνθ' ὧν ὅσα ἐν τῇ σκοτίᾳ εἴπατε, ἐν τῷ φωτὶ ἀκουσθήσεται· καὶ ὃ

praedicabitur in tectis. 4. Dico autem vobis amicis meis : Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, èt post haec non habent amplius quid faciant. 5. Ostendam autem vobis quem timeatis : timete eum, qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis : hunc timete. 6. Nonne quinque passeres vaeneunt dipondio, et unus ex illis non est in oblivione coram Deo? 7. Sed et capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere : multis passeribus pluris estis vos. 8. Dico autem vobis : Omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus, et Filius hominis confitebitur illum coram angelis Dei. 9. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram angelis Dei. 10. Et omnis qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi : ei autem, qui in Spiritum sanctum blasphemaverit, non remittetur. 11. Quum autem inducent vos in synagogas, et ad magistratus et potestates, nolite solliciti esse qualiter aut quid respondeatis, aut quid dicatis. 12. Spiritus enim sanctus docebit vos in ipsa hora quid oporteat vos dicere.

πρὸς τὸ οὖς ἐλαλήσατε ἐν τοῖς ταμείοις, κηρυχθήσεται ἐπὶ τῶν δωμάτων. 4. Λέγω δὲ ὑμῖν τοῖς φίλοις μου, Μὴ φοβηθῆτε ἀπὸ τῶν ἀποκτεινόντων τὸ σῶμα, καὶ μετὰ ταῦτα μὴ ἐχόντων περισσότερόν τι ποιῆσαι. 5. ὑποδείξω δὲ ὑμῖν τίνα φοβηθῆτε· φοβήθητε τὸν μετὰ τὸ ἀποκτεῖναι ἔχοντα ἐξουσίαν ἐμβαλεῖν εἰς τὴν γέενναν· ναὶ, λέγω ὑμῖν, τοῦτον φοβήθητε. 6. Οὐχὶ πέντε στρουθία πωλοῦνται ἀσσαρίων δύο; καὶ ἓν ἐξ αὐτῶν οὐκ ἔστιν ἐπιλελησμένον ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ· 7. ἀλλὰ καὶ αἱ τρίχες τῆς κεφαλῆς ὑμῶν πᾶσαι ἠριθμηνται. μὴ φοβεῖσθε· πολλῶν στρουθίων διαφέρετε. 8. Λέγω δὲ ὑμῖν, Πᾶς ὃς ἂν ὁμολογήσῃ ἐν ἐμοὶ ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ὁμολογήσει ἐν αὐτῷ ἔμπροσθεν τῶν ἀγγέλων τοῦ Θεοῦ· 9. ὁ δὲ ἀρνησάμενός με ἐνώπιον τῶν ἀνθρώπων ἀπαρνηθήσεται ἐνώπιον τῶν ἀγγέλων τοῦ Θεοῦ. 10. καὶ πᾶς ὃς ἐρεῖ λόγον εἰς τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, ἀφεθήσεται αὐτῷ· τῷ δὲ εἰς τὸ Ἅγιον Πνεῦμα βλασφημήσαντι οὐκ ἀφεθήσεται. 11. ὅταν δὲ εἰσφέρωσιν ὑμᾶς ἐπὶ τὰς συναγωγὰς καὶ τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας, μὴ μεριμνήσητε πῶς ἢ τί ἀπολογήσησθε, ἢ τί εἴπητε. 12. τὸ γὰρ Ἅγιον Πνεῦμα διδάξει ὑμᾶς ἐν αὐτῇ τῇ ὥρᾳ, ἃ δεῖ εἰπεῖν.

In v. 1 D πολλων δε οχλων συνπεριερχοντων κυκλω, item it pler; concurrentibus steph sixt; D ωστε αλλ. συνπνιγειν; habent *primum* c i l q rush; *primo* e f. In v. 2 D ουδεν γαρ, syr (sin, cu) arm; nihil *enim* a eg mt steph sixt; D in fine φανερωθησεται. In v. 3 e homo qui in tenebris locutus est in luce audietur; rush in tectis et in plateis. In v. 4 D add (e Matth.) την δε ψυχην μη δυναμενων αποκτειναι. In v. 5 a demonstrabo. In v. 6 b asse, l duobus assibus. In v. 7 μη sine ουν in B L R a b ff² i l Ti W H; a multo vos passeribus differtis. In v. 9 b negabo et ego eum coram patre meo qui est in coelis; X απαρνησωμαι καγω αυτον. In v. 10 add e Matth. neque in hoc saeculo neque in futuro c e aeth D. In v. 11 c ne cogitaveritis; D solum πως, b ff² i l q qualiter, a e quomodo; rush quid respondeatis, e excusetis, c vos exc., a rationem reddatis. In v. 12 codd vulg *quae* oporteat dicere (sin v. 6 quinque enim passeres etc.; v. 7 non ergo timebitis; v. 9 omittitur).

Admonitio haec ad discipulos ex antecedentibus quasi sua sponte fluit. Duo enim praecedunt : multiplex et acris increpatio pharisaeorum et praenuntiatio persecutionis et caedis contra eos qui mittendi sunt ad evangelium praedicandum. Poterant haec duo discipulos turbare. Pharisaei enim simulabant iustitiam et interrogationibus ultimo narratis se discere et instrui velle ostendebant exterius, cum interius

insidiarentur. Dein discipuli audientes persecutiones et caedes poterant in timorem coniici, sicut illa agendi ratione pharisaeorum in errorem induci. Unde Christus contra utrumque eos munit (cf. *Tol.*). Et prius quidem ne specie illa externa pharisaeorum decipiantur, de eorum loquitur hypocrisi (v. 1-3); ne persecutionibus absterreantur, eos confortat variis adductis rationibus (v. 4-12). Quare ipso sermonis argumento indicatur haec arcte adiungi serie quoque temporis ad antecedentia. Idem exprimitur graece v. 1 ἐν οἷς interea, i. e. dum haec gerebantur quae 11,53. 54 narrantur, dum scil. Iesus relicta convivii domo (κἀκεῖθεν ἐξελθόντος αὐτοῦ) variis interrogationibus impeteretur, immensa hominum multitudo ad eos congregata est (graece); v. 1 *multis autem turbis circumstantibus,* τῶν μυριάδων dicitur de turba ingenti, innumerabili, *ita ut se invicem conculcarent,* erat itaque turba confertissima; pharisaeorum igitur simultate et calumniis turbae nondum abarcentur a Iesu (cf. *Theoph. Luc.*); *coepit dicere ad discipulos suos* graece additur πρῶτον, quod aliqui iungunt cum sequenti : praeprimis cavete etc. (*Cai. Ians. Fil. Meyer, Keil*); melius alii id referunt ad antecedentia : prius coepit loqui ad discipulos, « nam post haec locutus est ad eos qui circumstabant » (*Tol. Schegg Bisp. Schanz, Weiss, Sp.*) neque cernitur ratio sufficiens, cur πρῶτον ante omnia et tanta cum emphasi iis cavendum sit a simulatione pharisaeorum; *attendite a fermento pharisaeorum quod est hypocrisis* ἥτις quippe quod fermentum; eorum itaque agendi vivendique ratio plena est simulatione. Quae simulatio uti fermentum quidquid in homine esse potest boni inficit et corrumpit et inani specie hominem inflat (*Theoph. Luc. Ians.*). Cum periculum sit ne alii specie ista externa pietatis et religionis et studii legis et auctoritatis fallantur et decipiantur, eos plane infici docet hypocrisi.

Vitium hoc utique occultatur studiosissime; atqui, ait Dominus, v. 2 *nihil autem opertum est quod non reveletur, neque absconditum quod non sciatur;* proverbiali locutione affirmat hypocrisin iri aliquando detectum nec posse semper latere; ita longe plerique accipiunt hanc sententiam hoc loco (cf. *S. Cyr. Theoph. Euth. Bed. Bon. Cai. Tol. Ians. Luc. Calm. Schegg, Schanz, Fil. Keil, Weiss*) neque obstat ei explicationi quod 8,17 et Matth. 10,26 in alium sensum ea verba usurpantur. Nam eiusmodi sententiae generales alias alio sensu proferri possunt. Et confirmat porro praecedentia v. 3 *quoniam quae in tenebris dixistis in lumine dicentur, et quod in aurem locuti estis in cubiculis praedicabitur in tectis;* nec tenebrae igitur nec modus dicendi secretus nec locus occlusus retinebit aliquod occultum, sed omnia demum in lumine i. e. manifesto audientur et in locis patulis

et publicis praedicabuntur; alludit ad morem patriae illius in qua domus tabulatis tectis finiuntur sub dio (*Cai.*); tecta erant plana, declivitas eorum perexigua. Significatur itaque modo proverbiali omnia hominum dicta quantumvis occulta esse manifestanda. Notant aliqui pharisaeorum hypocrisin et occultas machinationes in evangeliis palam exponi et toti orbi iam ab initio evangelii praedicati innotuisse. Adhortatur itaque Salvator, ut *S. Ambr.* colligit, ad tenendam simplicitatem : « quae enim maior est simplicitatis illecebra quam ut unusquisque cognoscat latebram fraudis esse non posse »?

Sunt tamen qui verba haec de munere docendi et praedicandi apostolorum exponant. Ita iam v. 2 concipiunt *Alb. Lamy, Bisp. Meyer;* frequentius autem similis explanatio in v. 3 proponitur; ita *Beda* accipit de apostolorum laboribus : quoniam quae inter tenebras quondam pressurarum carcerumque umbras vel locuti vel passi sunt apostoli, nunc clarificata per orbem Ecclesia lectis eorum actibus publice praedicantur. Alii ita : quae apostoli nunc de Iesu eiusque doctrina clam dicunt et solum inter se conferunt v. g. Iesum esse Messiam quod ne dicerent prohibiti sunt, haec omnibus publice annuntiabuntur (*Tol. Lamy, Bisp. Schegg*), vel quae nunc Christus tradat de pharisaeorum superbia, hypocrisi ac perversitate morum et quae ipsi apostoli dicunt, ab universis hominibus cognitum iri (*Calm.*) et quae ita palam fiant verti in ignominiam pharisaeorum, sed in gloriam apostolorum simulque designari timida initia praedicationis apostolicae et mirabilem evangelii propagationem mox futuram (*Fil.*) vel apostolos moneri, ne praeconium evangelii supprimant, quia id nullatenus occultari possit; proinde idem dici quod Matth. 10,27 (*Keil*). Sed satius est alteram plurimorum sequi explicationem. Nam in v. 4 demum nova interposita formula : dico autem vobis, transit Iesus ad monita de vita et munere apostolico; inceperat ab admonitione ut caverent ab hypocrisi pharisaeorum; est autem improbabile eum statim relinquere argumentum inceptum, cum tamen verba illa v. 2. 3 apta sint ad detestationem eius vitii excitandam et ad animos a pharisaeis avertendos, cum eorum malitiam occultam manere posse prorsus negetur.

Transit ad alterum quod supra tetigerat 11,49. 50 et confortat discipulos ne persecutionibus caedibusque terreantur, et primam quidem rationem petit ex levitate mali quod homines inferre possunt (*Tol.*) v. 4 *dico autem vobis amicis meis :* vocat amicos non solum ob dilectionem qua eos complectitur, sed etiam ut significet eos fore persecutionibus obnoxios ea de causa quia sint amici sui, et ut hortetur eos ad eam perfectionem quam amici dilectio postulet, scil. maiorem dilectionem nemo habet quam ut animam suam ponat pro amicis suis; dein ut insinuet se parem cum illis habiturum persecutionem; inter amicos enim omnia sunt communia (cf. *Tol.*); *ne terreamini ab his*

qui occidunt corpus et post haec scil. post varias mortes, post varia interfectionis genera quae excogitare et inferre possunt *non habent amplius quid faciant;* animos roborat ad fortiter quaeque toleranda religionis et pietatis causa non sine magna emphasi dicens v. 5 *ostendam autem vobis quem timeatis : timete eum qui postquam occiderit habet potestatem mittere in gehennam; ita dico vobis : hunc timete;* docet itaque Christus timore suppliciorum aeternorum quae Deus sanctus minatur superandum esse omnem timorem cruciatuum temporalium damnorumque quae ab hominibus possint inferri, et Dei timore efficaciter expugnari timorem hominum; vere itaque salutarem esse timorem poenae a Deo infligendae; vide ad Matth. 5,29. 30; 10,28; de gehenna ad Matth. 5,22 (Comment. I p. 215).

Alterum argumentum ad eos confortandos depromit ex Dei scientia, voluntate et cura benevolentissima, quam iis perpendendam proponit a minore ad maius v. 6 *nonne quinque passeres vaeneunt dipondio?* duobus assariis; assarius nummus est aequans decimam partem drachmae (*Grimm,* Lex. s. v.; ceterum vide ad Matth. 10,29, Comment. I p. 403) *et unus ex illis non est in oblivione coram Deo;* « nec hyperbolice dictum intelligas; spectat enim ad immensitatem providentiae eius et videre singula quaeque individua et curam illorum habere sine ulla mutatione aut multiplicatione actuum videndi, volendi, disponendi, curandi etc. in ipso » (*Cai.*). Alio id ostendit exemplo quod ad nos spectat v. 7 *sed et capilli capitis vestri omnes numerati sunt; nolite ergo timere; multis passeribus pluris estis vos,* διαφέρετε praestatis, excellitis. Notat *S. Cyr. :* « viden' quantam curam gerat diligentium se? nam si ad haec usque vilissima extenditur seque ad minutissima animalcula inclinat, qui fieri potest ut eum amatorum suorum capiat oblivio vel rem ullam ad eos pertinentem ignoret, qui sane tantam circa illos providentiam gerit, ut singula ipsorum negotia accurate sciat? vel igitur in tentationem non sinet incidere vel sapiente consilio id sinet, ut patientia inclarescamus », et *S. Ambr. :* « quod si tanta est Dei et tam aeterna maiestas, ut unus ex passeribus aut nostrorum numerus capillorum praeter scientiam Dei non sit, quam indignum est aestimare quod fidelium corda Dominus aut ignoret aut spernat qui viliora cognoscat ». Inde quoque apparet quantam Deo iniuriam infert is qui non fiducia plane filiali se suaque omnia Deo committat.

Tertio argumento eos confortat praemio proposito si intrepide et constanter fidem ubique professi fuerint alieni ab hominum timore v. 8 *dico autem vobis,* haec itaque ratio peculiari emphasi inducitur, *omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus, et Filius*

hominis confitebitur illum coram angelis Dei, tamquam suum agnoscet coram aula coelesti, eum tamquam suum amicum exhibebit amandum et laudandum angelis Dei. Verum ex altera parte damnum quoque ostendit et perniciem, si qui timore hominum superati fidem negaverint; v. 9 *qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram angelis Dei;* vide 9,26 et ad Matth. 10,32. 33. Attamen non unam eandemque esse negantium conditionem, peccati culpam poenamque declarat v. 10 *et omnis qui dicit verbum in Filium hominis remittetur illi,* utique iis positis conditionibus quas ad veniam impetrandam requiri aliunde constat; *ei autem qui in Spiritum sanctum blasphemaverit non remittetur;* quae sit blasphemia cui venia negatur discimus ex Matth. 12,22-32; inde dici potest cum *Luc.* : « blasphemia in Spiritum sanctum ea esse videtur qua quis destinata malitia contra proprium animi sensum Spiritus sancti gratiam et virtutem Deique gloriam oppugnat, Dei virtutes sibi patefactas aut in ipsis operibus relucentes ad salutem humani generis, in quibus celebrari Dei gloriam decebat, in eius dedecus malitiose convertit inque divini nominis contumeliam data opera prosilit ». De blasphemia in Spiritum sanctum quae a venia excludatur pluribus egi in Comment. Matth. I p. 487-495 et in periodico Revue biblique I p. 161 et in Comment. Marc. p. 108.

Quarto eos confortat promittens singularem Spiritus sancti opem si coram tribunalibus rationem fidei suae reddere debent v. 11 *cum autem inducent vos in synagogas et ad magistratus et potestates,* ergo tribunalibus et Iudaeorum et gentilium variis sistendi erunt, *nolite solliciti esse qualiter aut quid respondeatis aut quid dicatis;* non cogitationem meditationemve prohibet, sed immodicam et anxiam sollicitudinem vel de ipsa re quae dicenda sit vel de modo quo ratio fidei reddi possit ac debeat accommodate ad ingenium et eruditionem eorum coram quibus perorandum sit; v. 12 *Spiritus enim sanctus docebit vos in ipsa hora quid oporteat vos dicere;* ulteriorem explicationem vide ad Matth. 10,19 et Marc. 13,11. Adiutorium igitur Spiritus sancti peculiare promittitur; sed apposite monet *S. Gregorius* in epistola ad Natalem episcopum (epist. lib. 2,52; *M.* 77,596), ne ea de causa studium sacrarum litterarum negligatur : « sacra ergo ad nos eloquia frustra mandata sunt qui repleti spiritu verbis exterioribus non egemus? sed aliud est, frater carissime, quod angustati persecutionis tempore absque dubitatione confidere, aliud quod in tranquillitate Ecclesiae agere debemus; oportet enim nos per hunc spiritum modo legendo percipere quae possimus, si contigerit causa in nobis, patiendo demonstrare ».

Quae hoc sermone dicuntur, plerumque aliis quoque occasionibus dicta esse legimus. Ita de fermento pharisaeorum sermo fit Matth. 16,6 et Marc. 8,15; aliae sententiae leguntur Matth. 10,19.20.26-33. Marc. 4,22; 8,38. Matth. 12,32 et Marc. 3,28; immo quaedam iam apud ipsum Lucam proferebantur; vide 8,17 et 9,26. Unde aliqui concludunt : « multa diversi temporis dicta in unum congessit Lucas quorum cohaerentiam texere nihil necesse est; sunt enim velut aphorismi » (*Rosenmüller*). Verum hoc nequit admitti. Nam adesse cohaerentiam facile ostendi potest atque utramque sermonis partem enatam esse ex antecedentibus supra iam dictum est. Dein oportet attendere evangelistam revera assignare tempus et occasionem eius sermonis v. 1 ἐν οἷς etc. et notare Iesum prius ad discipulos verba direxisse et postea 12,16 ad turbas. Proinde ei fit iniuria si statuitur hunc sermonem ab ipso esse compositum et quasi corrasum ex aliis locis; nam quid ipse professus est 1,3? Porro oportet notare in ipsis sententiis sufficientem cerni varietatem. Ita fermentum alibi explicatur de doctrina, v. 1 de hypocrisi; locutio illa proverbialis v. 2.3, hoc loco in alium adhibetur sensum et aliter effertur; nam Matth. 10,27 quod dico... dicite; quod auditis, praedicate; aliter quoque effertur v. 4, v. g. et post haec non habent amplius quid faciant; aliter v. 5 v. g. ostendam... ita dico vobis..; aliter v. 6 quinque passeres vaeneunt dipondio; Matth. 10,29 duo passeres asse; v. 6 non est in oblivione, Matth. non cadet super terram etc. Pariter aliqua varietas cernitur in v. 8 dum angelorum fit mentio, uti in v. 9 quoque, apud Matth. vero Patris qui in coelo est; item in v. 9 negabitur, Matth. negabo et ego. Eadem varietas deprehenditur in v. 10-12 etiam magis.

b) **Cavendum esse ab avaritia et sollicitudine 12,13-34.**

12,13. Ait autem ei quidam de turba : Magister, dic fratri meo ut dividat mecum haereditatem. 14. At ille dixit illi : Homo, quis me constituit iudicem aut divisorem super vos? 15. Dixitque ad illos : Videte, et cavete ab omni avaritia, quia non in abundantia cuiusquam vita eius est, ex his quae possidet. 16. Dixit autem similitudinem ad illos dicens: Hominis cuiusdam divitis uberes fructus ager attulit; 17. Et cogitabat intra se dicens : Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos? 18. Et dixit : Hoc faciam : destruam horrea mea, et maiora faciam; et illuc congregabo omnia quae nata sunt mihi, et bona mea, 19. Et dicam animae meae : Anima, habes multa bona posita in annos plurimos : requiesce, comede, bibe, epulare. 20. Dixit autem illi Deus : Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te; quae autem parasti, cuius erunt? 21. Sic est qui sibi thesaurizat, et non est in Deum dives.

12,13. Εἶπεν δέ τις ἐκ τοῦ ὄχλου αὐτῷ, Διδάσκαλε, εἰπὲ τῷ ἀδελφῷ μου μερίσασθαι μετ' ἐμοῦ τὴν κληρονομίαν. 14. ὁ δὲ εἶπεν αὐτῷ, Ἄνθρωπε, τίς με κατέστησεν δικαστὴν ἢ μεριστὴν ἐφ' ὑμᾶς; 15. Εἶπεν δὲ πρὸς αὐτούς, Ὁρᾶτε καὶ φυλάσσεσθε ἀπὸ πάσης πλεονεξίας· ὅτι οὐκ ἐν τῷ περισσεύειν τινὶ ἡ ζωὴ αὐτοῦ ἐστὶν ἐκ τῶν ὑπαρχόντων αὐτῷ. 16. Εἶπεν δὲ παραβολὴν πρὸς αὐτοὺς λέγων, Ἀνθρώπου τινὸς πλουσίου εὐφόρησεν ἡ χώρα· 17. καὶ διελογίζετο ἐν αὑτῷ, λέγων, Τί ποιήσω, ὅτι οὐκ ἔχω ποῦ συνάξω τοὺς καρπούς μου; 18. καὶ εἶπεν, Τοῦτο ποιήσω· καθελῶ μου τὰς ἀποθήκας, καὶ μείζονας οἰκοδομήσω, καὶ συνάξω ἐκεῖ πάντα τὸν σῖτον καὶ τὰ ἀγαθά μου, 19. καὶ ἐρῶ τῇ ψυχῇ μου, Ψυχή, ἔχεις πολλὰ ἀγαθὰ κείμενα εἰς ἔτη πολλά· ἀναπαύου, φάγε, πίε, εὐφραίνου. 20. εἶπεν δὲ αὐτῷ ὁ θεὸς, Ἄφρων, ταύτῃ τῇ νυκτὶ τὴν ψυχήν σου αἰτοῦσιν ἀπὸ σοῦ· ἃ δὲ ἡτοίμασας, τίνι ἔσται; 21. οὕτως ὁ θησαυρίζων αὐτῷ, καὶ μὴ εἰς Θεὸν πλουτῶν.

22. Dixitque ad discipulos suos : Ideo dico vobis : nolite solliciti esse animae vestrae quid manducetis, neque corpori quid induamini. 23. Anima plus est quam esca, et corpus plus quam vestimentum. 24. Considerate corvos, quia non seminant, neque metunt, quibus non est cellarium neque horreum; et Deus pascit illos. Quanto magis vos pluris estis illis! 25. Quis autem vestrum cogitando potest adiicere ad staturam suam cubitum unum? 26. Si ergo neque quod minimum est potestis, quid de caeteris solliciti estis? 27. Considerate lilia quomodo crescunt : non laborant, neque nent; dico autem vobis : nec Salomon in omnia gloria sua vestiebatur sicut unum ex istis. 28. Si autem foenum, quod hodie est in agro, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos, pusillae fidei? 29. Et vos nolite quaerere quid manducetis, aut quid bibatis, et nolite in sublime tolli; 30. Haec enim omnia gentes mundi quaerunt. Pater autem vester scit quoniam his indigetis. 31. Verumtamen quaerite primum regnum Dei, et iustitiam eius; et haec omnia adiicientur vobis. 32. Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum. 33. Vendite quae possidetis, et date eleemosynam. Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in coelis; quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit. 34. Ubi enim thesaurus vester est, ibi et cor vestrum erit.

22. Εἶπεν δὲ πρὸς τοὺς μαθητάς, Διὰ τοῦτο λέγω ὑμῖν, μὴ μεριμνᾶτε τῇ ψυχῇ, τί φάγητε· μηδὲ τῷ σώματι ὑμῶν, τί ἐνδύσησθε. 23. ἡ γὰρ ψυχὴ πλεῖόν ἐστι τῆς τροφῆς, καὶ τὸ σῶμα τοῦ ἐνδύματος. 24. Κατανοήσατε τοὺς κόρακας, ὅτι οὐ σπείρουσιν οὐδὲ θερίζουσιν· οἷς οὐκ ἔστιν ταμεῖον οὐδὲ ἀποθήκη, καὶ ὁ Θεὸς τρέφει αὐτούς· πόσῳ μᾶλλον ὑμεῖς διαφέρετε τῶν πετεινῶν; 25. τίς δὲ ἐξ ὑμῶν μεριμνῶν δύναται ἐπὶ τὴν ἡλικίαν αὐτοῦ προσθεῖναι πῆχυν; 26. εἰ οὖν οὔτε ἐλάχιστον δύνασθε, τί περὶ τῶν λοιπῶν μεριμνᾶτε; 27. Κατανοήσατε τὰ κρίνα, πῶς αὐξάνει· οὐ κοπιᾷ, οὐδὲ νήθει· λέγω δὲ ὑμῖν, οὐδὲ Σολομὼν ἐν πάσῃ τῇ δόξῃ αὐτοῦ περιεβάλετο ὡς ἓν τούτων. 28. εἰ δὲ ἐν ἀγρῷ τὸν χόρτον ὄντα σήμερον, καὶ αὔριον εἰς κλίβανον βαλλόμενον, ὁ Θεὸς οὕτως ἀμφιάζει, πόσῳ μᾶλλον ὑμᾶς, ὀλιγόπιστοι; 29. Καὶ ὑμεῖς μὴ ζητεῖτε τί φάγητε, καὶ τί πίητε· καὶ μὴ μετεωρίζεσθε. 30. ταῦτα γὰρ πάντα τὰ ἔθνη τοῦ κόσμου ἐπιζητοῦσιν· ὑμῶν δὲ ὁ πατὴρ οἶδεν ὅτι χρῄζετε τούτων. 31. πλὴν ζητεῖτε τὴν βασιλείαν αὐτοῦ καὶ ταῦτα προστεθήσεται ὑμῖν. 32. μὴ φοβοῦ, τὸ μικρὸν ποίμνιον· ὅτι εὐδόκησεν ὁ πατὴρ ὑμῶν δοῦναι ὑμῖν τὴν βασιλείαν. 33. Πωλήσατε τὰ ὑπάρχοντα ὑμῶν, καὶ δότε ἐλεημοσύνην. ποιήσατε ἑαυτοῖς βαλλάντια μὴ παλαιούμενα, θησαυρὸν ἀνέκλειπτον, ἐν τοῖς οὐρανοῖς, ὅπου κλέπτης οὐκ ἐγγίζει, οὐδὲ σὴς διαφθείρει. 34. ὅπου γάρ ἐστιν ὁ θησαυρὸς ὑμῶν, ἐκεῖ καὶ ἡ καρδία ὑμῶν ἔσται.

In v. 14 κριτην ℵ B D L aliq minusc; al δικαστην; b dispensatorem. In v. 18 codd pler τα γεννηματα; τον σιτον ℵ^{ac} B L X al 10 sah cop arm aeth tat; fructus meos a c e; om τα αγα0. ℵ* D aliq minusc b c e ff^{2} i l q r Ambr. In v. 19 D om omnia a κειμενα usque πιε et ita etiam a b c e ff^{2} (om i l r req. com. bibe). In v. 20 αιτουσιν B L Q; al απαιτουσιν; a reposcunt, Ir expostulabunt; dub repetunt angeli; item Antioch hom 13 οι αγγελοι. Om v. 21 D a b; add aliq codd (in margine E F G) H U Γ Λ al 60 ev hier ταυτα λεγων εφωνει· ο εχων ωτα ακουειν ακουετω. In v. 23 η γαρ ψυχη ℵ B D L M S X al 25 fere b c e eg cop syr (sin, cu, sch) arm aeth Clem; l ken nonne anima. In v. 24 D τα πετεινα, volatilia e f l r mt; volucres for; f meliores estis avibus. In v. 25 d ad aetatem suam, e ad statum actatis suae; πηχυν sine ενα ℵ* B D i ff^{2} sah cop Ti WH. V. 26 D a b c ff^{2} i l r habent solum : et de ceteris quid (om c) solliciti estis, e cogitatis. In v. 27 lilia *agri* a b c e i r dub car ken wil, uti αγρου X al plus 10; non labo-

rant neque neunt neque texunt b ff² i l r; quomodo cr. et florescunt e, non nent neque texunt c; om αυξανει D sin, cu a. In v. 28 si enim e eg; si ergo ff²; aut videte fenum b q; modicae fidei mt ger minimae ff² Amb. In v. 29 και τι πιητε ℵ B L Q al plus 12 syr (cu, sch) Bas; al η τι; varie redditur μη μετεωρ. tat neque mens vestra propter hoc turbetur; nolite solliciti esse a b ff² i l q r (similiter c e), non abalienetis vos d. In v. 30 scit enim pater vester a c e l cum D aeth Clem. In v. 31 την βασ. αυτου ℵ B D L a c sah cop aeth; al του θεου; add wil primum et add steph sixt et iustitiam eius. In v. 32 nolite metuere pusillum gregem d e i; bene sensit e (sin de v. 13-15 pauca verba servata sunt; v. 18 sed oportet me destruere horreum meum et aedificabo et augebo ea et congregabo in ea proventus meos v. 19 et dicam animae meae : ecce bona multa posita tibi in annos; v. 27 lilia, quomodo non nent neque texunt; sicut illa; v. 28 in montibus; v. 33 ubi fures non furantur).

Munierat Iesus suos contra pericula quae ex persecutoribus iis imminent. Verum praeter hos inimicos qui eos a regno Dei abstrahere conantur alia vis inimica in ipsis eorum animis latet et insidias struit, cupiditas, avaritia, nimia rerum temporalium cura et sollicitudo. Ut contra hoc salutis periculum documenta traderet opportuna ei oblata est occasio, quam unus Lucas nobis refert v. 13 *ait autem ei quidam de turba* ἐκ τοῦ ὄχλου, cum modo adeo determinato ὁ ὄχλος efferatur, obvium est illam intelligere turbam, de qua in v. 1 eodem vocabulo sermo erat; ille *quidam* non erit censendus fuisse discipulus, uti satis indicatur et ipsa eius designatione τις ἐκ τ. οχ. et eius quoque postulatione; *magister, dic fratri meo, ut dividat mecum hereditatem;* persuaserat sibi qua auctoritate Iesus pollebat omnino fore ut frater verbo Iesu acquiesceret. Hoc omnino sufficit ad eius petitionem qua Iesum adiit declarandam neque opus est cum *Mald. Luc. Ipr.* assumere Iesum ab eo creditum esse Messiam et proinde regem ac iudicem a Deo constitutum ad iura petentibus reddenda ac vindicem pauperum (cf. Ps. 71,2. 4. 12). Ex lege mosaica primogenitus duplicem partem hereditatis paternae accipiebat (Deut. 21,17). Si plures aderant filii rabbini ita statuebant, ut si v. g. quinque filii erant relicti, hereditas paterna dividereretur in sex partes quarum duas accipiebat primogenitus; hereditas materna aequali ratione inter omnes dividebatur (cf. *Ed.* II p. 243). Uno hoc exemplo refertur postulatum esse a Iesu ut rem temporalem ad pecuniam spectantem componeret; alias semper bona ordinis altioris, sanitatem, liberationem a daemone esse efflagitata. Cum insuper Iesus non modo eius petitioni non acquiescat, sed etiam seriam adiungat admonitionem de vitanda avaritia, plerique satis dure in hominem illum invehuntur illum avaritiae sordidae accusantes qui auctoritate Iesu abuti voluerit ad cupiditatem suam rerum terrenarum explendam. Sed fortasse mitius de eo iudicari poterit. Ita sane iudicavit *S. Aug.* : « quam bonam causam habuerit iste interpellator ad-

vertitis; non enim rapere quaerebat aliena, sed sua a parentibus relicta quaerebat; ipsa Domino interpellato et iudicante poscebat; habebat iniustum fratrem, sed iustum iudicem invenerat contra iniquum fratrem; deberet ergo perdere in tam bona causa istam occasionem? iudicem forte frater ditior et raptor praemio corrumpebat; miser ergo et paternis opibus destitutus tali ac tanto iudice invento accedit, interpellat, rogat... causa iusta, causa brevis » (serm. 107; *M.* 38,628).

Et sane ius suum repetere licitum est, immo potest esse etiam debitum. Cum rabbini solerent invocari iudices in rebus ad testamenta spectantibus (cf. *Sepp,* Leben Iesu III p. 196 seq. *Schanz*), ille adit Iesum ut magnum quendam et celebrem rabbi, ut ipsa allocutione satis prodit. Neque Iesus causam eius vel mentem eius reprehendit, sed solum dicit rem hanc a suo munere esse alienam. Neque quod subditur adhortatio contra avaritiam, certum est documentum eum avaritia motum adiisse Iesum. Nonne potius frater ille qui noluit fratri partem hereditatis dare potuit occasionem dare sermonis contra avaritiam? Porro cum Iesus omnem virtutem et iustitiam doceret et commendaret et caritatis exercitium summopere laudaret, non reprehendendus erit ille, si inde concluserit fore ut Iesus iustitiae et caritatis observantiam (quam a fratre turpiter negligi putabat) sua auctoritate in fratre revocaret; v. 14 *at ille dixit illi : homo,* allocutio est admirantis quod tale a se exposcatur negotium, *quis me constituit iudicem aut divisorem super vos?* de divisione hereditatis et de ratione in singulis casibus observanda iustis de causis statutae sunt leges civiles neque iis de rebus ex solis naturae morumque praeceptis quid iuris sit decernitur; quare Christus de rebus istis mundanis sententiam ferre recusat insinuans adesse qui de eiusmodi conditionibus secundum leges et consuetudines decernant. Responsio est, ait *Tol.* ad mentem hominis petentis; expostulabat enim hic operam Christi, quasi id esset muneris et officii eius, sicut esse solet aliorum hominum, qui potestatis quam receperunt tenentur officia exercere; ait ergo Iesus : non sum ego deputatus iudex, aut arbiter, quasi mihi incumbat sic iudicare petentes. Ait itaque ad administrationem eius quod petebatur negotium se non esse missum; habere civitatem Iudaeorum iudices qui lites mundanas dirimere ac componere possint ac debeant (*Ians.*). « Bene terrena declinat qui propter divina descenderat, nec iudex esse dignatur litium et arbiter facultatum vivorum habens mortuorumque iudicium arbitriumque meritorum » (*S. Ambr.*).

Ex hac igitur occasione, qua alter iniuste sibi usurpat rem alterius, alter de possessione terrena anxius est et sollicitus, Iesus, ut solet uti omni conditione ad animos sursum erigendos, ad mali radicem pro-

greditur et ea docet quae si observentur omnes litium et inimicitiarum causas removent et funditus excidunt v. 15 *dixitque ad illos : videte et cavete ab omni avaritia;* quanti momenti sit in *cavete*, *S. Aug.* perpendit : « non leviter habendum est, fratres mei, quando Dominus noster, redemptor noster, salvator noster, qui mortuus est pro nobis... advocatus et iudex noster, non est leve quando dicit : *cavete;* novit ille quantum mali sit ; nos non novimus ; illi credamus » (serm. 107,3. 4). Neque caret emphasi quod ab *omni* avaritia, πλεονεξία aviditate, plura habendi cupiditate iubeamur cavere (*Ians.*) ; nam, ut *S. Aug.* dicit l. c., non solum avarus est qui rapit aliena, sed et ille qui cupide servat sua. Cur autem cavendum sit ratio affertur *quia non in abundantia cuiusquam* ἐν τῷ περισσεύειν τινί (περισσεύει μοι ego abundo; igitur : etsi quis habeat abundantiam) *vita eius est* i. e. proficiscitur, prodit, *ex his quae possidet* διὰ τὸ μὴ πλούτῳ συνεκτείνεσθαι τὸ τῆς ζωῆς μέτρον (*cat. Cr.*), vitae mensura non simul extenditur cum ipsa abundantia, neque enim qui multa possidet diutius vivit neque comitatur divitiarum multitudinem vitae longaevitas (*S. Cyr. Theoph. Euth.*). Vita hominis non consistit in divitiis neque iis retinetur (cf. *Mald. Ians.*) neque iis acceptum referri potest quod quis vivit (*Luc.*) ; verum tota vita uti sequenti parabola exponitur, a nutu et voluntate Dei dependet. Nullus enim, ut *S. Bon.* verba haec explicat, propter abundantiam divitiarum vivere potest diutius ; non sufficiunt possessiones ad vitam servandam (*Cai. Tol.* et recentiores).

Iam vitam minime ex divitiis pendere, etsi quis iis maxime abundet, parabola ostenditur, qua doctrinam hanc quasi oculis subiicit (*Theoph. Tol. Mald. Luc. Schanz*) ; ad id praecipue tendere exemplum patet ; aliqui commemorant id quod in v. 17 aliqua ratione innuitur, opibus afferri curam et sollicitudinem (cf. *Theoph. Ians.*) v. 16 *dixit autem similitudinem* παραβολήν *ad illos dicens : hominis cuiusdam divitis uberes fructus ager attulit;* non unum praedium χωρίον ostendit fertile fuisse, sed universam regionem χώραν uberem fructum possessori attulisse (*S. Cyr.*) ; habebat itaque latifundium, vel ut *S. Aug.* textum affert : erat homo dives cui successerat regio (serm. 107,4 et 178,2). Et fertilitatem latifundii fuisse permagnam, ita ut copia plus turbaret hominem quam inopia (*S. Aug.* serm. 36,9) elucet ex v. 17 *et cogitabat intra se dicens : quid faciam quia non habeo quo congregem fructus meos?* quaerit consilium miser, non quomodo eroget quod plus natum erat sed quomodo reservet (serm. 107,4. 5) et cum aestuasset arctatus tandem sibi visus est invenisse consilium (serm. 36,9) v. 18 *et dixit : hoc faciam : destruam horrea mea et maiora faciam et illuc congregabo omnia quae nata sunt mihi et bona mea;* quoties repetit μου ! ad

se solum omnia pertinere ait; « quid faciam? promptum erat dicere : esurientium explebo animas, aperiam horrea, omnesque egenos accersam; emittam vocem : quotquot indigetis panibus, venite ad me, singuli ex communibus quasi fontibus futuri participes collati a Deo beneficii » (*S. Basilius,* hom. in h. l. *M.* 31,265). Verum ab his longissime abest; v. 19 *et dicam animae meae : anima, habes multa bona posita in annos plurimos; requiesce, comede, bibe, epulare,* εὐφραίνου iucundare (ut *S. Aug.* habet serm. 36, et serm. 178 : laetare, iucundare, satiare); « spatium vitae sibi definit quasi hoc etiam de terra messuerit » (*S. Cyr.*). Quasi sapiens sibi visus est inveniendo consilium (*S. Aug.* serm. 107,4).

Parabola haec plane exprimit quod legitur Eccli. 11,18-20 : est qui locupletatur... et dicit : inveni requiem mihi et nunc manducabo de bonis meis solus; et nescit quod tempus praeteriet et mors appropinquet et relinquat omnia aliis et morietur. Ita huic diviti accidit v. 20 *dixit autem illi Deus,* cum id ad formam parabolae pertineat, non est quaerendum quomodo Deus ei locutus sit, in somnio an voce conscientiae etc.; « non quasi Deus familiare colloquium habeat cum divite; fingitur enim haec parabola » (*Theoph.*) : *stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te;* hac nocte, dum scil. decumbens in lecto consilia volvit de nimiis possessionibus et ea cura sollicitus tenetur, allocutio Dei fit et quia terrena solum sapit totusque voluptatibus inhiat immemor quam incertum sit vitae spatium, dignam sortitur appellationem (*S. Bas.* l. c.). Ecce qui dicitis : hodie aut crastino ibimus in illam civitatem et faciemus ibi annum et mercabimur, qui ignoratis quid erit in crastino! quae est enim vita vestra etc. Iac. 4,13-15. Vitae usuram ceu pecuniae homini dat Deus mox repetiturus quando ei placuerit; et praeteriti temporis rationes exigit et ad quem usum vitam concreditam adhibuerit homo exquirit (cf. *Calm.*); *quae autem parasti cuius erunt?* « audite quid audierit qui tenaciter servabat sua, et hinc intelligite quid exspectent qui rapiunt aliena » (*S. Aug.* serm. 178,2); v. 21 *sic est,* similis est huic diviti, *qui sibi thesaurizat et non est in Deum dives,* « sibi thesaurizat qui thesauros sibi in terra multiplicat; in Deum autem dives est qui abundat in meritis et operibus pietatis » (*S. Bon.*). Quae enim quis *sibi* thesaurizat, haec opinione citius relinquere debebit et quae erit eius in aeternitate sors, si vacuus coram iudice apparet? Opera virtutum sunt divitiae in Deum, quia per eas in ipsum tendimus, eum quodammodo lucramur et acquirimus vitam aeternam per quam ipso fruimur (*Tol.*). Ditescere in Deum itaque tam late patet quam late exercitium et opera virtutum; bonus igitur usus divitiarum etiam facit divitem in Deum.

Ipsam avaritiae radicem, sollicitudinem, aggreditur ut amputet; quoniam insipiens est qui plura inquirit quam vitae necessitas exigit et plus in hac vita appetit qualis erat dives idcirco dico vobis : ne solliciti sitis (*Theoph.*); v. 22 *dixitque ad discipulos suos,* ad hos iterum praeprimis sermonem dirigit; cf. v. 1; *ideo dico vobis : nolite solliciti esse animae vestrae quid manducetis, neque corpori quid induamini;* et prima ratio ad excludendendam sollicitudinem est v. 23 *anima* i. e. vita (animam hoc loco pro ista vita positam noverimus, *Bed. Bon.*) *plus est quam esca et corpus plus quam vestimentum;* qui plus dedit Deus non negabit minus. Altera ratio repetitur a minore ad maius : ex Dei providentia qua ipsis animalculis est prospectum v. 24 *considerate corvos quia non seminant neque metunt, quibus non est cellarium neque horreum et Deus pascit illos,* de pullis corvorum qui derelicti a Deo pascantur (Iob 38,41) hic non est sermo neque ad eos cum aliquibus (*Lamy, Schegg, Fil.*) verba referri possunt. Seliguntur autem corvi ad Dei providentiam illustrandam, quia « corvi sunt voracissimi multo egentes cibo » (*Ians.*), unde magis commendatur Dei providentia. Sed hoc ipso exemplo simul docetur, quid nos facere oporteat, quid non. Nam corvi debent escam quaerere, circumvolare; ergo facere quod eorum natura et indoles exigit; seminare etc. eorum naturam viresque superat. Ergo pari ratione homo debet praestare id quod secundum vires a Deo datas rectus ordo requirit; ab his autem abstinere quae eius mensuram excedunt. Inertia itaque ipso exemplo excluditur; *quanto magis vos pluris estis illis?* cf. v. 7.

Tertia ratio repetitur ex eo quod sollicitudo talis est plane inutilis, vana, inefficax (*Tol.*) v. 25 *quis autem vestrum cogitando* μεριμνῶν (vocem bene vertit interpres in v. 22 sollicitum esse) sollicitudine sua et cura *potest adiicere ad staturam suam* ἡλικίαν ad aetatem suam (*Lamy*) *cubitum unum;* v. 26 *si ergo neque quod minimum est potestis, quid de ceteris solliciti estis?* μεριμνᾶτε; patet de aetate, de vita per brevissimum spatium contra Dei ordinationem producenda esse sermonem; nam ad staturam et longitudinem corporis adiicere cubitum quomodo id posset dici *minimum?* esset maximum staturae augmentum! vide quae dixi ad Matth. 6,27; Ps. 39,6 hebr. : ecce palmares fecisti dies meos i. e. brevissimos, ita ut palmae comparentur; vitae itaque longitudo cum palma confertur; ἡλικία est quasi vitae cursus qui cursus uno cubito longior reddi ab homine nequit. Uti exemplum allatum est ad excludendam sollicitudinem victus, ita subditur alterum ad curam nimiam indumentorum tollendam v. 27 *considerate lilia quomodo crescunt; non laborant neque nent;* haec eorum naturam excedunt; at quod institutione naturae requiritur peragunt, succum at-

trahunt, aerem hauriunt etc.; *dico autem vobis : nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur sicut unum ex istis;* nulla quippe ars pulchritudinem et nitorem colorum et subtilitatem et tenuitatem texturae florum imitari vel exprimere potest; v. 28 *si autem fenum* χόρτον gramen, herbam, *quod hodie est in agro et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos pusillae fidei?* vide ad Matth. 6,28-30.

Porro retrahuntur a sollicitudine quia eos minime decet fieri similes gentilibus v. 29 *et vos nolite quaerere, quid manducetis aut quid bibatis, et nolite in sublime tolli;* v. 30 *haec enim omnia gentes mundi quaerunt;* in sublime tolli explicant : ne nimia et plura appetant quasi elati arrogantia; eodemque sensu etiam μὴ μετεωρίζεσθε aliqui concipiunt (cf. *Schegg, Fil. Weiss*), qua notione verbum graecum usurpari certum est. Sed praeter eam altera quoque ei adscribitur metaphora desumpta a navibus quae vento et fluctibus iactentur : fluctuare animo, sollicitari; quae significatio orationi contextae magis congruere videtur et quam adoptant *Lamy* (animo suspendi, huc et illuc distrahi) *Calm. Schanz, Keil, Grimm* Lex. s. v. Priori tamen acceptioni accedit *Theoph. :* « sollicitudo (ἡ μέριμνα) non solis necessariis contenta est, sed semper altiora τὰ ὑψηλότερα quaerit et propterea μετεωρισμός vocatur »; aliter *Euth.* μετεωρισμόν explicat : a coelestibus distrahi ad terrena (περισπασμόν); quod alii proponunt : in futurum providere (*Luc.*), signa coelorum, sidera spectare (*Tol. Ians. Lap.*), commemorasse satis est. Ne itaque se gentibus similes reddant quae eiusmodi curis cruciantur. Idque altero efficaci argumento suadetur : *Pater autem vester scit quoniam his indigetis,* Deo non deest potentia, Patri non deest voluntas vobis providendi. Dein docet cui curam suam impendere debeant et cui studio reliqua omnia a Deo adnectantur quae pro vita necessaria sint v. 31 *verumtamen,* πλήν potius (*Schanz*) *quaerite* (*primum*) *regnum Dei* (*et iustitiam eius*) *et haec omnia adiicientur vobis;* cf. ad Matth. 6,33.

Porro quam maxime eos ab omni sollicitudine avocat et eximit affirmans Deum pro suo beneplacito decrevisse illis dare quod est maximum (*Cai Mald. Tol. Ians. Luc. Lamy, Calm.*) v. 32 *nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum;* regnum Dei cuncta complectitur bona; qui itaque hoc dat regnum aeternum, coeleste, quanto magis dabit aevi huius brevis viaticum (*Lamy*)? Appellat suos, *gregem* quia Messias ut pastor bonus est praedictus (Ez. 34,23) et quia populus Dei in vetere testamento eo nomine saepius designatur (cf. Is. 63,11. Ier. 10,21; 13,17. 20; 23,1-4) et ipse Iahve nomine pastoris designatur (hebr. Ps. 23,1; cf. Ps. 28,9; 80,2); *pusillum* vocat quia pauci sunt et apud homines abiecti et debiles habentur.

Cum itaque Deus tanta benevolentia iis regnum disposuerit, non solum omnem metum inopiae rerum terrenarum excutere debent, verum etiam convenit, quo aptiores fiant et digniores regno coelesti, ut pro magna in Deum Patrem fiducia sese iis quae habent privent (*Ians. Tol.*). Dicitur gradatione quadam v. 33 *vendite quae possidetis et date eleemosynam; facite vobis sacculos qui non veterascunt*, e quibus pecunia perdi nequit; qui pecuniam pauperibus erogat eam condit in sacculis imputribilibus, eo quod aeternum ex ea recepturus est fructum in altero saeculo (*Luc.*), *thesaurum non deficientem in coelis quo fur non appropiat neque tinea corrumpit* cf. Matth. 6,20; 19,21. Marc. 10,21. Non omittunt *Weiss, Keil* monere hisce Christi verbis nullo modo commendari votum paupertatis quod nos ad consilium evangelicum perfectionis christianae referimus. Sed quid tandem Christus suadet? et ubi verba Christi effectum sortiuntur, nisi in iis qui voluntariam paupertatem amplectuntur? Neque admittere vult *Keil* eleemosynis datis comparari thesaurum in coelis; en quomodo timet meritum boni operis! Sed qua tandem ratione talis thesaurus acquiritur nisi bonis operibus e quorum numero est largitio eleemosynae?

Cur autem oporteat eiusmodi thesaurum in coelis sibi facere, ratio affertur v. 34 *ubi enim thesaurus vester est ibi et cor vestrum erit;* vide ad Matth. 6,21; « qui coelestia quaerunt illuc mentis suae oculum dirigunt » (*S. Cyr.*); « ratio quare gratus est Deo descriptus neglectus temporalium propter coelestia subiungitur ex parte affectus : quia cor comitatur thesaurum; ita quod locus thesauri trahit ad se cor; hinc enim fit, ut thesaurizantes in terra habeant cor affectum terrenis, et thesaurizantes in coelis habeant cor affectum coelestibus; ubi enim res amata, ibi est cor amantis » (*Cai.*). Cor nostrum esse alicubi nihil aliud est quam curam omnem nostram, cogitationem, gaudium, fiduciam, spem, metum, amorem, totum videlicet animum circa aliquid versari. Ut igitur in coelo versetur animus, illic transmittite pecunias, opes, divitias, illic sint bona vestra (*Luc.*).

c) Semper esse vigilandum 12,35-53.

12,35. Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris. 36. Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis, ut, quum venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei. 37. Beati servi illi, quos quum venerit dominus, invenerit vigilantes; amen dico vobis, quod prae-

12,35. Ἔστωσαν ὑμῶν αἱ ὀσφύες περιεζωσμέναι, καὶ οἱ λύχνοι καιόμενοι· 36. καὶ ὑμεῖς ὅμοιοι ἀνθρώποις προσδεχομένοις τὸν κύριον ἑαυτῶν, πότε ἀναλύσῃ ἐκ τῶν γάμων, ἵνα, ἐλθόντος καὶ κρούσαντος, εὐθέως ἀνοίξωσιν αὐτῷ. 37. μακάριοι οἱ δοῦλοι ἐκεῖνοι, οὓς ἐλθὼν ὁ κύριος εὑρήσει γρηγοροῦντας. ἀμὴν λέγω ὑμῖν,

cinget se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis. 38. Et si venerit in secunda vigilia, et si in tertia vigilia venerit, et ita invenerit, beati sunt servi illi. 39. Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam. 40. Et vos estote parati, quia qua hora non putatis Filius hominis veniet.

41. Ait autem ei Petrus : Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an et ad omnes? 42. Dixit autem Dominus : Quis, putas, est fidelis dispensator, et prudens, quem constituit dominus supra familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram? 43. Beatus ille servus, quem quum venerit dominus, invenerit ita facientem. 44. Vere dico vobis, quoniam supra omnia quae possidet, constituet illum.

45. Quod si dixerit servus ille in corde suo : Moram facit dominus meus venire, et coeperit percutere servos et ancillas, et edere, et bibere et inebriari; 46. Veniet dominus servi illius in die qua non sperat, et hora qua nescit, et dividet eum, partemque eius cum infidelibus ponet. 47. Ille autem servus, qui cognovit voluntatem domini sui, et non praeparavit, et non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis; 48. Qui autem non cognovit, et fecit digna plagis, vapulabit paucis. Omni autem cui multum datum est, multum quaeretur ab eo; et cui commendaverunt multum, plus petent ab eo.

49. Ignem veni mittere in terram : et quid volo nisi ut accendatur? 50. Baptismo autem habeo baptizari, et quomodo coarctor usquedum perficiatur? 51. Putatis quia pacem veni dare in terram? Non, dico vobis, sed separationem. 52. Erunt enim ex hoc quinque in domo una divisi; tres in duos, et duo in tres. 53. Dividentur : pater in filium, et filius in patrem suum; mater in filiam, et filia in matrem; socrus in nurum suam, et nurus in socrum suam.

ὅτι περιζώσεται καὶ ἀνακλινεῖ αὐτοὺς, καὶ παρελθὼν διακονήσει αὐτοῖς. 38. κἂν ἐν τῇ δευτέρᾳ κἂν ἐν τῇ τρίτῃ φυλακῇ ἔλθῃ, καὶ εὕρῃ οὕτως, μακάριοί εἰσιν ἐκεῖνοι. 39. τοῦτο δὲ γινώσκετε, ὅτι εἰ ᾔδει ὁ οἰκοδεσπότης ποίᾳ ὥρᾳ ὁ κλέπτης ἔρχεται, ἐγρηγόρησεν ἄν, καὶ οὐκ ἀφῆκεν διορυχθῆναι τὸν οἶκον αὐτοῦ. 40. καὶ ὑμεῖς γίνεσθε ἕτοιμοι· ὅτι ᾗ ὥρᾳ οὐ δοκεῖτε, ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἔρχεται.

41. Εἶπεν δὲ ὁ Πέτρος, Κύριε, πρὸς ἡμᾶς τὴν παραβολὴν ταύτην λέγεις, ἢ καὶ πρὸς πάντας; 42. καὶ εἶπεν ὁ Κύριος, Τίς ἄρα ἐστὶν ὁ πιστὸς οἰκονόμος ὁ φρόνιμος, ὃν καταστήσει ὁ κύριος ἐπὶ τῆς θεραπείας αὐτοῦ, τοῦ διδόναι ἐν καιρῷ σιτομέτριον; 43. μακάριος ὁ δοῦλος ἐκεῖνος, ὃν ἐλθὼν ὁ κύριος αὐτοῦ εὑρήσει ποιοῦντα οὕτως. 44. ἀληθῶς λέγω ὑμῖν, ὅτι ἐπὶ πᾶσιν τοῖς ὑπάρχουσιν αὐτοῦ καταστήσει αὐτόν.

45. Ἐὰν δὲ εἴπῃ ὁ δοῦλος ἐκεῖνος ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ, Χρονίζει ὁ κύριός μου ἔρχεσθαι· καὶ ἄρξηται τύπτειν τοὺς παῖδας καὶ τὰς παιδίσκας, ἐσθίειν τε καὶ πίνειν καὶ μεθύσκεσθαι· 46. ἥξει ὁ κύριος τοῦ δούλου ἐκείνου ἐν ἡμέρᾳ ᾗ οὐ προσδοκᾷ, καὶ ἐν ὥρᾳ ᾗ οὐ γινώσκει· καὶ διχοτομήσει αὐτὸν, καὶ τὸ μέρος αὐτοῦ μετὰ τῶν ἀπίστων θήσει. 47. Ἐκεῖνος δὲ ὁ δοῦλος ὁ γνοὺς τὸ θέλημα τοῦ κυρίου αὐτοῦ, καὶ μὴ ἑτοιμάσας ἢ ποιήσας πρὸς τὸ θέλημα αὐτοῦ, δαρήσεται πολλάς· 48. ὁ δὲ μὴ γνούς, ποιήσας δὲ ἄξια πληγῶν, δαρήσεται ὀλίγας. παντὶ δὲ ᾧ ἐδόθη πολὺ, πολὺ ζητηθήσεται παρ' αὐτοῦ. καὶ ᾧ παρέθεντο πολὺ, περισσότερον αἰτήσουσιν αὐτόν.

49. Πῦρ ἦλθον βαλεῖν ἐπὶ τὴν γῆν, καὶ τί θέλω εἰ ἤδη ἀνήφθη; 50. βάπτισμα δὲ ἔχω βαπτισθῆναι, καὶ πῶς συνέχομαι ἕως ὅτου τελεσθῇ; 51. δοκεῖτε ὅτι εἰρήνην παρεγενόμην δοῦναι ἐν τῇ γῇ; οὐχὶ, λέγω ὑμῖν, ἀλλ' ἢ διαμερισμόν. 52. ἔσονται γὰρ ἀπὸ τοῦ νῦν πέντε ἐν ἑνὶ οἴκῳ διαμεμερισμένοι, τρεῖς ἐπὶ δυσὶν, καὶ δύο ἐπὶ τρισίν· 53. διαμερισθήσονται πατὴρ ἐπὶ υἱῷ, καὶ υἱὸς ἐπὶ πατρί· μήτηρ ἐπὶ θυγατέρα καὶ θυγάτηρ ἐπὶ τὴν μητέρα, πενθερὰ ἐπὶ τὴν νύμφην αὐτῆς, καὶ νύμφη ἐπὶ τὴν πενθεράν.

In v. 35 in manibus vestris c Cypr eg wil; e graecis solum 130. εν ταις χ. υ. In v. 36 eg pulsaverit ostium; add ff²i l eg et si venerit vespertina vigilia et ita invenerit beati sunt (servi illi, eg) quia iubebit illos discumbere et transiens ministrabit illis; similiter 1.118.209. Ir. In v. 38 D και εαν ελθη τη εσπερινη φυλακη και ευρησει ουτως ποιησει, και εαν εν τη δευτερα και τη τριτη, similiter c e. In v. 39 solum ουκ αν αφηκεν (sine εγρηγ αν κ) ℵ* D sin Ti; om vigilaret utique et e i. In v. 42 και ειπεν ℵ B D L pl minusc l cop aeth; al ειπεν δε; c distribuat cibaria conservis suis. In v. 46 e bifariam illum dividet; eg gat cum hypocritis. In v. 48 l cui plus dignitatis adscribitur plus de illo exigetur servitutis. In v. 49 nisi ut fuld theod tol val wil; *si* ept* for med ox ken lind harl bff²iqr; *sic* dub rush, Wordsworth nisi accendatur; nisi iam Amb; tat et vellem ut iam accensus esset. In v. 53 επι θυγατερα ℵ B D Ti W H, επι την μητερα B D L (sin v. 35 lumbi vestri, lucernae vestrae; v. 36 quando exibit ex domo convivii; v. 37 praecinget lumbos suos; v. 42 quis praefectus fidelis quem constituit super conservos suos, ut det illis portionem (demensum) in tempore suo; v. 47 om non fecit; v. 48 multum requiretur in manu eius).

Docuerat Iesus animos suorum debere esse avulsos a rebus terrenis, desideria esse dirigenda ad regnum coeleste; iam ulterius docet quo modo, quo studio, qua vigilantia ad regnum illud promissum sit aspirandum. Explicat hoc exemplo servorum qui cum dominum noctu reversurum exspectant vigiles sunt et praecincti et expediti et faces habent incensas, ne cum dominus venerit, in mora sint dum faces accendunt et ad ministerium se praecingunt (*Mald.*) v. 35 *sint lumbi vestri praecincti et lucernae ardentes* (*in manibus vestris*); ne vestes talares vel oblongae impedimento essent, qui iter aut opus aliquod aggressuri erant, illas elevabant et cingebant ad lumbos; proinde lumborum praecinctio habitus est ministri aut alterius cuiuscumque parati ad iter aut opus aliquod strenue faciendum, nec tantum parati, sed etiam facientis (*Luc. Mald.*). Proinde iubet Christus nos esse promptos et expeditos ad omnem Domini nutum, semper occupatos operibus virtutum et in munere obeundo strenuos (cf. *Tol. Ians.*); mentis ad laborem impigritatem, nempe ad laudabile quodvis opus, significat lumborum praecinctura (*S. Cyr. cat. Cr. Theoph.*). Haec locutio parabolica multa complectitur; quare variae acceptiones quae feruntur facile ad quandam concordiam revocari possunt. Qui enim ad opus aliquod se praeparant, lumbos accingunt vestesque contrahunt, ut omne impedimentum removeant; sic qui in regnum coeleste tendunt debent impedimenta vitae huius deponere et animo prompto ad quodvis bonum obeundum parati esse. Quae praeparatio maxime fit cum carnem comprimimus ne in luxuriam dilabatur; quare explicatio *S. Gregorii* (hom. 13 in evang.) aliorumque non abludit; fit eadem praeparatio, si nos ab amore rerum huius saeculi continemus et omnes illicitas concupiscentias cohibemus (*S. Aug.* quaest. evang. 2,25;

serm. 108; *M.* 35,1342; 38,633; *Beda*); fit eadem exercitio virtutum (*Eus. Schegg*). Omnino nos debere paratos esse ad excipiendum Dominum, ut scil. venientem iudicem secure videamus, etiam lucernis ardentibus declaratur; quas lucernas alii accipiunt de bonis operibus (*S. Greg. Bon. Tol. Schanz*), de statu iustitiae, ut simus caritate accensi (*Ians. Schegg*), de bona intentione (*S. Aug.* quaest. evang. 2, 25; *Beda*), de scientia rerum coelestium rectoque iudicio (*Eus. Theoph.*).

Ut eiusmodi servi, semper parati simus oportet et Christus nos continuo suum adventum exspectare vult v. 36 *et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum quando revertatur a nuptiis*, a qua festivitate quando reversurus sit incertum est, *ut cum venerit et pulsaverit confestim aperiant ei;* nuptiae celebrabantur vespere; cf. Matth. 25,1; quare ad dominum revertentem suscipiendum lucernas accensas esse oportebat. In parabola dominus non revertitur a suis nuptiis quas ipse celebraverit; nuptiae enim in domo sponsi haberi solebant; erat itaque invitatus hospes ad amici cuiusdam nuptias. Neque tamen frustra fit mentio nuptiarum, convivii festivitate et laetitia pleni. Ita Christus veniet e gloria et beatitate coelesti ad iudicium universale (*S. Cyr. Euth. Ians. Luc.*), veniet cum laetitia (*Tol.*). Verum in applicatione ad Christum omnino dici posse videtur, eum revera venire a nuptiis coelestibus, quas cum Ecclesia triumphante, cum sanctis animabus in coelo celebrat (*Theoph. Tol. Ipr. Mald. Lap.*). Est enim Christus sponsus Ecclesiae et perfectissima et suavissima unio inter eum et sanctos certe in coelo obtinet, ubi nuptiae Agni celebrantur. Quare non video cur eam acceptionem *Schegg* velit excludi. Alii nuptias de angelorum consortio et societate concipiunt; « ad nuptias Dominus abiit quia resurgens a mortuis ascendens in coelum supernam sibi angelorum multitudinem novus homo copulavit » (*S. Greg. Bed. Bon. Alb.*); v. 37 *beati servi illi quos cum venerit dominus invenerit vigilantes; amen dico vobis, quod praecinget se et faciet illos discumbere et transiens ministrabit illis;* ut mercedis ac beatitudinis magnitudinem describat quae servis fidelibus obtinget id dominum illum facere dicit Christus quod fieri non solet apud homines (*Mald. Lamy, Calm.*), sed quod insigni modo coelestem beatitudinem adumbrat. Christus enim fideles suos servos revera efficit heredes Dei et suos coheredes; eos summopere delectat visione suae gloriae et Deus ipse se ipso, essentia divina clare visa, sanctos beat et ineffabili modo satiat; ergo Deus sensu verissimo ipsis ministrat beatitudinem per liberalissimam sui ipsius communicationem et bonorum divinorum participationem.

Incertum esse eius adventum, immo moram posse esse opinione

longiorem, indicatur v. 38 *et si venerit in secunda vigilia et si in tertia vigilia venerit,* proinde cum nox pariter uti dies duodecim horis constiterit, spatium assignatur horarum noctis octo, si quidem ex antiquiore Iudaeorum more tres solum vigiliae noctis recensentur (vide ac Matth. 14,25. Marc. 13,35) et tempus noctis satis provectum indicatur quo sopor maxime occupare solet homines; *et ita invenerit,* vigiles scil. et paratos ad se suscipiendum, quamvis diu moratus sit illique diu debuerint vigilare et sese noctis quiete privare, *beati sunt servi illi;* tres solum commemorari vigilias et non quartam explicant aliqui, quia reditum a nuptiis ultra tertiam vigiliam differre non decuerit (cf. *Cai. Ians. Luc. Schegg, Fil. Meyer, Sp.*), alii ex more antiquiore (*Schanz, Weiss*), cum eiusmodi offensio ex reditu seriore in parabola haberi nequeat. Primae vigiliae non fit mentio, quia eo tempore convivium nuptiale instrui solebat. In applicatione parabolae alii vigilias explicant de variis aetatibus quibus homines ad tribunal iudicis Christi morte avocantur (*S. Cyr. Bed. Bon. cat. Cr. Alb. Cai. Tol.*), alii de variis vitae conditionibus (*Theoph.*); alii ex modo loquendi potius colligunt velle Dominum significari nobis opus esse perseveranti vigilia nec satis esse ut ad tempus vigilemus, et deinde non ferentes moram ipsius incidamus in torporem et somnum, sed necesse esse ut longanimiter illius adventum semper et in quavis aetate exspectemus (*Ians. Luc.*); quae acceptio et sequentibus commendatur v. 39. 40 et pariter nobis proponitur 21,36 vigilate itaque omni tempore orantes etc.

Alio exemplo docet opus esse vigilantia continua, nunquam intermissa v. 39 *hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret utique et non sineret perfodi domum suam,* vide ad Matth. 24,43; Christus diem adventus sui comparat adventui furis ob duo, ut *Tol.* notat; unum est ut ostendat incertum et inexspectatum fore; summum enim studium est furibus, ut inexspectati surrepant; ideo intempesta nocte insidias struunt, quando putant universam domum alto somno oppressam; alterum est, ut significet detrimentum quod patientur illi quos Dominus impraeparatos invenerit, sicut patiuntur quibus fur inexspectatus advenit. Et incipiens *hoc scitote* animos discipulorum ad rem perpendendam serio admonet. Ad quid autem exemplum illud tendere velit declarat v. 40 *et vos estote parati quia qua hora non putatis Filius hominis veniet;* Apoc. 16,15 ecce venio sicut fur. Cum unusquisque morte sistatur tribunali iudicis Christi, vero aliquo sensu Christus iudex venire dici potest in morte cuiusvis. Quare hisce etiam enuntiatur, cum mortis incertitudo sit perpetua, nos continuo debere ita esse animo paratos, ut merito lau-

dem servi boni et vigilis a Domino consequamur quandocumque mors nos occupaverit. De hac verborum Domini significatione vide quae dixi in Comment. Matth. II p. 352.

Dixerat Christus quaedam quae ad solos discipulos spectabant v. 32 et similitudo quoque de servis vigilibus ad apostolorum ordinem pertinere videbatur; honor ille insignis a domino servis exhibitus v. 37 ad solos amicos maxime familiares Iesu referri poterat videri; quare cur Petrus interroget explicatur v. 41 *ait autem ei Petrus : Domine ad nos dicis hanc parabolam an et ad omnes;* hanc parabolam i. e. v. 35-40 (*Tol. Luc. Lap. Schanz*); *Beda* refert ad v. 33, ubi tamen de parabola sermo esse nequit, v. 41 *ait autem ei Petrus : Domine ad nos dicis hanc parabolam an et ad omnes?* solus Lucas hanc interponi quaestionem narrat. Frivole putat *Weiss* tantam esse similitudinem cum 11,45, ut quaestio haec ad fictionem sit amandanda. Iesus non directe respondet, « sed occulto quodam modo indicat parabolam esse communem et ad omnes pertinere fideles, imprimis autem ad apostolos et eos qui doctrina et dignitate praesunt » (*Theoph.* similiter *Eus. Bed. Bon. Cai. Mald. Ians. Luc. Lap. Schanz*) atque imprimis eos spectari qui aliis sunt praepositi (*S. Cyr. Euth.*), ex ipsa parabola quae sequitur elucet. Cum autem unusquisque habeat suum munus ac officium in suo quisque vitae gradu ac conditione, parabola latiorem quoque admittit applicationem, quae postea in v. 47. 48 clare quoque indicatur. Unicuique enim certa quaedam dona a Deo concessa sunt et certa quaedam agendi provincia est demandata; oportet itaque se exhibere servum Domini fidelem.

Respondet Christus Petro interrogatione proposita, ut ipse ex exemplo allato dispiciat et colligat ad quos admonitio ex rei natura spectare debeat v. 42 *dixit autem Dominus : quis putas est fidelis dispensator et prudens* οἰκονόμος ille cui herus rei domesticae administrationem commisit, ut aliis servis distribuat quae iis conveniunt; fidelis est, qui heri voluntatem accurate exsequitur, *prudens* qui sibi commissa administrat et dispensat ratione habita conditionum temporis, hominum (vide ad Matth. 24,45), prout pro varietate rerum dominum velle recto iudicio concludit, *quem constituit dominus supra familiam suam* θεραπείας, supra famulitium, supra agmen servorum, *ut det illis in tempore,* suo tempore, *tritici mensuram?* σιτομέτριον demensam frumenti vel cibi portionem. Notant *Ians. Wetstein, Schegg, Fil.* ex Donato morem fuisse quaternos frumenti modios quolibet mense singulis servis admetiri idque demensum esse appellatum. Qui tamen mos ad hunc locum illustrandum haud multum spectat; nam iste dispensator non videtur fungi officio suo solum semel in mense; dein

dubito respexeritne Iesus morem romanum. Ministerium huius dispensatoris esse quotidianum potius colligitur ex v. 43 *beatus ille servus quem cum venerit dominus, invenerit ita facientem;* v. 44 *vere dico vobis, quoniam super omnia quae possidet constituet illum;* cum Petrus interrogaverit eique iam claves regni coelorum traditae sint, aliqui putarunt in hoc dispensatore ipsum designari Petrum a Christo (cf. *Bisp. Reischl, Meyer, Weiss*). Sed quae sequuntur de servo *illo* ostendunt rem enuntiari in universum. Praeterea Petrus nondum se probaverat dispensatorem fidelem et prudentem; nondum aderat familia cui alimoniam distribueret spiritualem. Quare parabola in significatione generali relinquenda est. Ea pariter declaratur varietas et meritorum et praemiorum.

Iterum innuit Dominus posse intercedere moram longiorem; verum ne quis se negligentiae tradat putans se posse cum tardet Dominus venire impune vitiis indulgere (cf. 2 Petr. 3,4 seq.) v. 45 *quodsi dixerit servus ille in corde suo : moram facit dominus meus venire, et coeperit percutere servos et ancillas et edere et bibere et inebriari,* v. 46 *veniet dominus servi illius in die qua non sperat et hora qua nescit et dividet eum* διχοτομήσει, proprie in duas partes dissecabit; herus itaque gladio eum trucidabit; repente abripietur morte in suis peccatis; talem poenam minatur Christus illis qui sibi pestifere persuadent se posse post vitam diu in sceleribus actam in senectute agere poenitentiam, qui itaque consulto peccant quia Deus sit longanimis (moram facit!). Exprimit Christus in *dividet* morem despotarum orientalium qui servum in flagitio deprehensum extemplo occidere minime dubitant. Unde eousque forma servatur parabolica. In sequenti autem sententia iam de eo loquitur qui parabola designatur, *partemque eius cum infidelibus ponet,* sortem et poenam habebit in aeternitate eandem quam habent qui sua culpa sunt infideles; pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure, uti dicitur Apoc. 21,8; cf. Marc. 16, 16. Parabola relicta fieri subito transitum ad rem parabola designatam saepius adverti potest (v. 37); quare non est cur recedatur a propria notione διχοτομήσει, quia, ut *Grimm* ait (Lex. s. v.), verba obstant, cum ὁ διχοτομηθείς superstes ponatur. Ceterum vide quae ad Matth. 24,46-51 adnotavi (Comment. II p. 334 seq.).

Atque quam normam iudex sit secuturus Christus declarat sic respondens directe ad Petri quaestionem et explicans quatenus quae commendaverit ad omnes spectent v. 47 *ille autem servus qui cognovit voluntatem domini sui et non praeparavit et non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis;* voluntatem intellige in applicatione generatim de mandatis Dei, non cum *Mald.* voluntatem qua decrevit

aliquando ad iudicium venire; cognoscit autem voluntatem Dei certe ille qui fide imbutus revelationem divinam factam esse scit; *qui autem non cognovit et fecit digna plagis vapulabit paucis;* si fecit digna plagis, etiam cognovit se male agere; cum autem dicatur voluntatem Dei non cognovisse, intelligenda erit voluntas Dei in revelatione manifestata; plagis vero digna fecit, quia contra legem cordi inscriptam, contra voluntatem Dei lumine naturali expressam et manifestatam peccavit; cf. Rom. 2,14. Plerumque explicant: qui non cognovit, quia discere neglexit, ergo de ignorantia quam potuit ac debuit vitare, de ignorantia culpabili (cf. *S. Cyr. Euth. Theoph. cat. Cr. Bed. Tol. Luc. Lap.*). Iudicium quippe Dei et ratio quae exigitur determinatur et circumscribitur donis illis quibus quisque erat insignitus: *omni autem cui multum datum est multum quaeretur ab eo*, i. e. qui multis Dei donis, insigni cognitione divinae voluntatis ornatus fuit, etiam districtam reddere debet rationem de recto horum donorum usu; nam, ut *S. Greg.* dicit hom. 9 in evang., cum augentur dona, rationes etiam crescunt donorum; *et cui commendaverunt multum plus petent ab eo,* cur *plus?* id explicatur parabola talentorum; vult scil. Dominus ut quis lucrum faciat et talenta accepta cum lucro domino referat, ut ille dicit: quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. Multum commendatur ei, dicit *Beda,* cui cum sua salute dominici quoque gregis pascendi cura committitur. Id sane etiam includitur; vel, ut *Theoph.* dicit, cui donum doctrinae datum est, amplius ab eo exigitur, cum sua doctrina uti debeat ad aliorum utilitatem. Alii ita concipiunt, ut quod in priore membro dicatur, intelligant de donis quae quis ad suam salutem operandam accipiat, quod in altero membro habeatur, de iis quae proprie ad aliorum utilitatem et salutem conducunt, uti sunt varia munera in Ecclesia (cf. *Tol. Ians. Luc. Lap.*). Haec applicationis causa dici possunt. Sed accurate ita distingui posse non video. Nam etiam dona illa quae ad propriam salutem spectant, exigentur a Domino cum usura, uti patet ex parabola talentorum. Nam qui unum reddere voluit quod accepit, ergo tantum, quantum accepit, male habitus est. Unde puto membrum utrumque per modum parallelismi eandem rem bis exprimere vel ad emphasin et rei gravitatem declarandam idem bis asseri et quid sit illud *multum* quod quaeratur explicari et determinari in altero membro per *plus*, uti in parallelismo membrorum haud raro fit.

Quantae vero necessitatis sit vigilare et fidelem se Domini servum exhibere, ulterius Iesus declarat admonitiones quas dedit confirmans et inculcans eo quod magna instare pericula docet et magnam subeundam esse luctam iis qui sua velint sequi vestigia v. 49 *ignem veni*

mittere in terram et quid volo nisi ut accendatur? graecum eodem modo intellige : et quantopere volo ut iam accendatur; τί uti Matth. 7,14 habet notionem ὡς; pariter post θέλω potest poni εἰ eadem significatione fere qua alias ὅτι (cf. *Schanz, Weiss, Keil*). Ignis comburit, destruit, purgat; Deus dicitur in s. litteris ignis consumens (Deut. 4, 24), ignis devorans atque consumens (Deut. 9,3); ipse Messias et eius adventus describitur : ipse quasi ignis conflans, et sedebit conflans et emundans argentum et purgabit filios Levi et colabit eos quasi aurum et argentum (Mal. 3,2. 3; cf. Is. 1, 25; 4,4), Christus itaque *venit,* descendit de coelo, ut opere suo atque institutione combureret atque destrueret quae sunt vitiosa, purgaret et emundaret suos sicut scoriae igne excoquuntur, ut purum aurum et argentum evadat. Hunc itaque ignem comburentem, destruentem, purgantem, quo mundus a vitiis et idololatria purgatus renovetur et splendeat sanctitate vult vehementer accendi et magno desiderio exoptat, ut eiusmodi ignis iamiam accendatur. Id autem effici debet opere messiano, cuius vim et efficaciam igni comparat. Opus autem messianum complectitur omnia subsidia quae Christus meruit et quibus instruxit apostolos ad conversionem et sanctificationem mundi.

Verum antequam opus hoc messianum instar ignis vim suam destruendi et purgandi exserere possit, ipse Christus sua passione expiationem perficere debet et hac expiatione merere illa subsidia coelestia quibus opus est ad renovationem mundi v. 50 *baptismo autem habeo baptizari;* suam passionem appellat baptismum (cf. Marc. 10,38); sunt enim aquae in s. litteris imago tribulationum (cf. Ps. 17,17; 31,6; 65,12; 68,16 etc.); insuper cum in passione sua totus sit sanguine suo tingendus, eam aptissime vocat baptismum; « sanguinis inquit proprii tinctione prius habeo perfundi et sic corda credentium spiritus igne quo terrena omnia simul et animam suam despicere immo odisse queant inflammare » (*Beda*). Similiter ait *S. Cyr.* ignem illum tum demum universum mundum posse corripere, postquam tota susceptae incarnationis ratio sit peracta, idque Christum docere cum dicat : baptismo etc.; eodemque modo *Tol.* ignem illum dicit non esse accendendum, nisi postquam ipse mortem passus fuerit, et ita nexum cum antecedenti recte constituunt praeterea *Theoph. Ians. Bisp. Schegg, Schanz, Fil. Keil, Weiss;* mentione passionis facta addit *et quomodo coarctor usquedum perficiatur!* συνέχομαι constringor, affligor; de vocis notione usuque cf. Matth. 4,24. Luc. 4,38; 8,37. 45; 19,43. Act. 28,8, quibus omnibus locis significatur afflictio, vexatio, dolor; eodemque sensu dicitur συνοχή Luc. 21,25 pressura et 2 Cor. 2,4 angustia, cui notioni etiam *coarctor* congruit. Proinde Christus iam ante

tristitiam et agoniam in horto Gethsemani cogitatione passionis suae voluit affligi, uti etiam Ioan. 12,27 indicat dicens : nunc anima mea turbata est (cf. Ioan. 11,33). Immo ex hoc modo loquendi qui hic habetur non immerito concluseris Christi animam continuo memoria passionis coarctari angique. Legit *S. Ambr.* et quomodo *angor,* et ad explicationem adducit illud : tristis est anima mea usque ad mortem. Cum qua angustia et tristitia ipse aliique (cf. *Bed. Alb. Lamy, Schanz*) studium quoddam vel desiderium maturandae passionis coniungunt; « videtur tacita esse quaedam similitudo sumpta a praegnante muliere quae ita partitudinem horret ut tamen velit quamprimum fasce suo levari » (*Lamy*). Alii vocem accipiunt de desiderio ardenti quo impelli se dicat Iesus ad subeundam passionem; ita fere *Euth.* et certe *Theoph. Bon. Cai. Mald. Tol. Ians. Luc. Lap. Bisp. Reischl, Fil.* Cum Christus passionem mortemque subierit ex obedientia erga Patrem (Rom. 5,19. Phil. 2,8) et ipse professus sit suum esse cibum ut faciat voluntatem Patris (Ioan. 4,34) et ad passionem iverit ut cognosceret mundus a se diligi Patrem (Ioan. 14,31), dubitandum nullo modo est quin passionem suam etiam desideraverit, idque eo magis verum est quo magis salutem omnium exoptabat, ad quam salutem et gloriam hominibus efficiendam remedium erat eius passio et mors. At alia est quaestio num istud desiderium hoc loco enuntietur. Id ex notione et usu vocis συνέχομαι erit negandum. Unde bene dicit *Ipr.* : primus sensus : angor, pavore ac moerore contrahor, congruentior videtur; nam et verba hoc magis sonant (cf. *Schegg*).

De igne quem Dominus in terram mittere dicit variae quidem feruntur explicationes quarum tamen pleraeque aliquid veri continent. Ita qui ignem accipiunt de Spiritu sancto, vel de eius virtute, vel de doctrina Christi eiusque praedicatione, omnino dicunt eo igne vitia comburi, mundum purgari. *S. Cyr.* scribit : « sicut qui aurum argentumve purgare sciunt, sordes eius igne consumunt, ita etiam Servator per doctrinas evangelicas virtute Spiritus singulorum in ipsum credentium mentem abstergit ». Etiam *S. Ambr.* ignem illum vocat bonae voluntatis auctorem, qui aurea dominicae domus vasa meliorat, fenum vero consumit ac stipulam ac saecularia omnia mundi voluptate concreta perituraeque opus carnis exurit, qui secreta cordis illuminat. Et *S. Aug.* eo igne dicit idololatriam comburi et igne virtutis Christi diabolicam in gentibus formam solvi (c. Faustum 22,93; *M.* 42,463); alio loco hunc ignem ipsum esse Christum dicit : « consumit enim veterem vitam divinus amor » (c. Adam. Manich. 13; *M.* 42,148). *S. Hier.* ignem hunc ad Matth. 3,12 (*M.* 26,30) Spiritum sanctum esse dicit, in commentario ad Zach. 9,4 (*M.* 25,1481) loquitur de hoc igne tamquam excoquente et mundante et ignem comparat illi de quo Marc. 9,48 omnis igne salietur. Et *S. Gregorius* quoque in hoc igne cernit ardorem Spiritus sancti

per quem ardorem terrena mens a carnalibus suis desideriis concrematur (hom. 2 in Ezech. *M.* 76,800) et : ignem Dominus in terram mittit, cum afflatu sancti Spiritus corda carnalium incendit (hom. 30 in evang. *M.* 76, 1223). Simili modo *Beda* ignem dici ait Spiritus sancti fervorem qui corda illuminat, ad superna provocat, vitia comburit, aurea vasa meliorat probando, ligna, fenum, stipulam consumit; « ob hoc solum de Patris sinu exivi et veni in mundum ut homines a terrenis cupiditatibus in coelestia desideria succendam, quid putas volo aliud quam ut huius incendii iubar cunctas mundi plagas illustret, huius flamma devotionis usque ad finem saeculi fidelium semper augescat in corde neque ullo infidelium vel fluctuum exstinguatur incursu vel flatuum »? et pari ratione in isto igne mitti Spiritum sanctum, ut purgentur, illustrentur, roborentur corda hominum explicant *Cai. Tol. Ipr. Lap. Reischl.* A qua acceptione non multum recedunt qui ignem hunc esse dicunt caritatem divinam ad omnem terram succendendam et ad omnem terrenitatem comburendam (*Alb. Bon.*), vel fidem et caritatem (*Euth.*); etiam illi qui in igne praedicationem evangelii declarari censent (*Theoph. Ians.*), in ea vim suam exercere dicunt Spiritum sanctum, ut ea animi hominum purgentur et innoventur.

Hae igitur explanationes facile inter se conciliantur et ad unum quoddam caput revocantur, cum singulae non omittant quod praecipuum est igne illo animos purgari et innovari. Verum alii ignem hunc eo modo dici volunt quo in v. 51 Christus ait se non venisse pacem dare; quare exponunt ignem de discordia et separatione; ita iam *Tertullianus* (c. Marc. 4,29) : « ipse melius interpretabitur istius ignis qualitatem adiiciens : putatis venisse me pacem mittere in terram? non, dico vobis, sed separationem; igitur ignem eversionis intendit qui pacem negavit, quale proelium, tale et incendium »; cui acceptioni adstipulatur *Mald.* addens ignem significare afflictionem resque adversas, item *Luc.* rerum omnium perturbationem esse intelligendam ait quam pariat evangelii doctrina malitia hominum, vel, ut alii loquuntur, significari persecutiones, odia malaque omnia quae evangelica institutio sese defensuris est allatura (*Calm. Fil.*) vel bellorum aestus (*Lamy*), vel in universum animorum exagitationem qua alii pro Christo, alii contra eum impellantur (*Schanz*). Verum istis explanationibus non tam ignis mihi videtur explicari, sed solum significari qui effectus *ex parte* ignem illum quem Iesus mittit in terram consequantur. De quibus effectibus sermo est in sequentibus.

Opus itaque quod Christus instituit et quod apostoli propagare debent, opus messianum cum in constituendo regno Dei consistat bellum indicit idololatriae, vitiis, concupiscentiis malis, moribus ac consuetudinibus legi Dei sanctae contrariis; quare necesse est ut acris quaedam discordia exsistat inter eos qui veteri cultui et vitae pristinae in moribus aliis enutritae adhaerent et eos qui Christo nomen dant; unde v. 51 *putatis quia pacem veni dare in terram? non, dico vobis, sed separa-*

tionem; « siquidem ad fidem Christi totus orbis contra se divisus est; unaquaeque domus et infideles habuit et credentes et propterea bellum missum est bonum, ut rumperetur pax mala » (*S. Hier. Beda*). Cuius separationis exemplum affert v. 52 *erunt enim ex hoc quinque in domo una divisi, tres in duos et duo in tres;* v. 53 *dividentur pater in filium et filius in patrem suum; mater in filiam et filia in matrem; socrus in nurum suam et nurus in socrum suam;* ut in exemplo hoc solum quinque habeantur ex v. 52, monent *Ambr. Beda* matrem esse simul socrum, *Theoph.* autem filiam esse quoque nurum; ἐπὶ πατρί contra patrem; ἐπὶ θυγατέρα notione haud multum diversa, qua magis motus et directio hostilis in filiam etc. exprimitur; significaturne mulieres pro odio muliebri vehementius aliam in aliam irruere, invehi? Eadem sententia enuntiatur Matth. 10,34 : non veni pacem mittere sed gladium et v. 35; cf. Matth. 10,21 et Mich. 7,6, ad quos locos plura dixi in Commentariis (Matth. I p. 395. 406; in Proph. min. I p. 468). Hisce ad oculum docet Christus quanta pericula instent suis et quae lucta subeunda sit etiam contra eos qui maxime nobis necessitudine naturae coniuncti sunt. Inde itaque elucet quantopere debeant esse vigiles, stare succincti lumbis, ne succumbant, sed ut fideles permaneant donec Dominus advenerit.

d) Signis temporis omnes vocari ad poenitentiam 12,54-59.

12,54. Dicebat autem et ad turbas : Quum videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis : Nimbus venit; et ita fit, 55. Et quum austrum flantem, dicitis : Quia aestus erit; et fit. 56. Hypocritae, faciem coeli et terrae nostis probare; hoc autem tempus quomodo non probatis? 57. Quid autem et a vobis ipsis non iudicatis quod iustum est? 58. Quum autem vadis cum adversario tuo ad principem, in via da operam liberari ab illo, ne forte trahat te ad iudicem, et iudex tradat te exactori, et exactor mittat te in carcerem. 59. Dico tibi, non exies inde, donec etiam novissimum minutum reddas.

12,54. Ἔλεγεν δὲ καὶ τοῖς ὄχλοις, Ὅταν ἴδητε νεφέλην ἀνατέλλουσαν ἐπὶ δυσμῶν, εὐθέως λέγετε, ὅτι Ὄμβρος ἔρχεται. καὶ γίνεται οὕτως· 55. καὶ ὅταν νότον πνέοντα, λέγετε, ὅτι Καύσων ἔσται· καὶ γίνεται. 56. ὑποκριταί, τὸ πρόσωπον τῆς γῆς καὶ τοῦ οὐρανοῦ οἴδατε δοκιμάζειν· τὸν καιρὸν δὲ τοῦτον πῶς οὐκ οἴδατε δοκιμάζειν; 57. τί δὲ καὶ ἀφ' ἑαυτῶν οὐ κρίνετε τὸ δίκαιον; 58. ὡς γὰρ ὑπάγεις μετὰ τοῦ ἀντιδίκου σου ἐπ' ἄρχοντα, ἐν τῇ ὁδῷ δὸς ἐργασίαν ἀπηλλάχθαι αὐτοῦ· μήποτε κατασύρῃ σε πρὸς τὸν κριτήν, καὶ ὁ κριτής σε παραδώσει τῷ πράκτορι, καὶ ὁ πράκτωρ σε βαλεῖ εἰς φυλακήν. 59. λέγω σοι, Οὐ μὴ ἐξέλθῃς ἐκεῖθεν, ἕως καὶ τὸ ἔσχατον λεπτὸν ἀποδῷς.

In v. 54 επι δυσμων ℵ B L Ti W Π; al απο; ab oriente ad occasum ff² i l q r dub. In v. 55 pro *aestus* habent eg r calor; am big cav tol lind ventus (id quod male ponitur nisi intelligatur ventus urens). In v. 56 πως ουκ οιδατε δοκ. ℵ B L 33. ff² l sah cop acth W Π; al δοκιμαζετε Ti. In v. 58 απηλλαχθαι απ αυτου omn (excipe B Bas; similiter Or); παραδωσει ℵ A B D aliq minusc Epiph; al παραδω; item βαλει ℵ B D X Γ

aliq minusc; al βαλη, βαλλη. In v. 59 *quadrantem* it Tert gat dub eg, uti D κοδραντην (sin v. 56 tempus hoc et signa eius non scrutamini ut probetis; aliqua etiam in hac parte desunt).

Uti in praecedenti sermone Christus discipulos adhortatus est ad vigilantiam et ad pericula praecavenda eos instituit, ita nunc oratione ad turbas directa eas similiter excitare studet, ut intelligentes quale tempus instet excusso torpore opportunitate oblata ad reconciliationem cum Deo quaerendam utantur. Quem nexum haud incongrue *S. Bon.* indicat scribens : postquam excitavit ad vigilantiam, hic arguit negligentiam. Alii occasionem huius sermonis repetunt ex eo quod turbae non intelligentes quid praecedenti sermone Iesus voluerit turbatae sint (*Theoph.*), vel quod audientes de separatione et odio excitatae sint ira et indignatione (*Schegg*); vel afferri rationem istius separationis quae in eo sit quod tempus messianum non agnoscant (*Weiss*), vel Christum cum de suo adventu locutus sit ad discipulos, occasione eius mentionis reprehendere turbas quod tempus adventus sui non velint agnoscere (*Tol. Ians.*). Adhortatione itaque discipulis data Iesus oculos in plebem dirigens non potest non advertere quam longe absint ab ea animorum dispositione quam discipulis ingerere studuit v. 54 *dicebat autem et ad turbas : cum videritis nubem orientem ab occasu* i. e. a regione maritima, a mari, *statim dicitis : nimbus venit; et ita fit;* v. 55 *et cum austrum flantem* e plaga scil. meridionali, *dicitis : quia aestus erit; et fit;* cf. Matth. 16,2; verum cum occasio loquendi hic sit plane alia et alia quoque exempla quibus Iesus utitur, nequaquam unus idemque eventus statui potest; sed quae hic legimus diversa sunt ab iis apud Matthaeum; v. 56 *hypocritae, faciem coeli et terrae nostis probare* δοκιμάζειν, sciunt dignoscere, explorare quid portendat futurum esse varius coeli terraeque aspectus; *hoc autem tempus quomodo non probatis,* quomodo non nostis examinare et explorare? i. e. quomodo signa temporis non dignoscitis et quid portendant non attenditis? In reprehensione qua eos hypocritas vocat simul tangit rationem, cur signa temporis non norint. Hypocrisi obcaecati sunt; externam quandam observantiam legis praetendunt, sed vera pietate destituti sunt. Aliter *Tol. :* appellat hypocritas quia volebant prudentes videri iudicio signorum coeli et terrae, cum revera essent imprudentissimi qui quod maioris erat momenti non observarunt.

Signa autem ex quibus instare tempus messianum cognoscere poterant in aperto erant. Habebant testimonia Ioannis, miracula et effata Christi; communis illa exspectatio Messiae quae eo tempore vigebat iam per se sola satis indicii erat quae ipsa ex Danielis vaticinio exorta

videtur (vide quae dixi in Comment. Dan. p. 265; ad Matth. 16,2). Quale itaque tempus instet, nisi oculos auresque claudere voluerint ignorare non possunt. Illa annuntiatio sola : appropinquavit regnum Dei, iam satis clara est. Quare Christus eos arguit simulque omnem ignorantiae excusationem excludit (*Bed. Luc. Ipr.*) dicens v. 57 *quid autem et a vobis ipsis non iudicatis quod iustum est?* κρίνετε τὸ δίκαιον, de eo ferre sententiam idque eligere; ἀφ' ἑαυτῶν « relegat eos ad proprios ipsorum animos ac conscientias affirmans quod si vel secum ipsi separato omni pravo affectu expenderent coram Deo ea quae suis oculis quotidie vident, posse eos absque aliis externis testimoniis ex conscientiae suae dictamine venire in cognitionem temporis praesentis; hic itaque mali fontem aperit Dominus, quod in suas conscientias non descendant neque illic coram Deo secum inquirant quid rectum sit » (*Luc.*). Et bene notat *Ipr.* perperam verba haec *ex vobis ipsis* a Cassiano, collat. 13, et aliis eo torqueri quasi Christus significatum vellet eos id posse agnoscere viribus naturalibus; argumentis quippe externis non excludi gratiam Dei qua iuvante in notitiam et fidem venire potuissent, nisi mala sua voluntate hoc Dei adiutorium repulissent.

Et quid sit iustum illud quod ratione temporis etiam iudicare et amplecti debeant (*Ians.*) indicat sequentibus; nam cum annuntiatione regni Dei coniuncta est adhortatio : poenitentiam agite; Messiae adventus tamquam tempus iudicii a prophetis est descriptum (cf. Is. 4,4. Ez. 34,20. Mal. 3,2. Zach. 13,9) et a Ioanne baptista annuntiatum (Matth. 3,10. 12). Quid itaque illis tali tempore incumbit? Nihil magis quam ut acta poenitentia Deum sibi reddant propitium, quamdiu id licet. Idque per modum parabolae proponitur v. 58 *cum autem* γάρ cum enim, ita explicatio adiungitur ad v. 57, *vadis cum adversario tuo ad principem, in via da operam liberari ab illo* i. e. ut ab accusatore et creditore liber dimittaris et ille discedat a te neque litem intendat, *ne forte trahat te ad iudicem et iudex tradat te exactori,* i. e. servo vel ministro qui reos poenis afficit decretis, *et exactor mittat te in carcerem;* et quantopere sit consultum antea rem componere, graviter asseritur v. 59 *dico tibi : non exies inde, donec etiam novissimum minutum reddas,* λεπτόν nummulus est minimus, dimidia pars quadrantis; unde quanta severitate totum exigatur debitum usque ad ultimum nummulum declaratur, nisi quis ante iudicium, antequam Deo iudici sistatur, remissionem debiti obtinuerit. Quod dicitur : non exies, donec... per se significat : non aliter exibis e carcere, nisi totum debitum usque ad ultimam monetam solveris (*Tol.*) et bene notat *Cai. :* adverbium *donec* determinat tempus carceris coaevum tempori non solutionis et non determinat certum tempus, ac per hoc si

nunquam solvis, nunquam exibis. Si autem solvere poteris, exibis. Igitur summo iure tecum agetur; non liberaberis donec poenas lueris extremas, tantas quantas rigor iustitiae exiget; quare aliqui explicant et de carcere inferni, ubi debitum nunquam solvi potest et de purgatorio, ubi solvitur (cf. *Alb. Tol. Luc.*), dum alii simpliciter verba accipiunt : nunquam exibis, quia nunquam in carcere reddere potes debitum; ita *S. Aug.* de serm. Domini in monte 1,11. 30; *Bed. Bon. Cai. Theoph. Euth. Ians.* et complures alios recensui in Comment. Matth. I p. 220.

Exemplo itaque ex conditione vitae deprompto ostenditur consultum esse, ut quis rem cum accusatore vel creditore componat antequam res illa rigore iustitiae sit iudicanda. Applicatio facile patet. Quod in re humana prudentiae est facere, non est negligendum, si de iudicio divino agitur. Itaque reconciliatio per poenitentiam est quaerenda antequam Deo vel Messiae iudici sistamur. Aliqua quae in illo exemplo dicuntur facilem habent applicationem; ita *in via* i. e. antequam iudicium ingruat; iudex certe est Deus vel is cui omne iudicium traditus est, Christus; carcer locus in quo poenae peccatorum luuntur; exactorem explicant alii angelos (*Ians. Reischl, Schegg*), alii diabolum (*S. Bon. Alb. Theoph. Cai.*; cf. Comment. Matth. I p. 221). Quaerunt etiam quis sit adversarius? Qua in re hic quoque (uti in exemplo eodem apud Matth. quod tamen ad rem aliam illustrandam profertur) varia sunt excogitata. Adversarium nempe esse sermonem Dei (*Bed. Bon.*), peccata nostra et diabolum (*S. Ambr. Tol.*), diabolum (*S. Cyr. Theoph. Euth. Reischl*), Deum aut diabolum (*Ians.*), conscientiam nostram (*Cai.*), Messiam (*Beda*), signa temporum, legem et prophetas (*Schegg*), Moysen et prophetas vel etiam sermonem Dei, peccata nostra (*Schanz*). Verum notanda erunt duo : in exemplo vel in parabola adversarius est creditor, is cui debitum quoddam persolvendum est; unde iam patet non posse explicari de diabolo, cuius debitores tamen nullo pacto sumus, neque de peccatis etc.; dein notari oportet quod *Ians.* monet minime necesse esse in parabola *singula* persequi et operose velle ad rem parabola designatam applicare. Quare minime opus est cum aliquibus operose inquirere quis sit ἄρχων et quomodo iste distinguatur a iudice etc.

Quod dicitur in v. 58 δὸς ἐργασίαν est latinismus : da operam; explicant etiam graeci interpretes eodem modo; *S. Cyr.* : ἀντὶ τοῦ πᾶσαν θέσθαι μὴ ὀκνήσῃς σπουδήν illud poni dicit et *Theoph.* priore loco exponit : σπούδασον, ἀγώνισαι, τὸ γὰρ δὸς ἐργ. τοῦτο δηλοῖ, τὸ πάντα τρόπον ἐπινοήσασθαι, et *Euth.* vim dictionis in hunc modum declarat : εἰσάγαγε ἔργον, σπουδὴν, ἀγῶνα. Eodemque modo recentiorum plerique explicant. Aliam acceptionem proponit *Theoph.* ἐργασίαν explicans τόκον usuram; cui plane consentit *Calm.* : cur non das adversario usuram quam postulat, ut illius vexatione te liberes? si rem ipsam exhibere non potes, exhibeto usuram ne pereat; itemque Salmasium exponere ait. Atque *Keil* quoque urget ἐργασίαν habere notionem opificii, negotiationis, effectionis, quaestus (cf. Act. 16,19; 19,24.25. Eph. 4,19);

unde exponendum censet : offer ei negotium, offer ei mercaturam, cuius ope pecuniam suam accipiat; alii : offer ei laborem quo debitum illud solvere vis. Fortasse iam interpres syrus simile quid exprimere voluit, cum vertat ἐργασίαν תאגורתא, quam vocem *Bernstein* interpretatur mercaturam, negotiationem, merces. Verum nescio an non obstet δός quod offer (anbieten) verti posse vel propone nullo exemplo demonstrari existimo.

e) Sine poenitentia ruinam non posse averti 13,1-9.

13,1. Aderant autem quidam ipso in tempore, nuntiantes illi de Galilaeis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum. 2. Et respondens dixit illis : Putatis quod hi Galilaei, prae omnibus Galilaeis peccatores fuerint quia talia passi sunt? 3. Non, dico vobis; sed nisi poenitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. 4. Sicut illi decem et octo, supra quos cecidit turris in Siloe, et occidit eos; putatis quia et ipsi debitores fuerint praeter omnes homines habitantes in Ierusalem? 5. Non, dico vobis; sed si poenitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.

6. Dicebat autem et hanc similitudinem : Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, et venit quaerens fructum in illa, et non invenit. 7. Dixit autem ad cultorem vineae : Ecce anni tres sunt ex quo venio quaerens fructum in ficulnea hac, et non invenio; succide ergo illam; ut quid etiam terram occupat? 8. At ille respondens, dicit illi : Domine, dimitte illam et hoc anno, usquedum fodiam circa illam, et mittam stercora. 9. Et siquidem fecerit fructum; sin autem, in futurum succides eam.

13,1. Παρῆσαν δέ τινες ἐν αὐτῷ τῷ καιρῷ ἀπαγγέλλοντες αὐτῷ περὶ τῶν Γαλιλαίων, ὧν τὸ αἷμα Πειλᾶτος ἔμιξεν μετὰ τῶν θυσιῶν αὐτῶν. 2. καὶ ἀποκριθεὶς εἶπεν αὐτοῖς, Δοκεῖτε ὅτι οἱ Γαλιλαῖοι οὗτοι ἁμαρτωλοὶ παρὰ πάντας τοὺς Γαλιλαίους ἐγένοντο, ὅτι ταῦτα πεπόνθασιν; 3. οὐχί, λέγω ὑμῖν. ἀλλ' ἐὰν μὴ μετανοῆτε, πάντες ὁμοίως ἀπολεῖσθε. 4. ἢ ἐκεῖνοι οἱ δέκα ὀκτὼ, ἐφ' οὓς ἔπεσεν ὁ πύργος ἐν τῷ Σιλωὰμ, καὶ ἀπέκτεινεν αὐτοὺς, δοκεῖτε ὅτι αὐτοὶ ὀφειλέται ἐγένοντο παρὰ πάντας τοὺς ἀνθρώπους τοὺς κατοικοῦντας Ἰερουσαλήμ; 5. οὐχί, λέγω ὑμῖν· ἀλλ' ἐὰν μὴ μετανοῆτε, πάντες ὡσαύτως ἀπολεῖσθε.

6. Ἔλεγεν δὲ ταύτην τὴν παραβολήν· Συκῆν εἶχέν τις πεφυτευμένην ἐν τῷ ἀμπελῶνι αὐτοῦ καὶ ἦλθεν ζητῶν καρπὸν ἐν αὐτῇ, καὶ οὐχ εὗρεν· 7. εἶπεν δὲ πρὸς τὸν ἀμπελουργόν, Ἰδοὺ, τρία ἔτη ἀφ' οὗ ἔρχομαι ζητῶν καρπὸν ἐν τῇ συκῇ ταύτῃ, καὶ οὐχ εὑρίσκω· ἔκκοψον αὐτήν· ἵνατί καὶ τὴν γῆν καταργεῖ; 8. ὁ δὲ ἀποκριθεὶς λέγει αὐτῷ, Κύριε, ἄφες αὐτὴν καὶ τοῦτο τὸ ἔτος, ἕως ὅτου σκάψω περὶ αὐτὴν, καὶ βάλω κόπρια· 9. κἂν μὲν ποιήσῃ καρπὸν εἰς τὸ μέλλον, εἰ δὲ μήγε, ἐκκόψεις αὐτήν.

In v. 2 ταυτα ℵ B D L, e haec; al τοιαυτα. In v. 3 ομοιως ℵ B D L pl minusc Chr. In v. 5 ωσαυτως ℵ B L M pl minusc Bas Chr. In v. 7 αφ ου om A X Γ Δ Λ Π unc 8 al pler sah syr (sch) tat Or Bas Ir; D add φερε την αξεινην; ut quid etiam terram evacuat b ff^{2} l q, detinet i r, intricat c. In v. 8 D κοφινον κοπριων, a b c f ff^{2} i l q mt cophinum (d squalum) stercoris. In v. 9 καρπον εις το μελλον-ει δε μηγε ℵ B L 33.69. sah cop Cyr Ti W H; ει δε μηγε εις το μελλον A D X Γ Δ Λ Π unc 8 al pler it vulg syr (cu, utr) arm tat (altero anno); e excidetur (sin, servata sunt solum aliqua).

Quae sequuntur et tempore et rei argumento arcte cohaerent cum praecedentibus. Tempus quidem ipse evangelista satis declarat in

v. 1; sermone Christi iterum poenitentiam maxime esse necessariam inculcatur additis minis gravissimis; v. 1 *aderant autem quidam ipso in tempore,* dum scil. Iesus ea quae antecedunt tractaret vel saltem eo fere tempore; nam dictio est nimis clara, quam ut nexus temporis negari possit, *nuntiantes illi de Galilaeis quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum* i. e. qui in templo dum sacrificia offerrent, vel in victimis adducendis vel mactandis occuparentur, trucidati sunt a militibus Pilati; eo itaque loco et tempore quo sacrificiis operam dabant caesi sunt. Modo loquendi rei indignitas effertur cum emphasi; neque tamen opus est cùm aliquibus explicare quasi per brachylogiam : sanguinem eorum miscuit cum sanguine sacrificiorum, quasi revera sanguis humanus cum sanguine victimarum esset commistus (*Lap. Fil.*). De ea re solus narrat Lucas. Aliquos Galilaeos esse occisos occasione alicuius tumultus Iosephus quidem non commemorat; neque id mirum videri potest, cum alia quoque eaque graviora non commendaverit litteris (vide quae dixi in Comment. Matth. I p. 106, not. 1), sed luculenter docet Galilaeos prae ceteris fuisse seditiosos et Iudaeis sollemne fuisse occasione festorum tumultuari idque in ipso templo; ideo enim arx Antonia est exstructa et praesidio munita (cf. *Iosephus,* Antiq. 15,11. 4. 7; 17,9. 3. 6; 17,10. 2; *Wetstein*). Putarunt aliqui eos esse occisos in tumultu illo exorto quia Pilatus ad aquaeductum exstruendum sacras pecunias impendit (Antiq. 18,3. 2; *Ewald, Ed.* II p. 222; vide quae notavi ad Marc. 15,7); frequentius dicunt eos fuisse sectatores Iudae Galilaei vel ab eius stetisse partibus eiusque placita adoptasse (cf. *Theoph. Euth. Luc. Ipr. Ians. Lamy*); is enim Iudas, de quo Act. 5,37 quoque, in diebus professionis (anno 7 p. Ch.) docuerat non esse tributum dandum Caesari neque agnoscendum dominum nisi Deum; atque ex eo exstitisse zelotas et sectatores dogmatum eius eiusque filios patris placita studiose propagasse discimus ex Iosepho (Antiq. 18,1. 1. 6; 20,5. 2; Bell. iud. 2,8. 1; 2,17. 8-9; 7,8. 1 seq.; cf. *Schürer* l. c. I p. 407). Sed fatendum erit nos nihil scire cur et qua occasione illi Galilaei trucidati sint. Exinde ortas esse inimicitias inter Pilatum et Herodem iam *Alb.* censuit; Galilaea enim pertinebat tum temporis ad ditionem Herodis.

Quorsum autem nuntium hunc intulerunt? Probabiliter quia res erat nova et nondum audita, ut solemus res eiusmodi novas et insignes omnibus miscere sermonibus (cf. *Mald.*). Censet *Ed.* II p. 221 seq. occasionem rem narrandi esse arreptam ex 12,56 eosque voluisse ea narratione Iesum accusare quasi sua praedicatione de regno Dei auctor esset rebellionis Galilaeorum contra Romanos. Verum cum nihil sciamus praeter id quod in v. 1 asseritur et cum responsum Christi ad

hanc Iudaeorum in Iesum accusationem minime congruat, etiam haec coniectura dimittenda erit. Quid illi rem narrantes tacite iudicaverint Iesus prodit v. 2 *et respondens dixit illis ; putatis quod hi Galilaei prae omnibus Galilaeis peccatores fuerint,* ἐγένοντο facti sint, id quod aliqui explicant : demonstrati sint ut tales et declarati, *quia talia passi sunt?* iudicant itaque uti olim amici Iob (4,7) res adversas esse semper poenam condignam peccatorum, uti ipsi quoque discipuli : rabbi quis peccavit, hic aut parentes eius, ut caecus nasceretur (Ioan. 9,2)? Quam sententiam Iesus corrigit : v. 3 *non, dico vobis;* sed occasionem inde capit admonitionis et comminationis, *sed nisi poenitentiam habueritis, omnes similiter peribitis;* erit itaque haec occisio quasi praeludium quoddam interitus totius gentis contumacis; « revera enim qui non poenitentiam habuerunt similiter perierunt, quia quadragesimo dominicae passionis anno venientes Romani et incipientes a Galilaea, unde et dominica praedicatio coeperat, adeo radicitus impiam gentem deleverunt, ut non solum atria templi sed et interiora domus humano sanguine foedarent » (*Beda*) ; *similiter,* ut illi ; et revera multi in urbis obsidione perierunt in templo occisi; inter alia refert *Iosephus :* tela e machinis magna vi ad aram usque et templum transvecta in sacerdotes et sacris operantes incidebant et multi qui magno studio a terrae finibus eo venissent ipsi ante hostias ceciderunt et altare Graecis universis et barbaris venerandum suo sanguine asperserunt, atque indigenis occisis alienigenae ac sacerdotibus profani miscebantur et promiscuus cadaverum sanguis templi in atriis stagna faciebat (Bell. iud. 5,1. 3) ; atque ita *Euth. Cai. Ians. Luc. Lap. Lamy, Calm. Schanz* verba concipiunt. Minatur igitur Christus gentis ruinam ; ex qua comminatione pro singulis facile colligitur interitus quoque aeternus nisi resipuerint (cf. *Luc. Ipr.*). Neque tamen quia non omnes ad quos verba diriguntur in templo obierint, cum *Mald.* a notione *similiter* est deflectendum : simul omnes peribitis.

Altero exemplo idem confirmat idemque minatur v. 4 *sicut illi decem et octo supra quos cecidit turris in Siloe et occidit eos ;* neque de hoc eventu[1] ceteroquin quidquam innotuit. Siloe, Siloam fons est dulcis atque copiosus ; vallis Tyropoeon usque ad eum fontem protenditur (Bell. iud. 5,4. 1) ; effunditur in lacum seu piscinam eiusdem nominis ; situs eius ad australem partem urbis est, ubi Tyropoeon cum valle Hinnom congreditur ; turris *in Siloe* i. e. ad piscinam eius nominis ; *putatis quia et ipsi debitores* i. e. peccatores (cf. Matth. 6,12.

1. Haud immerito notat *Ed.* II p. 221 eo quod eiusmodi non legantur apud Iosephum convelli haud leviter quod Renan aliique affirmaverint libros Iosephi fuisse plurimum adulteratos ab amanuensibus christianis.

Luc. 11,4; conferri potest aram. חיב) *fuerint praeter omnes homines habitantes in Ierusalem?* v. 5 *non, dico vobis; sed si poenitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis,* ὡσαύτως eodem modo, est quaedam ad v. 3 gradatio; in ruina turris ruinam totius urbis declarat et mortem illorum esse quasi prooemium cladis omnium (*S. Cyr.*). Praenuntiant itaque hi qui ruina turris oppressi sunt omnes Iudaeos qui noluerint resipiscere cum ipsis suis moenibus esse perituros (*Bed. Theoph. Euth.*) oppressos ruinis civitatis (*Luc. Schanz, Fil.*).

Atque merito eiusmodi iudicium iis imminere, cum gratiis et vocationi Dei eousque minime responderint, parabola docet et demonstrat v. 6 *dicebat autem et hanc similitudinem : arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua et venit quaerens fructum in illa et non invenit;* ficulnea erat arbor in Palaestina una ex praecipuis. In ea designari populum Dei iam ex Ier. 24,1 seq. Os. 9,10 consequitur. Cum arbor esset plantata in vinea, in loco tuto, munito, fertili erat collocata (cf. Is. 5,2 seq.). Quia alias vinea populum Dei dicit (Is. 5,7), fortasse hoc loco in arbore figura exprimitur urbis Ierusalem, quae in media theocratia singulari Dei cura et protectione erat collocata, sed quae iam antiquitus nullum Deo attulit fructum bonum, sicut Ieremias conqueritur : circuite vias Ierusalem et quaerite in plateis eius an inveniatis virum facientem iudicium et quaerentem fidem (5,1; cf. Lament. 1,8; 2,14; 4,13. Ez. 16,3 seq.); v. 7 *dixit autem ad cultorem vineae : ecce anni tres sunt ex quo venio quaerens fructum in ficulnea hac et non invenio;* tertio anno post plantationem ficulnea fructum ferre solet et si tertio anno non fert omnino sterilis considerari solet. Cum illud *ex quo* ἀφ' οὗ apud aliquos testes omittatur, sunt qui explicent triennium est (ex quo arbor plantata est; unde iam tempus fructum ferendi) et venio... (cf. *Schegg, Ed.* II p. 247); ita ut dominus prima vice veniens nec inveniens fructum arborem iam velit exscindi. Quae explicatio ex v. 6 commendari videtur. Attamen cum ἀφ' οὗ in melioribus codicibus habeatur et ad rem parabola significatam multo melius iste sensus congruat quem pleraeque quoque versiones veteres exhibent, dicendum est dominum revera iam ter venisse ad fructum quaerendum i. e. exprimi eum repetito venisse neque statim prima vice voluisse vindictam capere, verum usum esse longanimitate et clementia. Numerus seligitur ternarius quo neque nimis cito neque nimis tarde dominus sententiam in arborem ferre censeatur : *succide ergo illam; ut quid etiam terram occupat?* καταργεῖ; καθιστᾷ ἀργήν (*Euth.*), inertem facit; non solum inutiliter locum occupat, sed praeterea vel insuper (καί) terram infructiferam reddit, quia radicibus suis omnem circa terrae humorem exsugit et impedit quo-

minus aliae plantae uberiores ferant fructus (*Mald. Luc. Lap. Calm.*).

Verum hortulanus intercedit v. 8 *at ille respondens dicit illi : domine, dimitte illam et hoc anno, usque dum fodiam circa illam et mittam stercora,* omnia opportuna maiore etiam cura adhibere vult; v. 9 *et siquidem fecerit fructum,* « cum hoc diceret, non subiunxit aliquid, sed suspendit sententiam » (*Bed.*); supplendum esse ait *Euth.* εὖ ἔχει, bene quidem; *sin autem, in futurum succides eam;* εἰς τὸ μέλλον graece etiam (idque melius) ad prius membrum refertur : siquidem fructum fecerit in annum sequentem, bene etc.; exprimitur affectus et diligentia boni coloni qui non libenter plantas exscindit, non libenter perdit, sed omnem exserere vult conatum, omnem culturam arbori adhibere, ita ut nihil iam reliquum sit quod ultra facere possit (cf. *Mald.*).

Applicatio parabolae satis est obvia et perspicua. Sicut ficus illa fructum non ferebat, ita longe maior pars populi bona opera non faciebat; frustra quoque iis dixerat baptista : facite dignos poenitentiae fructus. Dein sicut herus ille patienter exspectavit plures annos, ita Deus quoque diu eos patienter exspectabat. Verum iam securis ad radicem posita est. Spatium tamen poenitentiae illis adhuc conceditur; immo praedicatione et miraculis Christi et apostolorum diutius in Palaestina commorantium multo illis uberiores offeruntur gratiae, quas si etiam neglexerint et repudiaverint, ultima ruina iis ingruet. Annus igitur ille quem colonus a domino efflagitat est tempus illud usque ad bellum iudaicum et urbis et templi ruinam. — Porro parabolam suo modo ad unumquemque transferri posse non est cur pluribus explicetur. Adumbratur quippe in ea clementia et longanimitas Dei qui pro sua benignitate etiam acrioribus stimulis ad poenitentiam invitat (Rom. 2,4) et uberiores apponit gratias, ut bonos feramus fructus. Verum si terra illa venientem super se bibens imbrem solum spinas et tribulos profert, tandem reproba erit et eius consummatio erit in combustionem (Hebr. 6,8).

Magna apud interpretes cernitur varietas, dum quaerunt cur trium annorum fiat mentio. Vario modo varioque tempore Deum venisse, ut fructum emendationis quaereret in populo; « venit ad Abraham, venit ad Moysen, venit ad Mariam; venit in signaculo, venit in lege, venit in corpore; adventum eius ex beneficiis cognoscimus » (*S. Ambr.* similiter *Greg.* hom. 31,2 in evang. *M.* 76,1228; *Theoph. Bon.*); per tres annos visitationis divinae : in legalibus edictis, in propheticis contestationibus et in ipsa coruscantis evangelii gratia populus exstitit negligens (*Beda;* similiter iam *S. Aug.* serm. 110; *M.* 38,638; *Alb. Bisp.*); tres Iudaeorum gubernationes intelligit *Ians.* eam scil. qua sub iudicibus regebantur, eam qua sub regi-

bus et eam qua sub pontificibus et ita *Euth.* quoque; vel in universum significari tempus ab electione Israel ad Christi mortem (*Schegg*) vel tempus ante Christum declarari tribus annis, quarto vero anno id quod Ioannes et Iesus fecerint ad emendandum populum (*Keil*). Frequentius in his tribus annis de quibus Christus loquitur, ipsos eius tres annos vitae publicae intelligunt per quos iam pro populo laboraverit exspectans fructum; ita *Luc. Ipr. Lap.* et ex recentioribus protestantibus *Wieseler*, Synopse p. 202, Beitraege p. 165; *Weizsaecker*, Untersuchungen p. 311, *Sp.* Quae sententia utique cum ratione temporis bene congruit quatenus illa ex Luca et Ioanne colligi ac componi potest. Haec enim dicta sunt post tertium pascha vitae publicae Christi (9,12 seq. Ioan. 6,2) aliquo tempore ante festum dedicationis templi mense decembri (13,22. Ioan. 10,22); proinde eo tempore Iesus merito dicere poterat : tres anni sunt ex quo venio etc. Alii demum in numero ternario dominum repetito venisse existimant declarari (*Cai. Calm. Schanz, Fil.*).

Quis sit cultor vineae qui pro populo intercedit, alii explicant de angelis custodibus; ita *S. Hier.* : « agricola iste vel Gabriel est vel Michael, cui commissus est populus Iudaeorum qui Dominum deprecatur et dicit : Domine, da ei spatium poenitentiae » (in Hab. 3,17; *M.* 25,1333; similiter *Theoph. Cai.*); alii de apostolis vel imprimis de Petro (*S. Ambr. Greg.* l. c. *Beda*); alii in universum de omnibus qui curam gerunt aliorum; « qui autem intercedit colonus, est omnis sanctus qui intra Ecclesiam orat pro eis qui sunt extra Ecclesiam » (*S. Aug.* l. c. similiter *Mald.*) et apposite notat *Luc.* eiusmodi animo praeditos esse oportere qui ad excolendam Domini vineam constituti sint, ut iram Dei avertere conentur ab iis qui steriles sint virtutibus et ad fecunditatem eos modis omnibus adducere. Sed frequentius in colono cernunt ipsum Christum, quem Pater in mundum misit ut Iudaeos, veluti vineam suam (Is. 5,2 seq.) et Ierusalem tamquam ficum doctrina et miraculis excoleret (*Ipr.*), qui Christus pro populo intercessit (*S. Cyr. Euth. Alb. Ians. Luc. Lap. Fil.*). Quae applicatio certe apta est. Quartus dein annus qui conceditur est spatium illud annorum 40 usque ad eversionem urbis (*Cai. Schegg, Fil.*), si in ficu cernitur figura populi vel urbis. Ex qua consideratione etiam aliqui arguunt tres illos annos non posse referri ad vitam Christi publicam, cum annus quartus non unum annum sed multos significet (cf. *Fil.*).

Qui parabolam ad unumquemque transferunt, colonum intelligunt vel angelum custodem vel ipsum hominem; suae enim quisque fici cultor est. Sed minus apte tres anni explicantur de adolescentia, de aetate virili, de senecta (*Theoph.*), nisi id ad hoc unum transferas ab omni aetate requiri, ut fructus pietatis afferatur.

f) Mulier infirma sanatur 13,10-22.

13,10. Erat autem docens in synagoga eorum sabbatis. 11. Et ecce mulier, quae

13,10. Ἦν δὲ διδάσκων ἐν μιᾷ τῶν συναγωγῶν ἐν τοῖς σάββασιν· 11. καὶ ἰδοὺ,

habebat spiritum infirmitatis annis decem et octo, et erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere. 12. Quam quum videret Iesus, vocavit eam ad se, et ait illi: Mulier, dimissa es ab infirmitate tua. 13. Et imposuit illi manus, et confestim erecta est, et glorificabat Deum.

14. Respondens autem archisynagogus, indignans quia sabbato curasset Iesus, dicebat turbae: Sex dies sunt, in quibus oportet operari: in his ergo venite, et curamini, et non in die sabbati. 15. Respondens autem ad illum Dominus, dixit: Hypocritae, unusquisque vestrum sabbato non solvit bovem suum aut asinum a praesepio, et ducit adaquare? 16. Hanc autem filiam Abrahae, quam alligavit satanas, ecce decem et octo annis, non oportuit solvi a vinculo isto die sabbati? 17. Et quum haec diceret, erubescebant omnes adversarii eius; et omnis populus gaudebat in universis quae gloriose fiebant ab eo.

18. Dicebat ergo: Cui simile est regnum Dei, et cui simile aestimabo illud? 19. Simile est grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum; et crevit, et factum est in arborem magnam; et volucres coeli requieverunt in ramis eius. 20. Et iterum dixit: Cui simile aestimabo regnum Dei? 21. Simile est fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinae sata tria, donec fermentaretur totum. 22. Et ibat per civitates et castella docens et iter faciens in Ierusalem.

γυνὴ πνεῦμα ἔχουσα ἀσθενείας ἔτη δέκα ὀκτὼ, καὶ ἦν συγκύπτουσα, καὶ μὴ δυναμένη ἀνακύψαι εἰς τὸ παντελές. 12. ἰδὼν δὲ αὐτὴν ὁ Ἰησοῦς προσεφώνησεν καὶ εἶπεν αὐτῇ, Γύναι, ἀπολέλυσαι τῆς ἀσθενείας σου. 13. καὶ ἐπέθηκεν αὐτῇ τὰς χεῖρας· καὶ παραχρῆμα ἀνωρθώθη, καὶ ἐδόξαζεν τὸν Θεόν.

14. Ἀποκριθεὶς δὲ ὁ ἀρχισυνάγωγος, ἀγανακτῶν ὅτι τῷ σαββάτῳ ἐθεράπευσεν ὁ Ἰησοῦς, ἔλεγεν τῷ ὄχλῳ, ὅτι Ἓξ ἡμέραι εἰσὶν, ἐν αἷς δεῖ ἐργάζεσθαι· ἐν αὐταῖς οὖν ἐρχόμενοι θεραπεύεσθε, καὶ μὴ τῇ ἡμέρᾳ τοῦ σαββάτου. 15. ἀπεκρίθη δὲ αὐτῷ ὁ Κύριος, καὶ εἶπεν, Ὑποκριταὶ, ἕκαστος ὑμῶν τῷ σαββάτῳ οὐ λύει τὸν βοῦν αὐτοῦ ἢ τὸν ὄνον ἀπὸ τῆς φάτνης, καὶ ἀπάγων ποτίζει; 16. ταύτην δὲ, θυγατέρα Ἀβραὰμ οὖσαν, ἣν ἔδησεν ὁ σατανᾶς, ἰδοὺ, δέκα καὶ ὀκτὼ ἔτη, οὐκ ἔδει λυθῆναι ἀπὸ τοῦ δεσμοῦ τούτου τῇ ἡμέρᾳ τοῦ σαββάτου; 17. Καὶ ταῦτα λέγοντος αὐτοῦ, κατῃσχύνοντο πάντες οἱ ἀντικείμενοι αὐτῷ· καὶ πᾶς ὁ ὄχλος ἔχαιρεν ἐπὶ πᾶσι τοῖς ἐνδόξοις τοῖς γινομένοις ὑπ' αὐτοῦ.

18. Ἔλεγεν οὖν, Τίνι ὁμοία ἐστὶν ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ; καὶ τίνι ὁμοιώσω αὐτήν; 19. ὁμοία ἐστὶν κόκκῳ σινάπεως, ὃν λαβὼν ἄνθρωπος ἔβαλεν εἰς κῆπον ἑαυτοῦ· καὶ ηὔξησεν καὶ ἐγένετο εἰς δένδρον καὶ τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ κατεσκήνωσεν ἐν τοῖς κλάδοις αὐτοῦ. 20. Καὶ πάλιν εἶπεν, Τίνι ὁμοιώσω τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ; 21. ὁμοία ἐστὶν ζύμῃ, ἣν λαβοῦσα γυνὴ ἔκρυψεν εἰς ἀλεύρου σάτα τρία, ἕως οὗ ἐζυμώθη ὅλον. 22. Καὶ διεπορεύτο κατὰ πόλεις καὶ κώμας διδάσκων καὶ πορείαν ποιούμενος εἰς Ἱεροσόλυμα.

In v. 10 una synagogarum b ff^2 q; quadam (una c) synagoga f. In v. 11 spiritum languoris a; incurvata e f, retrorsum respicere ept (marg) rush; se erigere d e f. In v. 14 licet opus fieri r. In v. 15 υποκριτα D V X al mu f l hent syr (cu, sch, hr) arm; et adaquat a e, ad aquam l r. In v. 17 in praeclaris quae viderant fieri ab ipso b c ff^2 (videbant) i l q r, D εν πασιν οις εθεωρουν; f in universis praeclaris virtutibus quae videbantur fieri ab eo. In v. 19 δενδρον sine μεγα ℵ B D L a b d ff^2 i l r syr (cu, hr) arm Amb; habitabant e. In v. 21 in farinae mensuris tribus f; a b c ff^2 i l q nihil nisi *in farinam* (sin paucissima servata sunt).

Nexus cum antecedentibus non erit quaerendus alius nisi is qui ex

καθεξῆς 1,3 colligitur, i. e. ea Lucas nunc refert quia ea contigisse eo tempore, brevi ante festum dedicationis templi (quod in v. 22 innuitur) didicit. Nexum tamen *S. Ambr. Beda* in eo reponunt ut iam subiungatur exemplum fici sterilis, scil. quantopere synagoga careat fructu verae pietatis et e contra edat fructus amaros odii, invidiae, obtrectationis. Sed eo modo id videtur efferri quod in ea narratione vix erit praecipuum. Multo minus placet nexum repetere ex annis tribus v. 7 et octodecim v. 11; « quod significavit triennium in arbore, hoc decem et octo anni in illa muliere » (*S. Aug.* serm. 110,2); id quod etiam ab Holtzmann tentatum est. Neque dici potest ostendi in v. 17 apud populum fructum admonitionis ad poenitentiam (*Schanz*) eo quod populus recedat ab adversariis Christi et gaudeat de iis quae ab eo fiant gloriose; sed arbitrarium est admirationem illam ita explicare. Neque opus est internum rerum nexum requirere, cum ordo et series temporis sufficiat. Insuper ipso modo narrandi in v. 10 alius inducitur eventus, alia assignatur occasio, alius quoque dicendi locus atque in praecedentibus 12,54 et 13,1; legitur enim v. 10 *erat autem docens in synagoga eorum sabbatis*, ἐν μιᾷ τῶν cf. 5,12. 17; 8,22; 20,1; adhibetur εἷς etc. saepe eodem modo quo hebr. אֶחָד pro pronomine indefinito; τὰ σάββατα etiam de uno sabbato dici multis exemplis constat; cf. 4,16. Act. 13,14; 16,13 et apud LXX Ex. 20,10; 35,3. Num. 28,9. Deut. 5, 12. Ier. 17,21, qui usus etiam apud Iosephum cernitur (Antiq. 3,6.6), quare nequit explicari : sabbatis singulis solebat docere in synagoga, uti ἐν μιᾷ iam satis indicat; v. 11 *et ecce mulier, quae habebat spiritum infirmitatis annis decem et octo et erat inclinata*, incurva, *nec omnino poterat sursum respicere* ἀνακύψαι sese erigere; qui iungunt et explicant : non potuit se perfecte erigere, attenuant illud ἦν συγκύπτουσα et etiam id quod in v. 16 dicitur; quare εἰς τὸ παντελές intelligendum est, sicut vulg. habet. Eam infirmitatem esse a daemone effectam, patet ex v. 16.

Vix quemquam solebat Christus non rogatus sanare; hanc vero mulierem sanat non rogatus, verum ei sanationem quodammodo offert; volebat enim ex murmuratione archisynagogi occasionem sumere superstitionem illam in observatione sabbati reprehendendi (*Mald.*) et indolem pharisaicam perstringendi et condemnandi v. 12 *quam cum videret Iesus vocavit eam ad se*, προσεφώνησεν allocutus est *et ait illi : mulier, dimissa es ab infirmitate tua*, « vox Deo convenientissima supernaeque potentiae plena; nam regali nutu morbum expellit » (*S. Cyr.*) v. 13 *et imposuit illi manus*, ut cognoscamus Dei virtute et efficacia sanctam carnem esse praeditam (*S. Cyr. cat. Cr. Theoph.*), carnem eius esse vivificam (*Mald. Lap.*) *et confestim erecta est et glorificabat*

Deum, corpore est sanata et erecta et animus quoque in Dei laudem et gratiarum actionem erectus. Tam facile eam Iesus liberavit a morbo adeo diuturno atque plane immedicabili, insignem potentiae suae speciem exhibens, ut et misericordiae et gratiae (*Luc.*). Verum synagogae praefectus, cuius inter alia erat videre ut omnia rite et ex more instituto fierent (cf. 8,49) ingenium manifestat putidum et solum ritibus externis deditum; v. 14 *respondens* i. e. ex re gesta occasionem capiens *autem archisynagogus indignans quia sabbato curasset Iesus dicebat turbae,* Iesum tamen interpellare non audet; plebi imponere conatur : *sex dies sunt in quibus oportet operari;* verbis Scripturae fere usus maiorem sibi auctoritatem conciliare studet; cf. Deut. 5,13; *in his ergo venite et curamini et non in die sabbati;* quae admonitio, ut reliqua omittam, iam eo minime erat ad rem, quia mulier non petiit sanationem; unde nihil aliud dicere vult nisi Iesum accusare apud plebem sabbati violati, uti Ioan. 9,16 : non est hic homo a Deo qui sabbatum non custodit; unde pharisaei statim inferunt : nos scimus quia hic homo peccator est.

Sed is debitam non effugit castigationem et confusionem v. 15 *respondens autem ad illum Dominus dixit : hypocritae,* ex v. 17 apparet complures adfuisse eiusdem mentis; reprehendunt scil. ficto religionis studio, dum ipsi in sabbato varia peragunt; fingunt se legem sabbati honorare, verum hoc praetextu invidiam suam explent et religionis zelo facere simulant quod invidia et odio in Christum acti faciunt (cf. *Euth. Cai. Mald. Lap. Lamy*); quam simulationem Iesus pandit : *unusquisque vestrum sabbato non solvit bovem suum aut asinum a praesepio et ducit adaquare?* ne bestia per unum diem potu careat provide prospiciunt neque sabbati religione sese prohiberi existimant; v. 16 *hanc autem filiam Abrahae quam alligavit satanas, ecce decem et octo annis, non oportuit solvi a vinculo isto die sabbati?* in qua responsione, ut *Mald.* notat, singula verba emphasin habent; redarguit scil. exemplo communi omnium; duobus animalibus opponit filiam Abrahae, de qua cum Abraham cognatione illi adeo gloriantur; illa solvere et ducere adaquatum multo maioris operae et laboris est, quam quod fecit Iesus, scil. manus imponere et dicere : liberata es; porro si non a satana, sed a causis naturalibus ligata fuisset, minor fuisset ratio eam liberandi die sabbati; verum ut ab hoste illo et eius vexatione eximeretur, dies Deo sacer et dies quo Deus omnibus concedi vult requiem erat quam maxime aptus; dein magno pondere opponit decem et octo annos tempori diei unius, per quod spatium illi animalia non relinquunt ita ut non solvant, qui filiam Abrahae post annos octodecim solvi nolunt! illi sine ullo scrupulo solvunt a praesepio, non unum

animal, sed quotquot habent et indignantur quod Iesus solvit a diabolo filiam Abrahae!

Argumentatio Christi non minus perspicua erat quam efficax; unde v. 17 *et cum haec diceret, erubescebant omnes adversarii eius, et omnis populus gaudebat in universis quae gloriose fiebant ab eo;* secundum suam quisque animi habitudinem responsum Christi suscepit. Inimici eius non habent quid reponant; vident larvam sibi esse detractam, larvam religionis et pietatis, vident suam agendi rationem palam expositam et suam de Iesu indignationem traductam coram omnibus tamquam aeque stultam atque impiam. Iesum verum dixisse et suam rem evicisse non possunt negare. Iam in tali conditione si non resipiscunt necessario magis in malitia obdurantur. Cum coram omnibus eorum impietas et stultissima indignatio manifesta sit, confunduntur; verum hac ipsa confusione augetur eorum in Iesum odium. Aliter apud populum, qui ea in re a ducibus suis recedit et de beneficiis a Christo praestitis et operibus eius magnificis (ἐνδόξοις) et omni admiratione dignis sincere gaudet (cf. 4,15. 32; 5,26; 7,16).

Applicatio huius narrationis facilis est; « figurabat haec communem humanitatem satanae insultibus debilitatam et ab affectibus in terram inclinatam ac humi ad terrena contractam, nec omnino potentem ad coelestia, divina et intelligibilia caput sursum erigere; cuius ita misere habentis misertus est qui eam formaverat, et per evangelium ad se vocavit et erexit, ut viam quae in coelum ducit recta transiret » (*Euth.*). Similiter ait *S. Greg.* (hom. in evang. 31,6): « omnis peccator terrena cogitans coelestia non requirens sursum suspicere non valet, quia dum desideria inferiora sequitur, a mentis suae rectitudine curvatur ». Et quod in hac muliere fecit, in nobis quoque quotidie facit, ut ait *Mald.;* nos quippe peccatis degravatos et in terram inclinatos i. e. rebus terrenis deditos adeo ut coelestium non recordemur, Christus ad se vocat, ad poenitentiam et sanitatem invitat. In sacro praesertim tribunali poenitentiae per ministrum suum ad nos quoque loquitur : dimissus es, absolutus es ab infirmitate peccatorum.

In duabus quae sequuntur parabolis habemus exemplum concionis quam eo die Iesus in synagoga habuit; v. 18 *dicebat ergo,* οὖν qua voce indicari videtur occasionem esse sumptam ex antecedentibus. Sed unde? *S. Cyr.* ita loquitur quasi a muliere antea contracta et postea erecta peteretur similitudo comparandi evangelium grano sinapis, cum ab initio evangelium fuerit veluti contractum, postea in amplitudinem extentum ac propagatum. Plerique autem repetunt ex gaudio populi eiusque bona dispositione, ita ut Christus ibi iam quasi in germine consideret profectum evangelii et parva illa initia laetabun-

dus cernens ad vaticinium de regno Dei amplissimo erigat animum (cf. *Ians. Lap. Schegg, Bisp. Fil. Meyer, Keil*). Sed cum Christus mobilem turbam optime nosset neque in illo gaudio quasi initium quoddam habeatur ex quo postmodum regnum Dei apud populum ortum sit, haec ratio mihi non probatur. Verum potius censeo Christum ex odio et oppositione adversariorum arripere opportunitatem, ut doceat regnum Dei non obstantibus impedimentis et multorum infidelitate iri latissime propagatum et sua vi et efficacia demum omnia penetraturum esse. Haec apta sunt et ad adversarios eius et ad sterilitatem synagogae et ad ruinam illam quam minatus erat antea (13,2 seq.); docet enim fore ut regnum Dei de omnibus his obstaculis quae videntur victoriam reportet; *cui simile est regnum Dei et cui simile aestimabo illud?* ita attentionem provocat et quasi secum perpendit quid ad praesentem rerum conditionem maxime consentaneum sit quo indoles regni Dei proponatur et parvus ille qui eousque habitus sit messianae praedicationis successus ab offensione vindicetur; v. 19 *simile est grano sinapis quod acceptum homo misit in hortum suum;* en initium parvum, immo minimum significatur; Iesus sua praedicatione mittit granum in hortum Dei, in terram Israel; nam semen est verbum Dei. Nemo itaque absconsione illa et exiguis initiis offendatur! Sed non manebit in illa absconsione et parvitate, *et crevit et factum est in arborem magnam et volucres coeli requieverunt in ramis eius;* cf. Ez. 17,23.

Uti in hac parabola propagatio externa describitur per orbem, ita ut gentes in regno Dei cives sint, ita in altera declaratur eius vis et efficacia interna qua omnia pervadit et penetrat et quodammodo immutat et suo quasi sapore condiat; v. 20 *et iterum dixit : cui simile aestimabo regnum Dei?* v. 21 *simile est fermento quod acceptum mulier abscondit in farinae sata tria,* en hic quoque absconsio ab initio et quasi occultatio et ab initio nihil mutationis in farina advertitur, *donec fermentaretur totum;* verum vis illa insita paulatim sese exserit et totum pervadit. — Ceterum ampliorem explicationem vide in Comment. Matth. I p. 531-535 et in Comment. Marc. p. 128 seq. Christum eiusmodi parabolas saepius proposuisse non est improbabile. Quare non est cur negetur parabolam de grano sinapis esse dictam et eo tempore quod e Marco 4,30 colligitur, scil. antequam Christus in regionem Gerasenorum transfretaret, anno secundo vitae Iesu publicae, et eo tempore quod hic e Luca habemus, anno tertio vitae publicae paulo ante festum encaeniorum seu dedicationis templi. Matthaeus vero, uti alias parabolas ita hanc eo loco retulit, ubi regni messiani naturam et efficaciam uno conspectu exhibere et delineare sibi proposuit; quare non ordinem temporis, sed rerum secutus est, ut ex doctrina Christi

ea in unum locum colligeret quae ad illustrandam indolem et vim regni messiani apte inservirent.

Uti evangelista 10,38-42 Christum nobis ostendit versantem prope Ierusalem, ita hoc loco iterum itineris in urbem facit mentionem v. 22 *et ibat per civitates et castella docens*, urbibus maioribus et parvis quoque vicis consulit, docens indefesse, quamvis parum fidei inveniret, *et iter faciens in Ierusalem;* uti 10,42 duce Ioanne festum tabernaculorum in tertio anno vitae publicae instare et Iesum ad id in urbem profectum esse diximus, ita hic eodem duce Iesum ad festum dedicationis templi mense decembri urbem intrasse dicendum erit. De qua commoratione Lucas quidem nihil refert. Nam quod sequitur, iam in Peraea contigisse certum est ex v. 31 ex quo patet Iesum ipso illo die (vel hora) quo id ab eo dictum est esse versatum in ditione Herodis, Iesum autem post festum illud abiisse in Peraeam liquet ex Ioan. 10,40. 41; neque eum postea rediisse in Galilaeam satis clare demonstratur ex modo loquendi 9,51 et Matth. 19,1.

3. *Res gestae post encaenia* 13,23-17,10.

a) Intrandum esse per angustam portam 13,23-35.

13,23. Ait autem illi quidam : Domine, si pauci sunt, qui salvantur? Ipse autem dixit ad illos : 24. Contendite intrare per angustam portam; quia multi, dico vobis, quaerent intrare, et non poterunt. 25. Quum autem intraverit paterfamilias, et clauserit ostium, incipietis foris stare, et pulsare ostium, dicentes : Domine, aperi nobis; et respondens dicet vobis : Nescio vos unde sitis. 26. Tunc incipietis dicere : Manducavimus coram te, et bibimus, et in plateis nostris docuisti. 27. Et dicet vobis : Nescio vos unde sitis; discedite a me, omnes operarii iniquitatis. 28. Ibi erit fletus, et stridor dentium, quum videritis Abraham, et Isaac, et Iacob, et omnes prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras. 29. Et venient ab Oriente, et Occidente, et Aquilone, et Austro, et accumbent in regno Dei. 30. Et ecce sunt novissimi qui erunt primi, et sunt primi qui erunt novissimi.

31. In ipsa die accesserunt quidam pharisaeorum, dicentes illi : Exi, et vade

13,23. Εἶπεν δέ τις αὐτῷ, Κύριε, εἰ ὀλίγοι οἱ σωζόμενοι; ὁ δὲ εἶπεν πρὸς αὐτούς, 24. Ἀγωνίζεσθε εἰσελθεῖν διὰ τῆς στενῆς θύρας, ὅτι πολλοί, λέγω ὑμῖν, ζητήσουσιν εἰσελθεῖν, καὶ οὐκ ἰσχύσουσιν. 25. Ἀφ' οὗ ἂν ἐγερθῇ ὁ οἰκοδεσπότης, καὶ ἀποκλείσῃ τὴν θύραν, καὶ ἄρξησθε ἔξω ἑστάναι καὶ κρούειν τὴν θύραν, λέγοντες, Κύριε, ἄνοιξον ἡμῖν· καὶ ἀποκριθεὶς ἐρεῖ ὑμῖν, Οὐκ οἶδα ὑμᾶς, πόθεν ἐστέ· 26. τότε ἄρξεσθε λέγειν, Ἐφάγομεν ἐνώπιόν σου καὶ ἐπίομεν, καὶ ἐν ταῖς πλατείαις ἡμῶν ἐδίδαξας· 27. καὶ ἐρεῖ, λέγων ὑμῖν, Οὐκ οἶδα, πόθεν ἐστέ· ἀπόστητε ἀπ' ἐμοῦ, πάντες ἐργάται ἀδικίας. 28. ἐκεῖ ἔσται ὁ κλαυθμὸς καὶ ὁ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων, ὅταν ὄψεσθε Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακὼβ καὶ πάντας τοὺς προφήτας ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Θεοῦ, ὑμᾶς δὲ ἐκβαλλομένους ἔξω· 29. καὶ ἥξουσιν ἀπὸ ἀνατολῶν καὶ δυσμῶν, καὶ ἀπὸ βορρᾶ καὶ νότου, καὶ ἀνακλιθήσονται ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Θεοῦ. 30. καὶ ἰδοὺ, εἰσὶν ἔσχατοι οἳ ἔσονται πρῶτοι, καὶ εἰσὶν πρῶτοι οἳ ἔσονται ἔσχατοι.

31. Ἐν αὐτῇ τῇ ὥρᾳ προσῆλθάν τινες

hinc, quia Herodes vult te occidere. 32. Et ait illis : Ite, et dicite vulpi illi : Ecce eiicio daemonia, et sanitates perficio hodie et cras, et tertia die consummor. 33. Verumtamen oportet me hodie et cras et sequenti die ambulare, quia non capit prophetam perire extra Ierusalem. 34. Ierusalem, Ierusalem, quae occidis Prophetas, et lapidas eos qui mittuntur ad te, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum avis nidum suum sub pennis, et noluisti? 35. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico autem vobis, quia non videbitis me, donec veniat quum dicetis : Benedictus qui venit in nomine Domini.

Φαρισαῖοι, λέγοντες αὐτῷ; Ἔξελθε καὶ πορεύου ἐντεῦθεν, ὅτι Ἡρῴδης θέλει σε ἀποκτεῖναι. 32. καὶ εἶπεν αὐτοῖς, Πορευθέντες εἴπατε τῇ ἀλώπεκι ταύτῃ, Ἰδοὺ, ἐκβάλλω δαιμόνια καὶ ἰάσεις ἀποτελῶ σήμερον καὶ αὔριον, καὶ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ τελειοῦμαι. 33. πλὴν δεῖ με σήμερον καὶ αὔριον καὶ τῇ ἐχομένῃ πορεύεσθαι, ὅτιοὐκ ἐνδέχεται προφήτην ἀπολέσθαι ἔξω Ἱερουσαλήμ. 34. Ἱερουσαλὴμ, Ἱερουσαλὴμ ἡ ἀποκτείνουσα τοὺς προφήτας, καὶ λιθοβολοῦσα τοὺς ἀπεσταλμένους πρὸς αὐτὴν, ποσάκις ἠθέλησα ἐπισυνάξαι τὰ τέκνα σου, ὃν τρόπον ὄρνις τὴν ἑαυτῆς νοσσιὰν ὑπὸ τὰς πτέρυγας, καὶ οὐκ ἠθελήσατε. 35. ἰδοὺ, ἀφίεται ὑμῖν ὁ οἶκος ὑμῶν. λέγω δὲ ὑμῖν, οὐ μὴ ἴδητέ με ἕως εἴπητε, Εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι Κυρίου.

In v. 24 θυρας ℵ B D L 1.131. arm Or, ostium a e ff² i l q r; al πυλης. In v. 25 ex quo surrexerit pater f. b q; dub eg ken add in fine : recedite a me omnes operarii iniquitatis (qui operamini iniquitates). In v. 27 B λεγων, al λεγω; id om ℵ 225. it vulg sah cop syr (sch) Lcif; D ουδεποτε ειδον υμας, e nunquam vos vidi (om unde sitis, e D), D ανομιας. In v. 28 fletus oculorum e l ger; introeuntes a b c ff² i l q Lcif (introire am lind; intrare fuld) in regno (regnum fuld c ff² q), sim Tert Amb. In v. 31 ωρα ℵ A B* D L R X al 15 Ti W H; al ημερα. In v. 32 B add ημερα; sim it vulg (excipe am cav fuld ger med ken lind) cop syr (cu, sch) arm aeth Or. In v. 33 a in futurum ambulare, e abire, non oportet proph. perire a b; impossibile est m; non est possibile e f. In v. 35 relinquitur am ept* med ox ken wil lind Wordsworth; ερημος non habetur in ℵ A B K L R S V Γ Λ Π al 80 fere sin, neque habetur *deserta* in e ff² i am big* ben cav hub theod ing for car med ox tol val lind harl Wordsworth; εως ηξει οτε ειπητε A D E G H S U V Δ Λ al pl it vulg syr (sin, cu); c donec *veniam et* dicetis, mt donec *veniam* (sin ita iungit : et cum iret in Ierusalem venit vir quidam, interrogavit eum et dixit ei; in v. 24 dixit ei Iesus : contende intrare; v. 25 om incipietis; v. 27 et dicet : amen dico vobis etc.; v. 28 om vos autem expelli foras; v. 31 in illis diebus; v. 34 quomodo gallina quae congregat pullos suos).

Dum in Peraea versaretur v. 23 *ait autem illi quidam : Domine, si pauci sunt qui salvantur;* quaestionem ortam esse ex eo quod praeparatio ad iudicium difficilis sit ostensa a Christo censet *Alb.;* alii ex variis populi reprehensionibus a Christo factis (*Luc. Sp.*) vel ex eius doctrina quae observatu satis difficilis videbatur (*Ipr. Bisp.*) vel ex parabolis v. 18 seq. (*Reischl*), ex serio discendi desiderio (*Keil*) ex superbia (*Weiss*); quaestionem esse propositam ad Christum tentandum opinatur *Schegg,* quia pauci eum sint secuti, unde si hos tantum diceret salvos fore, potuisse eum coargui inimicum populi; insuper potuisse carpi sive affirmasset sive negasset. Apud rabbinos quidem recepta erat sententia : quod omni Israeli erit portio in mundo fu-

turo; nihilominus etiam unus alterve recensetur qui paucos fore salvos dixerit cui alii contradicunt (cf. *Lightfoot* ad h. l. *Ed.* II p. 299; *Schoettgen* ad 1 Cor. 13,12 p. 652); de paucis qui salventur sermo quoque infertur 4 Esdr. 8,1 seq. 9,15 etc. Ceterum, unde quaestionem ille intulerit, non multum erit laborandum, cum evangelista id nullatenus innuat, nec operose investigandum fueritne ille quidam pharisaeus an unus ex turba, sed potius dicendum cum *S. Cyr.* eum supervacanea et inutilia interrogasse; « cur enim opus erat velle scire utrum multi an pauci sint? quaenam hinc utilitas audientibus obveniebat »? Quare Christus, ut *Euth.* ait, ad superfluam et insipientem quaestionem non respondet, sed id docet quod audientibus utile est et necessarium, scil. quid opus sit facere ut quis salvetur.

Nam solebat Christus, ut merito notat *S. Cyr.*, interrogantibus respondere haud omnino quod ipsis libebat, sed spectare quid utile sit et necessarium; *ipse autem dixit ad illos :* v. 24 *contendite* ἀγωνίζεσθε summo studio contendite, quasi pugna opus est, *intrare per angustam portam,* quam supra poenitentiam assignaverat 13,3. 5, per poenitentiam enim intrari in regnum Dei iam Ioannes baptista docuerat 3,8; inde quoque Christus praedicandi initium sumpsit (Matth. 4,17) et idem praedicationis argumentum discipulis suis assignavit (Marc. 6,12). Atque ne tempus gratiae (quamdiu iis prostat et offertur) sua culpa negligant graviter monet, *quia multi, dico vobis, quaerent intrare et non poterunt,* quando scil. huius vitae tempore elapso iam nulla est opportunitas veniae et gratiae (cf. *Theoph. Ians. Ipr. Bisp. Reischl*), id quod sequenti parabola ad oculum demonstratur qua quoque declaratur quomodo quaerant intrare et non possint v. 25 *cum autem intraverit,* ex quo surrexerit *paterfamilias et clauserit ostium;* parabola aliqua ratione similis est ei apud Matth. 25,10 seq.; effingit enim, ut *Euth.* dicit, patremfamilias sedentem suosque amicos recipientem, deinde tempore elapso surgentem et domus ostium claudentem nec sero venientes admittentem. Tempus claudendi ostium est pro universo genere humano tempus secundi sui adventus et iudicii, pro unoquoque autem tempus mortis; quare antequam claudatur ostium, ante mortem, adnitendum nobis est ut per poenitentiam in domum ac familiam eius ingrediamur; quamdiu in vita quis est, Christus quasi sedet eum exspectans ut intret; ostium domus coelestis est apertum, quia nulli dum vivit gratia negatur sufficiens ad salutem (cf. *Bed. Theoph. Euth. Cai. Luc.*); (*et*) *incipietis foris stare et pulsare ostium,* quo loquendi modo simul praedicit multos Iudaeorum non acturos poenitentiam ideoque sero venturos ianua iam clausa, sicuti quinque fatuae virgines sero venerunt, *dicentes : Domine, aperi nobis et respondens dicet vobis :*

nescio vos unde sitis, de qua familia sitis; mei amici et domestici non estis; v. 26 *tunc incipietis dicere : manducavimus coram te et bibimus;* frustra in medium adducunt familiaritatem pristinam (*S. Bon. Theoph. Luc. Ipr. Calm.*) quod fuerint eius convictores (*Schanz, Weiss*); haec pars ad ipsam parabolam adhuc aptata est, sed in subsequenti iam fit transitus ad rem parabola designatam; *et in plateis nostris docuisti;* ad Iudaeos igitur comminatio haec dirigitur neque illis, si non poenitentiam egerint, quidquam utilitatis inde exoriturum esse dicitur quod Christus sit ex eorum gente, quod cum eis hisce in terris versatus sit et tanto amore et studio docens eorum oppida et urbes peragraverit. Cum hoc membrum plane ad Christum spectet, etiam prius referri potest ad illa convivia quibus Christus cum pharisaeis accubuit. Christus itaque est ille paterfamilias qui ingressus in gloriam suam exspectat eos qui ad se venire contendunt per portam angustam, quam portam iis apertam relinquit eos ad se invitans quamdiu in hac vita versantur.

Uti in virginibus fatuis, ita hic quoque modo ad parabolam apto describitur et exprimitur dolor ac desperatio eorum qui pereunt et post mortem demum plane perspiciunt quot et quantis gratiis abusi sint; tum utique dolor et lamentatio frustra funditur; cf. Sap. 5,6 seq. Ad quod cum emphasi significandum repetitur iterum v. 27 *et dicet vobis : nescio* (*vos*) *unde sitis; discedite a me omnes operarii iniquitatis;* hi itaque ii sunt qui non contendunt intrare per angustam portam. Extra domum autem patrisfamilias i. e. illis qui excluduntur a consortio gloriae Christi non superest nisi locus tormentorum v. 28 *ibi erit fletus et stridor dentium, cum videritis Abraham et Isaac et Iacob et omnes prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras;* erit scil. illis non minimum tormenti genus scire multos in illa gloria et beatitate quam ipsi quoque consequi potuissent, dummodo subsidiis oblatis usi fuissent. Uti in antecedentibus 12,59 et 13,3. 5. 9, ita hic quoque gravissimis verbis ruinam et damnationem Iudaeis contumacibus indicit. Eorum loco gentes ex omni orbis terrarum parte in regnum et gloriam Dei intrabunt; nam potens est Deus de lapidibus suscitare filios Abraham (Matth. 3,9) et gentes fore participes bonorum regni messiani iam prophetarum oraculis erat praedictum (cf. Is. 2,2 seq. 11,10; 42,4. 6; 49,6 etc.) v. 29 *et venient ab oriente et occidente et aquilone et austro et accumbent in regno Dei;* vide ad Matth. 8,11. Unde mirum illud exsistet : v. 30 *et ecce sunt novissimi qui erunt primi,* quos novissimos et omnino despectos, peccatores considerastis, hi erunt principes in gloria; *et sunt primi qui erunt novissimi* et qui olim erant primi, a Deo prae ceteris electi et divina revelatione prae-

diti et tamquam primi ad regnum Dei vocati et invitati, isti erunt ultimo loco collocandi, exclusi a regno, omni contemptu digni. Gravissima comminatione duros animos ad poenitentiam emollire conatur.

In v. 25 aperte declaratur quod in v. 24 dictum est : quaerent intrare et non poterunt. Id enim non asseritur de hac vita praesenti, verum uti ad parabolam aptum est, de dolore inutili et desperatione postquam morte omnis opportunitas obtinendae salutis periit irrevocabiliter. Quare nullo modo enuntiatur, in hac vita multos quaerere intrare per portam angustam, nec tamen posse; id quod satis durum sonaret. Sunt utique qui verba ea de vita praesenti accipiant. Sed hi cumprimis illud *quaerere* quam maxime attenuant, non sedulo quaerere, esse conatum inefficacem, eos mox rei difficultate deterreri ab exercitio virtutis etc.; ita *Bed. Bon. Euth. Alb. Cai. Calm. Lamy;* verum in aperto est eo modo vim vocis plane convelli et quaerere explicari ac si scriberetur non quaerere.

Illud *manducare coram* saepius interpretantur de cultu sacrificali, de epulis sacrificalibus; ita *S. Cyr. Bed. Alb.* (*Theoph.* etiam praeter alia de familiaritate) *Euth. Cai. Reischl;* sed cum aperte id efferatur quo cum Christo homine inter populum versante inierint commercium, haec explicatio et a parabola et ab eius applicatione aliena est. Alii in iis verbis Iudaeos se ipsos accusare et condemnare existimant : nam factos esse operarios iniquitatis quia dum Christus doceret illi manducarent et biberent, i. e. quia Iesum quidem audirent neque tamen ei crederent nec poenitentiam agerent (*Schegg*) et similiter censet *Fil.* eos inscios se condemnare cum dicant *coram te,* cum ea dictione quam clarissime (?) exprimatur omne verum cum Iesu consortium abfuisse. Quae tamen subtilius dici videntur. Spectandum est quid dicere velint. Rationes afferunt cur admittendi sint licet sero veniant. Quem in finem patremfamilias monent de pristina familiaritate. Id certe volunt indicare; atqui ad hoc verba apta sunt; ergo frustra in alium sensum detorquentur.

Ex lectione vulg. hodierna (quae codicibus sat multis praebetur : big ept eg for car med mt ox val wil harl steph, etiam f r) : incipietis foris stare (non : *et* incipietis, ut graeca habent et codd vulg. am ben cav dub fuld ger hub theod ing ken rush tol lind hent, et it plur.) patet apodosin posse ibi incipere, uti *Keil* quoque ab καὶ ἄρξησθε apodosin incipit; alii eam statuunt ab καὶ ἀποκριθείς, alii demum solum a v. 26 τότε (*Schanz, Weiss*). Totum vero v. 25 *Schegg* adiungit ad v. 24 : et non poterunt, quando surrexerit paterfamilias. Apodosin usque ad v. 26 reiicere, non est necesse, quia καί, ut hebr. ו, potest apodosin incipere, praesertim si particula temporalis praecedit; vide 2,21 et 7,12. Act. 1,10; unde nihil obstat quominus protasis finiatur in verbis : aperi nobis. Id quod eo quoque suaderi videtur, quia in ἐρεῖ constructio grammaticalis mutatur; legitur enim in protasi ter constanter modus coniunctivus. Sed addi debet eam rationem non esse omnino efficacem, cum etiam post ἄν poni possit indicativus futuri, sicuti post ὅταν, quod exemplis prolatis ostenditur apud *Klotz*, Devarii lib. de graec. ling. partic. p. 477, *Winer* § 42,5, *Buttmann*, p. 197.

Cum Iesus haec ad turbam loqueretur et serio ruinam contumacibus minaretur, eadem hora (vide lect. var.) vel v. 31 *in ipsa die* eodem die, quare certe nexus temporis declaratur, *accesserunt quidam pharisaeorum dicentes illi : exi et vade hinc quia Herodes vult te occidere;* censent aliqui id a pharisaeis esse confictum (cf. *Theoph. Euth. cat. Cr. Ians. Mald. Luc. Cord. Calm.*), ut scil. Iesus ex Peraea in Ierusalem reversus ibi potius ac certius comprehenderetur et occideretur, ubi sciebant eius mortem destinato consilio a primoribus quaeri (Ioan. 7,20. 25, 32; *Luc.*). Verum ex Iesu responso consequitur pharisaeos revera ab Herode esse submissos eosque id quod dicunt non esse commentos (cf. *S. Bon. Alb. Cai. Ipr. Bisp. Reischl, Schegg, Schanz, Fil. Keil, Weiss, Sp.*); v. 32 *et ait illis : ite et dicite vulpi illi,* homini scil. pleno ignaviae, calliditatis, malitiae; est enim, ut *S. Cyr.* ait, illud animal πανοῦργον καὶ δύστροπον, atque eo titulo apellari Herodes merebatur, quia simulabat se velle manus Iesu inferre, ut ea comminatione territus excederet a sua ditione. Populi concursus, praedicatio Iesu eiusque reprehensiones scelerum causae erant totidem timoris pro Herode, sicut antea timorem et suspicionem conceperat ex Ioannis baptistae praedicatione et apud populum auctoritate (cf. Comment. Marc. p. 167). Neque tamen propter populum audet palam vim inferre Christo, sed pro sua astutia censet comminatione illa se posse efficere ut Iesus recedat. Quia igitur ex timore turbarum ad simulationem progreditur et id quod vult se consequi sua calliditate sperat, merito vulpes audit : *ecce, eiicio daemonia et sanitates perficio hodie et cras et tertia die consummor,* declarat se opus suum non interrumpere timore eius, et eo modo loquitur quo simul pateat Herodem etsi maxime vellet tamen non posse illud impedire; commemorat beneficia quae praestat quae simul sunt documenta eius potentiae; quare non solum impium, sed etiam vanum et ridiculum est quod Herodes minatur. Dicit itaque quidquid Herodes machinetur eum nihil posse efficere; *hodie et cras* i. e. ecce perficio universum tempus definitum pro opere meo (cf. *Cai. Fil. Weiss*); plerumque dictionem explicant de tempore brevi (cf. *S. Cyr. Theoph. Euth. Ians. Luc. Ipr. Lap. Lamy, Bisp. Reischl, Schegg, Schanz, Keil, Sp.*); utique tempus usque ad mortem erat paucorum mensium; sed dubito velitne Herodi dicere se per breve solum tempus esse victurum, id quod fere dictum videri posset ad eximendum ei omnem timorem de Iesu ad populum auctoritate. Quare priorem acceptionem praefero, vel ut *Alb.* dicit, modo haec facio et postea faciam, ita ut significet se propter Herodem nullatenus consilium suum mutaturum. Loquitur Christus aenigmatice : *consummor,* intelligi hoc de Christi morte (*S. Cyr. Theoph. Ians. Mald. Luc. Lap.*

Fil.) et simul de eius glorificatione (*S. Bon. Alb. Ipr. Bisp. Schegg, Schanz*) nos utique facile perspicimus; cf. Hebr. 2,10; 5,9; 7,28; 11,40; 12,23.

Perperam aliqui explicant τελειοῦμαι: absolvo opus, perago quae sunt peragenda; sed haec vox in novi foederis libris semper adhibetur notione passiva, et semel solum apud scriptorem profanum (Iambl. v. Pyth. 158; cf. *Schanz*) notione ad finem adducendi. Quare etiam excluditur quod Meyer interpretatur: hodie et cras, per duos dies, debeo in hac regione adhuc daemonia eiicere et sanare; tertia autem die haec omnia peregero, tum inde proficiscar. Verum nonne a Iesu dignitate plane alienum est vulpi illi tale mittere responsum, quasi diceret: ne turberis; abibo tertia die opere meo in tua regione ad finem perducto? Neque probabile est quod *S. Bon.* et e recentioribus *Weizsaecker* putant alludi ad tres annos praedicationis Christi.

Mentione occisionis facta adiungit Christus se utique mortem esse obiturum tempore a se constituto v. 33 *verumtamen,* ceterum, *oportet me hodie et cras et sequenti die ambulare* i. e. ratio vitae meae quae pro munere meo ac missione mihi subeunda est, sane quidem exigit ut per certum quoddam ac definitum tempus iter faciam (πορεύεσθαι) neque uno in loco consistam. Inde innuit se utique iterum ex ditione Herodis egressurum esse, sed non quia pharisaei id suaserint, verum quando ipsi definito consilio visum fuerit. Et debet eiusmodi iter instituere, *quia non capit prophetam perire extra Ierusalem* οὐκ ἐνδέχεται, admitti, fieri nequit, ut propheta pereat extra Ierusalem; quibus verbis dicit pharisaeis se mortem non fugere, sed ei iturum obviam, ideoque se profecturum in urbem, interfectricem prophetarum. Uti dolentis est et accusantis scelera, loquitur per hyperbolen; neque enim omnes prophetae quotquot occisi sunt in Ierusalem occisi sunt (cf. 3 Reg. 19,10). Suam autem praevidens mortem et ruinam urbis et populi cui tamen tenerrimam curam impendit verba fundit doloris ac commiserationis plena v. 34 *Ierusalem, Ierusalem,* quae vocis geminatio magnum prodit affectum, *quae occidis prophetas et lapidas eos qui mittuntur ad te, quoties volui congregare filios tuos quemadmodum avis nidum suum sub pennis et noluisti!* vide ad Matth. 23,37, ubi eadem verba alia occasione etiam maxime opportune dicuntur. Dicit itaque Christus se saepe id egisse omni studio, ut urbem et populum ab excidio servaret et in tuto collocaret. Quare etiam apud synopticos clare indicatur Iesum saepius ac diutius in urbe et in Iudaea praedicasse; v. 35 *ecce relinquetur vobis domus vestra* (*deserta*), ἀφίεται, relinquitur, de re certe futura; urbi subtrahitur protectio divina; unde nihil aliud eam manet nisi ruina et desolatio. In metropoli autem facile cernitur sors totius reipublicae.

Verum non sine aliqua consolatione concludit comminationem; esse

scil. etiam pro Israel spem relictam, dummodo resipiscant et suum agnoscant Messiam, *dico autem vobis, quia non videbitis me donec veniat cum dicetis : benedictus qui venit in nomine Domini;* quae verba non cum aliquibus (*S. Cyr. Erasmus, Lamy, Bisp.*) de die palmarum intelligi possunt; nam tum pharisaei Iesum non salutabant; dein mirum esset si praesentibus diceret : non me videbitis; sunt enim in Peraea et ipse modo professus est se per aliquod tempus mansurum, dein iter acturum; quomodo ergo diceret : non me videbitis? Demum haec explicatio non congruit ei quae apud Matth. 23,39 necessaria est, cum ibi eadem verba dicantur post diem palmarum; neque ea explicatio satis digna videtur, quasi Christus nihil aliud haberet quo sententiam gravissimam concluderet nisi : die palmarum me iterum videbitis. Ait itaque *non me videbitis,* me non experiemini tamquam qui vos protegat et ab ruina servet, donec me tamquam a Deo missum agnoscatis et salutetis; « vult ergo Dominus dicere quod ille populus iudaicus non videbit Christum ad suam salutem, nisi convertatur ad fidem ipsius et laudem » (*S. Bon.*) et merito dicit *Cai. :* « ad litteram videtur describere et praedicere tempus quo Israelitae suscepturi sunt fidem Christi ». Relinquitur itaque spes pro conversione et iis via salutis hisce verbis demonstratur (cf. *Bed. Alb. Fil.*) et cum apostolus dicat : caecitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret et sic omnis Israel salvus fieret (Rom. 11,25. 26) frequenter referunt verba ad finem temporis quo Iudaei agnituri sunt Messiam (cf. *Eus. Bed. Bon. Alb. Theoph. Luc. Calm.*). Verumtamen non est cur verba ad eum terminum restringantur. Plura de iis dixi in Comment. Matth. II p. 303.

b) Iesus docet pharisaeos 14,1-14.

14,1. Et factum est, quum intraret Iesus in domum cuiusdam principis pharisaeorum sabbato manducare panem, et ipsi observabant eum. 2. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. 3. Et respondens Iesus, dixit ad legisperitos et pharisaeos, dicens : Si licet sabbato curare? 4. At illi tacuerunt. Ipse vero apprehensum sanavit eum, ac dimisit. 5. Et respondens ad illos dixit : Cuius vestrum asinus aut bos in puteum cadet, et non continuo extrahet illum die sabati? 6. Et non poterant ad haec respondere illi.

14,1. Καὶ ἐγένετο ἐν τῷ ἐλθεῖν αὐτὸν εἰς οἶκόν τινος τῶν ἀρχόντων Φαρισαίων σαββάτῳ φαγεῖν ἄρτον, καὶ αὐτοὶ ἦσαν παρατηρούμενοι αὐτόν. 2. καὶ ἰδοὺ, ἄνθρωπός τις ἦν ὑδρωπικὸς ἔμπροσθεν αὐτοῦ· 3. καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς εἶπεν πρὸς τοὺς νομικοὺς καὶ Φαρισαίους, λέγων, Ἔξεστιν τῷ σαββάτῳ θεραπεῦσαι; ἢ οὔ; 4. οἱ δὲ ἡσύχασαν. καὶ ἐπιλαβόμενος ἰάσατο αὐτὸν, καὶ ἀπέλυσεν. 5. καὶ πρὸς αὐτοὺς εἶπεν, Τίνος ὑμῶν υἱὸς ἢ βοῦς εἰς φρέαρ πεσεῖται, καὶ οὐκ εὐθέως ἀναspάσει αὐτὸν ἐν ἡμέρᾳ τοῦ σαββάτου; 6. Καὶ οὐκ ἴσχυσαν ἀνταποκριθῆναι πρὸς ταῦτα.

7. Dicebat autem et ad invitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos : 8. Quum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit invitatus ab illo. 9. Et veniens is qui te et illum vocavit, dicat tibi : Da huic locum; et tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere. 10. Sed quum vocatus fueris, vade, recumbe in novissimo loco, ut, quum venerit qui te invitavit, dicat tibi : Amice, ascende superius. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus; 11. Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur.

12. Dicebat autem et ei qui se invitaverat : Quum facis prandium aut coenam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites, ne forte te et ipsi reinvitent, et fiat tibi retributio. 13. Sed quum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, et caecos; 14. Et beatus eris, quia non habent retribuere tibi; retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum.

7. Ἔλεγεν δὲ πρὸς τοὺς κεκλημένους παραβολήν, ἐπέχων πῶς τὰς πρωτοκλισίας ἐξελέγοντο, λέγων πρὸς αὐτούς, 8. Ὅταν κληθῇς ὑπό τινος εἰς γάμους, μὴ κατακλιθῇς εἰς τὴν πρωτοκλισίαν· μή ποτε ἐντιμότερός σου ᾖ κεκλημένος ὑπ' αὐτοῦ, 9. καὶ ἐλθὼν ὁ σὲ καὶ αὐτὸν καλέσας ἐρεῖ σοι, Δὸς τούτῳ τόπον· καὶ τότε ἄρξῃ μετὰ αἰσχύνης τὸν ἔσχατον τόπον κατέχειν. 10. ἀλλ' ὅταν κληθῇς, πορευθεὶς ἀνάπεσε εἰς τὸν ἔσχατον τόπον· ἵνα, ὅταν ἔλθῃ ὁ κεκληκώς σε, ἐρεῖ σοι, Φίλε, προσαναβήθι ἀνώτερον· τότε ἔσται σοι δόξα ἐνώπιον πάντων τῶν συνανακειμένων σοι. 11. ὅτι πᾶς ὁ ὑψῶν ἑαυτὸν ταπεινωθήσεται· καὶ ὁ ταπεινῶν ἑαυτὸν ὑψωθήσεται.

12. Ἔλεγεν δὲ καὶ τῷ κεκληκότι αὐτόν, Ὅταν ποιῇς ἄριστον ἢ δεῖπνον, μὴ φώνει τοὺς φίλους σου, μηδὲ τοὺς ἀδελφούς σου, μηδὲ τοὺς συγγενεῖς σου, μηδὲ γείτονας πλουσίους· μήποτε καὶ αὐτοὶ ἀντικαλέσωσίν σε καὶ γένηται ἀνταπόδομά σοι. 13. ἀλλ' ὅταν δοχὴν ποιῇς, κάλει πτωχοὺς, ἀναπείρους, χωλοὺς, τυφλούς· 14. καὶ μακάριος ἔσῃ· ὅτι οὐκ ἔχουσιν ἀνταποδοῦναί σοι· ἀνταποδοθήσεται γάρ σοι ἐν τῇ ἀναστάσει τῶν δικαίων.

In v. 1 των φαρισαιων (excipe B K*). In v. 3 εξεστιν sine ει ℵ B D L 59.15 ev; sine *si* f am lind; η ου ℵ B D L pl minusc cop syr (cu, hr) aeth Cyr; *aut non* e f q r eg cpt (marg) ken rush; *an non* b dub. In v. 5 ονος ℵ K L X Π 1.33, it vulg cop syr (hr) arm aeth; D προβατον; sed codd longe plur υιος, filius e f q; *nonne* continuo dub. In v. 9 cum confusione a, pudore r, verecundia f. In v. 10 ερει ℵ B L X aliq minusc Ti W H; al ειπη; παντων add ℵ A B L X al 12 sah cop tat syr (cu, utr, hr) aeth; *omnibus* r. In v. 12 μηδε τους πλουσιους D, *neque* divites a b c e ff² i l Cyp mt steph sixt. In v. 14 ben car val harl *in retributione* iustorum (sin v. 1 observabant quid faceret; v. 2 servatur vox hydropicus; v. 5 bos vel asinus; v. 7 ad eos qui invitati erant et elegerunt; v. 8 om ὑπό τινος; ad convivium; in loco honorato; v. 9 et tunc pudefactus recumbes in novissimo loco; v. 10 in oculis recumbentium; v. 11 et omnis qui se humiliat; v. 12 dixit autem domino coenae : si facis coenam, non vocabis etc. v. 13 voca pauperes et caecos et claudos et debiles et contemptos et alios multos).

Evangelista iam supra 6,6 seq. et 13,10 seq. sanationes sabbato a Iesu factas et contra superstitionem pharisaicam vindicatas retulit. Tertiam hic narrat, dum Matthaeus 12,9 et Marcus 3,1 unam illam de homine aridam manum habente commemorant. Cur Lucas complures afferat, *Schegg* haud improbabiliter in eo reponit quod Iudaeo-christiani inter neophytos ex gentibus degentes observationi sabbati more

pharisaico nimium tribuerent; unde Lucam exemplum et doctrinam Christi repetito proferre. Atque notandum est tria haec exempla quae tamen ad unum doctrinae caput spectant non uno narrari loco sed aliis rebus sat multis inter se separari. Unde disci potest illud *ex ordine* καθεξῆς 1,3 non dicere ordinem rerum; v. 1 *et factum est cum intraret Iesus in domum cuiusdam principis pharisaeorum* τινὸς τῶν ἀρχόντων cuiusdam ex iis pharisaeis qui inter eos magna auctoritate et dignitate pollebant et ex familia nobiliore genus ducebant, qui itaque tamquam sectae capita et duces considerari poterant; eo nomine v. g. designari poterunt celebres illi Hillel, Schammai, Gamaliel (cf. *Schegg, Schanz, Fil. Weiss, Keil*); cum assessores synedrii etiam ἄρχοντες vocentur (Luc. 23,13.35; 24,20. Ioan. 3,1; 7,26. Act. 3,17 etc.), aliqui suspicati sunt eum fuisse unum ex iis pharisaeis qui synedrio adscripti erant. Sed cum non in urbe habitaret, id non videtur probabile. Notant eum ut animis utilitatem afferret domum esse ingressum (*Theoph. Euth.*), « sciebat qui in eo convivio futuri essent quamque faciendi miraculi in pharisaeorum oculis ac die sabbati occasionem esset habiturus » (*Mald.*); *sabbato manducare panem* i. e. cibum capere, prandere, uti אֲכַל לֶחֶם; pro sabbato cibos die praecedente oportebat parare, unde παρασκευή; *et ipsi observabant eum,* insidiose in eum invigilabant, num quid quod reprehenderent in eius sermone vel modo agendi reperirent. Advertit *S. Bon.* : « in hoc quod intravit domum alienam, commendatur Christi humilitas; in hoc quod in domum pharisaei, caritas; in hoc quod manducavit panem alienum, ipsius Christi paupertas ».

Censent aliqui hominem hydropicum consulto a pharisaeis esse adductum, ut viderent sanaretne eum Christus die sabbati (cf. *Ians. Keil, Godet, Sp.*) v. 2 *et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum,* ex modo narrandi colligi tamen nequit quod illi volunt; quare alii rectius dicere videntur, hominem sua sponte intrasse, cum eiusmodi convivia ianuis apertis et multis spectantibus celebrari non esset inusitatum (cf. *Mald. Schegg, Schanz, Fil.*). Laborabat homo aqua intercute. Adstat tacens coram Domino, sed satis ipso morbo efflagitans misericordiam et opem; nam, ut aliqui opinantur, pharisaeos veritus non audet petere medelam sabbato, sed solum coram Iesu consistit, ut visu commotus curaret (*S. Cyr. Euth. Cai.*); v. 3 *et respondens Iesus* « signanter dicit *respondens*, quia respondebat ad eorum cogitationes quas videbat et audiebat » (*S. Bon.*), loquendi occasionem capiens ex conditione rerum, *dixit ad legisperitos et pharisaeos dicens : si licet sabbato curare?* licetne... annon? vide lect. var., quaerit, ut pravum illorum errorem corrigat, ut ad sanandum hominem

viam sibi paret, denique ut hac praeoccupatione excludat calumniam qua miraculum arrosissent observatores invidi, si ipsis praesentibus qui omnium se magistros profitebantur contemptis aut neglectis hydropicum reipsa sanasset (*Luc.*). Quaestione ea aliquid honoris defert domino domus, ne quid faciat in sua domo quod ille forte illicitum censeat (*Schegg*); v. 4 *at illi tacuerunt;* « silentium illorum pro se accipiens tamquam quod faveret parti affirmanti, facit quod suum est Servator » (*Luc.*). Doctores illi suo silentio se misere gerunt : non audent negare, quia Domini confutationem timent et sentiunt ab ipso populo eiusmodi negationem repudiari; nolunt affirmare ne suae auctoritati derogent, cum sanationes sabbato factas saepius antea reprehenderint. Et tamen cum sint doctores legis, rogati liceatne sabbato, respondere debebant. Quare hic omnino valet : qui tacet consentire videtur. Ergo illi quoque qui pharisaica superstitione imbuti erant ex populo debebant concludere doctores legis non prohibere quominus fiat sanatio.

Christus autem de industria utitur attactu manus, ut aliquid faceret quo pharisaeis insulsis sabbatum violatum videri poterat (*Luc.*); *ipse vero apprehensum sanavit eum ac dimisit;* dein merito castigantur et de silentio obstinato et de superstitione absurda v. 5 *et respondens ad illos dixit : cuius vestrum asinus aut bos in puteum cadit* (in cisternam, *Mald.*) *et non continuo extrahet illum de sabbati?* lectio communis graeca : υἱός; neque ea spernenda, cum in lege quoque sabbati homines et iumenta coniunctim efferantur (Ex. 20,10. Deut. 5,14); v. 6 *et non poterant ad haec respondere illi;* si enim non solum filium, hominem, sed etiam iumentum ex periculo et molestia liberant die sabbati, cur de Iesu indignantur qui a molestia morbi hominem liberat? Et insuper si laborem illum extrahendi ex cisterna bovem ipsi non verentur sabbato perficere occurrente necessitate, quo iure Christo exprobrant verbum sanationis prolatum aut attactum manus, qui labor cum illo ne in comparationem quidem venire potest? Notant *S. Aug.* (quaest. evang. 2,29) et *Beda :* « congruenter hydropicum animali quod cecidit in puteum comparavit; humore enim laborabat; sicut illam mulierem quam decem et octo annis alligatam dixerat et ab eadem alligatione solvebat, comparavit iumento quod solvitur ut ad aquam ducatur ».

« Postquam confutavit observantes, hic secundo informat convivantes » (*S. Bon.*) v. 7 *dicebat autem et ad invitatos parabolam intendens* ἐπέχων observans, *Euth.* μεμφόμενος, *quomodo primos accubitus eligerent;* cum convivium apud nobilem pharisaeum celebraretur, unusquisque honorem appetebat quam proxime accumbendi prope nobilem illum; fortasse praeter pharisaeos et legis peritos alii quoque

invitati erant et pharisaei sibi honorem vindicabant prae aliis primos accubitus habendi; id quod ad eorum superbiam et gloriae desiderium omnino congruit; cf. Matth. 23,5 seq. Marc. 12,38. 39. Cum de parabola mentio fiat, suspicatur *Mald.*, Christum aliquam veram proposuisse parabolam : aliquem magnum instruxisse convivium, unum ex invitatis primum quo fuisset indignus occupasse locum, alium qui meliore dignus esset ultimum etc., deinde Christum parabolam ad utilitatem auditorum accommodasse, quam accommodationem praetermissa ipsa parabola evangelista vocaverit parabolam; similiter *Weiss* existimat (qui praeterea perperam censet istud apud pharisaeum convivium ab evangelista esse confictum quo aptius eam induceret parabolae doctrinam). Verum minime ea sententia opus est. Cum enim Christus non docere velit quid humana vel prudentia vel ambitio suadeat, sed veram animi demissionem coram Deo commendare, hic habemus exemplum vel similitudinem, cuius ope doctrina vel praeceptum aliquod illustratur et suadetur. Iam ab hac notione παραβολή non est aliena; cf. 5,36; 6,39. Marc. 3,23; neque raro habet significationem מָשָׁל; *dicens ad illos :* v. 8 *cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit invitatus ab illo;* invitari ad nuptias honorificentius videbatur quam ad prandium et coenam (*Euth.*), et sermonem ad nuptias, ad aliam prorsus occasionem transferens et ita admonitionem contexens efficit, ne statim praesentes redarguere videatur, qui utique absque invidia per parabolam arguuntur (cf. *Euth.*); v. 9 *et veniens is qui te et illum vocavit dicat tibi : da huic locum! et tunc incipies cum rubore novissimum locum tenere;* v. 10 *sed cum vocatus fueris, vade, recumbe in novissimo loco, ut cum venerit qui te invitavit dicat tibi : amice, ascende superius!* nota discrimen allocutionis, qua et heri indignatio de illius arrogantia et approbatio modestiae huius bene exprimitur; ἵνα... ἐρεῖ, ἵνα iungi cum indicativo futuri, vide *Winer* § 41 b 1. b, *Buttmann* p. 202; *tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus;* cf. Prov. 25,7 melius est enim, ut dicatur tibi : ascende huc quam ut humilieris coram principe.

Quia Dominus nuptias commemorat, aliqui parabolam de nuptiis messianis, de regno coelorum accipiunt (*S. Bon. Alb. Schegg, Reischl*); « quisquis Ecclesiae se membris fidei gratia coniunxerit, non discumbat in primo loco, hoc est, non se de meritis gloriando quasi ceteris sublimior extollat; honoratiori locum dat ille qui de longae suae conversationis confidentia securior factus cita illorum qui se in Christo secuti sunt agilitate praeitur, et cum rubore novissimum locum tenet, quando de aliis meliora cognoscens quidquid de sua operatione celsum

sentiebat humiliat » (*Beda*); alii parabolam ad pharisaeos applicant qui in regno messiano sibi primas sedes et dignitates deberi existimaverint (cf. *Grimm*, Einheit der Evangelien p. 440) et *Schegg* censet cum rubore novissimum locum tenere esse idem atque ex regno messiano excludi. Qua tamen acceptione ipsa parabola relinquitur. Quare satius est sistere in ea parabolae significatione quam ipse Dominus exprimit v. 11 *quia omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur,* quod tamen ut *S. Cyr.* advertit, ex divini norma iudicii dicitur, nullatenus vero semper secundum hominum consuetudinem fit. Esse autem eam apud Deum normam multis s. Scripturae locis ostendi *S. Bon.* docet; cf. Is. 2,11 seq.; 14,12. Ez. 21,16; 28,7 seq. Abd. 3. 4. Eccli. 6,2. 3; 13,10; 11,5. 6. Luc. 1,52. Gal. 6,3 etc. Ceterum vide ad Matth. 23,12.

Eadem occasione monet Christus convivia pauperibus parata ex genere suo meritoria esse vitae aeternae, quod ea Dei intuitu eis parentur qui hic retribuere nequeunt, pro quibus proinde Deus suo tempore mercedem sit repensurus (*Ians.*); v. 12 *dicebat autem et ei qui se invitaverat : cum facis prandium aut coenam, noli vocare amicos tuos neque fratres tuos neque cognatos neque vicinos divites, ne forte te et ipsi reinvitent et fiat tibi retributio;* uti *Bed. Bon. Ians. Schegg* monent, sensus est idem quem alibi legimus expressum : si benefeceritis his qui vobis benefaciunt, quae vobis est gratia? siquidem et peccatores hoc faciunt (6,33) et : si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne et publicani hoc faciunt (Matth. 5,46)? v. 13 *sed cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos et caecos,* ἀναπήρους (ἀναπείρους quam falsam dicunt scripturam ex itacismo ortam) membris captos, laesos aut aliquo corporis membro carentes ; atque cur id commendet, exponit v. 14 *et beatus eris, quia non habent retribuere tibi; retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum,* et retribuetur longe plenius in vitae aeternae praemio, quam hisce in terris ditissimus quisque retribuere possit. Sicut in sententiis similibus certe non prohibetur benefacere iis qui nobis benefaciunt, aut diligere eos qui nos diligunt, ita planum est non interdici ne amici etc. inviten-tur; sed summa eius quod hic docet Christus est, ut eleemosynam et beneficentiam in pauperes et miseros commendet et ut doceat ne secundum vulgi existimationem satis humanos et benignos nos arbitremur, si humanitatem erga eos demonstraverimus, qui paria nobiscum faciunt (*Ians.*). Resurrectio iustorum periphrasis est vitae aeternae, quae ut a resurrectione demum perfecta erit, ita et a resurrectione demum perfecta erit retributio tam corpore quam anima recipienda (*Luc.*). Qua admonitione certe maxime commendatur cura pauperum,

quam Ecclesia semper habuit carissimam; verum longius abest quod *Grimm* l. c. explicat voluisse Christum adumbrare et intelligendam proponere legem illam secundum quam fiat invitatio ad coeleste convivium, ne Israelitae iam gentes utpote pauperes et caecos ab eo arcendas esse arbitrentur. Sed, ut alia mittam, Deus tamen amicos suos, Christus fratres suos eosque solum vocat ad coeleste convivium. Commendat Christus quod aliquo modo iam lege praecipiebatur Deut. 14,29; 15,11; 26,12. 13.

c) Parabola de invitatis ad coenam 14,15-24.

14,15. Haec quum audisset quidam de simul discumbentibus, dixit illi : Beatus qui manducabit panem in regno Dei. 16. At ipse dixit ei : Homo quidam fecit coenam magnam, et vocavit multos. 17. Et misit servum suum hora coenae dicere invitatis ut venirent, quia iam parata sunt omnia. 18. Et coeperunt simul omnes excusare. Primus dixit ei : Villam emi, et necesse habeo exire et videre illam; rogo te habe me excusatum. 19. Et alter dixit : Iuga boum emi quinque, et eo probare illa; rogo te, habe me excusatum. 20. Et alius dixit : Uxorem duxi, et ideo non possum venire. 21. Et reversus servus nuntiavit haec domino suo. Tunc iratus paterfamilias, dixit servo suo : Exi cito in plateas et vicos civitatis; et pauperes, ac debiles, et coecos, et claudos introduc huc. 22. Et ait servus : Domine, factum est ut imperasti, et adhuc locus est. 23. Et ait dominus servo : Exi in vias et sepes; et compelle intrare, ut impleatur domus mea. 24. Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit coenam meam.

14,15. Ἀκούσας δέ τις τῶν συνανακειμένων ταῦτα εἶπεν αὐτῷ, Μακάριος, ὅστις φάγεται ἄρτον ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Θεοῦ. 16. ὁ δὲ εἶπεν αὐτῷ, Ἄνθρωπός τις ἐποίει δεῖπνον μέγα, καὶ ἐκάλεσεν πολλούς· 17. καὶ ἀπέστειλεν τὸν δοῦλον αὐτοῦ τῇ ὥρᾳ τοῦ δείπνου εἰπεῖν τοῖς κεκλημένοις, Ἔρχεσθε, ὅτι ἤδη ἕτοιμά ἐστιν. 18. Καὶ ἤρξαντο ἀπὸ μιᾶς πάντες παραιτεῖσθαι. ὁ πρῶτος εἶπεν αὐτῷ, Ἀγρὸν ἠγόρασα, καὶ ἔχω ἀνάγκην ἐξελθὼν ἰδεῖν αὐτόν· ἐρωτῶ σε, ἔχε με παρῃτημένον. 19. καὶ ἕτερος εἶπεν, Ζεύγη βοῶν ἠγόρασα πέντε, καὶ πορεύομαι δοκιμάσαι αὐτά· ἐρωτῶ σε, ἔχε με παρῃτημένον. 20. καὶ ἕτερος εἶπεν, Γυναῖκα ἔγημα, καὶ διὰ τοῦτο οὐ δύναμαι ἐλθεῖν. 21. καὶ παραγενόμενος ὁ δοῦλος ἀπήγγειλεν τῷ κυρίῳ αὐτοῦ ταῦτα. Τότε ὀργισθεὶς ὁ οἰκοδεσπότης εἶπεν τῷ δούλῳ αὐτοῦ, Ἔξελθε ταχέως εἰς τὰς πλατείας καὶ ῥύμας τῆς πόλεως, καὶ τοὺς πτωχοὺς καὶ ἀναπείρους καὶ τυφλοὺς καὶ χωλοὺς εἰσάγαγε ὧδε. 22. καὶ εἶπεν ὁ δοῦλος, Κύριε, γέγονεν ὃ ἐπέταξας, καὶ ἔτι τόπος ἐστίν. 23. Καὶ εἶπεν ὁ κύριος πρὸς τὸν δοῦλον, Ἔξελθε εἰς τὰς ὁδοὺς καὶ φραγμούς, καὶ ἀνάγκασον εἰσελθεῖν, ἵνα γεμισθῇ μου ὁ οἶκος. 24. λέγω γὰρ ὑμῖν, ὅτι οὐδεὶς τῶν ἀνδρῶν ἐκείνων τῶν κεκλημένων γεύσεταί μου τοῦ δείπνου.

In v. 16 εποιει ℵ B R 1.209. Or Ti W H; al εποιησεν. In v. 17 sine παντα ℵ* etc B L R Ti W H; iam paratum est b c ff² i l q. In v. 18 εξελθων ιδειν ℵ B D L Ti W H; al εξελθειν και; d agrum; cop pone me sicut non venientem. In v. 19 probare illa et ideo venire non possum b c ff² i m q r dub ken, uti D διο ου δυναμαι ελθειν; a iuga boum comparavi paria quinque et vado experimentum accipere illorum et propter hoc non possum venire; tat habet bis : rogo te, dimitte me, excusatus sum enim; syr (hr) ego rogo te, sit reputatum mihi quod non possum venire. In v. 20 D

γυναικα ελαβον. In v. 22 ο επεταξας ℵ B D L R 1 cop syr (cu), quod e; tat quaecumque. In v. 23 intrare quoscumque inveneris dub eg ken rush gat a r (ex Matth. 22,9). In v. 24 vocati sunt et non venerunt a 1; codd mu vulg gustabunt (sin v. 15 dixit illis; qui manducat prandium in regno Dei; v. 17 ut venirent; omne paratum; v. 18 om omnes; peto a te, excusa me; idem in v. 19; v. 20 uxorem duxi; non possum venire; v. 21 pauperes et pauperes (sic) et claudos et aegros et caecos; v. 22 est locus in accubitu).

Parabola haec magnam habet similitudinem cum illa apud Matth. 22,1-14; quare aliqui putant eandem omnino esse (cf. *Mald. Schanz, Weiss; Calm.* eam vocat eandem re), ita ut Lucas solum eam suo proposito magis accommodaverit omittens v. g. quae apud Matthaeum eversionem urbis indicent. At alii tamen merito asserere videntur non esse eandem parabolam. Et diversitatis rationes iam bene collegit *Eus.* : « ibi enim rex nuptiaeque filii regis et vocatores multi sunt et vocati non iverunt, quin immo servos contumeliis affectos occiderunt et exercitus commovetur in servorum interfectores et quidam ob vestem sordidam nuptiali convivio expellitur. Hic autem unus homo introducitur et coena privata et unus vocator mittitur et vocati deprecantur tantummodo invitationem, occupationes suas praetendentes. Sed quod praecipuum est, illa in templo dicta fuit apud pontifices senioresque populi, haec in Galilaea (? in Peraea potius, vel saltem extra urbem) in domo cuiusdam principis pharisaei ». Etsi non omnia quae *Eus.* commemorat, verum constituant discrimen (v. g. quae de rege, nuptiis dicit, cum hic homo et coena nominetur), tamen sat multa sunt et gravia quibus parabolam similem quidem, attamen aliam et distinctam constitui iure existimaveris. Argumentum quidem fere idem est, si solummodo generatim spectatur; at si accuratius inspicitur, in ipso iam argumento aliquid discriminis deprehenditur, vide ad v. 21, in quo ex plebe iudaica paupere haud pauci ad coenam introducuntur; nihil tale apud Matthaeum.

Christus de retributione in resurrectione iustorum sermonem intulit; v. 15 *haec cum audisset quidam de simul discumbentibus dixit illi : beatus qui manducabit panem,* mensae accumbet, *in regno Dei;* familiare erat Iudaeis, uti Matth. 8,10 quoque supponitur, imagine convivii regnum Dei concipere. Quaerunt quo animo haec dixerit. Non desunt qui eum vocent hominem ψυχικόν quippe qui delicias eiusmodi corporales solum exspectet et appetat (cf. *S. Cyr. cat. Cr. Theoph. Alb. Calm.*), vel qui simulata pietate talem gemitum coram emittat (cf. *Schegg*), dum alii eum serio et vera pietate ad regni Dei participationem suspirasse arbitrantur (cf. *Eus. Ians. Schanz*). Non est abs re quod monet *Ians.* : non est quod hunc quis culpet tamquam existimantem ex verbis Christi corporeas fore sanctorum remunerationes, cum sequenti parabola Dominus huiusmodi errorem non corrigat, sed potius confirmasset, si in illo talis error fuisset ». Unde ex modo lo-

quendi vix poterit ille accusari. Alii censent eum tali suspirio voluisse Domini sermonem interrumpere eumque quippe qui praesentes videretur accusare ad aliud deflectere argumentum, et cum pharisaeus edat istud suspirium, ex generali pharisaeorum indole posse inferri affectatam pietatem et ostentationem (cf. *Fil.*). Sed cum non soli pharisaei adessent (v. 3), dubium est fueritne ille *quidam* pharisaeus. Christus *ei* dicit parabolam sequentem. Unde si quid ad animum illius colligi poterit diiudicandum, ex parabolae argumento id erit desumendum. Inde autem sequi videtur, ne pharisaei et legis doctores, principes synagogae, falso sibi propter suam dignitatem partem in regno Dei promittant quasi iure sibi debitam, cum ab iis adhortatio ad poenitentiam spernatur.

Qui itaque revera ad regnum Dei admittantur, Christus parabola declarat v. 16 *at ipse dixit ei : homo quidam fecit coenam magnam et vocavit multos*, ex more orientali invitatio fit praevia aliquo tempore antea; dein iterato coena instante; unde v. 17 *et misit servum suum hora coenae dicere invitatis, ut venirent, quia iam parata sunt omnia;* sensus est obvius. Homo iste vel ut postea v. 21 vocatur paterfamilias est Deus Pater; coena magna sunt bona regni messiani; bene dicitur *magna*, quia haec bona tandem nos ad ipsam Dei fruitionem perducunt. Ad hoc autem regnum eiusque bona olim invitati et praeparati erant Iudaei; prior haec vocatio fiebat tempore anteacto; sed cum instaret hora coenae i. e. regni messiani cum suis bonis instituendi tempus, misit servum suum, Filium hominis, Christum, qui ut servus Iahve iam apud prophetam Isaiam descriptus erat (42,1 seq. 52,13 etc.) et qui invitatis dicit : appropinquavit regnum coelorum, qui eos ad poenitentiam et ad fidem adhortatur, ut regni Dei fieri possint consortes. Ita *servum* longe plerique de Christo interpretantur (cf. *S. Cyr. cat. Cr. Theoph. Euth. Ipr. Lamy, Bisp. Schegg, Schanz, Fil. Keil, Weiss*). Alii in homine qui fecit coenam cernunt Christum (cf. *Eus. Aug.* serm. 112; *M.* 38,643, *Bon. Cai. Ians.*), in servo autem ordinem praedicatorum (cf. *S. Greg.* hom. in ev. 36, *Bed. Alb. Luc.*). Et revera explicatio de servo Christo accurate nequit retineri per totam parabolam, uti patet v. 21 seq.; proinde simul cum Christo eos oportebit intelligere qui missi a Christo eius nomine et auctoritate invitant, pro Christo legatione funguntur et suo labore complent id quod Christi laboribus deest (2 Cor. 5,20. Col. 1,24). Quae parata sit coena, explicat *S. Cyr.* peccatorum veniam, Spiritus sancti participationem, coelorum regnum; « ad haec vocavit Christus per evangelicam legem ante omnes Israelem ». Verum ad quos invitatio primo fieri debuit, principes synagogae eam repudiant v. 18 *et coeperunt simul omnes excusare*,

ἀπὸ μιᾶς i. e. ἐξ ἑνὸς συνθήματος (*S. Cyr.*), una quasi inter se conspiratione facta, ἀπὸ μιᾶς συνθήκης, ἅμα, κοινῶς (*Euth.*); alii supplent γνώμης, φωνῆς, ψυχῆς, αἰτίας, βουλῆς etc.; *primus dixit ei : villam emi,* ἀγρόν, agrum vel praedium, *et necesse habeo exire et videre illam;* non quasi agrum emerit antequam eum videret, sed ut dispiceret quomodo optime coli posset et quid de eo famulis esset praescribendum; et cum necessitatem praetendat, suo iure se posse subiungere censet : *rogo te, habe me excusatum* ἔχε με habe me tamquam qui excusatus sit i. e. accipe et approba quod venire recusem; non opus est in ea dictione videre latinismum (cf. 2 Mach. 15,36; *Weiss*); v. 19 *et alter dixit : iuga boum emi quinque et eo probare illa,* experiri, explorare; videtur ea emisse ea lege, ut ea experiretur et si sibi placuissent, tunc pretium persolveret (cf. *Wetstein, Schanz*). Hic non se excusat necessitate, sed ei sufficit dicere πορεύομαι iam in eo sum ut abeam; *rogo te, habe me excusatum;* alius demum non omnino rogat, ut se habeat excusatum, sed breviter ac minime urbane dicit : v. 20 *uxorem duxi et ideo non possum venire;* neque excusationis loco afferri potest Deut. 24,5.

Homines utique honesto quodam praetextu se excusant a convivio, quo tamen ea significantur quibus retinentur a regno Dei. Atque ea seliguntur in parabola quae honeste ac licite fieri possunt; nemo ex iis vacabat malo operi (cf. *Cai. Luc.*). Unde gravis continetur admonitio atque documentum, posse quemquam humanis negotiis in se licitis ita se implicare et addicere, ut Deo vocanti surdas praebeat aures et invitationem ad regnum Dei quaerendum negligat et spernat. Cernitur in istis tribus id quod 8,14 dictum est ; a sollicitudinibus et divitiis et voluptatibus vitae suffocantur et non referunt fructum. Quae isti praetexunt tamquam impedimenta, aliquo modo affinia sunt avaritiae et voluptati vel nimiae rerum temporalium curae. Ideoque ad pharisaeos et scribas designandos apte proferuntur, quorum mores iis vitiis esse corruptos, vide Matth. 23,14. 25. 27. Marc. 12,40. Luc 11,39. 44. Atque Christi praedicationem apud principes et duces synagogae fere omni fructu caruisse satis constat : numquid ex principibus aliquis credidit in eum aut ex pharisaeis? sed turba haec quae non novit legem, maledicti sunt (Ioan. 7,48. 49) et nihil apud eos praedicatione Christi esse effectum maxime ostenditur eo quod synedristae Christum turpissimo supplicio crucis addixerunt. Solum Iosephus et Nicodemus e nobilioribus recensentur eius discipuli.

Invitationem frustra esse factam servus hero renuntiat v. 21, *tunc iratus paterfamilias dixit servo suo : exi cito,* coena enim iam parata est; ergo cito convivae convocandi sunt, *in plateas et vicos civitatis et pauperes et debiles* ἀναπείρους, cf. 13, *et caecos et claudos introduc huc;*

in locum nobilium qui recusarunt vocantur pauperes et miseri; cum isti in *civitate* eadem cum nobilibus illis versentur, pauper plebs iudaica in iis significatur (cf. *S. Cyr. Greg. Theoph. Euth. Luc. Ians. Ipr. Calm. Bisp. Schanz, Fil.*); ex turba enim multi Iesum sequebantur, populus miracula eius admirabatur, saepe studio omnino laudabili eius audiebat doctrinam. Et cum parabola in universum delineet quae sit et futura sit sors praedicationis evangelii, etiam addere oportet misso Spiritu sancto eos qui crediderint Iudaeos plerumque ex plebe fuisse paupere, pro qua eleemosynae colligebantur (cf. Rom. 15,25 seq. 1 Cor. 16,1 seq. Gal. 2,10), ita ut ad ecclesiam quoque hierosolymitanam congruat quod apostolus de corinthiaca scribit (1 Cor. 1,26-29). Crediderunt quidem etiam aliqui pharisaei (Act. 15,5) et multa turba sacerdotum (Act. 6,7); sed nihilominus maior pars Iudaeorum repudiavit vocationem ad regnum messianum, uti ex Act. et epist. paul. satis patet. Quare in parabola v. 22 *ait servus : domine, factum est, ut imperasti* i. e. introducti sunt pauperes civitatis quotquot volebant introduci, *et adhuc locus est* ita modeste petit pro iis quoque qui extra civitatem, extra populum iudaicum, extra limitem veteris theocratiae versantur; *adhuc locus est,* est enim coena magna, regnum Dei omnibus propositum.

Iam gentes Christus non per se in vita sua publica vocavit. Pro iis tamen etiam opus redemptionis peregit, ad gentes docendas et in Ecclesiam aggregandas misit apostolos; insuper professus est : et alias oves habeo quae non sunt ex hoc ovili *et illas oportet me adducere* et vocem meam audient (Ioan. 10,16). Quare in parabola merito idem servus describi potest qui etiam alienigenas ad coenam compellere iubetur; v. 23 *et ait dominus servo : exi in vias et sepes;* proin in regionem extra civitatem sitam, ad eos qui non sunt ex hoc ovili, *et compelle intrare ut impleatur domus mea;* sunt scil. gentes positae extra foedus israeliticum, sunt alienati a conversatione Israel, hospites ξένοι testamentorum (Eph. 2,12; *Theoph. Luc. Ipr.*); sed servus Iahve datur in lucem gentium (Is. 49,6) et regnum Dei a maiore parte synagogae repudiatum datur gentibus (cf. Matth. 8,11; 21,43. Act. 13,46. Rom. 11,12 etc.). Quod autem dicit : compelle intrare, significatur ex parte ardens patrisfamilias desiderium et summa liberalitas cupientis suas delicias quam plurimis communicare, altera ex parte futuram ingentem vim praedicationis evangelicae (*Luc.*). Compelle etiam ad parabolam apte dicitur, ne scil. illi qui pauperes in regione vagantur pudore quodam vereantur domum illam nobilem ingredi, urgendi sunt. Ceterum ea voce commendatur id quoque quod apostolus monet : praedica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in

omni patientia et doctrina. Maximum itaque studium postulatur a servo, ut omnibus utatur subsidiis ad illos introducendos. Compelli eos jussit, non quod violentiam inferri iusserit, sed indicans iis oportere adhiberi vehementiorem ac constantiorem praedicationem (*S. Cyr. Theoph. Euth. Ians.*). Eiusmodi quasi compulsionem a Christo adhibitam aliqui illustrant exemplo conversionis S. Pauli (*Cai.*); generatim autem compulsio ista fit, ut *Alb.* ait, virtute veritatis in ostensione probationis et in virtute exempli, cui Deus quandoque addit virtutem miraculorum.

Bene notat *Mald.* (ad Matth. 22,12) : « quod autem dicit *compelle intrare*, non significat ad fidem cogendos esse homines, sed adeo rogandos, adeo incitandos, ut quodammodo compelli videantur ». Explicat quidem *S. Aug.* et approbat cogendos esse intrare legibus ac poenis ab imperatoribus statutis eos qui inveniantur in viis ac sepibus i. e. in haeresibus et schismatibus (cf. epist. 185,6. 24; *M.* 33,804) et *Luc.* quoque ait non sermone solum, sed etiam verberibus aliisque poenis eos ab itineris ducibus cogi posse, ut iter semel ingressi rectum iter constanter teneant; « praecipiuntur enim compelli donec intrarent ad coenam, daturque intelligendum quod multi non intrarent nisi compellerentur ». Sed merito contra eiusmodi explanationem coactionis et compulsionis notant *Ians. Calm.* parabolam non spectare ad haereticos et schismaticos qui facti sunt rebelles fide et auctoritate Ecclesiae cognita, sed agere de iis qui ad Ecclesiam adducendi sunt.

Varia est huius parabolae applicatio ulterior. Facile enim transferri potest, ut cernatur invitatio ad aeternam felicitatem, quae eo ipso habetur, quia coena haec sunt bona messiana. Sicut una est Ecclesia militans in terris et triumphans in coelis, et vita aeterna quae post hanc vitam perficitur, hic incipit per fidem, ita unum quodammodo est convivium quo pascitur militans et quo triumphans Ecclesia, quandoquidem unus est Deus quo hic fruimur per fidem et illic per speciem (*Ians.*). Deum quadruplicem nobis coenam facere prosequitur *Alb.* scil. in refectione doctrinae, in refectione virtutis et gratiae, in refectione eucharistiae, in refectione gloriae. Frequens est applicatio ad s. eucharistiam (cf. *cat. Cr. Theoph. Ians.*) eo magis quia in s. liturgia intra octavam festi Corporis Christi haec parabola in lectione evangelica decantatur. In tribus illis excusationibus aliqui dicunt adumbrari triplicem concupiscentiam (de qua 1 Ioan. 2,16) concupiscentiam oculorum seu avaritiam, superbiam, concupiscentiam carnis (cf. *S. Aug.* serm. 112; *M.* 38,644 seq. *Bon.*) vel generatim omnia illa quibus homines retineantur a studio pietatis, praesertim avaritiam, sollicitudinem rerum temporalium, voluptatem, contemptum bonorum divinorum.

Et quoties et quam sedulo Deus nos vocet, eleganter pertractat *Beda* : ecce per se vocat, per angelos vocat, per Patres vocat, plerumque per miracula vocat, plerumque per flagella vocat, aliquando per mundi huius

prospera, aliquando per adversa; nemo contemnat, ne dum vocatus excusat, cum voluerit intrare, non valeat ».

Concluditur parabola severa comminatione in illos qui vocati noluerunt venire, ergo contra nobiles illos amicos heri quos primo loco invitaverat v. 24 *dico autem vobis quod nemo virorum illorum qui vocati sunt gustabit coenam meam;* qui vocati renuerunt, excluduntur a coena, excluduntur a bonis messianis; ergo interitui aeterno sese manciparunt. Ita Christus denuo falsam illam pharisaeorum fiduciam, quasi filii Abraham et primores synagogae et duces populi electi non possent non admitti in regnum Dei, graviter convellit; eo modo respondet ei qui supra v. 15 ei parabolae occasionem dedit. Quaerunt sintne haec verba adhuc verba patrisfamilias an ipsius Christi. Cum dicatur *coenam meam,* ad patremfamilias erunt referenda; sed cum habeatur quoque *dico vobis,* simul statuendum erit Christum iam subindicare transitum a parabola ad rem parabola designatam et iis qui mensae accumbunt serio proponere qualem sortem incursuri sint, si neglexerint invitationem.

d) De abnegatione sui 14,25-35.

14,25. Ibant autem turbae multae cum eo; et conversus dixit ad illos : 26. Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. 27. Et qui non baiulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discipulus. 28. Quis enim ex vobis volens turrim aedificare, non prius sedens computat sumptus qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum; 29. Ne, posteaquam posuerit fundamentum, et non potuerit perficere, omnes qui vident incipiant illudere ei, 30. Dicentes : Quia hic homo coepit aedificare, et non potuit consummare? 31. Aut quis rex iturus committere bellum adversus alium regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? 32. Alioquin, adhuc illo longe agente, legationem mittens rogat ea quae pacis sunt. 33. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat

14,25. Συνεπορεύοντο δὲ αὐτῷ ὄχλοι πολλοί· καὶ στραφεὶς εἶπεν πρὸς αὐτούς, 26. Εἴ τις ἔρχεται πρός με, καὶ οὐ μισεῖ τὸν πατέρα ἑαυτοῦ καὶ τὴν μητέρα, καὶ τὴν γυναῖκα καὶ τὰ τέκνα, καὶ τοὺς ἀδελφοὺς καὶ τὰς ἀδελφάς, ἔτι τε καὶ τὴν ψυχὴν ἑαυτοῦ, οὐ δύναται εἶναί μου μαθητής. 27. ὅστις οὐ βαστάζει τὸν σταυρὸν ἑαυτοῦ, καὶ ἔρχεται ὀπίσω μου, οὐ δύναται εἶναί μου μαθητής. 28. τίς γὰρ ἐξ ὑμῶν, θέλων πύργον οἰκοδομῆσαι, οὐχὶ πρῶτον καθίσας ψηφίζει τὴν δαπάνην, εἰ ἔχει εἰς ἀπαρτισμόν; 29. ἵνα μήποτε θέντος αὐτοῦ θεμέλιον, καὶ μὴ ἰσχύοντος ἐκτελέσαι, πάντες οἱ θεωροῦντες ἄρξωνται αὐτῷ ἐμπαίζειν, 30. λέγοντες, ὅτι οὗτος ὁ ἄνθρωπος ἤρξατο οἰκοδομεῖν, καὶ οὐκ ἴσχυσεν ἐκτελέσαι. 31. ἢ τίς βασιλεύς, πορευόμενος ἑτέρῳ βασιλεῖ συμβαλεῖν εἰς πόλεμον, οὐχὶ καθίσας πρῶτον βουλεύσεται εἰ δυνατός ἐστιν ἐν δέκα χιλιάσιν ὑπαντῆσαι τῷ μετὰ εἴκοσι χιλιάδων ἐρχομένῳ ἐπ' αὐτόν; 32. εἰ δὲ μήγε, ἔτι αὐτοῦ πόρρω ὄντος, πρεσβείαν ἀποστείλας ἐρωτᾷ εἰς εἰρήνην. 33. οὕτως οὖν πᾶς ἐξ ὑμῶν, ὃς οὐκ ἀποτάσσεται πᾶσιν

omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus. 34. Bonum est sal. Si autem sal evanuerit, in quo condietur? 35. Neque in terram, neque in sterquilinium utile est, sed foras mittetur. Qui habet aures audiendi, audiat.

τοῖς ἑαυτοῦ ὑπάρχουσιν, οὐ δύναται εἶναί μου μαθητής. 34. Καλὸν οὖν τὸ ἅλας· ἐὰν δὲ καὶ τὸ ἅλας μωρανθῇ, ἐν τίνι ἀρτυθήσεται; οὔτε εἰς γῆν οὔτε εἰς κοπρίαν εὔθετόν ἐστιν· ἔξω βάλλουσιν αὐτό. ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν ἀκουέτω.

In v. 25 a e comitabantur. In v. 26 στι τε και B L R Δ adhuc etiam et b ff^2 l q eg, insuper et a; al ετι δε. In v. 27 tol crucem suam quotidie. In v. 28 e sumptum, si habet ad consummationem, a impendia, si habeat quae opus sunt ad consummandum eam; B D L R εις απαρτ., al τα εις απ., al τα προς απ. In v. 31 βουλευσεται ℵ B, sim it. In v. 32 τα προς ειρηνην, al τα εις; B om τα; rogat pacem tat a b c e ff^2 i l q r. In v. 33 a facultatibus suis. In v. 34 ουν ℵ B L X aliq minusc Ti W H; εαν δε και ℵ B D L X al 8; sal *quoque* codd vulg (excipe eg mt), *et* sal a r; sim tat (sin v. 26 patrem et matrem et fratres et sorores et uxorem et filios; v. 27 plane om; v. 28 illudant ei; v. 32 mittens legatos rogat ab eo).

Cur multi renuant in regnum messianum ingredi i. e. sequi Christum, in hac parte explicatur. Ut quis enim Christo nomen det eique fideliter ac constanter adhaereat, multa opus est animi fortitudine, multa sui abnegatione, multa contra potestates adversarias lucta. Quae Christus postulat, etiam clarissime ostendunt regnum messianum nullatenus esse in dominatione quadam terrena, in pompa et fastu imperii terreni constituendum. Atque de vera regni sui indole iterum turbas docet; v. 25 *ibant autem turbae multae cum eo et conversus dixit ad illos,* ex comitatu quo eum sequuntur pedibus occasionem imaginemque petens v. 26 *si quis venit ad me et non odit patrem suum et matrem et uxorem et filios et fratres et sorores, adhuc autem et animam suam,* vitam suam, *non potest meus esse discipulus;* cur ita loquatur, ratio iam supra reddita est 12,51-53; fiet enim Christi causa magna quaedam separatio, ita ut pater sit contra filium etc.; proinde qui Christo adhaerere vult, debet amorem illum quo eum pater vel mater vel uxor a Christo retinere et separare tentant, fortiter spernere et superare; eos scil. quos adversarios in via Dei experimur, odiendo et fugiendo nesciamus oportet (*S. Greg.* hom. 37, *Beda*); et pro Christi causa tuenda parati simus necesse est ipsam vitam profundere. Alia vide ad Matth. 10,37. Praeter hanc animi fortitudinem qua omnem affectum Christi causae contrarium negligimus et conculcamus et vitam nostram ipsam temporalem libenter devovemus opus est alia fortitudine quae in vitae quotidianae usu et exercitio demonstranda est v. 27 *et qui non baiulat crucem suam et venit post me, non potest meus esse discipulus;* vitam itaque non iucundam, sed laboribus plenam Christus suis proponit; en quam efficaciter notionem regni messiani temporalis evertit et plane

destruit; ceterum vide ad 9,23 et Matth. 10,38. Eandem doctrinam saepius inculcat.

Qui itaque Christo adhaerere vult, debet ita esse animo paratus, ut neque amore propinquorum neque timore molestiarum unquam a Christo recedat. Quare opus est ut maxima animi firmitate et constantia se Christo addicat, ne oborta tentatione turpiter a proposito recedat et ignaviae ignominiam apud omnes incurrat. Hanc animi et propositi firmitatem ut bene sibi acquirant, monet Christus duabus parabolis : v. 28 *quis enim ex vobis volens turrim aedificare* πύργον vel generatim grande palatium, aedificium alte assurgens, *non prius sedens* quieta et attenta consideratione eaque longiore *computat sumptus qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum?* v. 29 *ne posteaquam posuerit fundamentum et non potuerit perficere, omnes qui vident incipiant illudere ei,* v. 30 *dicentes : quia hic homo coepit aedificare et non potuit consummare;* simili modo irrisioni erit ipsis inimicis Christi is qui Christo nomen dedit, verum postea timore adversitatum, persecutionum, impugnationum causam eius derelinquit et fit apostata. Melius enim est opus non aggredi quam non perficere postquam inchoaveris (*Euth.*). Turpe enim est et damnosum ab incepto desistere. Valet illud : melius erat illis non cognoscere viam iustitiae quam post agnitionem retrorsum converti ab eo quod illis traditum est sancto mandato (2 Petr. 2,21; *Mald. Luc.*). Declarat itaque unumquemque debere expendere robur animi, sitne paratus ad omnia illa pro Christi causa toleranda ne si impar huic negotio quo non est aliud maius a semel incepto resiluerit, et in graviorem ignominiam apud Deum et angelos et in maius salutis damnum incidat (*Ians.*). Ea itaque similitudine, ut *S. Cyr.* ait, ad invictam fortitudinem nos acuit et nobilem vigorem nos concipere vult. Oportet scil. bene expendere incommoda et pericula quae professionem doctrinae Christi comitari possunt, offensas propinquorum, iacturam bonorum, vitae discrimen, ne magis feriant tela improvisa, atque ita quod quis aggressus est magno suo malo deserat (*Lamy*).

Ad idem inculcandum tendit altera parabola v. 31 *aut quis rex iturus committere bellum adversus alium regem, non sedens* cum otio scil. et accurate, *prius cogitat si possit cum decem millibus occurrere ei qui cum viginti millibus venit ad se?* v. 32 *alioquin adhuc illo longe agente legationem mittens rogat ea quae pacis sunt;* itaque antequam quis negotium gravissimum et alea plenum aggrediatur, bene expendere oportet subsidia, ne maius damnum incurrat. Et quid Christus postulet, ut unusquisque sedens secum perpendat, declarat v. 33 *sic ergo,* en haec consequuntur ex exemplis allatis, *omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quae possidet non potest meus esse discipulus,* qui non ita

renuntiat sibi et affectibus suis, ut paratus sit duo illa in v. 26 et 27 praestare, non potest esse Christi discipulus. Cum Christus gladium attulerit et separationem, paratus esse quisque debet qui vult eum sequi, ut aequo animo sustineat iacturam bonorum, ut incurrat odium propinquorum et vitam ipsam perdat. Sine tali robore animi non est tutus.

Considerandum est igitur ad quid parabolae proferantur. Quare non opus est ut singula quaeque minutatim ad particularem significationem trahantur. Id quod praecipue de altero rege dicendum est. Neque enim quaeri oportet quis sit alius rex inimicus, quid sibi velint decem millia, quid viginti millia, quae sit legatio mittenda etc. Haec enim solum inserviunt ad parabolam ipsam clare efferendam neque habent aliam significationem nisi ut ostendatur ante gravissimum negotium omnia esse bene perpendenda ne maius damnum et ignominia incurratur. Non desunt quidem qui v. g. regem inimicum explicent de diabolo (*S. Cyr. Bon. Euth. Lap. Calm. Schegg, Bisp.*) vel de peccato et exercitum viginti millium de daemonibus (*Theoph.*) vel de mundo (*Cai.*); verum eiusmodi explicationem perpetuo non posse sustineri apparet, quia cum diabolo etc. non est pax ineunda, non est daemon rogandus quaenam sint pacis conditiones. Neque quod de decem et viginti millibus dicitur, ad applicationem trahi potest. Nam sic videretur inimicus duplo fortior quam nos, cum tamen nobis ad eius expugnationem gratia Dei, omnibus daemonibus potentior, praesto sit. Alii regem inimicum accipiunt de Deo (*Bed. Alb.*) vel de Christo (*S. Greg.*), qui veniat ad nos iudicandos et de opere et cogitatione discutiendos, cui oporteat legationem mittere lacrimas nostras et opera misericordiae, ut eum placemus. Verum haec iam aberrare ab eo ad quod parabolae hae proferuntur nemo negabit. — Facilius utique prior parabola applicari fere in singulis potest. Nos enim sumus docente apostolo Dei aedificatio, templum Dei (1 Cor. 3,9; 6,19). Unde turrim aedificare facile explicatur de studio et incremento virtutum; sumptus autem necessarios declarat *S. Bon.* esse sufficientes conatus mentis quibus quis cooperatur gratiae etc. Applicatio satis frequens fit ad studium perfectionis christianae, ad sequenda consilia evangelica; quae sane obvia est et facilis; attamen dici nequit cum *Cai. Lap.* hanc perfectionem evangelicam et professionem vitae perfectionis hic statim et unice esse intelligendam.

Et quantum sit periculum et damnum si quis in bono non perseveret alia comparatione illustrat gradatione quadam; qui enim inceptum aedificium non perficere potest, exponitur irrisioni; qui inconsiderate ultra vires bellum aggreditur vincitur et fortasse regnum et libertatem amittit et maius iam incurrit damnum. Sed multo gravius hic assignatur v. 34 *bonum est sal,* res est bona, praeclara; *si autem sal eva-*

nuerit μωρανθῇ, si fatuum vel insipidum factum fuerit, si vim et saporem perdiderit, *in quo condietur,* quo alio sale vel qua alia re poterit iterum ad suam pristinam acrimoniam et vim revocari? plane inutile evadit; v. 35 *neque in terram neque in sterquilinium utile est,* neque humum neque fimum reddit meliorem; aliae res corruptae in sterquilinium proiectae utiles sunt; verum « sal neque in terram utile est, cuius iniectu germinare prohibetur, neque in sterquilinium agriculturae profuturum, quod vivacibus licet glebis immistum non fetare semina frugum, sed exstinguere solet » (*Beda*), *sed foras mittitur,* ut scil. sicut lutum conculcetur. En haec est sors discipuli Christi qui « post agnitam veritatem retro redit neque ipse fructum boni operis ferre neque alios excolere valet » (*Beda*). Eodem modo de apostatis sermo fit Hebr. 6,4 seq. 10,26 seq.; quid illis contingat qui post agnitionem retrorsum convertuntur, exponit S. Petrus : canis reversus ad suum vomitum et sus lota in volutabro luti (2 Petr. 2,22). Quarum parabolarum vim et significationem ut bene secum expendant monet : *qui habet aures audiendi audiat;* ne itaque haec leviter transeant! Ceterum de sale vide ad Matth. 5,13 et Marc. 9,49; rem autem magni momenti Iesus ea formula ὁ ἔχων ὦτα etc. inculcare solet; cf. Matth. 11,15; 13,9. 43. Marc. 4,9. 23; 7,16. Luc. 8,8.

e) Gaudium coeli de conversione peccatorum 15,1-10.

15,1. Erant autem appropinquantes ei publicani et peccatores, ut audirent illum. 2. Et murmurabant pharisaei et scribae, dicentes : Quia hic peccatores recipit, et manducat cum illis. 3. Et ait ad illos parabolam istam, dicens : 4. Quis ex vobis homo qui habet centum oves, et si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, et vadit ad illam quae perierat, donec inveniat eam? 5. Et quum invenerit eam, imponit in humeros suos gaudens; 6. Et veniens domum, convocat amicos et vicinos, dicens illis : Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam quae perierat? 7. Dico vobis, quod ita gaudium erit in coelo super uno peccatore poenitentiam agente, quam super nonaginta novem iustis qui non indigent poenitentia.

8. Aut quae mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, et everrit do-

15,1. Ἦσαν δὲ αὐτῷ ἐγγίζοντες πάντες οἱ τελῶναι καὶ οἱ ἁμαρτωλοὶ, ἀκούειν αὐτοῦ. 2. καὶ διεγόγγυζον οἵ τε Φαρισαῖοι καὶ οἱ γραμματεῖς, λέγοντες, ὅτι οὗτος ἁμαρτωλοὺς προσδέχεται, καὶ συνεσθίει αὐτοῖς. 3. Εἶπεν δὲ πρὸς αὐτοὺς τὴν παραβολὴν ταύτην, λέγων, 4. Τίς ἄνθρωπος ἐξ ὑμῶν ἔχων ἑκατὸν πρόβατα, καὶ ἀπολέσας ἐξ αὐτῶν ἕν, οὐ καταλείπει τὰ ἐνενήκοντα ἐννέα ἐν τῇ ἐρήμῳ, καὶ πορεύεται ἐπὶ τὸ ἀπολωλὸς, ἕως εὕρῃ αὐτό; 5. καὶ εὑρὼν ἐπιτίθησιν ἐπὶ τοὺς ὤμους αὐτοῦ χαίρων, 6. καὶ ἐλθὼν εἰς τὸν οἶκον, συγκαλεῖ τοὺς φίλους καὶ τοὺς γείτονας, λέγων αὐτοῖς, Συγχάρητέ μοι, ὅτι εὗρον τὸ πρόβατόν μου τὸ ἀπολωλός. 7. λέγω ὑμῖν, ὅτι οὕτως χαρὰ ἐν τῷ οὐρανῷ ἔσται ἐπὶ ἑνὶ ἁμαρτωλῷ μετανοοῦντι, ἢ ἐπὶ ἐνενήκοντα ἐννέα δικαίοις, οἵτινες οὐ χρείαν ἔχουσιν μετανοίας.

8. Ἢ τίς γυνὴ δραχμὰς ἔχουσα δέκα, ἐὰν ἀπολέσῃ δραχμὴν μίαν, οὐχὶ ἅπτει λύχνον, καὶ σαροῖ τὴν οἰκίαν, καὶ ζητεῖ

mum, et quaerit diligenter, donec inveniat? 9. Et quum invenerit, convocat amicas et vicinas, dicens : Congratulamini mihi, quia inveni drachmam quam perdideram. 10. Ita dico vobis, gaudium erit coram angelis Dei, super uno peccatore poenitentiam agente.

ἐπιμελῶς, ἕως οὗ εὕρῃ; 9. καὶ εὑροῦσα συγκαλεῖ τὰς φίλας καὶ τὰς γείτονας, λέγουσα, Συγχάρητέ μοι, ὅτι εὗρον τὴν δραχμὴν ἣν ἀπώλεσα. 10. οὕτως, λέγω ὑμῖν, γίνεται χαρὰ ἐνώπιον ἀγγέλων τοῦ Θεοῦ ἐπὶ ἑνὶ ἁμαρτωλῷ μετανοοῦντι.

In v. 3 similitudinem b c e ff² i l q. In v. 4 D απελθων το απ. ζητει, sin a e vadit ad illam quae perit quaerens. In v. 8 scopis mundabit i q eg; commundat a; codd pene omnes *evertit* domum, pariter steph hent sixt. In v. 9 συγκαλει ℵ B K L U X Δ Π al plus 25; al συγκαλειται. In v. 10 B om των ante αγγελων (sin v. 1 om omnes; v. 9 drachmam quae perdita erat; v. 10 coram omnibus angelis).

Quam parum pharisaei veram regni Dei naturam et indolem intellexerint abunde probant quia Christi studium et conatus peccatores ad poenitentiam adducendi reprehendunt. Christi autem benignitas in peccatores et exempla quibus demonstrat quantum gaudium sit in coelo de uno peccatore resipiscente, profecto singulari erant consolationi gentibus; quare Lucas ea sedulo et accurate prosequitur; v. 1 *erant autem appropinquantes ei publicani et peccatores, ut audirent illum;* cum in subsequentibus de certa quadam occasione qua parabolam proposuit sermo inferatur, etiam haec sententia non in universum de re quae saepe fieri solebat, sed de uno quodam eventu erit explicanda; ἦσαν etc. cf. 13,10 quae loquendi circuitio satis frequens est apud Lucam (cf. 1,10; 5,17; 6,12; 11,1 etc. et saepe quoque in Act. 1,10; 2,2; 8,1. 28 etc.); quod dicitur πάντες, explica de illo loco vel oppido, ubi tum versabatur; alii hyperbolen malunt videre; sed si de certo quodam oppido intelligitur, locutio ad communem narrandi modum conformata est, quo loquimur de omnibus, si permulti, plerique sunt. Produnt desiderium audiendi Iesum, quo et Iesu clementiam benevolentiamque et animos iam ad bonum promptos testantur; v. 2 *et murmurabant* διεγόγγυζον inter se murmurabant et indigne conquerebantur, *pharisaei et scribae dicentes : quia hic peccatores recipit et manducat cum illis;* cf. 5,30; 7,39.

Ex hac occasione indignationis pharisaeorum Christus proponit parabolas, id quod ipsis verbis ab evangelista declaratur v. 2 *et ait ad illos parabolam istam;* ostendit eis ex iis quae in vita communi fiunt et quae ipsi facerent quam immerito murmurent, immo quam inhumano modo agant; quare narrationem parabolicam ita inducit, ut statim quid ipsi sint facturi interroget : *dicens* v. 4 *quis ex vobis homo qui habet centum oves et si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto et vadit ad illam quae perierat donec inveniat eam?* numero rotundo de centum sermo fit, ut uni ovi perditae

numerus sat magnus aliarum opponatur; quamvis itaque unusquisque ex illis ad quos loquitur haberet gregem non exiguum, tamen ex eo ne unam quidem vellet perdere, verum omnem industriam in ea recuperanda collocat. Explica *desertum*, uti hebr. מִדְבָּר, de regione pascendis gregibus apta; cf. 3,3; v. 5 *et cum invenerit eam, imponit in humeros suos gaudens*, gaudet quod recuperavit, gaudet quia amat ovem, uti ille amare dicitur ovem parvulam, cuius exemplo Nathan propheta Davidem regem arguit (2 Reg. 12,3). Et tanto afficitur gaudio ut apud se nequeat continere v. 6 *et veniens domum convocat amicos et vicinos dicens illis : congratulamini mihi*, congaudete, collaetamini mecum, *quia inveni ovem meam quae perierat.* Iam si quivis ex illis murmurantibus ita laetatur de una ove ex multis quam perditam denuo labore multo invenit, nonne summa confusione dignus est qui hominem perditum ad Deum reduci aegre fert? quem pudorem ut illis incutiat, dicit *quis ex vobis;* insuper alio modo ostendit eoque excellentissimo quantopere deceat, ut omnes gaudeant vehementer cum Iesu de conversione peccatorum, proinde etiam de studio quo ad eum accedunt.

Docet enim murmurantes illos qui revera secum congaudeant v. 7 *dico vobis, quod ita gaudium erit in coelo super uno peccatore poenitentiam agente quam super nonaginta novem iustis qui non indigent poenitentia;* ἢ ἐπὶ etc. ponitur ἤ simili modo uti Matth. 18,8 et Marc. 9,43 et Luc. 17,2 et 1 Cor. 14,19; infertur scil. ita ut comparativus non antecedat, verum ipsa hac particula indicetur; unde supple : *maius* gaudium erit in coelo. Sed quo sensu maius? id quod secundum exemplum humanum intelligi debet; « maius enim actuale et sensibile gaudium est de unius poenitentia quam de multorum innocentia; quomodo pater aliquis magis gaudet de unius filii restituta sanitate, quam de multorum filiorum qui nunquam erant in periculo integra valetudine, etiamsi omnes filios ex aequo diligat aut sanos etiam magis diligat; cogitandum enim Dominum de divinis ac spiritualibus rebus disseruisse tamquam de humanis » (*Ians.*). Et, ut *Alb.* indicat, post periculum superatum novum gaudium et maius exoritur; sic novum gaudium fuit in sanatione Iob, in illuminatione Tobiae senioris et reditu iunioris plus quam si pater continuo vidisset et filius nunquam abfuisset (*Alb.*). In ove scil. inventa, in peccatore poenitente nova et singularis ratio gaudii occurrit quae non de aliis ovibus, de iustis. Quae tamen gaudendi ratio non evincit neque efficit unam ovem perditam magis diligi aut pluris fieri quam multas illas nunquam perditas, neque demonstrat in coelo peccatorem poenitentem praeferri magno numero iustorum (cf. *Luc.*).

Quam grata itaque Deo res sit poenitentia peccatoris gaudio illo in coelo declaratur. Unde simul elucet Iesum optime agere si peccatoribus familiariter utitur, ut eos ad meliorem frugem alliciat et pharisaeos sua indignatione sibi ipsis opprobrium inferre summum. Altera parabola ad idem tendit; repetito Christus idem proponit quo maior reddatur confusio murmurantium, quae confusio si voluerint illis in salutem evadere potest. Nam Christus parabolis et applicatione facta eos docet; nam, ut *Theoph.* dicit, sicut misericors erat erga publicanos ita etiam erga illos ipsos qui suam misericordiam calumniabantur; neque enim eos aversabatur tamquam insanabiles et obmurmurantes, sed mansuete sanat parabolas proponens. Benignus quippe magister etiam ingratis infert suas illuminationes (*Alb.*); v. 8 *aut quae mulier habens drachmas decem si perdiderit unam, nonne accendit lucernam et everrit domum et quaerit diligenter donec inveniat?* iam particula ἤ indicatur parabolam ad idem tendere cum antecedente et eandem doctrinam alio exemplo illustrari. Mulier describitur pauper, cum tota eius pecunia decem drachmis vel totidem denariis contineatur; denarius autem eo tempore erat merces operarii diurna (cf. ad Matth. 20,2). Pro ea itaque sat magnum damnum est unam perdidisse; quare tanta quaerit sedulitate. Inducitur mulier, quia mulier demum adeo sollicite quaerere solet et dein de bono successu cum magna animi effusione laetari; virum de una drachma ita esse anxium, ita sedulo investigare, domum everrere etc. non esset probabile; v. 9 *et cum invenerit, convocat amicas et vicinas dicens : congratulamini mihi,* congaudete mecum, *quia inveni drachmam quam perdideram;* sequitur non sine emphasi eadem applicatio et doctrina ad confundendos pharisaeos : v. 10 *ita dico vobis, gaudium erit coram angelis Dei* i. e. apud angelos; cf. ἐνώπιον 12,6; 14,10, Act. 10,31, Apoc. 16,19, *super uno peccatore poenitentiam agente;* ergo angeli plurimum gaudent et pharisaei murmurant, indignantur! cui ergo se similes praebent? non angelis, sed diabolo.

Praeter id quod praecipuum est in parabola etiam alia utiliter considerari possunt. Et in priore quidem parabola Christus consulto elegisse videtur exemplum pastoris, tum ut malos pastores populi perstringeret tum ut se bonum pastorem suumque agendi sentiendique modum describeret. Pharisaei enim et scribae dum indignantur Iesu eo quod peccatores suscipit omnino in se referunt imaginem pastorum Israel quibus vae dicitur verbo Domini : vae pastoribus Israel, quod infirmum fuit non consolidastis et quod aegrotum non sanastis, quod confractum est non alligastis et quod abiectum erat non reduxistis et *quod perierat non quaesistis,* sed cum austeritate imperabatis eis et cum potentia (Ez. 34,1. 4). Iesus vero dum pecca-

tores benigne suscipit eosque docet, illud implet quod Deus promittit apud prophetam : quod perierat requiram et quod abiectum erat reducam etc. (Ez. 34,16). Atque eo magis censeri debet ipsum Servatorem describi in pastore illo, quia Messias tamquam pastor praedictus est : et suscitabo super eos pastorem unum qui pascat eos, servum meum David (Ez. 34,23) et quia ipse Iesus se vocat bonum pastorem (Ioan. 10,11). Revera Filius Dei descendens de coelo ad ovem vadit quae perierat, ad genus humanum et quantum laboris et cruciatuum non sustinuit donec eam invenerit, donec redemptio erat peracta? Et quanto gaudio exsultet de iis quos redemptione suos fecerit, facile concluseris ex eo quia exsultat in Spiritu sancto et in Dei laudes prorumpit visa discipulorum fide, Luc. 10,11. Quare optime quoque dicit : congaudete mecum, vel, ut *Beda* bene dicit : « notandum quod non dicat : congratulamini ovi inventae, sed *mihi*, quia videlicet eius est gaudium vita nostra et cum nos ad coelum reducimur, sollemnitatem laetitiae illius implemus. Et quod dictum est de genere humano quasi ove perdita, suo modo iterum iterumque fit in unoquoque. Gratiis enim suis et etiam conscientiae stimulis vadit ad inveniendum eum qui aberravit. Ovem inventam non punit, non castigat; verum id exprimit quod habetur Is. 40, 11 : in brachio suo congregabit agnos et in sinu suo levabit. Bene dicit *S. Ambr.* : humeri Christi crucis brachia sunt; illic peccata mea deposui, in illa patibuli nobilis cervice requievi (sim. *Bed. Alb.*) et *Theoph.* : imposuit in humeros; infirmitates enim nostras et peccata ipse portavit et omnia onera nostra non gravate ipse suscepit persolutis omnibus quae debebamus et nos sponte ac libenter portavit usque in domum suam, hoc est, in coelum.

In gaudio angelorum nobis proponitur quanto studio et amore coelestes hi spiritus res nostras prosequantur; inde facile fluit eos etiam esse adiutores nostros et intercessores, uti sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos qui hereditatem capient salutis (Hebr. 1,14). — Primae quae factae sunt imagines Salvatoris ex hac parabola expressae sunt; cernitur enim Christus et in catacumbis et in calicibus repraesentatus tamquam pastor bonus qui oviculam suis humeris portat; ita v. g. habet Tertullianus : a parabolis licebit incipias, ubi est ovis perdita a Domino requisita et humeris suis revecta; procedant ipsae picturae calicum vestrorum... patrocinabitur pastor quem in calice depingis (de pudicitia cap. 7. 10). Plura ea de re vide in libro a *Kraus* edito : Realencyklopaedie der christl. Alterthümer II p. 589 seq.

Apposite monent *Ians. Mald.* aliique intellecto parabolae scopo iam non ulterius inquirendum esse quid mystice significetur per centum oves, per nonaginta novem, quid per mulierem, quid per decem drachmas. Sed haud pauci tamen inquisierunt. Intelligunt v. g. centum oves universam creaturam rationalem (cf. *S. Cyr. Bed. Alb.*); nonaginta novem supernos angelorum greges quibus in coelo relictis Filius Dei ad ovem perditam, genus humanum, descenderit (cf. *S. Cyr. Ambr. Bed. Alb. Theoph.*). Vident pariter in drachma animam quae imaginem Dei gerit impressam, uti nummus habet imaginem regis (cf. *S. Cyr. Bed. Alb. Theoph.*); quae, utut pie

considerari possunt, tamen ad explicationem parabolae non requiruntur.

Aliquibus satis mirum videbatur dici v. 7 in coelo esse plus gaudii de uno peccatore converso quam de nonaginta novem iustis. Unde iustos dici ironice et intelligi de pharisaeis qui se iustos iactassent (cf. *S. Aug.* quaest. evang. 2,32 et e recentioribus *Goebel* in Studien und Kritiken 1874 p. 514). Quod tamen admitti nequit. Nam ita parum vel nihil diceretur de gaudio in coelo; de pharisaeis enim certe non est gaudium in coelis; quid ergo sibi vellet maius gaudium de peccatore converso quam de pharisaeis? dein non posset addi οἵτινες etc. quippe qui..., quare haec ironice dici merito reiiciunt *Ians.* et recentiores. Alii, uti *S. Greg.* quem *Bed. Lap.* sequuntur, maius gaudium inde quoque explicant quod peccator conversus saepius maiorem ostendat fervorem quam is qui nunquam lapsus sit. Verum haec quoque explicatio duobus peccat vel tribus. Nam Christus affirmat maius gaudium in universum de quovis peccatore agente poenitentiam, isti restringunt ad eum qui maiorem fervorem manifestet, id quod quandoque reperiatur; Christus gaudium asserit de ipsa conversione, isti gaudium repetunt ex ratione vitae post conversionem diutius observatae, et isti demum talem requirunt in eius vita religionem et pietatem quae pietatem nonaginta novem iustorum superet, quia gaudium explicant ex comparatione fervoris qui in utrisque deprehendatur.

f) Parabola de filio prodigo 15,11-32.

15,11. Ait autem : Homo quidam habuit duos filios; 12. Et dixit adolescentior ex illis patri : Pater, da mihi portionem substantiae quae me contingit. Et divisit illis substantiam. 13. Et non post multos dies, congregatis omnibus, adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam, et ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose. 14. Et postquam omnia consummasset, facta est fames valida in regione illa, et ipse coepit egere. 15. Et abiit, et adhaesit uni civium regionis illius. Et misit illum in villam suam, ut pasceret porcos. 16. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis quas porci manducabant, et nemo illi dabat. 17. In se autem reversus, dixit : Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hio fame pereo! 18. Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam ei : Pater, peccavi in coelum, et coram te. 19. Iam non sum dignus vocari filius tuus : fac me sicut unum de mercenariis tuis. 20. Et

15,11. Εἶπεν δὲ, Ἄνθρωπός τις εἶχεν δύο υἱούς· 12. καὶ εἶπεν ὁ νεώτερος αὐτῶν τῷ πατρὶ, Πάτερ, δός μοι τὸ ἐπιβάλλον μέρος τῆς οὐσίας. ὁ δὲ διεῖλεν αὐτοῖς τὸν βίον. 13. καὶ μετ' οὐ πολλὰς ἡμέρας συναγαγὼν πάντα ὁ νεώτερος υἱὸς ἀπεδήμησεν εἰς χώραν μακρὰν, καὶ ἐκεῖ διεσκόρπισεν τὴν οὐσίαν αὐτοῦ, ζῶν ἀσώτως. 14. δαπανήσαντος δὲ αὐτοῦ πάντα, ἐγένετο λιμὸς ἰσχυρὰ κατὰ τὴν χώραν ἐκείνην, καὶ αὐτὸς ἤρξατο ὑστερεῖσθαι. 15. καὶ πορευθεὶς ἐκολλήθη ἑνὶ τῶν πολιτῶν τῆς χώρας ἐκείνης· καὶ ἔπεμψεν αὐτὸν εἰς τοὺς ἀγροὺς αὐτοῦ βόσκειν χοίρους. 16. καὶ ἐπεθύμει χορτασθῆναι ἐκ τῶν κερατίων ὧν ἤσθιον οἱ χοῖροι· καὶ οὐδεὶς ἐδίδου αὐτῷ. 17. Εἰς ἑαυτὸν δὲ ἐλθὼν ἔφη, Πόσοι μίσθιοι τοῦ πατρός μου περισσεύονται ἄρτων, ἐγὼ δὲ λιμῷ ὧδε ἀπόλλυμαι; 18. ἀναστὰς πορεύσομαι πρὸς τὸν πατέρα μου, καὶ ἐρῶ αὐτῷ, Πάτερ, ἥμαρτον εἰς τὸν οὐρανὸν καὶ ἐνώπιόν σου· 19. οὐκέτι εἰμὶ ἄξιος κληθῆναι υἱός σου· ποίησόν με ὡς ἕνα τῶν μισθίων σου. 20. καὶ ἀναστὰς ἦλθεν πρὸς τὸν πατέρα ἑαυτοῦ. Ἔτι δὲ αὐτοῦ μακρὰν ἀπέχον-

surgens venit ad patrem suum. Quum autem adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, et misericordia motus est, et accurrens cecidit super collum eius, et osculatus est eum. 21. Dixitque ei filius : Pater, peccavi in coelum, et coram te : iam non sum dignus vocari filius tuus. 22. Dixit autem pater ad servos suos : Cito proferte stolam primam, et induite illum, et date annulum in manum eius, et calceamenta in pedes eius. 23. Et adducite vitulum saginatum, et occidite; et manducemus, et epulemur; 24. Quia hic filius meus mortuus erat, et revixit; perierat, et inventus est. Et coeperunt epulari.

25. Erat autem filius eius senior in agro; et quum veniret, et appropinquaret domui, audivit symphoniam et chorum; 26. Et vocavit unum de servis, et interrogavit quid haec essent. 27. Isque dixit illi : Frater tuus venit, et occidit pater tuus vitulum saginatum, quia salvum illum recepit. 28. Indignatus est autem, et nolebat introire. Pater ergo illius egressus, coepit rogare illum. 29. At ille respondens, dixit patri suo : Ecce tot annis servio tibi, et nunquam mandatum tuum praeterivi, et nunquam dedisti mihi haedum ut cum amicis meis epularer; 30. Sed postquam filius tuus hic, qui devoravit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum! 31. At ipse dixit illi : Fili, tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt; 32. Epulari autem et gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, et revixit; perierat, et inventus est.

τος, εἶδεν αὐτὸν ὁ πατὴρ αὐτοῦ, καὶ ἐσπλαγχνίσθη, καὶ δραμὼν ἐπέπεσεν ἐπὶ τὸν τράχηλον αὐτοῦ, καὶ κατεφίλησεν αὐτόν. 21. εἶπεν δὲ ὁ υἱὸς αὐτῷ, Πάτερ, ἥμαρτον εἰς τὸν οὐρανὸν καὶ ἐνώπιόν σου, οὐκέτι εἰμὶ ἄξιος κληθῆναι υἱός σου; ποίησόν με ὡς ἕνα τῶν μισθίων σου. 22. εἶπεν δὲ ὁ πατὴρ πρὸς τοὺς δούλους αὐτοῦ, Ταχὺ ἐξενέγκατε στολὴν τὴν πρώτην, καὶ ἐνδύσατε αὐτὸν, καὶ δότε δακτύλιον εἰς τὴν χεῖρα αὐτοῦ, καὶ ὑποδήματα εἰς τοὺς πόδας· 23. καὶ φέρετε τὸν μόσχον τὸν σιτευτὸν, θύσατε, καὶ φαγόντες εὐφρανθῶμεν· 24. ὅτι οὗτος ὁ υἱός μου νεκρὸς ἦν, καὶ ἔζησεν, ἦν ἀπολωλὼς, καὶ εὑρέθη. καὶ ἤρξαντο εὐφραίνεσθαι.

25. Ἦν δὲ ὁ υἱὸς αὐτοῦ ὁ πρεσβύτερος ἐν ἀγρῷ· καὶ ὡς ἐρχόμενος ἤγγισεν τῇ οἰκίᾳ, ἤκουσεν συμφωνίας καὶ χορῶν· 26. καὶ προσκαλεσάμενος ἕνα τῶν παίδων, ἐπυνθάνετο τί ἂν εἴη ταῦτα. 27. ὁ δὲ εἶπεν αὐτῷ, ὅτι ὁ ἀδελφός σου ἥκει· καὶ ἔθυσεν ὁ πατήρ σου τὸν μόσχον τὸν σιτευτόν, ὅτι ὑγιαίνοντα αὐτὸν ἀπέλαβεν. 28. ὠργίσθη δὲ, καὶ οὐκ ἤθελεν εἰσελθεῖν. ὁ δὲ πατὴρ αὐτοῦ ἐξελθὼν παρεκάλει αὐτόν. 29. ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν τῷ πατρὶ αὐτοῦ, Ἰδοὺ, τοσαῦτα ἔτη δουλεύω σοι, καὶ οὐδέποτε ἐντολήν σου παρῆλθον, καὶ ἐμοὶ οὐδέποτε ἔδωκας ἐρίφιον, ἵνα μετὰ τῶν φίλων μου εὐφρανθῶ. 30. ὅτε δὲ ὁ υἱός σου οὗτος ὁ καταφαγών σου τὸν βίον μετὰ πορνῶν ἦλθεν, ἔθυσας αὐτῷ τὸν σιτευτὸν μόσχον. 31. ὁ δὲ εἶπεν αὐτῷ, Τέκνον, σὺ πάντοτε μετ' ἐμοῦ εἶ, καὶ πάντα τὰ ἐμὰ σά ἐστιν. 32. εὐφρανθῆναι δὲ καὶ χαρῆναι ἔδει, ὅτι ὁ ἀδελφός σου οὗτος νεκρὸς ἦν, καὶ ἔζησεν, καὶ ἀπολωλὼς καὶ εὑρέθη.

In v. 12 D al 7 επιβαλλον μοι syrr go aeth. it vulg quae me contingit, e partem patrimonii mei quae me tangit. In v. 16 χορτασθηναι ℵ B D L R pl minusc, saturari e f sah syr (cu, manducare; hr) aeth; al γεμισαι την κοιλιαν αυτου sin. In v. 17 περισσευονται A B P 1.94. 2 evang; al — ουσιν. In v. 20 r procidit, e superiecit se, a incubuit. In v. 21 add ℵ B D U X al 20 fere ποιησον με etc. uti v. 19; pariter fac me etc. gat eg ken tol. In v. 22 ταχυ ℵ B L X D it vulg go cop syr (sin hr) arm aeth. In v. 24 B εζησεν; al ανεζησεν. In v. 28 ο δε πατηρ ℵ A B D L R X aliq minusc; pater vero mt et vett. plur.; pater autem a, e; al ουν. In v. 29 B εριφιον; al εριφον (D add εξ αιγων); sah cop pullum hoedi; tat servio tibi ut mancipium. In v. 32 e iucundatus sum autem et gavisus sum.

In v. 30 substantiam *tuam* sin c ff² i q eg ken (sin v. 12 dixit minor ad patrem suum : da mihi partem quae mihi contingit ex possessione tua; v. 13 filius eius minor collegit omne quod ei contigit; quia vivebat dissipate cum meretricibus; v. 14 om valida; om et ipse coepit egere; v. 17 quot mercenarii sunt in domo patris mei, quibus abundans est panis; v. 20 et misertus est eius; v. 21 om fac me sicut unum etc.; v. 22 et subligate ei calceos; v. 25 audivit vocem cantus et symphoniae; v. 30 cum dissipasset possessionem tuam cum meretricibus iste filius tuus, mactasti ei etc.; v. 31 fili mi etc.).

Communi consensu hanc parabolam laudant tamquam decus et ornamentum parabolarum, qua summa et veritate et elegantia intimi recessus describantur animi peccatoris resipiscentis et imago nobis proponatur plane divina misericordiae Dei; « inter omnes Christi parabolas haec sane eximia est, plena affectuum et pulcherrimis picta coloribus » (*Lamy*) et bene scribit *Salmeron :* « elegantissima est et efficax ad nos permovendos, quod hominis in peccatum prolabentis rationem et modum praescribat, deinde peccati statum miserabilem ante oculos ponit, postremo quod peccatoris ad Deum reditum graphice et suis coloribus depingat, atque blanditias et favores quibus a peccato resipiscentes Deus excipere solet pulchre enarrat » (tom. 7 tract. 27). Tendit quidem haec quoque parabola eodem quo duae praecedentes; sed alio modo; insuper plura adduntur. Cura Dei in requirendo peccatore in duabus illis depingitur, in hac autem significatur qualis esse debeat vera poenitentia, quae si adsit quanta benignitate Deus resipiscentem et ad se revertentem suscipiat. Uti illae praevenientem Dei gratiam illustrant, ita haec demonstrat quomodo homo eam debeat requirere eique cooperari. In illis notatur gaudium angelorum de conversione, in hac demonstratur immerito fieri obmurmurationem de favoribus in resipiscentem effusis. In superioribus exempla promuntur ex his quae in vitae consuetudine fieri solent; hic vero sine expressa comparatione res narratur veluti semel olim gesta, ex qua relinquitur intelligendum quid significet; est itaque veri nominis parabola (cf. *Ians.*).

Novo quodam modo et alio rem tractari etiam indicatur posito intervallo, cum interponatur v. 11 *ait autem* et ita nova parabola introducatur; *homo quidam habuit duos filios* v. 12 *et dixit adolescentior ex illis patri : pater, da mihi portionem substantiae quae me contingit,* i. e. partem hereditatis quae mihi debetur; ex Deut. 21,17 filius primogenitus accepit cuncta duplicia; vide ad 12,13; proinde cum hic de duobus filiis mentio fiat, bona paterna erant dividenda in tres partes, quarum duas primogenitus habebat. Primogenitus domum agrosque solebat hereditare; filiis aliis certa pecuniae summa solveba-

tur. Quare ad narrationis probabilitatem spectat, ut iunior petat. Et potuit iunior id petere, si v. g. matrimonium inire volebat vel suis opibus negotiari (cf. *Ians. Luc. Calm. Keil*). Verum eum in hac narratione id postulasse liberioris vitae causa sequentia docent. Unde non immerito communiter dicunt et explanant, iuniorem petiisse, utpote qui minus sapiat, qui sit inconstantior minusque ferat alienum imperium et magis ad libertatem aspiret. Id quod utique non statim ab ipsa petitione, sed ex sequentibus colligi potest ac debet. Quia itaque filius rem petebat quam merito petere potuit, pater annuit : *et divisit illis substantiam;* tantum pecuniae solvit iuniori quantum lege ad eum pertinebat i. e. pretium tertiae partis totius possessionis ei attribuit. Cum iam haberet suam hereditatem, restabat ut aut propriam domum cum uxore sibi provideret aut alio modo pecunia sua quaestum faceret; v. 13 *et non post multos dies congregatis omnibus,* omni sua pecunia collecta, *adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam;* ex iis quae dicta sunt id fieri potuit sine ulla reprehensione; at in eo filio rem fuisse omni vituperatione dignam elucet quia abiit quo longe a patris aspectu, longe a notis et amicis, licentius viveret, *et ibi dissipavit substantiam suam,* peculium suum, *vivendo luxuriose* ἀσώτως quod *Euth.* explicat ἀφειδῶς, ἀκρατῶς, ἀκολάστως, prodigaliter, intemperanter, libidinose; proprie perdite (heillos); cf. ἀσωτία Eph. 5,18. Tit. 1,6. 1 Petr. 4,4 de vita dissoluta, de luxuria et Prov. 28,7. 2 Mach. 6,4. Hic utique indoles iunioris panditur plena inconsiderantiae et ad voluptates et lasciviam effusa, quibus ut impune vacaret, in regionem a patria remotam se contulerat. Quanta temeritate et petulantia facultates seu patrimonium profuderit, optime describitur voce διεσκόρπισεν, dissipavit, dilapidavit.

Et prae temulentia et ardore voluptatum omnem sibi providendi rationem neglexit; unde *omnia* insumpsit; v. 14 *et postquam omnia consummasset, facta est fames valida in regione illa* κατὰ per regionem, unde longe lateque regio acri annona premebatur, *et ipse coepit egere;* quod sibi speravit, dum domum relinqueret paternam, non invenit; post brevem voluptatem ingruit miseria summa; v. 15 *et abiit* πορευθείς postquam diu fortasse opem quaerens vagatus est *et adhaesit uni civium regionis illius* ἐκολλήθη, vim vocis bene declarat *Mald.* : « emphaticum esse puto; exprimit enim diligentiam, industriam, artem qua se solent eiusmodi homines miserabiles in domos divitum insinuare, quidvis ut faciant ministerii, tantum ut fame non pereant »; vel, ut *Luc.* ait, improbitate sua et importunitate qua omnibus sese ad herum illum ingerebat eum quasi invitum compulit ad se quovis modo recipiendum (cf. *Ipr. Schanz, Fil. Keil*). De reditu ad patrem nondum co-

gitat; ipse sibi opem ferre conatur; sua industria contra miseriam instantem se tueri studet. Qui noluit parere patri benevolentissimo, inhumano domino se summis precibus in servitium dare non dubitat. Verum ab eo et contemnitur et plane negligitur : *et misit illum in villam suam* (noluitne eius aspectum et praesentiam ferre?), *ut pasceret porcos*, animalia Iudaeis immunda; significat sermo extremam miseri servitutem, cui indignissima praecipiuntur (*Euth.*). Filius ingenuus patris nobilis ad servitium Iudaeis adeo turpe et ignominiosum adigitur.

Neque hic est miseriae finis seu limes : v. 16 *et cupiebat implere ventrem suum de siliquis quas porci manducabant et nemo illi dabat;* tanto contemptu et abiectione habetur et ab hero et a servis, ut ne rabidae eius fami quidem aliquo modo provideant, quamvis turpe et molestum praestet servitium. « Quam apte miserabilem et famelicum hominem depingit; non dicit : cupiebat edere, nec : cupiebat saturari[1], quia etiam qui famelici non sunt edere ac saturari cupiunt; sed dicit : cupiebat implere ventrem. Solent enim qui admodum famelici sunt cupere vacuum omnino ventrem vel re qualibet implere nec ullum ciborum habere discrimen, modo rabidam famem sedent » (*Mald. Luc.*). Porcis tamquam cibus praebebantur siliquae, κεράτια i. e. fructus arboris ceratoniae siliquis digitalibus inclusi, qui fructus corniculi speciem referunt et dulces sunt et ab hominibus pauperibus quoque manducabantur. A Syris fructus vocatur charub, inde χάρουβα Graecis recentioribus, caroba Italis, algaroba Hispanis, Gallis carouge (cf. *Salmeron, Mald. Lamy, Calm. Bochart*, Hierozoicon I lib. 2 cap. 56) et Germanis Frucht des Johannisbrodbaumes. Qui itaque ex famulis pastum hunc porcis praebebant, nihil eiusmodi cibi famelico eorum pastori permittebant, qui fame laborabat.

In summam itaque miseriam redactus demum incipit conditionem suam lamentabilem recogitare v. 17 *in se autem reversus,* felix calamitas quae compellit ad resipiscentiam (*Luc.*) *dixit : quanti,* quot, *mercenarii in domo patris mei abundant panibus* περισσεύονται abunde iis providetur de panibus; *ego autem hic fame pereo!* Vexatio dat intellectum (cf. Is. 28,19); v. 18 *surgam et ibo ad patrem meum et dicam ei : pater, peccavi in coelum et coram te,* ἐνώπιον σου *Euth.* explicat εἰς σέ in te, ut qui tuam voluntatem posthabui meae; in coelum i. e. in Deum qui sedem suam habet in coelo et de coelo in hominum res gestas invigilare concipitur. Hebraismo coelum dici pro Deo iam suspicatus est *Mald.*, cuius usus exempla plura dedi in Comment. Matth. I p. 119.

1. Quod legitur in aliquibus codd. χορτασθῆναι, videtur esse correctio quaedam pro γεμίσαι etc., quod nonnemini crudius dici videbatur; quare γεμίσαι retinent Ti. Schanz, Weiss, Keil etc.

Vita sua luxuriosa et dissipatione patrimonii peccavit in Deum; etiam patri intulit iniuriam, dum filius degener ut suis indulgeret voluptatibus ab eo recedebat; insuper misera eius conditio iam satis per se eum accusabat. Agnitio peccati eiusque confessio primus est ad resipiscentiam et veniam gradus. Accedit spes quam concipit ex notione patris, qui pro paternis visceribus culpam fatentem non abiiciet, accedit magna animi demissio v. 19 *iam non sum dignus vocari filius tuus; fac me sicut unum de mercenariis tuis,* eo ordine et conditione ut recipiatur flagitare proponit quo habentur mercenarii; iam non praesumit ad filii locum et dignitatem apud patrem aspirare; verum etiam statum mercenarii se non mereri nisi paterna dignatione testatur (*Beda*); placabilis est sermo et cor attingens paternum (*Euth.*).

Et quod bene proposuit bene exsequitur v. 20 *et surgens venit ad patrem suum;* sequitur iam elegans et accurata benigni et misericordis patris descriptio (*Mald.*); *cum autem adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius,* unde, sicut Anna mater Tobiae quotidie de loco eminentiore prospiciens adventum filii magno desiderio opperiebatur (Tob. 11,5), ita pater desiderans et sperans filii reditum saepe lustravit regionem oculis, uti facere solet qui anxie exspectat tardius venientem, *et misericordia motus est,* viscera, animus intime miseratione commovebantur videntis filium appropinquantem squalidum, macie confectum, nudipedem, *et accurrens cecidit super collum eius et osculatus est eum;* prae nimio gaudio non exspectavit ut ille veniret, sed prius obviam it neque id utcumque, sed accurrens δραμών, ut appareat amoris vehementia (*Euth.*); neque ei exprobrat fugam, non eum obiurgat, non minatur poenam; immo vero necdum auditis filii precibus statim ruit in collum eius et, uti affectus maximi sine verbis prodi solent, tacens eum deosculatur, κατεφίλησεν i. e. multum et impense eum osculatus est; v. 21 *dixitque ei filius : pater, peccavi in coelum et coram te;* se accusat; culpam suam fatetur; unde in tam miseram conditionem pervenerit palam verbisque maxime significantibus edicere non veretur, ne forte pater existimet rebus adversis vel a latronibus eum esse ad istam pauperiem redactum; *iam non sum dignus vocari filius tuus;* cur non addit alterum quod sibi proposuerat : fac me etc.? patrem sermonem eius interrupisse, prout narratio scribitur dici nequit; neque dici potest eum quidem omnia dixisse sed Lucam non perscripsisse omnia ratum fore, ut ex iis quae recitavit cetera etiam quae non recitavit eum dixisse intelligeremus (*Mald.*); nam tota res gesta non consistit nisi in sola narratione, utpote parabola; ergo praeter narrationem aliud esse actum vel dictum supponere non licet. Alii putant id eum non adiecisse quia eadem notio iam contineatur verbis : iam non sum dignus (ita inter

alia *Luc. Schegg*); melius tamen dicetur cum *Cai.* : absorptus a paterna benignitate et tamquam iaciens se totum in paternam gratiam nihil petit, sed solum confitetur peccatum et indignitatem; et cum tantam videret effusionem amoris paterni, nonne fere diffidentiae esse videretur a tali patre petere ut saltem in mercenariorum loco reciperetur? quare post osculum (*S. Aug. Beda*) et patris benignitate quasi obrutus (*Ipr.*) accepto iam reconciliationis pignore illud praetermittit (*Salmeron, Mald.*); nam, ut *Mald.* notat, solet frequenter accidere, ut cum aliquo acturi plura dicere constituamus, quae postea cum eo agentes, quia videmus necessaria non esse, non dicamus. Eum non omnia dixisse quia stupor et singultus vocem interceperit, *Ians.* censet probabile; verum tacente narratione id nequit asseri, prout dici nequit patrem ipsum eius orationem abrupisse (cf. *Schanz, Fil.*). Quare quaestionem ea de re bene concludit *Mald.* : quid enim rogaret patrem, ut ab eo tamquam mercenarius reciperetur qui se iam tamquam filium receptum videbat?

Et quem reducem significatione tenerrimi amoris ut filium suscepit carissimum, eum externo quoque habitu statim in filii dignitate et nobilitate constitui iubet v. 22 *dixit autem pater ad servos suos : cito proferte stolam primam,* vestem longam, talarem, quae nobiles deceat, eamque τὴν πρώτην i. e. τὴν τιμιωτάτην (*Euth.*), pretiosissimam, optimam (*Cai. Mald. Calm. Schegg, Bisp. Schanz, Fil. Keil, Weiss, Sp.*) *et induite illum et date annulum in manum eius,* « qui ornatus est hominis liberi et locupletis » (*Luc. Mald.*); cf. Gen. 38,18. Num. 31,50. 3 Reg. 21,8. Iudith 10,3. Esth. 3,10; 8,2. Is. 3,21. Ier. 22,24 etc., *et calceamenta in pedes eius;* simili modo Iosephus eductus e carcere ornatus est, indutus stola byssina et annulo regio donatus (Gen. 41,42; *Calm.*). Dein gratulationis causa propter reditum filii convivium sollemne instrui iubet v. 23 *et adducite vitulum saginatum et occidite et manducemus et epulemur* εὐφρανθῶμεν, epulantes laetemur, v. 24 *quia hic filius meus mortuus erat et revixit, perierat et inventus est;* ratio redditur cur deceat singulari modo laetari et festum agere diem. Quo sensu censendus sit pater ea dixisse disceptant; membra esse parallela, mortuum esse et periisse, revixisse et inventum esse, eadem significatione esse capienda consentiunt omnes. Verum alii verba accipiunt de conditione animi et moribus : qui per culpam prodigalitatis et luxuriae mortuus erat, per poenitentiam ad veram vitam rediit (cf. *Euth. Alb. Bon. Cai. Lap. Schegg, Schanz, Fil. Weiss*); alii autem assentiuntur S. Chrysostomo qui scribit : tanto a nobis tempore segregatus, fame et dedecore ac summis conflictatus malis laborabat; propterea dicit : perierat etc. (de poenit. hom. 1,4, *M.* 49,283); perierat mihi, mihi re-

vixit (*Ians. Luc. Ipr. Bisp.*) et *Calm.* advertit servitutem, aerumnas, moerorem, exsilium apud Hebraeos mortis appellatione designari; qui ex his emerserit dici redivivum. Ad quod confirmandum addi potest quod legitur Gen. 45,27. Os. 6,3 et Ezechielem exsilium populi et reditum depingere per ossa arida et resurrectionem ad novam vitam (cap. 37). Et cum pater coram servis loquatur, in ipsa narratione qua tali hic sensus erit retinendus. Occasione igitur reditus adeo desiderati et gaudii singularis *coeperunt epulari* εὐφραίνεσθαι laetari.

Interea dum haec agerentur v. 25 *erat filius eius senior in agro*, occupatus colendis agris paternis; quibus verbis iam insinuatur causa quaedam invidiae et querimoniae quae sequitur; *et cum veniret et appropinquaret domui, audivit symphoniam et chorum*, concentum musicum et saltantium choros; convivia enim celebrari solebant ita ut ad delectationem convivarum adhiberentur musica et saltationes quae illis spectantibus agebantur (cf. Eccli. 32,5; 49,2. Matth. 14,6) v. 26 *et vocavit unum de servis et interrogavit quid haec essent*, quid haec sibi vellent; v. 27 *isque dixit illi : frater tuus venit et occidit pater tuus vitulum saginatum quia salvum illum recepit* ὑγιαίνοντα sanum; en quomodo servus verba illa in v. 24 intellexerit. Alii quidem qui verba illa de moribus accipiunt hoc loco laudant iudicium et prudentiam servi quippe qui bene perspexerit non esse decens et conveniens, ut servus ita de filio loquatur quemadmodum pater, ideoque explicaverit gaudium patris non uti pater, sed prout servum loqui deceat. Quod tamen nonnemini subtilius dictum esse facile videri potest; v. 28 *indignatus est autem et nolebat introire*, eius animus exulceratus bene depingitur eo quod nolebat ad convivium intrare; *pater ergo*, pater autem (vide lect. var.) *illius egressus coepit rogare illum* παρεκάλει eum alloquio et adhortatione placare studebat et rogare ut gaudii communis socium se redderet v. 29 *at ille respondens dixit patri suo : ecce tot annis servio tibi et nunquam mandatum tuum praeterivi et nunquam dedisti mihi hoedum, ut cum amicis meis epularer;* v. 30 *sed postquam filius tuus hic*, non eum suum vocat fratrem indignabundus, sed contemptim suggerit patri quam praeclarum filium adeo celebret, *qui devoravit substantiam suam cum meretricibus* acerbe fratrem perstringit id quod turpissimum est crude proferens; cum emphasi graece ὁ καταφαγών σου τὸν βίον *tuas* opes; « videtur illud ἐμφατικώτερον et odiosius quam tertiae personae pronomen; peius est enim alienam substantiam abligurire quam propriam » (*Luc.*); insuper eo modo alia patri obiicitur ratio, cur minime debuerit adeo festive filium nequam suscipere; *venit, occidisti illi vitulum saginatum*. Oratio eius mirum in modum animum pandit acerbum : ego tot annis servio, ut augeam facultates

tuas, ille brevi tempore dissipat eas idque pessimo et prorsus infami modo; ego nunquam mandatum tuum sum transgressus, ille cum meretricibus tuas opes prodegit; mihi ne hoedum quidem, rem minoris pretii dedisti, illi vitulum non qualemcumque sed τὸν σιτευτόν unum illum quem habuisti in stabulo saginatum, rem multi pretii, occidisti; mihi ne praemiolum quidem ullum unquam obtulisti, illi pessime merito maxima amicitiae et laetitiae argumenta exhibuisti. Ita igitur singula singulis opponens patrem iniuste agere animo amaro conqueritur (cf. *Luc.*).

Clementer et placide hanc acerbam expostulationem pater excipit; non redarguit superbam obmurmurationem, ne magis eum exasperet, sed blandis verbis eum placare et lenire conatur v. 31 *at ipse dixit ei : fili* τέκνον blanda est compellatio, quasi fili mi carissime, *tu semper mecum es et omnia mea tua sunt;* explicat cur ad fratris adventum per breve tempus singulari ratione gaudendum sit, quae ratio apud ipsum qui nunquam recesserit non reperiatur; tu semper laude dignus mecum versaris, cuncta quae possideo tua sunt; en multis numeris praestas prae alio. At in fratre peculiaris invenitur causa cur semel pro aliquo momento laetitia sit manifestanda v. 32 *epulari autem* εὐφρανθῆναι laetari *et gaudere oportebat, quia frater tuus hic,* qua appellatione ille uti noluit, eadem pater eum monet quanta pro eo quoque exsistat ratio gaudendi, nisi omnem humanitatis sensum exuerit, *mortuus erat et revixit, perierat et inventus est;* nonne ab ipsa natura insitum est, ut gaudio exsultemus, si carissimum quemque ex magno periculo ereptum videmus, si quem morte iamiam abripiendum lamentati sumus, vivum ac sanum recipimus? Quid si alius de tali gaudio offensus se neglectum putaret? nonne stulte eum offendi iudicarent omnes?

Quo parabola tendat et quibus a superioribus distinguatur, supra dictum est. Restat ut accuratius aliqua expendantur. Quinam in duobus filiis adumbrentur non est una omnium sententia. Duos designari populos, gentes in filio iuniore, Iudaeos in altero aliqui existimant (cf. *Tertull.* de pudicit. 9; *M.* 2,998; *Ambr. Aug.* quaest. evang. 2,33; *M.* 35,1344; *Cyr. Bed. Calm. Bisp. Grimm*); vel in iuniore describi publicanos et peccatores (15,1), in seniore pharisaeos (cf. *Cord. Sylv.Fil.*), vel quae est sententia plurimorum, in iuniore exhiberi peccatores qui ad poenitentiam convertantur, et in seniore iustos (cf. *S. Chrys.* de poenit. hom. 1,4; *M.* 49,283; *Bon. Theoph. Euth. Cai. Mald. Ians. Luc. Ipr. Lap. Cord. Salmeron, Schegg, Schanz* atque eo modo quoque explicaverat olim *Tertullianus* de poenit. 8 antequam ad sectam Montanistarum transiret). Tres has acceptiones iam proposuit *S. Hier.* epist. 21 (ad Damasum; *M.* 22,388 seq.). Sed ni magna parabolae pars negli-

gatur, in filio seniore Iudaeorum populus non potest designari, neque pharisaei quamvis horum obmurmuratio etiam in hac parabola perstringatur. Nam neque de populo iudaico neque de pharisaeis valet quod senior de se affirmat[1], neque valet quod pater de eo dicit; et insuper seniorem ea vere de se asserere (proinde non posse intelligi eos qui se iustos iactent) iterum patet ex patris responsione. Proinde ea explicatio est amplectenda, in qua Deus pater vere dicere possit: tu semper mecum es et omnia mea tua sunt. Id autem valet de innocente, de iusto qui nunquam a Dei amore graviter peccando recessit. Cum iunior filius in domo paterna diu vivat, etiam eo nequit populus gentilis primo vel praecipue significari, sed exhibetur nobis is qui a gratia Dei per peccatum excidit ideoque in regionem longinquam abit i. e. peccato a Deo separatur.

Opes quas iunior dissipat in applicatione explicari possunt de donis et beneficiis Dei et gratiis quibus peccator abutitur peccata addendo peccatis. Quam utiles et beneficae sint res adversae et calamitates, ut peccator ex temulentia voluptatum excitetur, nobis depingitur in fame illa exorta qua ad extremam miseriam redactus incepit resipiscere. Illud *et coepit egere* bene depingit peccatis quidem brevem afferri voluptatem, at innatum illud beatitatis desiderium minime expleri immo inanitate illa summum creari festidium ac taedium. Quod in v. 15. 16 narratur, summam depingit peccatoris miseriam, servitutem, ignominiam. Patre benevolentissimo relicto sese addicit et adhaeret hero qui minime eius curam habet, verum ad vile servitium eum amandat neque cibum ei providet. Haec quoque facilem habent applicationem, dum miserabilis conditio peccatoris exprimitur. Sed de singulis accuratius quaerere non est consultum. Plerique quidem in cive illo vident diabolum, cuius servum se faciat peccator et a quo pessime tractetur (cf. *S. Hier. Aug. Asterius* in cat. Cord. *Bed. Bon. Theoph. Euth. Cai. cat. Cr. Ians. Salmeron, Lap. Bisp.*); at notari oportet iuvenem in necessitate constitutum non seligere ad vitam sustentandam rem in se peccaminosam v. g. latrocinium, sed quaerere, ut suo labore victum sibi paret; constituitur pastor porcorum, quod negotium quamvis nobile non sit honestum tamen est et a viro probo omnino subiri potest. Quare puto nimium progredi eos qui in hero et in porcis cernant adumbrari servitutem turpissimam quam daemonibus in dies magis exhibeat peccator. Etiam in siliquis haud raro dicunt adumbrari voluptates turpes et carnales; sed cum nemo ei dederit siliquas, res potius

1. Neque dici potest quod pluribus post S. Aug. placuit, mandatum solum intelligi illud de uno Deo colendo.

bene ageretur cum peccatore, si omnis occasio fornicationis, ebrietatis etc. ei adimeretur. Ergo ad summum nobis proponeretur is qui solis pravis desideriis peccet, sed ad explenda desideria prava non perveniat. Sufficit itaque ita explicare, ut peccator rebus adversis, calamitatibus, inopia, ad resipiscentiam et suae miseriae considerationem adducatur.

In tali itaque egestate constitutus meminit bonorum in domo paterna v. 17; fide et spe animatus peccator humiliter agnoscit et fatetur culpam, paratus mercenarii loco in domo paterna versari i. e. paratus ad laborem poenitentiae et satisfactionis. In patre autem qui vidit venientem cum adhuc longe esset, optime nobis Deus describitur qui non vult mortem peccatoris sed ut convertatur et vivat, qui proinde gratia sua praeveniente saepe peccatorem ad resipiscentiam exstimulat. Et dum pater filio occurrit, in eius ruit amplexum, eum osculatur, summa Dei depingitur misericordia et clementia qua recipit resipiscentem; « o admirandam reconciliationem! quid dicam aut quid loquar de ineffabili Dei benignitate? nam ubi ad immensum illius pelagus respicio, sermo mihi praeciditur, neque quid loquar mihi reliquum est; solum autem hoc clara ac libera voce clamo, quod res magnas efficit poenitentia, facile eum flectens, qui facilis est ut flectatur, benignum videlicet Deum nostrum » (*Euth.*). Peccatorem restitui apud Deum in statum et conditionem filii nobis in v. 22 exhibetur; vestes pretiosae quibus induitur, facile et obvium sunt symbolum gratiae sanctificantis qua anima iusti exornatur. Sunt qui stolam *primam* explicent pristinam, quali scil. filius uti consueverat cum domi esset (cf. *Theoph. cat. Cr. Salm. Ians. Luc. Cord. Lamy, Lap.*); id quidem recte applicari potest ad reconciliationem iusti qui in peccatum prolapsus est; at in ipsa parabola stola *prima* ea notione nequit accipi; deberet enim dici stolam eius primam; quare *prima* vocatur quia est pretiosissima (cf. *Euth. Cai Mald. Calm. Schegg, Bisp. Schanz, Fil. Weiss, Keil, Sp.*). In annulo haud incongrue cerni potest symbolum sacrae illius desponsationis qua anima per gratiam sanctificantem fiat sponsa Christi (cf. *Bed. Bon.*). Convivium autem lautum et sollemne quod instruitur propter filium reducem, cum tale nunquam celebratum sit propter filium seniorem, re ipsa idem significat quod Christus verbis antea dixerat : *maius* esse gaudium in coelo de uno peccatore poenitente quam de nonaginta novem iustis (v. 7). Tale convivium instruitur semel, mox transit, sicut pastor ille v. 6 et mulier v. 9 semel convocant ad congaudendum; quare ipsis narrationibus rebusque gestis exprimitur quo sensu sit *maius* gaudium, neque tali gaudio eos qui semper in innocentia permanserint quasi inferiore quodam loco haberi.

In isto convivio cerni dapem eucharisticam satis quidem obvium videtur; et revera longe plurimi in vitulo saginato et mactato Christum pro peccatis oblatum agnoscunt; cf. *S. Ambr.* in Luc. h. l. et de poenitentia 2,3; *M.* 16,500; *Aug. Hier. Cyr. Macarius* in cat. Cord. *cat. Cr. Bed. Bon. Theoph. Euth. Cai. Ians.* (qui omnium consensu sanctum Christi corpus designari ait) *Salmeron, Ipr. Sylveira, Lap. Reischl,* et ante hos omnes *Tertullianus* de pudicitia cap. 9. Quae tamen applicatio cum narratione stare nequit, quia dein consequenter dici oporteret, filium seniorem i. e. iustum nunquam vel eucharistiam percepisse vel Christi pro peccatis oblati participem fuisse. Quare hoc loco quam maxime valet quod *Mald.* monet, qui fatetur quidem omnes omnino auctores vitulum saginatum interpretari, attamen addit: non errabit meo quidem iudicio, qui stola, annulo, calceamentis, vitulo saginato hoc unum significari dicit, quod parabolae conclusionem esse diximus: esse maius gaudium etc.; hoc simplex sed certum est; cetera ingeniosa quidem, sed incerta; tutissimum est, quod saepe monui, non nimis presse tractandas esse parabolas; frangi saepe tractando, solereque hic accidere quod proverbio dici solet, ut qui nimium emungit, sanguinem eliciat. Atque haec quidem *Mald.;* pariter dicit *Calm.* ad vitulum signatum: inepte quaeras in singulis parabolae partibus allegoriam. Unde merito omittunt eam applicationem *Luc. Bisp. Schegg, Schanz.* Apte autem et vere dici potest Deum saepe peccatori converso magnam largiri dulcedinem et consolationem spiritualem; est quippe adhuc infirmus; quo itaque facilius illecebras et lenocinia voluptatum spernat, Deus ei delicias spirituales concedit quas probationis causa sanctis et in virtute firmis saepe negat vel multo minores impertit. Ex quo agendi modo etiam expostulatio filii senioris intelligi potest.

Sed si in filio seniore iustus describitur et innocens, quomodo ille indignatur et cum patre expostulat? Verum considerari oportet haec: et primo quidem talem addi ad parabolam partem necesse erat ad dedocendos pharisaeos eosque perstringendos et ut declararetur nihil perire iustis, etsi Deus maxima miseratione peccatores amplectatur. Dein utilissimum quoque documentum ea parte traditur Iudaeo-christianis, quod si advertissent non murmurassent eo quod gentiles in regnum messianum admitterentur (cf. *Salmeron, Ians. Lap. Lamy, Bisp.*). Quare in parabola murmur erat exprimendum et demonstrandum eius causam non esse rectam ac Deo placentem. Inde autem non inferri potest viros iustos durius cum Deo expostulare. Praeterea ista narratione quanta sit Dei in peccatores benignitas illustratur; est scil. tantus in eos favor, ut ipsi iusti quodammodo materiam murmurationis et

invidiae habere posse videantur vel etiam aliquo modo tangantur invidia (cf. *S. Cyr. Theoph. Cai. Ians. Mald. Luc. Ipr. Salmeron, Lap.*). In quam rem notat *Theoph.* : « dicit igitur Dominus per hanc parabolam pharisaeis : esto, vos iusti sitis, sicut filius ille; ne obmurmuretis ob laetitiam quam habemus propter peccatoris salutem. Itaque non apparet invidia, sed Dominus pharisaeorum mentes instruit, ut etiamsi ipsi iusti essent et omnia mandata Dei perfecissent gravate ferre non deberent suscipi peccatores. Porro tanta est Dei benignitas et tam liberaliter bona communicat, ut indignatio et obmurmuratio inde nasci possit » (*cat. Cr.*). Neque immerito aliqui remittunt ad Matth. 20,11 (cf. *Salmeron, Mald.*) et murmurationem illorum qui post diei laboris pondus et aestum tantum accipiunt quantum ii qui una hora in vinea laborarunt; nam eorum quoque murmuratio pertinet ad solam parabolam (neque enim murmurabunt ii qui aeterna mercede donabuntur), sed erat necessario inducenda, ut responsioni heri et explicationi parabolae daretur opportunitas (cf. Comment. Matth. II p. 177). Idem hoc loco quoque obtinet. Existimat *Schegg* murmurationem explicandam esse ex illa veterum sanctorum admiratione et querela de felicitate peccatorum et de afflictionibus iustorum. At haec perperam huc ingeri clarum est; nam filius peccator erat miserrimus; felix evadit conversione; filius senior iustus semper versans cum patre et cuncta patris sua quoque reputans non est figura iusti afflictionibus vexati et probati. Quare « aenigma » quod videt senior filius in receptione iunioris non est simile « aenigmati Iobi, Habacuc (1,1. 3) aliorumque prophetarum ».

g) Parabola de villico 16,1-13.

16,1. Dicebat autem et ad discipulos suos : Homo quidam erat dives, qui habebat villicum; et hic diffamatus est apud illum quasi dissipasset bona ipsius. 2. Et vocavit illum, et ait illi : Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuae : iam enim non poteris villicare. 3. Ait autem villicus intra se : Quid faciam, quia dominus meus aufert a me villicationem? fodere non valeo, mendicare erubesco. 4. Scio quid faciam, ut quum amotus fuero a villicatione, recipiant me in domos suas. 5. Convocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dicebat primo : Quantum debes domino meo?

16,1. Ἔλεγεν δὲ καὶ πρὸς τοὺς μαθητάς, Ἄνθρωπός τις ἦν πλούσιος, ὃς εἶχεν οἰκονόμον· καὶ οὗτος διεβλήθη αὐτῷ ὡς διασκορπίζων τὰ ὑπάρχοντα αὐτοῦ. 2. καὶ φωνήσας αὐτὸν εἶπεν αὐτῷ, Τί τοῦτο ἀκούω περὶ σοῦ; ἀπόδος τὸν λόγον τῆς οἰκονομίας σου· οὐ γὰρ δύνῃ ἔτι οἰκονομεῖν. 3. εἶπεν δὲ ἐν ἑαυτῷ ὁ οἰκονόμος, Τί ποιήσω, ὅτι ὁ κύριός μου ἀφαιρεῖται τὴν οἰκονομίαν ἀπ' ἐμοῦ; σκάπτειν οὐκ ἰσχύω καὶ ἐπαιτεῖν αἰσχύνομαι. 4. ἔγνων τί ποιήσω, ἵνα, ὅταν μετασταθῶ ἐκ τῆς οἰκονομίας, δέξωνταί με εἰς τοὺς οἴκους ἑαυτῶν. 5. καὶ προσκαλεσάμενος ἕνα ἕκαστον τῶν χρεοφειλετῶν τοῦ κυρίου ἑαυτοῦ, ἔλεγεν τῷ πρώτῳ, Πόσον

6. At ille dixit : Centum cados olei. Dixitque illi : Accipe cautionem tuam; et sede cito, scribe quinquaginta. 7. Deinde alii dixit : Tu vero quantum debes? Qui ait : Centum coros tritici. Ait illi : Accipe litteras tuas, et scribe octoginta. 8. Et laudavit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset, quia filii huius saeculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.

9. Et ego vobis dico : Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, quum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula. 10. Qui fidelis est in minimo, et in maiori fidelis est; et qui in modico iniquus est, et in maiori iniquus est. 11. Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis, quod verum est quis credet vobis? 12. Et si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis? 13. Nemo servus potest duobus dominis servire : aut enim unum odiet, et alterum diliget; aut uni adhaerebit, et alterum contemnet. Non potestis Deo servire et mammonae.

ὀφείλεις τῷ κυρίῳ μου; 6. ὁ δὲ εἶπεν, Ἑκατὸν βάτους ἐλαίου. ὁ δὲ εἶπεν αὐτῷ, Δέξαι σου τὰ γράμματα, καὶ καθίσας γράψον ταχέως πεντήκοντα. 7. ἔπειτα ἑτέρῳ εἶπεν, Σὺ δὲ πόσον ὀφείλεις; ὁ δὲ εἶπεν, Ἑκατὸν κόρους σίτου. λέγει αὐτῷ, Δέξαι σου τὰ γράμματα καὶ γράψον ὀγδοήκοντα. 8. καὶ ἐπῄνεσεν ὁ κύριος τὸν οἰκονόμον τῆς ἀδικίας, ὅτι φρονίμως ἐποίησεν· ὅτι οἱ υἱοὶ τοῦ αἰῶνος τούτου φρονιμώτεροι ὑπὲρ τοὺς υἱοὺς τοῦ φωτὸς εἰς τὴν γενεὰν τὴν ἑαυτῶν εἰσίν.

9. Καὶ ἐγὼ ὑμῖν λέγω, Ἑαυτοῖς ποιήσατε φίλους ἐκ τοῦ μαμωνᾶ τῆς ἀδικίας, ἵνα, ὅταν ἐκλίπῃ, δέξωνται ὑμᾶς εἰς τὰς αἰωνίους σκηνάς. 10. Ὁ πιστὸς ἐν ἐλαχίστῳ καὶ ἐν πολλῷ πιστός ἐστιν· καὶ ὁ ἐν ἐλαχίστῳ ἄδικος καὶ ἐν πολλῷ ἄδικός ἐστιν. 11. εἰ οὖν ἐν τῷ ἀδίκῳ μαμωνᾷ πιστοὶ οὐκ ἐγένεσθε, τὸ ἀληθινὸν τίς ὑμῖν πιστεύσει; 12. καὶ εἰ ἐν τῷ ἀλλοτρίῳ πιστοὶ οὐκ ἐγένεσθε, τὸ ἡμέτερον τίς δώσει ὑμῖν; 13. Οὐδεὶς οἰκέτης δύναται δυσὶ κυρίοις δουλεύειν· ἢ γὰρ τὸν ἕνα μισήσει, καὶ τὸν ἕτερον ἀγαπήσει· ἢ ἑνὸς ἀνθέξεται, καὶ τοῦ ἑτέρου καταφρονήσει. οὐ δύνασθε θεῷ δουλεύειν καὶ μαμωνᾷ.

In v. 2 δυνη ℵ B D P al plus 10 Ti W H, potes e ff² go; add a amplius. In v. 6 eg* q gat batos, ken bados, a vatos; b c ff² q r gat dub literas. In v. 7 a cautionem. e l chirografum. In v. 8 add post fecisset D διο λεγω υμειν, b c e l gat eg med ken dixit autem ad discipulos suos; a r dub dixit autem ad d. s. dico vobis; gat eg ept (marg) prudentiores... in vita, a gente, e saeculum. In v. 9 εκλιπη ℵ* ca B* D L R Π 1. Ti W H; al εκλειπη A B³ X 69. al; a e defecerit vobis; similiter syr (sin sch) arm aeth Cyr; al εκλιπητε. In v. 9.11 plcr codd vulg *mamona*; in v. 11 dabit vobis Iren a b eg. In v. 12 ημετερον B L 21 evang Or; meum e i l Tert; al υμετερον (sin v. 2 et vocavit eum dominus eius etc.; nam non potes mihi amplius esse villicus; v. 3 circumire erubesco; v. 5. 6 pauca verba restant; v. 7 centum coros tritici, et sedit cito scribens eos 80 (et sedens cito scribe?); v. 8 prudentes sunt filii saeculi huius in generatione sua prae filiis lucis; v. 10 qui enim in parvo fidelis est etc.; v. 12 vestrum quis dabit vobis; v. 13 neque enim servus potest etc.).

Ad quid haec parabola tendat Christus ipse clare docet v. 9. Nexum si statuere volueris cum antecedentibus, fortasse dicere poteris, ut in filio prodigo abusus ostendatur divitiarum, ita nunc earum doceri usum bonum ad salutem consequendam et in sequenti parabola inter alia exhiberi poenam quae in altera vita helluoni opibus abutenti reservetur. Cum publicani inter auditores adstarent (cf. 15,1 et 16,14), iis simul via patefit qua illam consequi possint misericordiam quam in antecedente parabola depictam vident. Unde sicut Christus iam supra

11,41 eleemosynam commendavit, ita nunc quoque, prout ait *S. Cyr.*, divitibus rationem salutis consequendae ostendit; v. 1 *dicebat autem et ad discipulos suos*, i. e. ad eos qui in eum credebant, pie eum audiebant (*Mald. Lap.*) neque tamen ut apostoli omnibus relictis eum sequebantur (*cat. Cr. Euth.*) : *homo quidam erat dives qui habebat villicum* οἰκονόμον « sive dispensatorem, hoc enim οἰκονόμος significat; villicus autem proprie villae gubernator est, unde et a villa villicus nomen accepit; οἰκονόμος autem tam pecuniae quam frugum et omnium quae dominus possidet dispensator est. Unde et οἰκονομικός Xenophontis pulcherrimus liber est qui non gubernationem villae, sed dispensationem universae domus (Tullio interpretante) significat » (*S. Hier.* ep. ad Algas. 6; *M.* 22,1018; eodemque modo dispensatorem explicant *Salmeron, Cai. Mald. Ians. Luc. Ipr. Lamy, Calm.* et recentiores); *et hic diffamatus est apud illum quasi dissipasset bona ipsius* ὡς διασκορπίζων tamquam qui dilapidet bona et opes heri delatus est; adhibetur διαβάλλειν et de iis qui falso accusant et de iis qui verum dicentes ex malitia et invidia alium criminis reum deferunt (cf. LXX Dan. 3,8; 6,24). Utro sensu hic dicatur non omnes consentiunt; sed ex v. 3 satis concludi potest dispensatorem se reum fateri, neque supponere licet herum sine ulla criminis probatione apud se firmiter statuisse ut eiiceret dispensatorem qui hac iniustitia iratus ad vindictam et fraudem sit inductus; verum id sine ullo narrationis indicio assumeretur; v. 2 *et vocavit illum et ait illi : quid hoc audio de te* i. e. quid est hoc quod de te audio (cf. *Schanz;* cuius rei exempla multa afferunt *Schegg, Weiss*); minus apte quandoque explicant : cur, quomodo hoc audio de te; *redde rationem villicationis tuae*, tuae administrationis, dispensationis; *iam enim non poteris villicare;* dominus itaque accusationem veram esse deprehendit.

Et ipse dispensator satis prodit se crimen non posse amoliri (*Ipr.*) v. 3 *ait autem villicus intra se : quid faciam quia dominus meus aufert a me villicationem? fodere non valeo*, ad laborem vires non habeo nec usum, *mendicare erubesco*, scil. tamquam vir eousque in munere honorifico constitutus et nobilis. Ad agrestia opera se putat delicatiorem; stipem petere pudore prohibetur. In qua deliberatione tandem cogitatione repentina percellitur quam laeta exclamatione approbat v. 4 *scio*, ἔγνων in mentem venit, *quid faciam, ut cum amotus fuero a villicatione recipiant me in domos suas;* et quale consilium ipsi in mentem venerit, ex sequentibus declaratur. Nota quam bene narratio conformetur ad modum loquendi secum ac deliberandi quem homines in conditionibus eiusmodi adoptare solent; v. 5 *convocatis itaque singulis debitoribus domini sui* ἕνα ἕκαστον unumquemque accersivit; duo itaque solum exempli causa enumerantur; *dicebat primo : quantum debes*

domino meo? v. 6 *at ille dixit : centum cados olei* βάτους, mensura hebr. בַּת capiens 72 sextarios secundum Iosephum (Antiq. 8,2. 9); bath continet sex hin, hin duodecim log, log sex ova gallinacea communia; ac proinde bath 432 ova; ita rabbini computant (cf. *Luc.*); recentiores non consentiunt, dum alii pro bath assignant 39,5 lit. nostrae mensurae, alii solum 20,12 lit. Quaestione hac et responsione vult dispensator debitori graviter in memoriam revocari quantum debeat, quo facta remissione maiorem habeat gratiam; *dixitque illi : accipe cautionem tuam et sede, cito scribe quinquaginta;* aliam cito ab eo scribi iubet syngrapham (τὰς τῶν ἐφλημάτων ἀποκοπὰς ποιεῖν *S. Cyr.* et ita *Ians. Luc. Ipr. Lap. Schanz*); cum enim in eiusmodi documento omnis erasio quam maxime moveat suspicionem, non est probabile numeros esse solum mutatos vel si finxeris litteris hebraicis esse eos designatos pro ק positum esse נ; v. 7 *deinde alii dixit : tu vero quantum debes? qui ait : centum coros tritici,* ὁ κόρος aequat decem medimnos atticos (cf. *Iosephus,* Antiq. 15,9. 2), est hebr. כֹּר vel חֹמֶר maxima mensura aridorum aequans decem epha (ergo etiam decem bath); *ait illi : accipe litteras tuas et scribe octoginta;* huic etiam plura remittit, quia quinta haec pars tanto maior est illa dimidia quanto ducenta bath excedunt quinquaginta. Et simili modo eum cum aliis quoque debitoribus egisse relinquitur intelligendum (*Luc.*).

Quandoque putant illos debitores fuisse colonos conductores qui hero tale vectigal annuum solvere debebant; cum enim, uti arguunt, dispensator ille cuperet per totam vitam ab iis iuvari ac sustentari, non sufficit supponere solum semel talem factam esse remissionem. Verum in ea sententia fraus fuisset nimis aperta, quia herus vectigalis annui colonorum non potuit adeo esse ignarus, ut dispensator tale attentaret subito immutare cum periculo proximo et certo e spe sua prorsus excidendi hero eiusmodi remissionem rescindente statim. Sed se latere posse omnino poterat sperare, si illi mercatores eiusmodi merces per ipsum dispensatorem acceperint quas quot essent herus ignoravit. Neque opus est statuere eam esse narrationis vim et significationem in v. 5 ut ille quamdiu viveret ab iis aleretur; verbis satisfit, si per aliquod tempus donec aliud munus vel aliam administrationem receptum iri sperat. — Quomodo herus rem cognoverit cum ad parabolae doctrinam non pertineat non refertur v. 8 *et laudavit dominus* i. e. herus (cf. *Ians Mald. Ipr. Calm. Bisp. Schanz, Fil.* etc.), non ipse Christus, ac si haec verba iam essent evangelistae (uti volunt *Erasmus, Lamy*) *villicum iniquitatis,* non fraudem laudat, sed eius prudentiam vel potius calliditatem, *quia prudenter fecisset* utens ea quam statim perditurus erat auctoritate ad sibi in posterum providendum.

Iam Christus ex ea narratione qua in dispensatore utique filius huius saeculi depingitur doctrinam colligere incipit : *quia filii huius saeculi* i. e. homines mundo dediti et suis cupiditatibus et voluptatibus intenti *prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt;* mundus, cuius princeps est diabolus, dicit peccatum, ignorantiam et neglectum Dei; iam hisce tenebris spiritualibus mundi opponuntur ii qui ad regnum Dei pertinent, qui ideo filii lucis dicuntur, quia Deus est lux et omnis sanctitas et beatitudo, sicut vera cognitio, lucis nomine declaratur (cf. quae dixi ad Is. 26,19); sunt autem illi prudentiores εἰς τὴν γενεὰν τὴν ἑαυτῶν, quando agunt inter se. Et sunt prudentiores filiis lucis, quatenus callidiores sunt ad prospiciendum sibi de iis quae ad praesens saeculum et ad commodum vitae spectant quam filii lucis ad curandum et providendum id quod ad vitam aeternam pertinet (*Ians.;* sim. *S. Bon. Euth. Theoph.*); mali namque, ut ait *Salmeron,* pro suis cupiditatibus exsaturandis magis sunt industrii et prudentes quam sancti et iusti pro Dei gloria illustranda vel pro sua salute operanda (sim. *Mald. Luc. Ipr. Calm. Schanz*); sunt scil. sagaces ut prospiciant rebus suis, ut bene sibi consulant in futurum, id quod exemplo illius dispensatoris probatur. Pauci explicant eos esse prudentiores filiis lucis in rebus iisdem et filios lucis in rebus mundanis ab iis vinci; ita *Cai. :* innumeras astutias et versutias exercent filii huius saeculi pro hac vita quas filii lucis ignorant (similiter *Meyer, Weiss*). Sed bene notat *Luc.* hanc non esse mentem Christi, qui scil. taxare voluerit iis verbis socordiam filiorum Dei, quod superari se sinerent a saeculi hominibus in promovendis rebus, non saeculi, sed lucis; « iusti non tam prudentes sunt in bonum quam illi in malum, ut praecaveant detrimentum omne bonorum suorum spiritualium, ut evitent quamcumque animae laesionem, ut provideant sibi de bonorum operum copia et prospiciant in vitam futuri saeculi ».

Alterum quod Iesus ea narratione docet enuntiatur v. 9 *et ego vobis dico : facite vobis amicos de mammona iniquitatis;* « pulchre autem iniquum mammona dixit quia variis divitiarum illecebris nostros avaritia tentabat affectus, ut velimus servire divitiis » (*S. Ambr.*); sunt quippe divitiae adminicula iniquitatis (cf. *Calm. Bisp. Fil.*), sunt fallaces (cf. Matth. 13,22; *Lap.* inter alia); *S. Bon.* dici iniquitatis, quia pariant divitiae iniquitatem, nisi detur de iis eleemosyna, *S. Hier.* aliique, quia saepe iniquitate collectae sint. Ipso nomine indicat Christus periculum quod in divitiis latet; quare eo quoque nomine rationem innuit validam, ut quis bene adhibeat divitias. De mammona vide ad Matth. 6,24. Adhortatur itaque, ut et periculum divitiarum avertatur et maxima bona acquirantur largitione eleemosynarum, *ut cum de-*

feceritis, ὅταν ἐκλίπῃ si mammona defecerit, si cessaverit, si vos opibus destituti eritis in morte, vel (ut alii malunt) si cum rerum omnium fine desierit, *recipiant vos in aeterna tabernacula*, qua dictione pulchra habetur oppositio ad v. 4 et id quod ille dispensator cupiebat; ex eodem v. 4 etiam colligendum est, eos qui *recipiant* esse amicos quos quis sibi comparaverit. Sed bono divitiarum usu amici acquiri possunt vario modo; si impenduntur ad cultum Dei promovendum et gloriam, ad evangelii praedicationem et propagationem iuvandam, ipse Deus, Christus inter amicos recensendi erunt; similiter si ad honorem angelorum vel sanctorum augendum expenduntur, hi nominandi sunt amici; si ad paupertatem aliorum sublevandam, ad xenodochia sustentanda etc. pie ac religiose adhibentur, ipsi pauperes erunt amici, immo Christus quoque ipse secundum id quod dicit : quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis mihi fecistis (Matth. 25,40). Ipsi quoque pauperes dici possunt nos recipere quatenus precibus pro benefactoribus fusis impetrant, ut hi pro Dei gratia mercedem accipiant coelestem et quatenus ipsa opera bona pauperibus impensa eiusmodi praemium merentur. Quare merito monet *Mald.* duo ex hoc loco colligi et merita nostra et sanctorum pro nobis suffragia (cf. *Ians. Bisp. Schanz, Fil.*).

Ad quid tendat parabola, praecipue in v. 9 declaratur. Verum facile alia quoque doctrinae documenta inde habentur. Ita quod monet *S. Hier.* : « si ergo dispensator iniqui mamonae domini voce laudatur quod de re iniqua sibi iustitiam praepararit, et passus dispendia dominus laudat dispensatoris prudentiam quod adversus dominum quidem fraudulenter, sed pro se prudenter egerit, quanto magis Christus qui nullum damnum sustinere potest et pronus est ad clementiam laudabit discipulos suos si misericordes fuerint »? Dein obvie fluit applicatio nos non esse bonorum temporalium dominos, sed solum administros et dispensatores et propterea poscendam aliquando a nobis exactam rationem; quare curandum summopere, ut ea secundum Domini voluntatem dispensemus. Pariter, ut ille dispensator prudenter sibi prospexerit in futurum, ita nobis incumbere ut omni cura vitam nostram aeternam in tuto collocemus. — Quae sit praeiudicatarum opinionum vis, inde videre est quia aliqui, uti *Meyer*, *Weiss*, ex verbis Christi concludunt nullum meritum inesse eleemosynis; alii, uti *Godet*, *Sp.*, hisce clarissime omne meritum excludi, neque enim esse meritum dare ex iis quae sint alterius; alii uti *Oosterzee*, *Sp.* acute observant ad meritum excludendum : amicos recipere solum in aeterna tabernacula, neque vero illa dare.

Quaerunt etiam quis sit homo ille dives in parabola descriptus. Alii ipsum mammon vel mundum, vel diabolum, vel Romanos intelligunt, plerique Deum (cf. *Schanz*, *Weiss*). At Deum non posse intelligi, patet ex v. 8, patet ex fraude in herum commissa, patet quia dispensator sibi prospicit cum e servitio heri se dimissum iri propter dilapidationem bonorum

eius cognoverit; quae omnia nullam habent ad Deum Dominum applicationem. Etiam alia non posse dici mox deprehendes, si singula in parabola posita ad illa via et ratione referre volueris. Ita *Schegg* mundum cernit in illo divite homine, qui mundus distribuat bona temporalia omniaque ad voluptates adminicula et subsidia, ut haec secundum normam a mundo propositam dispensentur. Ille autem dispensator bona temporalia adhibet et administrat ex norma a Christo praescripta; quare mundus irascitur eique bona adimit, sicut saepe Christiani bonis suis spoliati sunt. Dein in v. 5 seq. videt Schegg id fieri ad quod Iesus iuvenem divitem invitaverit; dari bona pauperibus et describi quanta fortitudine et firmitate bonus ille dispensator nuntium mundo remittat et ab eius amicitia audacter et longissime recedat. Fateor me non assequi qua ratione haec sit parabolae explicatio.

Ex aliis explicationibus unam commemorabo : publicanos qui a pharisaeis habeantur fures, peccatores, homines omni contemptu digni, saepe esse homines probos, prudentes, misericordes. Hanc esse parabolae vim ac significationem. Quod ut suadeatur primum statuitur illum οἰκονόμον esse colonum cui ager a domino elocatus sit ea conditione, ut domino solvat partem frugum; de oleo quidem partem dimidiam, de tritico quattuor quintas partes, reliqua sibi retineat (de qua elocandi ratione cf. *Lightfoot* ad 16,1). Dein istum colonum falso esse apud herum accusatum et herum falsis delatoribus aurem praebuisse; quare rationem esse exactam ab illo statim; hero praesente accedere debitores; inter eos duos gravi debito onustos et cum solvendo non essent pares moestos ac tristes; eos rogari coram hero; et iuberi alterum scribere quinquaginta, alterum octoginta; id vero fieri quia ille οἰκονόμος partem frugum quae sibi iure debeatur donet debitoribus; qua liberalitate herus obstupefactus laudet οἰκονόμον eumque virum fidum et prudentem agnoscat. — Plura hic arbitrarie supponi quae ex ipsa narratione accipi nequeunt manifestum est. Ita conditiones sub quibus ager elocatus sit eruuntur quia supponitur in v. 6 et 7 oeconomum suam partem donare debitoribus. Sed ea assumptione committitur, ut logici aiunt, circulus vitiosus vel petitio principii. Neque ea in explicatione intelligitur v. 3 et 4; nam si quamvis administratione iamiam sit privandus tamen adhuc iure ei debeantur quinquaginta cadi olei et viginti cori tritici, illa deliberatio v. 4 est valde mira; facilius sibi ipse poterit providere si suam rem retinet quam si eam debitoribus (quos afflictos esse patresfamilias in ea explicatione asseritur) dono dederit. Quare haec explicatio, quae proponitur in Studien et Kritiken 1858 p. 532 seq. pariter repudianda est; alias vide l. c. 1829 p. 699; 1831 p. 776; 1834 p. 313; 1842 p. 1012; 1865 p. 725; 1875 p. 656; etiam plura de hac parabola scripta *Weiss* enumerat.

Adhortationem quam ex parabola deduxit Iesus etiam alio modo fulcit et commendat docens malum bonorum temporalium dispensatorem se privare plurimis donis ac beneficiis quae alioquin a Domino

esset accepturus. Hoc ostensurus praemittit sententiam proverbialem qua id quod plurimum usu venire solet significatur v. 10 *qui fidelis est in minimo et in maiori fidelis est, et qui in modico iniquus est et in maiori iniquus est;* ille scil. in minimo qui fidelis est dignus est cui plura committantur, quia et in illis se fidelem praebebit; e contra qui in modico se praestat iniustum, illi maiora a nullo facile committentur, cum nulla appareat spes fore ut in re magna sibi ab iniustitia temperet, e contra re maiore magis quoque cupiditas accenditur. Et ad quid tendant eiusmodi sententiae statim aperit v. 11 *si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis* i. e. non secundum Dei voluntatem administrastis et dispensastis, qua re probatur fidelis administer, *quod verum est quis credet vobis?* i. e. quomodo fieri posset, ut verae divitiae, bona spiritualia vobis crederentur? simili modo arguit apostolus : si quis domui suae praeesse nescit, quomodo ecclesiae Dei diligentiam habebit, i. e. curam geret ἐπιμελήσεται; 1 Tim. 3,5, *Salm. Ians. Ipr.;* verum dicitur illud bonum quod semper manet (*S. Bon.*), quod in divinorum donorum ubere largitione consistit (*S. Cyr.*) et eodem fere modo v. 12 *et si in alieno fideles non fuistis,* dicuntur divitiae alienae, « neque enim divites nati sumus, sed nudi potius » (*S. Cyr. Ambr. Bon. Theoph.*), sunt alienae, externae, quae nec nobiscum nascuntur nec morientes nos comitantur (*Salm.*) nec apud eum manent qui eas assecutus est (*Euth.*) et quae pleno iure non possidentur, cum minimo momento vel ipsae nobis vel nos ipsis eripiamur (*Ians.*) vel potius, cum qui eas habent non domini earum sint, sed dispensatores (*Luc.*); sunt eo quoque sensu alienae, quia facile regno Dei et civibus eius evadere possunt inimicae ac nocivae (*Schanz*), *quod vestrum est quis dabit vobis?* τὸ ἡμέτερον (quae lectio difficilior videtur et propter ὑμῖν quoque correctioni occasionem dare potuit), loquitur dominus regni et bonorum coelestium; si *vestrum* retinemus haec bona spiritualia tamquam nobis destinata a Deo et proposita designantur. Sed melius certe convenit, ut dominus dicatur asserere, se non traditurum esse *sua* bona iis qui in alienis administrandis se non fideles exhibuerint. Proinde si quis bona haec terrestria non adhibet secundum Dei voluntatem (et proinde non se praebet *fidelem* eorum administratorem), is sibi ipsi impedimento est ne vera bona spiritualia a Deo consequatur.

Et quantopere necesse sit ut quis divitias administret secundum Dei voluntatem, ulterius illustratur v. 13 *nemo servus potest duobus dominis servire,* praesertim si eorum mandata inter se contraria sunt; *aut enim unum odiet et alterum diliget, aut uni adhaerebit et alterum contemnet : non potestis Deo servire et mammonae,* servit enim mammonae qui ad opes conquirendas omne iniustitiae, oppressionis, avaritiae

genus avide adhibet, qui divitias ad voluptates explendas convertit. Quae utique servitus uti dicit amorem mammonae, ita odium et contemptum Dei. Hoc itaque exemplum, ut *S. Cyr.* dicit, quam maxime congruit doctrinae in antecedentibus propositae; sunt enim duo isti domini qui hominum obsequium expetunt, contrariis voluntatibus praediti et inconciliabilem inter se gerunt sententiam; qui ergo uni voluerit esse fidelis, alterum relinquet et odio habebit. Ceterum vide ad Matth. 6,24, quo loco eadem sententia apte quoque ad orationem contextam habetur; quare dubitari potest rectene censeat *Mald.* eam apud Matthaeum alieno loco, apud Lucam suo loco poni. Cur non potius utrimque suo loco? nam eiusmodi sententias quibus vita hominum adeo necessario regitur Christum saepius inculcasse, certe non videtur a vero alienum.

h) De divite et Lazaro 16,14-31.

16,14. Audiebant autem omnia haec pharisaei, qui erant avari; et deridebant illum. 15. Et ait illis : Vos estis, qui iustificatis vos coram hominibus : Deus autem novit corda vestra; quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum. 16. Lex et prophetae, usque ad Ioannem; ex eo regnum Dei evangelizatur, et omnis in illud vim facit. 17. Facilius est autem coelum et terram praeterire, quam de lege unum apicem cadere. 18. Omnis qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, moechatur; et qui dimissam a viro ducit, moechatur.

19. Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura et bysso; et epulabatur quotidie splendide. 20. Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, ulceribus plenus, 21. Cupiens saturari de micis quae cadebant de mensa divitis; et nemo illi dabat; sed et canes veniebant, et lingebant ulcera eius. 22. Factum est autem ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahae. Mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno. 23. Elevans autem oculos suos, quum esset in tormentis, vidit Abraham a longe, et Lazarum in sinu eius; 24. Et ipse cla-

16,14. Ἤκουον δὲ ταῦτα πάντα οἱ Φαρισαῖοι φιλάργυροι ὑπάρχοντες, καὶ ἐξεμυκτήριζον αὐτόν. 15. καὶ εἶπεν αὐτοῖς, Ὑμεῖς ἐστὲ οἱ δικαιοῦντες ἑαυτοὺς ἐνώπιον τῶν ἀνθρώπων, ὁ δὲ Θεὸς γινώσκει τὰς καρδίας ὑμῶν· ὅτι τὸ ἐν ἀνθρώποις ὑψηλὸν βδέλυγμα ἐνώπιον Κυρίου. 16. Ὁ νόμος καὶ οἱ προφῆται μέχρι Ἰωάνου· ἀπὸ τότε ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ εὐαγγελίζεται, καὶ πᾶς εἰς αὐτὴν βιάζεται. 17. Εὐκοπώτερον δέ ἐστιν τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν παρελθεῖν, ἢ τοῦ νόμου κερέαν μίαν πεσεῖν. 18. Πᾶς ὁ ἀπολύων τὴν γυναῖκα αὐτοῦ καὶ γαμῶν ἑτέραν μοιχεύει· καὶ ὁ ἀπολελυμένην ἀπὸ ἀνδρὸς γαμῶν μοιχεύει.

19. Ἄνθρωπος δέ τις ἦν πλούσιος, καὶ ἐνεδιδύσκετο πορφύραν καὶ βύσσον, εὐφραινόμενος καθ' ἡμέραν λαμπρῶς. 20. πτωχὸς δέ τις ὀνόματι Λάζαρος ἐβέβλητο πρὸς τὸν πυλῶνα αὐτοῦ εἱλκωμένος, 21. καὶ ἐπιθυμῶν χορτασθῆναι ἀπὸ τῶν πιπτόντων ἀπὸ τῆς τραπέζης τοῦ πλουσίου· ἀλλὰ καὶ οἱ κύνες ἐρχόμενοι ἐπέλειχον τὰ ἕλκη αὐτοῦ. 22. ἐγένετο δὲ ἀποθανεῖν τὸν πτωχὸν, καὶ ἀπενεχθῆναι αὐτὸν ὑπὸ τῶν ἀγγέλων εἰς τὸν κόλπον Ἀβραάμ· ἀπέθανεν δὲ καὶ ὁ πλούσιος, καὶ ἐτάφη. 23. καὶ ἐν τῷ ᾅδῃ ἐπάρας τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ, ὑπάρχων ἐν βασάνοις, ὁρᾷ Ἀβραὰμ ἀπὸ μακρόθεν, καὶ Λάζαρον ἐν τοῖς κόλποις αὐτοῦ. 24. καὶ αὐτὸς

mans dixit : Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. 25. Et dixit illi Abraham : Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. 26. Et in his omnibus, inter nos et vos chaos magnum firmatum est : ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare. 27. Et ait : Rogo ergo te, pater, ut mittas eum in domum patris mei; 28. Habeo enim quinque fratres : ut testetur illis, ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum. 29. Et ait illi Abraham : Habent Moysen et prophetas : audiant illos. 30. At ille dixit : Non, pater Abraham; sed si quis ex mortuis ierit ad eos, poenitentiam agent. 31. Ait autem illi : Si Moysen et prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

φωνήσας εἶπεν, Πάτερ Ἀβραάμ, ἐλέησόν με, καὶ πέμψον Λάζαρον, ἵνα βάψῃ τὸ ἄκρον τοῦ δακτύλου αὐτοῦ ὕδατος, καὶ καταψύξῃ τὴν γλῶσσάν μου· ὅτι ὀδυνῶμαι ἐν τῇ φλογὶ ταύτῃ· 25. εἶπεν δὲ Ἀβραάμ, Τέκνον, μνήσθητι ὅτι ἀπέλαβες τὰ ἀγαθά σου ἐν τῇ ζωῇ σου, καὶ Λάζαρος ὁμοίως τὰ κακά. νῦν δὲ ὧδε παρακαλεῖται, σὺ δὲ ὀδυνᾶσαι. 26. καὶ ἐν πᾶσι τούτοις, μεταξὺ ἡμῶν καὶ ὑμῶν χάσμα μέγα ἐστήρικται, ὅπως οἱ θέλοντες διαβῆναι ἔνθεν πρὸς ὑμᾶς μὴ δύνωνται, μηδὲ ἐκεῖθεν πρὸς ἡμᾶς διαπερῶσιν. 27. Εἶπεν δέ, Ἐρωτῶ σε οὖν, πάτερ, ἵνα πέμψῃς αὐτὸν εἰς τὸν οἶκον τοῦ πατρός μου, 28. ἔχω γὰρ πέντε ἀδελφούς· ὅπως διαμαρτύρηται αὐτοῖς, ἵνα μὴ καὶ αὐτοὶ ἔλθωσιν εἰς τὸν τόπον τοῦτον τῆς βασάνου. 29. λέγει δὲ Ἀβραάμ, Ἔχουσι Μωυσέα καὶ τοὺς προφήτας· ἀκουσάτωσαν αὐτῶν. 30. ὁ δὲ εἶπεν, Οὐχί, πάτερ Ἀβραάμ· ἀλλ' ἐάν τις ἀπὸ νεκρῶν πορευθῇ πρὸς αὐτούς, μετανοήσουσιν. 31. εἶπεν δὲ αὐτῷ, Εἰ Μωυσέως καὶ τῶν προφητῶν οὐκ ἀκούουσιν, οὐδ' ἐάν τις ἐκ νεκρῶν ἀναστῇ πεισθήσονται.

In v. 14 και οι φαρισαιοι A P X Γ Δ Λ Π unc 9 al pler go; amatores pecuniae a dub; cupidissimi (e) et amatores pecuniae r. In v. 15 ενωπιον κυριου B 243. al pauc; rell του θεου; sublime a b; excelsum e. In v. 16 add D 13 evang 17 evang επροφητευσαν; similiter eg prophetaverunt; a omnes in illud festinant, e conatur; l et qui iniuriam faciunt diripiunt illud (ex Matth. 11,12, uti ℵ^{c} quoque). In v. 19 D praemittit ειπεν δε και ετεραν παραβολην; similiter M (marg) evangelistaria; tat et coepit dicere; e honestus, iucundabatur. In v. 20 τις sine ην ℵ B D L P* X aliq minusc; item pauper autem quidam a e f sah cop arm aeth; c e cav tol eleazarus; non ponitur ος ℵ B D L X a e i sah cop arm aeth. In v. 21 solum των πιπτοντων ℵ* B L Ti W H; de his quae cadebant b c ff^{2} i l m q sah syr (sin hr) Clem Dial Amb Gaub; add aliq minusc και ουδεις εδιδου αυτω; item l m car tol wil steph sixt syr (hr, in intercolumnio additum est manu non recenti, de Lagarde) et nemo illi dabat. Varia est lectio latina in fine v. 22 et in initio v. 23 : et sepultus est in inferno elevans oculos ff^{2} q big cav dub med ken tol harl; et sep. est et in inferno elevans b f; et sep. est apud inferos et de inferno elevans a; syr (hr) et sep. est et cecidit in scheol, et cum esset in scheol; tat et sep. est et cum torqueretur in inferno; add D αναπαυομενον, b c e m q r arm requiescentem. In v. 24 e uror; item tat ev hier; et e in v. 25 ureris. In v. 26 εν ℵ B L; in it pler vulg; al επι; a super omn. istis, e super ista omnia, m super haec omnia; pler οι εκειθεν; om οι ℵ* B D W H. In v. 27 pater *Abraham* ev hier mt; item D X, Aug bis ponit. In v. 30 add persuadebit eis et poenit. c ff^{2} i l m r b q tol. In v. 31 add D αναστη και απελθη προς αυτους, item similiter it (ierit, abierit ad eos); audient ev hier r; persuadebuntur c (sin v. 14 deridebant eum quia amabant pecuniam; v. 19 indutus erat purpura et veste bona et quotidie oblectavit se, v. 20 nihil de ulceribus habetur; v. 22 portabant eum angeli; v. 25 dixit ei Abraham : sed recordare etc. v. 31 et si quis ex mortuis veniet, non credunt ei).

Iesus cum a pharisaeis irrideretur prius eos exagitat ostendens eos esse abominationem coram Deo idque ex eo probat quod regnum Dei oppugnant (v. 14-18); dein rediens ad argumentum de divitiis parabola proposita docet supplicium horrendum manere eos qui opibus ad luxum abutuntur, dum summa egestate consolatio aeterna acquiri possit. Quae parabola uti ad pharisaeos quoque spectat, ita in ultima parte aperte indicat pharisaeos non esse credituros maximo illi resurrectionis miraculo, quod Christus mox in Lazaro, dein in se ipso erat patraturus.

Pharisaei amantes divitiarum quas immo praetextu longarum orationum sibi comparabant (cf. Matth. 23,14) ultimam Iesu sententiam non posse Deum diligi ab eo qui amet divitias ferre non possunt; clare perspiciunt se perstringi quoque et cum se omnino pios et Deo acceptos iudicent talem doctrinam tamquam aperte absurdam irridٍent; ipsi enim contrariae doctrinae luculentissimum exemplum praebent optime inter se convenire summum religionis studium et amorem divitiarum; v. 14 *audiebant autem omnia haec pharisaei qui erant avari* φιλάργυροι pecuniae amantes, cupidi et Iesus cum emphasi loquitur de mammona iniquitatis! *et deridebant eum* ἐξεμυκτήριζον gravem omnino dicit contumeliam et ludificationem; significatur enim, ut *Cai.* bene dicit, species derisionis quae naso fit; gestu enim vultus monstrabant irrisionem, eum naso suspendebant (*Ipr.*), subsannabant quasi contracto naso (*Lap.* qui apte confert illud Horatii : ignotos naso suspendit adunco). Putant quandoque eos talem contemptum Christo exhibuisse etiam ideo quod ipse, utpote pauper, adhortaretur divites ad opes distribuendas pauperibus (cf. *Ians. Schegg*) vel quod divitias vocaret iniquas, cum tamen lege mosaica rerum omnium copia promitteretur Dei cultoribus et Abraham et David aliique sancti fuissent clari opibus (cf. *Bed. Theoph. Cai. Ians. Luc. Ipr. Schegg, Schanz, Fil.*).

Tali autem contemptu ostenso et utilitatem doctrinae apud eos qui audiebant magnopere impediebant et se ipsos quasi longe sapientiores et iustiores Christo iactabant. Quare Christus non omittit iis larvam detrahere et quam foedi sint coram Deo gravissimis verbis declarare v. 15 *et ait illis : vos estis qui iustificatis vos coram hominibus;* iis scil. apparent tamquam viri religiosi ac iusti; ipsi quoque ut tales se iactant et ostentatione pietatis eam sibi famam conciliare cordi habent (cf. Matth. 6,2-5); *Deus autem novit corda vestra,* « insinuatio est qua plus dicitur quam significatur, nempe corda ipsorum iniquitatis plena esse; ea figura uti solemus vulgo, cum indicare aliquod occultum et tam magnum volumus, ut aut explicare nequeamus aut timeamus ne fidem superet » (*Mald. Luc.*); qua locutione simul eo-

rum pulsat conscientias (cf. 11, 39). Iudicium vero Dei saepissime plane contrarium esse ei quod homines ferunt ita enuntiat, ut pharisaei intelligere debeant se eo magis apud Deum esse abominationi quo magis apud homines admirationi sint, *quia quod hominibus altum est,* admirabile et summo in pretio, tamquam excelsum et sublime reputatur, *abominatio est ante Deum;* redditur causa diversitatis divini humanique iudicii; scil. quod frequenter accidat, ut quod homines admirantur Deus reprobet (*Mald. Ians. Luc.*); id quod multis declarari potest, sapientia enim mundana magna quaedam ac suspicienda res est apud homines, apud Deum vero teste apostolo stultitia; et hominibus sublime quiddam est abundare divitiis, honorari ab omnibus, prae se ferre rebus externis, vestitu, observatione caerimoniarum sanctitatem; at tales ob fastum et simulationem coram Deo sunt detestabiles (*Ians.*).

Dein iis qui legis observantiam superbe iactant exprobrat quod e contra ipsi legem quam maxime negligant, evertant v. 16 *lex et prophetae usque ad Ioannem;* hisce scil. regnum Dei praeparabatur (cf. *S. Cyr. Euth.*) et qui iis credit, teste Christo etiam evangelio fidem adhibebit (cf. Ioan. 5,46); ad eam praeparationem accessit annuntiatio regni Dei adeo clare et potenter facta et a Ioanne et a Christo et ab apostolis quos Christus misit ad praedicandum : *ex eo* ἀπὸ τότε a tempore quo exstitit Ioannes baptista, *regnum Dei evangelizatur;* quid vero tali apparatu quo praeparabatur per legem et prophetas, quid annuntiatione tam potenti apud pharisaeos effectum est? nihil aliud nisi ut continuo regnum Dei impugnent et *omnis* eorum scil. de quibus et contra quos sermo est *in illud vim facit,* illud animo hostili oppugnat (vide quae adnotavi ad Matth. 11,12); certum est βιάζεσθαι etiam significare vi irruere in aliquem, alicui vim inferre (cf. LXX Deut. 22,25. Esth. 7,8), quae notio hic apprime congruit, cum pharisaei ubique se praebeant adversarios Christi et populum ab eo avertere omni studio conentur et hoc loco insuper acrem apud Dominum incurrant reprehensionem. Eodem sensu verba accipit *Calm.* : « minime recens est vestra in veritatem pugna; maiores vestri quam male in prophetas saevierunt, divinasque leges quantopere conculcavere! venit Ioannes Messiae adventum nuntians; illum quo pacto excepistis? quam multa de illo estis oblocuti? ipse ego Dei nomine regnum Dei praedico; prodigia facio qualia nemo edidit Ioan. 15,24, quales vero vos mihi exhibuistis? me nimirum insectamini, meque et dogmata mea damnatis, in me denique insanissime saevituri ». Id quod Christus pluribus illustrat Matth. 11,16 seq.

Eo vero maiore reprehensione digni sunt, quia si essent quales se se iactant, amatores et vindices ac defensores legis, maxime esse de-

berent a partibus Christi. Christus enim doctrina et institutis suis veram legi vindicat auctoritatem et perennitatem, cum illam et impleat et ad veram adducat perfectionem v. 17 *facilius est autem coelum et terram praeterire quam de lege unum apicem cadere* i. e. perire, fieri irritum vel carere impletione. En haec norma valet et viget in regno quod Iesus praedicat, et tamen qui se legis amantissimos ostentant id acerrime impugnant! Quo autem sensu verum sit potius fieri posse ut coelum et terra intereant (quae tamen non interibunt, cum novi coeli et nova terra promittantur 2 Petr. 3,13) quam ut quidquam excidat legis, pluribus exposui ad Matth. 5,18. Atque statim subdit eius rei demonstrationem ex uno exemplo depromptam v. 18 *omnis qui dimittit uxorem suam et alteram ducit moechatur et qui dimissam a viro ducit moechatur;* quo exemplo duo conficit ad rem praesentem aptissima; prius enim ostendit a se veram illam statui sanctitatem et revocari quae in lege reluceat (cf. Gen. 2,24. Prov. 5,18; 7,5; 12,4; 18,22; 19,14. Eccl. 9,9. Eccli. 7,21. Mal. 2,14. 15); divortium enim solum concessum est propter duritiem cordis (Matth. 19,8); itaque a vera illa integritatis specie quam lex proponit alienum est. Dein hanc de sanctitate matrimonii inviolabili doctrinam enuntians acriter perstringit multorum pharisaeorum libidinem et levitatem qua divortia frequenter faciebant. Qui enim placita sequebantur rabbi Hillel, propter causam minimam uxorem dimittebant : si esculenta mariti nimia salsedine aut nimia tostione male conficiat uxor, dimittenda est (ita schola hilleliana), et rabbi Akiba (saeculo primo) dixit : si quis mulierem videat uxore formosiorem, uxorem dimittere licet, quia dictum est : si gratiam non assequatur in oculis eius (cf. *Lightfoot* ad Matth. 5,31; *Wünsche* ad eundem locum; *Grimm,* Einheit der Evang. p. 445). Atque *Iosephus* de se narrat uxorem a se esse dimissam iam ter matrem, quia eius mores sibi displicuissent (Vita 76). Itaque Christus illam reprobans consuetudinem adulteros eos esse docet qui magnam sibi coram omnibus vindicabant sanctitatem eosque confusione obrutos ad silentium adigit.

Verum quis sit horum verborum v. 16-18 contextus, apud interpretes alios aliter explicatur, immo fuerunt qui ullum reperiri posse contextum vel ullam sermonis cohaerentiam negarent et talem quaerendi conatum plane inutilem declararent (ita de Wette, Bleek, Strauss, Holtzmann, Weizsaecker, quos *Schanz, Weiss* enumerant); immo censet Palm Lucam cum vellet parabolam in novo folio scribere, spatium praecedentis autem non relinquere vacuum, sine ullo ordine quaedam Domini effata aliunde nota adscripsisse (cf. *Schegg* p. 476). Etiam *Mald. Lap.* censent haec ea occasione quam Lucas assignare videtur a Domino non esse dicta, cui sententiae alii quoque accedunt (*Schegg, Schanz*). Alii autem putant a v. 16 Christum refellere phari-

saeos obtendentes legem et praetexentes abundantiam omnium rerum esse piis Dei cultoribus promissam; « quibus ille occurrens ostendit inter legem et evangelium sicut promissionum, ita et praeceptorum non minimam debere esse distantiam et maiora quidem propter regnum coelorum, minora vero propter regnum terrarum imperari ab eodem Deo » (*Bed. Luc.*). Similiter *Theoph.* nexum statuit : Christus docet paupertatem, divitias vocat iniustum mammona, lex vero benedictiones et in divitiis dat; ne quis itaque irridens dicat : quid tu dicis? contrarius es legi? propterea dicit : lex et prophetae usque ad Ioannem habuerunt tempus. Neque aliter *Cai. Ians. Ipr. Luc. Lamy,* statum veteris testamenti durasse usque ad Ioannem; at ex eo tempore iam non terrena promitti; non esse mirandum, si maiora et perfectiora exigat, cum in regno Dei lex perfecte sit adimplenda; ne se traducerent tamquam legis contemptorem addidisse v. 17. Aliter *S. Bon. Alb.,* qui putant legis abolitionem et cessationem pharisaeis indicari ne supercilium erigant et glorientur de sua observantia legalium, quippe quae quantum ad litteram et figuram cessent (v. 16) et solum maneant quantum ad intelligentiam spiritualem. Omnino aliter *Schegg;* existimat enim v. 16-18 iam non pertinere ad Christi responsionem quam pharisaeis deridentibus det, verum ad parabolam antecedentem : aeterna tabernacula vel regnum Dei quod a diebus Ioannis annuntietur appeti quidem magno desiderio ab omnibus (?); at non esse existimandum legem iri abolitum, verum fore ut reddatur perfecta, ita quidem ut qui dimiserit uxorem et aliam duxerit adulterii reus habeatur. Alii in v. 16 rationem reddi arbitrantur, cur pharisaei sint abominationi coram Deo; iam quidem novum rerum ordinem incipere, in quo lex secundum suam pristinam integritatem et sanctitatem restituatur, cuius exemplum in v. 18 habeatur (*Bisp. Meyer, Godet*). Sed *Weiss* hisce censet praeparari alteram sequentis parabolae partem, qua exponatur quomodo lex et prophetae suadeant et doceant poenitentiam adeoque indicari legem et prophetas suo modo quoque consistere ac valere facta praedicatione evangelica.

Cum in lege (Deut. 24,1 seq.) divortium concedatur libello repudii scripto, non satis accurate dicitur adduci v. 18 tamquam argumentum vel exemplum pro legis duratione (cf. *Bed. Schanz, Fil. Meyer, Keil*); sed profertur potius ut ostendatur quomodo integritas morum perfectiore doctrina a Christo in tuto collocetur (cf. *S. Bon. Cai. Ians. Luc. Lamy, Bisp.*). Angustius quoque v. 17 concipiunt qui id solum enuntiari censent ea quae de Messia, de populi Israel ruina, de vocatione gentium praedicta sint esse eventu complenda (cf. *S. Cyr. Euth. Calm.*). Singulare est quod habet *Tertullianus* (c. Marc. 4,34) quem *Ipr.* sequitur, quia Iesus mentionem fecisset Ioannis, voluisse in v. 18 sententiam iaculari in Herodem qui et suam uxorem, Aretae regis filiam dimisisset et aliam, fratris uxorem, contra legem duxisset. Etiam magis singulare est quod *Weiss* arbitratur v. 18 esse allegorice interpretandum : si quis propter novum ordinem regni Dei legem deserat eodem modo coram Deo esse reum adulterii, quo reus est qui lege per evangelium regni abolita legem retinuerit; illum peccare

contra v. 17, hunc contra v. 16. — Quae singula refutare non opus erit.

Longe plerique hic, uti Matth. 11,12, intelligunt πᾶς εἰς αὐτὴν βιάζεται de magno desiderio et conatu quo quisque in regnum Dei ingredi studeat; unde exponi quam praeclaro successu evangelium annuntietur idque pharisaeis deridentibus opponi; etsi illi contemnant praedicationem, tamen alios omnes vi conari in illud ingredi. Vel ut alii βιάζεσθαι concipiunt : omnis compellitur i. e. ipsa praedicatio magna vi exercetur, ita ut quasi impetus fiat in omnes quo veluti propellantur ad regnum Dei in se admittendum. Haec explicatio aliquo modo posset tolerari, si rem spectas, quia Ioannes et Christus certo urgebant homines ad poenitentiam. Sed obstat quod communiter βιάζεσθαι tempore praesenti non notione passiva adhibetur. Priorem vero acceptionem non possum probare, quia non video quomodo verum sit omnes vel plerosque a diebus Ioannis baptistae magna quadam vi et contentione conari ut in regnum Dei ingrediantur. Aliud, puto, evangelica narratio et ipsa Christi verba docent (cf. Matth. 11,16; 13, 13-15; 12,39-45. Marc. 6,5. Luc. 4,29; 7,23. 31-35; 10,3. 10-16; 11,29-32; 12,56; 13,6-9; 14,17-24 et similes parabolae apud Matth. de incredulitate Iudaeorum; Ioan. 3,19; 4,44; 6,26. 36; 7,1. 12. 20; 8,48. 59; 12,37; 15,22 etc.). Unde alii explicant de eo quod omnes facere debebant, vel, uti *Keil*, omnis qui utitur vi ingreditur in regnum Dei. Ita res quidem dicitur vera; at quo iure verba in eum sensum detorquent?

Christus sequenti parabola, ut Clemens alexandrinus dicit (Strom. 4; *M.* 8,1241), illustrat id quod antea dixerat, neminem posse Deo servire et mammonae. Quam doctrinam pharisaei deridebant. Quare in eos quoque parabola vertitur. Qualia supplicia abusum divitiarum in altera vita consequantur graviter monet; verum simul in Lazaro depingit illud : beati pauperes, et summam hisce in terris paupertatem et miseriam in aeternitate donari posse eximia beatitate. Quae doctrina pariter accommodata erat ad fastum pharisaeorum deprimendum. Neque enim errabimus si pharisaeos paupertatem contempsisse et veluti malum abominatos esse dixerimus. Rabbini quippe quorum sententiae in libris talmudicis et in midrasch schemoth recensentur paupertatem malum esse aiunt peius omnibus plagis aegyptiacis in unum collectis; esse paupertatem omnibus afflictionibus graviorem; pauperem annumerari inter tres illos quibus vita non est vita et inter quattuor illos qui vivi tamquam mortui considerari debent; paupertatem esse intolerabilem; quare merito potius omnes perpessiones essent eligendae, si optio daretur, quam paupertas (cf. *Wünsche*, ad Matth. 19,22). Similem itaque opinionem multorum animos etiam Christi tempore occupasse eo magis probabile est quia in lege piis Dei cultoribus abundantia bonorum terrenorum promittebatur. Quare haec de Lazaro pauperrimo et adeo afflicto narratio aptissima erat ad falsam illam

opinionem evertendam et ad consolandos illos qui semper maximam generis humani partem constituunt.

Describitur homo dives qui opibus suis omni modo fruitur neque quidquam ad miseriam et pauperiem aliorum impendit; v. 19 *homo quidam erat dives qui induebatur purpura et bysso*, habitu itaque quo pretiosior ac magnificentior, delicatior ac mollior reperiri non poterat. Purpura enim ornatus erat regum ac principum; ex bysso autem, specie lini tenuissimi et mollissimi, vestes conficiebantur quae mollissime corpus attingerent; « purpura quidem exterioribus vestibus serviebat propter coloris splendorem et suavitatem, byssus autem propter mollitiem interioribus » (*Luc.*) *et epulabatur quotidie splendide* εὐφραινόμενος cf. 12,19; 15,23. 24. 29; continuo vitam lautam, deliciis plenam degebat. Haec commemorari ait *Cai.* quia signa sint animi dediti totaliter vitae sensuali quae iuncta sit cum summa inhumanitate, uti ex v. 20 colligitur. Significantur in voce, ut *Ians.* notat, non tantum epularum deliciae, sed quod optima utens sanitate eas cum laetitia et iucunditate sumpserit, significantur reliqua quae ad hilaritatem conviviorum faciunt, ut cantus musices etc. et λαμπρῶς quoque ad omnem convivii magnificentiam et splendorem refertur. Habuit itaque tria illa quibus homines censentur beati : divitias, pretiosas vestes, lauta convivia quotidiana, quae pertinent ad splendorem et gloriam apud homines et ad voluptatem carnis.

His tribus divitis conditionibus opponuntur tres alterius conditiones plane diversae (*Ians.*) v. 20 *et erat quidam mendicus* πτωχός pauper, *nomine Lazarus*, notant divitem non efferri nomine quia Deus impios ac superbos quasi ignoret et ad eos dicatur : nescio vos; dum e contra pauperum nomen honorabile sit coram illo (Ps. 71,14); « pauperum humilem scio, superbum divitem nescio » (*S. Greg.* hom. 40 in evang.; similiter *S. Cyr. Aug.* serm. 41,4; *M.* 38,249; *Bed. Theoph. Euth. Alb. Cai. Ians. Luc. Schegg, Fil.*). Pauperem donare aliquo nomine ipsa narrationis serie postulabatur, siquidem dives ille et Abraham aliter non poterant commode de eo loquentes induci v. 24. 25. Appellatur autem convenientissime Lazarus, quod nomen frequens erat apud Iudaeos et sua significatione ad pauperis sortem aeternam aptum; est enim idem ac אלעזר Eleazar i. e. Deus auxilium (est) vel adiutus a Deo (cf. *Lightfoot* ad h. l. et ad Ioan. 11,1). Hoc autem nomen ideo quoque a Christo esse selectum probabile est quia ex v. 27 et 30 prophetice innuit fore ut pharisaei non crederent etsi ad eos Lazarum a mortuis suscitatum miserit; *qui iacebat ad ianuam eius*, πυλών dicit et portam maiorem domus magnae vel palatii et anteriorem aedium partem, vestibulum, *ulceribus plenus*, tali quasi veste plena dolorum

indutus; miseram eius conditionem oratorie prosequitur et a contrario divitis luxu et inhumanitate exaggerat *S. Chrysostomus* (de Lazaro, concio 1; *M.* 48,975 seq.); v. 21 *cupiens saturari de micis quae cadebant de mensa divitis et nemo illi dabat;* vide lect. var.; voce ἐπιθυμῶν satis ostenditur, illud *et nemo illi dabat* esse rectum verborum interpretamentum (cf. *Luc. Schanz, Fil. Meyer*) vel saltem eum de iis quae cadebant de mensa divitis non fuisse saturatum, sed si quid acceperit parum accepisse ad famem depellendam. Insuper adeo erat debilis et fractis viribus, ut ne canes quidem posset abigere, sed quasi vivum cadaver iacebat (*S. Chrys.* l. c.), *sed et canes veniebant et lingebant ulcera eius;* putant aliqui hisce quoque damnari inhumanitatem divitis, accessisse canes quasi compatientes et lingendo vulnera aliquod levamen ei attulisse, id quod ex eo colligunt quia canes propria lingua, ut *S. Cyr.* ait, suis morbis medicinam facere solent (cf. *cat. Cr. Cai. Ians. Calm.;* et ita quoque S. Chrys. in concione 6 de Lazaro l. c. 1034 : canes homine ipso humaniores saniem tollebant et emundabant). Sed bene advertit *Mald.* non id egisse Christum ut doceret quid Lazarus levamenti, sed quid miseriae dolorisque habuisset. Novo itaque dolore afficiebatur cum linguis canum vulnera refricarentur (cf. *Theoph. Euth. Alb. Luc. Schegg, Schanz, Fil. Sp. Ed.* II p. 279).

Demum morte liberatur v. 22 *factum est autem ut moreretur mendicus et portaretur ab angelis in sinum Abrahae;* en merces paupertatis, miseriae, dolorum, contemptus, quae omnia maxima patientia sustinuit neque felicitate et inhumanitate divitis offensus contra Dei providentiam murmuravit. Quem ille ne aspectu quidem dignatus est, eum angeli, principes coelestes, honorifice portant in sinum Abrahae i. e. ut intima cum Abraham patriarcha societate iunctus pace ac quiete frueretur. Christus etiam hic ostendit nobis angelos tamquam missos in ministerium propter eos qui hereditatem capiunt salutis. Etiam apud Iudaeos erat sententia recepta animas iustorum per angelos ferri in paradisum (cf. *Lamy, Calm. Schegg, Lightfoot, Wetstein, Ed. Wünsche* p. 467), sicut apud rabbinos frequens fit mentio sinus Abrahae. Est enim Abraham pater fidelium; quare fideles pie vita functi ad patris quasi amplexum pervenire et apud eum beate quiescere et cum eo pace frui censentur. Cui sententiae via sternitur, cum mori dicatur idem esse quod ire ad patres in pace, apponi ad populum suum, congregari ad patres (cf. Gen. 15,15; 25,17; 35,29; 49,32. Iud. 2,10 etc.). Etiam dives communi mortalium sorte abripitur; verum de eo aliter sermo fit : *mortuus est autem et dives et sepultus est in inferno;* vide lect. var. [1]; in graeco καὶ ἐτάφη; en finis omnis splendoris et magnifi-

1. S. Augustinus modo habet solum : et sepultus est, modo sepultus est in inferno; illud

centiae; fortasse dives maxima pompa funebri ad tumulum elatus est; at ibi desinit omnis gloria; corpus traditur vermibus et corruptioni. Bene monet S. Chrys. : « ne leviter praetercurras, dilecte, illud *sepultus est;* hic considera mensas argento circumtectas, lectos, ornamenta, unguenta, aromata, vini optimi copiam, eduliorum varietates... omnia cinis, omnia favilla et pulvis, lamenta et luctus; tunc declarabatur quod possint divitiae » etc. Ita quidem de corpore. Iam quid de anima? et in inferno v. 23 *elevans autem oculos suos cum esset in tormentis,* nota pluralem numerum, *vidit Abraham a longe et Lazarum in sinu eius;* sors utriusque quam maxime mutata apparet; a longe vidit, in infimo itaque loco collocatus est. Exprimitur autem, ut *Mald.* dicit, divitis miseria etiam ab iis qui longissime abessent opem petentis; usitatum enim esse ut qui in gravissimo periculo sit constitutus huc illucque circumspiciat et quemcumque quamvis longe prospexerit, eius imploret auxilium; v. 24 *et ipse clamans dixit : pater Abraham, miserere mei;* magna poena magnum clamorem provocabat; patrem appellat communem paternae commiserationis eum monens quam filio infelicissimo ne deneget precatur, *et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma;* adeo pauper est, ut ne guttam quidem aquae in sua habeat potestate (*S. Chrys.*); quem in vita aspectu plane indignum iudicavit, ab eo aliquid solatii ut accipiat vehementer desiderat. Et quam minimum est quod efflagitat? In flamma constitutus et ardens totus guttulam aquae ad refrigerium petit! plus petere non audet.

Quae itaque sortis mutatio quam brevibus et simul quam efficacibus verbis depingitur! « successit ignis purpurae et bysso; ea tunica ardebat qua se exspoliare non poterat; pro epulis ariditas et desiderium guttae de digito pauperis » (*S. Aug.* serm. 36,6). Ne hoc minimum quidem solatium ei conceditur v. 25 *et dixit illi Abraham : fili* τέκνον, blande quidem eum alloquitur neque carnis cognationem diffitetur; sed eo gravius feriunt verba quae summa cum tranquillitate respondet quasi nulla miseratione tactus rem aequissimam et iustissimam ei exponens, *recordare quia recepisti bona in vita tua,* bona tua, uti graece bene habetur, i. e. illa quae vera bona censebas (*S. Chrys.* conc. 7,5; *M.* 48,1052); illud scil. tangitur, quia felicitatem dilexit saeculi nec aliam vitam praeter istam in qua superbus tumebat amavit (*S. Aug.* qu. evang. 2,38); illa bona quae sola appetiit, in quibus solis suam constituit felicitatem cultu Dei et operibus bonis plane neglectis (cf.

v. g. serm. 14, 3; 41, 4; in Ps. 33 n. 25; hoc in epist. 187 et in serm. 36, 6, qu. ev. 2, 38 (cf. M. 38, 113. 249; 36, 322; 33, 831; 38, 218).

Cai. Ians. Mald. Luc.) *et Lazarus similiter mala, nunc autem hic* ὧδε iam is hoc loco *consolatur* consolatione afficitur, *tu vero cruciaris;* en prior ratio cur omne solatium negandum sit; altera petitur ex eo quod fieri nullo modo potest, ut quidquam levaminis praebeatur; v. 26 *et in his omnibus* i. e. insuper, praeterea, *inter nos et vos chaos* χάσμα hiatus, vorago, ergo intervallum quod transiri nequeat *magnum firmatum est,* decreto immutabili est constitutum, *ut hi qui volunt hinc transire ad vos non possint neque inde huc transmeare;* conditio itaque descripta est immutabilis, supplicium aeternum, nullo levamine ne minimo quidem mitigandum (*Theoph. Cai. Mald. Ians. Luc.*).

Cum itaque pro se nihil impetret, pro aliis aliquid consequi expetit v. 27 *et ait : rogo ergo te, pater, ut mittas eum in domum patris mei;* v. 28 *habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum,* ut illis scil. testimonium reddat esse vitam alteram et in ea severe puniri facinorosos. Quaerunt quo animo id petat; « qui noluit suo tempore pauperis misereri, fratrum suorum sero misertus est » (*S. Aug.* serm. 41,4; similiter *Theoph.*); alii censent non ex tali affectu commiserationis eum petere, sed ne ipsius tormenta fratrum consortio augeantur (*Alb. Ians. Luc. Estius*); petitionem ad superbiam refert *Cai.;* scire enim damnatum aliquos evasuros miseriam; unde appetere, ut sui evadant, ut vel sic in suis ipse exaltetur. Verum haec omnia et similia missa sunt facienda. Neque enim, ut bene *Mald.* monet, quaerendum est quo animo Christus id eum petiisse finxerit. Nam, uti in aliis, ita in hoc quoque colloquio id notandum est, rem non vere esse gestam, sed a Christo nobis proponi, ut aliqua doctrinae capita illustrentur. Vult itaque Christus docere non esse exspectandum ut a mortuis doceamur; immo eos qui magisterio ordinario et subsidiis ordinariis non ad meliorem frugem resipiscunt neque acturos poenitentiam etsi quis a mortuis redux eos adhortaretur. Hoc ut Christus inculcet hoc nobis colloquium ob oculos poni vult; v. 29 *et ait illi Abraham : habent Moysen et prophetas,* quorum scil. libri in synagogis leguntur, quorum monitis et minis ad poenitentiam invitantur et de Deo iusto iudice edocentur; quare *audiant illos!* plus non opus est; v. 30 *at ille dixit : non, pater Abraham;* id non sufficit; sua scil. experientia doctus ita se loqui debere existimat; vel potius Christus perstringit opinionem qua quandoque homines tenentur : *sed si quis ex mortuis ierit ad eos poenitentiam agent;* v. 31 *ait autem illi : si Moysen et prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit credent* πεισθήσονται iis persuadebitur, ut agant poenitentiam. Et quam verum hoc sit mox in ipsis pharisaeis

patuit. Misit illis Christus revera Lazarum ex mortuis ad vitam revocatum et quid in eis effectum est? tantum aberat, ut eo miraculo melius de Iesu eiusque missione et doctrina edocti resipiscerent, ut et Iesum et Lazarum interficere vellent (cf. *S. Chrys.* conc. 4,2; *Bon. cat. Cr. Theoph. Euth. Alb. Cai. Ians. Mald. Luc. Ipr. Lap. Lamy, Calm. Reischl, Bisp. Fil.*). Simul Iesus indicat etiam suam ipsius resurrectionem multos esse relicturam in sua incredulitate. Neque dici potest quia Christus non apparuerit pharisaeis etiam tale quid non innui (*Schanz*); nam pharisaei omnino sciebant ex testimonio militum custodum praedictionem Christi esse impletam : ergo id quod verbis enuntiatur revera evenit : neque si quis ex mortuis resurrexerit credent; unde merito dicendum cum plerisque Christum id quoque voluisse indicare.

Docet itaque Christus ad quam diversam sortem in altera vita adducatur dives qui voluptate et luxu fruitur neque amicos sibi comparat de opibus suis et pauper qui pauperiem morbosque molestos patienter subit. Illum manent tormenta sine ulla levaminis spe; hic recipit consolationem. Haec vero documenta Christus non nude proponit sed vestit narratione quadam parabolica. Quare in explicatione sedulo distinguere oportet, quid referendum sit ad ipsam doctrinam, quid pertineat solum ad modum hanc doctrinam ope narrationis exprimendi. Ad hunc modum spectant varia quae necessario erant fingenda, ut doctrina ea ratione possit exhiberi. Ita ut sortis utriusque mutatio ipsa re describatur, dicitur dives cum ipse esset in tormentis vidisse Lazarum in sinu Abraham placide quiescentem; ut supplicii magnitudo explicetur, dives ipse inducitur loquens, misericordiam patris Abraham implorans et minimum quid levaminis efflagitans. Quod non plus rogat efficaciter ostendit omnem spem misero esse ademptam. Ut iis qui Iesum audiunt ratio reddatur de utriusque sorte adeo diversa Abraham loquens inducitur; ut supplicium ostendatur nulla re ne minima quidem posse mitigari, ille inducitur guttulam aquae petens quae tamen non conceditur etc. Unde sequitur cavendum esse ne singula curiosius ad conditionem vitae alterius transferantur. Quare variae quaestiones quae propositae sunt ex *hac* narratione parabolica non erunt solvendae v. g. videantne damnati beatos et beati damnatos; sciantne damnati quid cognati in terra agant, vel quomodo de illis sint solliciti; vel possintne optare ut ii convertantur et alia huiusmodi. Quare dubito liceatne cum *S. Gregorio* (Moral. 15,53; *M.* 75,1112), *Fab.* colligere quidquam boni affectus erga cognatos inesse damnatis, vel cum *Ians.* ex responsione Abraham sanctos pium etiam erga damnatos gerere affectum. Nam ut bene monent *Gordonus*, *Mald.*, parabolae etiam fiunt ex his quae fieri nec solent nec possunt, et prout *Calm.* monet, in parabolis non ubique est quaerenda historiae veritas.

Sed estne haec narratio revera parabola? Utique fuerunt qui hoc loco rem vere gestam a Christo narrari putarent. Ita *Tertullianus* (de anima 7;

M. 2,657) qui ex ea sententiam suam confirmat de animae corporalitate; quomodo enim alias de digito Lazari, de lingua divitis sermo esse posset? etiam *S. Ambr. Bon.* censent magis esse narrationem quam parabolam; historiam non parabolam nobis proponi affirmant quoque *Dion. Fab. Luc. Ipr. Lap.;* rem in medio relinquunt *Cai. Ians. Gordonus.* Alii distinguunt priorem partem esse historiam; ea scil. quae de divite et Lazaro hisce in terris narrentur; item damnationem divitis et salvationem Lazari; alteram autem partem esse parabolam; ita *Mald. Sylv. Cord. Menochius, Reischl.* Ratio eorum potissima est quae iam a Tertulliano quoque allata est : efferri nomen pauperis, eum vocari Lazarum, neque alibi in parabolis nomina poni; ergo esse indicium rei vere gestae. Sed supra iam dixi, cur hic necesse fuerit nomen aliquod ponere; alias enim illud colloquium v. 24. 25 vix apte institui potuit. Cur autem nomen Lazari sit electum, satis cerni potest in v. 30 et in subsequente resuscitatione Lazari, fratris Mariae et Marthae. Huic rationi praecipuae ex nomine depromptae solent adiungere, narrationem hanc non designari parabolam; ergo potius esse censendam rem vere gestam. Sed etiam 16,1 nihil dicitur de parabola et tamen omnes illam narrationem habent parabolam; idem habes 14,16-24 et 15,11 seq. et alias quoque parabolae proponuntur non praemisso nomine parabolae; cf. Matth. 21,28; 24,45-50; 25,14-28. Cum Lazari nomen habeatur, quidam ex traditione Hebraeorum, ut refert *Euth.*, etiam nomen divitis fuisse Νινευίς tradiderunt.

Parabolam hanc narrationem vocant *Clemens* alex. Strom. 4 (*M.* 8,1241) : τί βούλεται ἡ τοῦ Λαζάρου παραβολὴ τῷ κυρίῳ πλουσίου καὶ πένητος εἰκόνα δεικύουσα; *S. Gregorius* naz. (carmen de parabolis Lucae; *M.* 37,498), *Eucherius* (Instr. ad Salm., quaest. in Luc. *M.* 50,800). Neque aliter censet *S. Chrys.;* vocat quidem in prima concione de Lazaro, cum rem inducat, ἱστορίαν; sed statim pergit : « cuius gratia Dominus per parabolas locutus sit et quam tandem ob causam ex parabolis alias explicaverit, alias non, et quidnam sit parabola, in aliud tempus reservabimus... quis evangelistarum scripsit hanc parabolam Christum dixisse? Lucas solus ». Unde satis elucet quo sensu historiam vocaverit, eodem scil. quo nos quoque de historia filii prodigi etc. loquimur. Insuper s. doctor in subsequentibus semper loquitur de parabola; ita in prima concione bis, in tertia quater, item quater in quarta, ter in quinta etc. Parabolam quoque nominat *S. Cyr.* idque repetitis vicibus (*M.* 72,824. 825); item legitur in *cat. Cr.* τὴν προκειμένην παραβολήν etc.; immo *Theoph.* dicit ἀνοήτως quosdam putare esse historiam et *Euth.* ita orditur enarrationem : nunc per parabolam etiam timorem duris corde ac tenacibus divitibus incutit. Praeterea parabolam affirmant *Lamy, Calm. Bisp. Schegg, Schanz, Fil.* aliique recentiores, et si *Alb.* vocat historiam parabolicam nihil aliud intelligit quia antea initio capitis simpliciter parabolam divitis et Lazari dixerat. Insuper si Iesus de re vere gesta locutus esset, de Lazaro quem alii cognovissent, tum etiam dives ille et quinque eius fratres non fuissent incogniti. Iam quis credet Christum de eo cuius propinqui et cognati essent superstites ac noti tam aperte asseruisse eum esse damnatum?

Unus quidem *Fab.* existimat divitem describi in purgatorio versantem, cui tamen sententiae nescio num quis accedere velit. Auctor demum quaestionum ad orthodoxos neque parabolam esse ait neque historiam, sed ὑποτύπωσιν λόγου διδασκαλίαν ἔχοντος (qu. 60; *M.* 6,1301).

Falso aliquis ex v. 30. 31 concluderet miracula declarari inutilia. Id solum enuntiatur si qui peccatores monitis illis ac subsidiis ordinariis non adducuntur ad poenitentiam, eos ne tum quidem ad meliorem frugem iri adductum cum viderint aliquem ex mortuis redeuntem. Facile enim sibi persuadebunt esse apparitionem illam fraudem ac fallaciam. Neque omittendum est supponi in parabola peccatores revelationem divinam per Moysen et prophetas factam esse credentes. Proin nihil inferri potest contra miracula quae fiant ad fidem propagandam et confirmandam, sed solum peccatoribus fidelibus ordinarie non concedi miraculum quo ad conversionem excitentur. Demum notari oportet haec dici a Christo ut doceat pharisaeos in contumacia permansuros licet videant miracula.

i) De scandalo et humilitate 17,1-10.

17,1. Et ait ad discipulos suos : Impossibile est ut non veniant scandala; vae autem illi per quem veniunt. 2. Utilius est illi si lapis molaris imponatur circa collum eius, et proiiciatur in mare, quam ut scandalizet unum de pusillis istis. 3. Attendite vobis : si peccaverit in te frater tuus, increpa illum; et si poenitentiam egerit, dimitte illi. 4. Et si septies in die peccaverit in te, et septies in die conversus fuerit ad te, dicens : Poenitet me, dimitte illi.

5. Et dixerunt apostoli Domino : Adauge nobis fidem. 6. Dixit autem Dominus : Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro : Eradicare, et transplantare in mare; et obediet vobis. 7. Quis autem vestrum habens servum arantem aut pascentem, qui regresso de agro dicat illi : statim transi, recumbe; 8. Et non dicat ei : Para quod coenem, et praecinge te, et ministra mihi donec manducem et bibam, et post haec tu manducabis et bibes? 9. Numquid gratiam habet servo illi, quia fecit quae ei imperaverat? 10. Non puto. Sic et vos, quum feceritis omnia quae praecepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus : quod debuimus facere, fecimus.

17,1. Εἶπεν δὲ πρὸς τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ, Ἀνένδεκτόν ἐστιν τοῦ τὰ σκάνδαλα μὴ ἐλθεῖν· πλὴν οὐαὶ δι' οὗ ἔρχεται. 2. λυσιτελεῖ αὐτῷ εἰ λίθος μυλικὸς περίκειται περὶ τὸν τράχηλον αὐτοῦ, καὶ ἔρριπται εἰς τὴν θάλασσαν, ἢ ἵνα σκανδαλίσῃ τῶν μικρῶν τούτων ἕνα. 3. προσέχετε ἑαυτοῖς. ἐὰν ἁμάρτῃ ὁ ἀδελφός σου, ἐπιτίμησον αὐτῷ· καὶ ἐὰν μετανοήσῃ, ἄφες αὐτῷ. 4. καὶ ἐὰν ἑπτάκις τῆς ἡμέρας ἁμάρτῃσῃ εἰς σὲ, καὶ ἑπτάκις ἐπιστρέψῃ πρὸς σὲ, λέγων, Μετανοῶ, ἀφήσεις αὐτῷ.

5. Καὶ εἶπαν οἱ ἀπόστολοι τῷ Κυρίῳ, Πρόσθες ἡμῖν πίστιν. 6. εἶπεν δὲ ὁ Κύριος, Εἰ ἔχετε πίστιν ὡς κόκκον σινάπεως, ἐλέγετε ἂν τῇ συκαμίνῳ ταύτῃ, Ἐκριζώθητι, καὶ φυτεύθητι ἐν τῇ θαλάσσῃ· καὶ ὑπήκουσεν ἂν ὑμῖν. 7. Τίς δὲ ἐξ ὑμῶν δοῦλον ἔχων ἀροτριῶντα ἢ ποιμαίνοντα, ὃς εἰσελθόντι ἐκ τοῦ ἀγροῦ ἐρεῖ αὐτῷ, Εὐθέως παρελθὼν ἀνάπεσε· 8. ἀλλ' οὐχὶ ἐρεῖ αὐτῷ, Ἑτοίμασον τί δειπνήσω, καὶ περιζωσάμενος διακόνει μοι, ἕως φάγω καὶ πίω· καὶ μετὰ ταῦτα φάγεσαι καὶ πίεσαι σύ; 9. μὴ ἔχει χάριν τῷ δούλῳ ὅτι ἐποίησεν τὰ διαταχθέντα; 10. οὕτως καὶ ὑμεῖς, ὅταν ποιήσητε πάντα τὰ διαταχθέντα ὑμῖν, λέγετε, ὅτι δοῦλοι ἀχρεῖοί ἐσμεν. ὃ ὠφείλομεν ποιῆσαι πεποιήκαμεν.

In v. 1 πλην ουαι ℵ B D L al 8 W H, verumtamen vae a b c ff² i q, verum d e; al ουαι δε. In v. 2 D συνφερει, e expedit; λιθος μυλικος ℵ B D L al 20 fere it vulg cop arm; al μυλος ονικος, uti Matth 18,6; add si (ut l r) non nasceretur aut dub l r; ne nasc. aut a b c ff² i q; a impositus fuisset, e circumiectus sit; pariter a proiectus esset (c sit). In v. 3 add εις σε D X Γ Δ Λ Π unc 9 al pler c e q r dub eg fuld wil; non add ℵ A B L pl minusc pler it et vulg go cop tat syr (sch, hr) sax. In v. 4 add επτακις της ημερας A Γ Δ Λ Π unc 8 al pler f g¹ vulg go tat syr (sin utr) aeth. In v. 5 sin ken ad Iesum; domine big dub eg ger hub tol b c e ff² q r. In v. 7 oves pascentem tat dub car mt ken rush; add boves tat steph sixt, bovem ox wil. In v. 10 add ου δοκω A D Γ Δ Λ Π unc 9 al pler it (excipe a e) vulg go syr (utr) tat; non add ℵ B L X pl minusc cop syr (hr) arm aeth; add D οσα λεγω, l quae mando, Ambrst quae dico (sin v. 2 mola asinaria; v. 8 praecinge lumbos tuos; v. 10 si feceritis quae praecepta sunt vobis, dicitis : servi sumus, quod etc.).

De nexu cum antecedentibus quaerere *Mald.* quidem censet esse supervacuam diligentiam; « satis enim per se perspicuum est multa in hunc locum Lucam sine ullo ordine, sine ulla connexione coniecisse », similiter *Lap. Lamy* qui putant haec referenda esse ad ea quae Matth. 18,7. 15 suis conditionibus causisque vestita narrantur. Alii tamen existimabant posse hic quoque assignari occasionem qua haec cum antecedentibus cohaereant. Idque erit putandum quia a verisimili non est alienum Christum gravia eiusmodi documenta pluries quam semel tradidisse. Quis vero nexus statuendus sit haud facile dixeris, ita ut omnibus probetur. Cum antea sermo fuerit de misericordia corporali ita ut impietas circa eleemosynas confutaretur, *Alb. Bon.* dicunt iam agi de pietate secundum eleemosynam spiritualem vel de misericordia spirituali; unde agi de vitatione scandali, quia crudelis sit qui offendiculum alii ponat, et misericors qui remittat in se peccanti, eum sua adhortatione corrigat. Alii censent Christum occasionem loquendi de scandalo arripuisse ex eo quod pharisaei eum irriserint; « qui enim recta loquentem vituperat scandalum profecto, id est, offendiculum et ruinam auditoribus praebet infirmis, maxime si legis videatur habere scientiam » (*Bed.* similiter *Theoph. Ians. Bisp. Sp.*). Proinde haec quoque dicta essent contra pharisaeos, ne discipuli eorum vel auctoritate vel malitia perturbarentur. Quia in fine parabolae antecedentis mentio iniecta sit de tempore futuro, *Schanz* arbitratur hoc tradi monitum ratione habita temporis futuri, v. 1 *et ait ad discipulos suos : impossible est* ἀνένδεκτον quae est scil. conditio hominum, fieri non potest, *ut non veniant scandala*, stimulantur enim homines pravis concupiscentiis, quibus facile multi cedunt; verum cedunt ita ut debitis adhibitis subsidiis et libero arbitrio ope divina confortato potuerint non cedere; scandala autem sunt ea peccata quibus alii quasi offendiculis laqueisque positis ad peccandum provocantur; *vae autem illi*

per quem veniunt, vae illi qui causa est ruinae aliorum! vide ad Matth. 18,7; v. 2 *utilius est illi, si lapis molaris imponatur circa collum eius et proiiciatur in mare, quam ut scandalizet unum de pusillis istis*, ex graeco : si lapis circumpositus est... et proiectus est; proin clare edicitur melius fore, ut antea eo mortis genere abripiatur quam ut alios seducat; id quod in a e quoque exprimitur (vide lect. var.). Pusilli autem dicuntur infirmi in fide, qui quidem Christum audiunt, ei adhaerent, at nondum roborati facile a bonis sed parvis initiis fidei dimoveri possent. Atque tales inter Iesu discipulos quoque fuisse constat Ioan. 6,61. 67.

Vario modo transitum ad v. 3 fieri ostendunt, vel doceri iam quomodo nos gerere oporteat erga eos qui scandalum dent (*S. Cyr. Luc. Schanz*) vel moneri quomodo nos ipsi debeamus scandalum vitare (*Bed. Euth. Alb. Weiss*); fore quippe ut simus scandalo nisi peccanti veniam indulgeamus, vel cum in v. 1. 2 iam expositum sit scandalum esse vitandum, nunc tradi quid praestandum sit erga fratres ubi in nos peccaverint (*Ians. Calm.*). Fortasse dici potest quod fere de v. 1. 2 quoque valet Lucam omissa peculiari occasione qua Christus iterato ea morum documenta tradidit satis esse putasse si ipsa documenta (quae est rei summa) litteris consignaret; v. 3 *attendite vobis,* quae verba *Theoph. Cai. Luc. Schegg* cum praecedentibus iungunt; at plerique ea ad sequentia referunt idque merito, quia in sequentibus praescribit suis quid debeant praestare sedulo, dum illud *attendite* neque ad v. 1 neque ad v. 2 aptum sit, nisi suppleveris quod in textu non legitur : cavete ne ex aliorum scandalis periculum ruinae vobis exsistat! *si peccaverit* (*in te*) *frater tuus, increpa illum et si poenitentiam egerit dimitte illi,* ex hoc altero membro apparet illud *in te* esse rectam interpretationem (vide lect. var.); ceterum vide ad Matth. 18,15; « obliviscere iniuriam tuam, non vulnus fratris, ergo corripe eum, intendens correctioni, parcens pudori » (*S. Aug.* serm. 82,7; *M.* 38,509). Et cum sciat Christus quam difficile sit hominibus iniurias illatas ex animo ignoscere docet quid ipse postulet; scil. ut semper oporteat nos esse paratos ad veniam dandam, etsi frequentissime offendamur v. 4 *et si septies in die peccaverit in te et septies* (*in die*) *conversus fuerit ad te*, ad te redierit ἐπιστρέψῃ cf. Matth. 10,13. Gal. 4,9. 1 Petr. 2,25, *dicens : poenitet me, dimitte illi;* ut doceat nos semper animo debere esse paratissimos ad ignoscendum, rem exaggerat id nobis proponens quod eventurum esse vix credi potest, scil. ut quis septies in die nos offendat quamvis post unamquamque offensionem professus sit se de ea dolere et optare ut quod factum sit infectum habeatur. Proinde iniungitur ut quotiescumque offensi simus ignoscamus; debemus enim,

ut *S. Cyr.* adnotat, imitari corporalium morborum medicos, qui non solum semel et iterum aegro medentur, sed quotiescumque aegrotare contigerit; ceterum vide ad Matth. 6,14. 15; 18,22. 35. Marc. 11, 25. 26.

Rem postulavit Christus valde difficilem, quae immo a lege aliena esse videri poterat; nam ibi legitur : oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore (Ex. 21,24. 25; cf. Matth. 5,38) et rabbini abutentes verbis prophetae Am. 1,3 et Iob 33,29 docent non teneri quemquam ad remissionem delicti quarti (cf. *Lightfoot* ad h. l. *Ed.* II p. 125[1]). Videntes itaque apostoli magna exigi et se non sufficere ad illa sublimia opera pietatis petunt sibi fidem augeri (*S. Bon.* similiter *Theoph. Ians. Bisp. Schanz, Fil.*) v. 5 *et dixerunt apostoli Domino : adauge nobis fidem* προσθες appone, adde; censent aliqui nullum adesse nexum cum antecedentibus (*Cai. Luc.*), immo responso Christi illum nexum quem alii indicant plane excludi, quia responsio nullo modo congruat ad petitionem fidei qua apti reddantur ad praeceptum v. 4 traditum implendum (*Keil, Weiss*). Verum quam *bene* petierint *fidem* ad illam rem *difficilem* peragendam, Christus sua responsione declarat, cum dicat fide effici posse illa quae ab homine fieri nullo pacto possint v. 6 *dixit autem Dominus : si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro : eradicare et transplantare in mare et obediet vobis;* solo verbo arborem eradicare eamque inter fluctus maris euntes et tumentes firmiter plantare, ut in ea undarum commotione radicibus fixa sit et fructus ferat, res est quae plane fieri nequit ulla vi vel arte humana. Quare tali exemplo docemur fide nos posse impetrare a Deo illa quae vires nostras superent; ceterum vide Matth. 17,20, quo loco idem exemplo montis transferendi indicatur. Hoc loco idem ostenditur in sycamino arbore (cuius forma et folia similitudinem mori referunt, fructus vero ficuum); quare ipsa hac varietate suadetur alio tempore id dictum esse. Veram autem et vivam fidem quam maxime impellere et iuvare ad praeceptum illud in v. 3. 4 datum fideliter implendum manifestum est. Nam si quis vivide apprehendit quis sit qui praecipiat, quomodo non toto animo studioque in eius observationem incumbat?

Et si eadem fide animi eorum imbuti sunt, nullo modo extollentur more pharisaeorum quadam superbia gloriantes de sua in Deum observantia et obsequio; continuo quippe iis ob oculos versabitur maiestas

1. In talmude refertur sine ulla vituperatione quendam rabbi non ignovisse levissimam quandam offensionem qua suae dignitati esse derogatum existimabat quamvis ab offensore rogaretur venia per annos tredecim in die expiationis (*Ed.* II p. 125, in tract. Joma 87).

divina, cui obedire infinitis titulis tenentur. Quare, ut *Beda* dicit, haec parabola docet, ut fides quo virtutibus foris excellentior eo in ipsa conscientia fiat intus humilior. Et cum mens humana propter opera bene facta facile ad vanae gloriae cupiditatem rapiatur eoque morbo eo magis laboret quo maiore conatu opus erat ad debitam Deo obedientiam in re difficili praestandam, Christus hac parabola omnem inanem ea de re gloriationem retundendam docet (cf. *S. Cyr. Bon. Theoph. Euth. Cai. Ians. Luc. Schegg, Schanz, Fil.*) v. 7 *quis autem vestrum habens servum arantem aut pascentem,* cui scil. incumbit arare vel greges pascere, *qui regresso de agro dicat illi : statim transi, recumbe?* παρελθών statim accedens recumbe, epulare, v. 8 *et non dicat ei : para quod coenem et praecinge te et ministra mihi* περιζωσάμενος accinctus, vestimentis zona cinctis, quo scil. sit expeditior ad ministrandum, *donec manducem et bibam; et post haec tu manducabis et bibes?* v. 9 *numquid gratiam habet servo illi quia fecit quae ei imperaverat?* v. 10 *non puto,* vide lect. var.; cum enim servus huiusmodi ministerium teneatur praestare, quod si negligeret merito vapularet, certe non est cur herus ei gratias agat ac si emolumentum hero attulisset ad quod nullatenus obstrictus esset; *sic et vos cum feceritis omnia quae praecepta sunt vobis dicite : servi inutiles sumus; quod debuimus facere fecimus;* ἀχρεῖοι inutiles, et quo sensu nos debeamus ita vocare additur : id quippe solum fecimus ad quod obstricti sumus; nihil ultra debitum praestitimus (cf. *Ians. Ipr.*), quare rite interpretatio fit in pluribus codicibus graecis : ὅτι ὀ etc. quia quod debuimus facere fecimus. Alii quandoque explicant nobis id esse fatendum quia Deus non indigeat nostris operibus bonis neque nostro obsequio ei aliquid emolumenti conferamus (cf. *Bed. Bon. Lamy, Calm.*). Quod quidem verum est; at hic a Christo alia assignatur ratio. Apud LXX ἀχρεῖος etiam ponitur pro hebr. שְׁפָל humilis, vilis (cf. 2 Sam. 6,22; item apud Theodot.). Docet itaque Christus quid *nos* sentire oporteat; quid vero Dominus ipse sentiat de suis servis, vel illo loco Salvator docet, ubi ait : euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, intra in gaudium Domini tui (Matth. 25,21. 23), uti *Luc. Ipr. Lap.* notant. Et servum quoque non privari suo emolumento, in ipsa parabola indicatur v. 8 quia dicitur : post haec tu manducabis et bibes. Quare luce clarius est Christum hoc loco non negare quod alias saepe dicit de mercede apud Deum, de vita aeterna quae sit praemium observationis mandatorum etc., sed solum reprimit morbum illum vanitatis et superbiae, idque eo maiore iure quia revera nostra opera bona sunt dona Dei et quicumque mandata Dei observat ea solum observat quia gratia Dei incitatur et adiuvatur.

Unde simul patet immerito dici a *Weiss* parabolam dirigi contra eos qui suo obsequio sibi promittant mercedem apud Deum, et a *Keil* moneri ne quis méritum se habere putet si imperata fecerit. Sed si Deus opera nostra quae fiunt in gratia Dei et cum gratia Dei in loco et censu meritorum se habere nos docet? utique non est cur nos de nobis gloriemur, at est, cur Deo laudem dicamus et de eius in nos benevolentia et liberalitate gloriemur. Inde apostolus coronam iustitiae sibi esse repositam aperte profitetur (2 Tim. 4,8). Pariter certum est ea parabola non negari vel excludi opera quae dicuntur supererogatoria. Neque enim omnia opera bona quae cogitari et praestari possunt nobis a Deo imperantur. In parabola autem sermo est solum de iis quae servo imposita et iniuncta sunt. Iam servus etiam aliqua in bonum et emolumentum heri agere potest ultra ea quae vi servitii facere debet; immo ea ipsa quae debet tanta potest praestare diligentia, tanta in herum observantia, tanto amore, ut heri benevolentiam sibi conciliet et fere amici et familiaris loco habeatur. Christus quoque varia indicat quibus mercedem specialem in coelo repositam esse affirmat; cf. 6,23; 12,37; Matth. 5,12; 10,41. 42; 19,21. Atque discrimen illud inter opus praeceptum et libere ab homine susceptum bene iam apostolus describit : vae mihi si non evangelizavero, necessitas enim mihi incumbit. Sed quid ultra hoc praeceptum praestare vult, quid de suo addere? ut evangelium praedicans sine sumptu ponam evangelium, ut non abutar mea potestate in evangelio (1 Cor. 9,16-18; cf. *S. Cyr. Theoph. Euth. Lap. Calm. Bisp. Schanz*) atque id vocat suam gloriationem (2 Cor. 11,10), suam gloriandi materiam, suam mercedem singularem quam sola sua praedicatione non obtineret (cf. *Cornely,* Comment. in 1 Cor. p. 254 seq.).

Qua de re praeclare *Origenes* (in ep. ad Rom. 3,12; *M.* 14,933) : « donec enim quis hoc faciat tantum quod debet, id est, ea quae praecepta sunt, inutilis servus est. Si autem addas aliquid praeceptis, tunc non iam inutilis servus eris. Quid autem sit quod addatur praeceptis et supra debitum fiat, Paulus apostolus dicit : de virginibus autem praeceptum Domini non habeo, consilium autem do tamquam misericordiam consecutus a Domino (1 Cor. 7,25). Hoc opus super praeceptum est. Qui ergo completis praeceptis addiderit etiam hoc, ut virginitatem custodiat non iam inutilis servus est, sed servus bonus et fidelis vocabitur. Et iterum praeceptum est, ut hi qui evangelium annuntiant de evangelio vivant (1 Cor. 9,14. 15). Paulus tamen dicit, quia nullo horum usus sum »; et alio in loco (in Ps. 118,108; *M.* 12, 1610) : « quae non sumus iussi facere sed προαιρέσει (electione, libera voluntate) facimus, ea appellat (psalmista) voluntaria oris nostri, v. g. si virginitatem coluero, quae mihi neque praecepta neque iussa est, sed sponte hoc facere melius eligo. Sic et alia istiusmodi in vita nostra reperiemus quorum aliqua quidem iussi velut servi facimus, aliqua vero facimus libere ».

4. *Ex tertio itinere* 17,11-19,27.

a) De decem leprosis 17,11-19.

17,11. Et factum est, dum iret in Ierusalem, transibat per mediam Samariam et Galilaeam. 12. Et quum ingrederetur quoddam castellum occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt a longe. 13. Et levaverunt vocem, dicentes : Iesu praeceptor, miserere nostri. 14. Quos ut vidit : dixit : Ite, ostendite vos sacerdotibus. Et factum est, dum irent, mundati sunt. 15. Unus autem ex illis, ut vidit quia mundatus est, regressus est, cum magna voce magnificans Deum; 16. Et cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens : et hic erat Samaritanus. 17. Respondens autem Iesus, dixit : Nonne decem mundati sunt? et novem ubi sunt? 18. Non est inventus qui rediret, et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. 19. Et ait illi : Surge, vade; quia fides tua te salvum fecit.

17,11. Καὶ ἐγένετο ἐν τῷ πορεύεσθαι εἰς Ἰερουσαλὴμ, καὶ αὐτὸς διήρχετο διὰ μέσον Σαμαρίας καὶ Γαλιλαίας. 12. καὶ εἰσερχομένου αὐτοῦ εἴς τινα κώμην, ἀπήντησαν (αὐτῷ) δέκα λεπροὶ ἄνδρες, οἱ ἀνέστησαν πόρρωθεν· 13. καὶ αὐτοὶ ἦραν φωνὴν, λέγοντες, Ἰησοῦ, ἐπιστάτα, ἐλέησον ἡμᾶς. 14. καὶ ἰδὼν εἶπεν αὐτοῖς, Πορευθέντες ἐπιδείξατε ἑαυτοὺς τοῖς ἱερεῦσιν. καὶ ἐγένετο ἐν τῷ ὑπάγειν αὐτοὺς, ἐκαθαρίσθησαν. 15. εἷς δὲ ἐξ αὐτῶν, ἰδὼν ὅτι ἰάθη, ὑπέστρεψεν μετὰ φωνῆς μεγάλης δοξάζων τὸν Θεόν· 16. καὶ ἔπεσεν ἐπὶ πρόσωπον παρὰ τοὺς πόδας αὐτοῦ, εὐχαριστῶν αὐτῷ· καὶ αὐτὸς ἦν Σαμαρείτης. 17. ἀποκριθεὶς δὲ ὁ Ἰησοῦς εἶπεν, Οὐχ οἱ δέκα ἐκαθαρίσθησαν; οἱ δὲ ἐννέα ποῦ; 18. οὐχ εὑρέθησαν ὑποστρέψαντες δοῦναι δόξαν τῷ Θεῷ, εἰ μὴ ὁ ἀλλογενὴς οὗτος; 19. καὶ εἶπεν αὐτῷ, Ἀναστὰς πορεύου· [ἡ πίστις σου σέσωκέν σε.]

In v. 11 δια μεσον ℵ B L Ti W H; aliq minusc ανα μεσον; add in fine et hiericho a b c e ff² i l q r s; per medium Samariae d e s. In v. 13 D εκραξαν φωνη μεγαλη, item e clamaverunt voce magna. In v. 14 D (dixit) τεθεραπευεσθε d curati estis; dub dixit *eis*. In v. 15 D εκαθαρισθη similiter al 6 b f l vulg go tat syr (sin, sch, hr) aeth; sanatus c ff² i, curatus e s; clarificans e; honorificans a s. In v. 17 ουχ B L S; al ουχι. In v. 18 D εξ αυτων ουδεις ευρεθη υποστρεφων ος δωσει δοξαν; similiter a l; b c ff² q ex illis non est qui rediret et gratias ageret, e et nemo ex eis reversus est qui daret claritatem deo, sim tat. In v. 19 D οτι η πιστις; quia a b c e f ff² l q s vulg arm; B om η πιστις σεσωκεν σε, X add πορευου εις ειρηνην (sin v. 11 et cum proficisceretur in Ierusalem; v. 12 et cum ingrederetur in quoddam castellum, decem viri leprosi stabant a longe; a v. 15 ad v. 19 solum pauca verba servata sunt; sed in v. 19 legitur fides tua; unde sin habuit illud : fides tua te salvum fecit).

S. Lucas, gentium apostoli comes, alienigenam a Iesu esse sanatum refert eumque animum gratum prae aliis exhibuisse et a Domino meritas laudes cepisse. Christum enim omnium esse salvatorem et facile fieri posse, ut alienigenae fide ac devotione superarent Iudaeos et in populi electi loco apud Deum haberentur hac quoque narratione demonstrabatur. Unde erat cur gentibus proponeretur.

Pontifices et pharisaei, postquam Iesus Lazarum a mortuis suscitavit, ceperunt consilium eum interficiendi; quare Iesus se recepit in regionem iuxta desertum, in civitatem Ephrem (Ioan. 11,47-54). Inde post

aliquod tempus iter aggreditur in urbem tempore paschali appropinquante. De quo ultimo in urbem itinere hic evangelista mentionem facere videtur v. 11 *et factum est dum iret in Ierusalem, transibat per mediam Samariam et Galilaeam*, διὰ μέσον significat vel proficisci per mediam regionem samaritanam et per mediam Galilaeam vel inter Samariam et Galilaeam, per confinia Samariae et Galilaeae iter instituere, adeo ut Samariam haberet Iesus ad dexteram, ad sinistram Galilaeam. Cum non sit probabile Iesum post 9,54 iterum rediisse in Galilaeam, haec altera explicatio cum plerisque erit adoptanda (cf. *Schegg, Schanz, Fil. Wetstein, Keil, Weiss, Sp.*); eo modo dicitur ἀνὰ μέσον LXX-Iud. 15,4 et 3 Reg. 5,12 et Ez. 22,26 notione *inter*, qua notione διὰ μέσου quoque apud profanos habetur; v. g. Xenoph. Anab. 1,4. 4 διὰ μέσου δὲ ῥεῖ τούτων ποταμός i. e. fluit inter duos muros; item Cyrop. 6,3. 3 et Hellen. 5,4. 25 et Thucyd. 8,75. 1 (cf. *Schegg*); ita *S. Cyr.* quoque verba intellexit cum scribat ἐν μέσῳ τῆς Σαμαρείας καὶ Γαλιλαίας dictum esse; v. 12 *et cum ingrederetur quoddam castellum* κώμην pagum, vicum, *occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt a longe;* lege enim leprosi prohibebantur ad alios prope accedere; cf. Lev. 13,46 et Num. 5,2; rabbi Iochanan statuit non licere ad leprosum appropinquare quattuor cubitos, si eurus ab ipso flet; rabbi vero Simeon ne ad centesimum quidem cubitum (cf. *Wetstein, Schoettgen, Ed.* I p. 495); ex eis novem erant Iudaei, unus Samaritanus; odium illud mutuum inter Iudaeos et Samaritanos communi miseria videtur esse exstinctum; morbi communicatio eos adunaverit (*Euth.*); v. 13 *et levaverunt vocem*, clamant quia stant a longe et quia affectus eos clamare cogebat (*Mald.*), *dicentes : Iesu praeceptor, miserere nostri;* ἐπιστάτα vide 5,5; 8,24. 45; 9,33. 49. Ipsa precatione ostendunt fidem et cuncti rogant pro cunctis, quo magis et numero et communi causa quasi coniunctis viribus factaque veluti conspiratione quadam Christum ad misericordiam commoverent (*Mald.*).

Iesus vero non statim eos sanat, verum eorum fidem probat et explorat (*Euth. Mald. Luc. Ipr.*) v. 14 *quos ut vidit dixit : ite, ostendite vos sacerdotibus;* nondum erant mundati et eos iubet se ostendere sacerdotibus. Sed eo ipso tacite illis promittit sanationem, si tantam habent fidem, ut hoc praeceptum, dum adhuc lepra pleni sunt, non iis videatur ridiculum, sed ut obediant. Atque revera habent eam fidem (*Cai.*) et voci Domini plena fiducia obediunt (*Alb.*); *et factum est dum irent mundati sunt;* iubentur se sistere sacerdotibus, ut legi satisfiat Lev. 13,2 et 14,2 et vide ad Matth. 8,3. Receperunt itaque mercedem fidei et obedientiae simplicis, dum in via a lepra sanabantur; v. 15 *unus autem ex illis, ut vidit quia mundatus est, regressus est cum*

magna voce magnificans Deum, qui per Iesum ei reddidisset integram sanitatem; verum mediatori quoque Iesu animum ostendit gratum v. 16 *et cecidit in faciem ante pedes eius gratias agens et hic erat Samaritanus,* ut talis magis sensit et pluris aestimavit beneficium sibi a praeceptore Iudaeo praestitum, cum ignorare non posset quanta exsisteret simultas inter Iudaeos et Samaritanos (cf. Ioan. 4,9). Fidem alii quoque habebant; nam verbo Iesu quo eorum fidem explorabat obsecuti revera mundabantur; fortasse sibi tamquam Iudaeis id beneficii suo quodam iure deberi existimabant et se satis ex sua parte praestitisse si se sacerdotibus sisterent. Iesus autem aperte significat quantopere sibi placeat animus ille gratus Samaritani, dum e contra aliorum negligentia non poterat non dolore affici. Quare ex reditu illius occasionem capit conquerendi de eorum animis ingratis v. 17 *respondens autem Iesus dixit : nonne decem mundati sunt? et novem ubi sunt?* « quaerit non ignorans, sed reprobans ingratitudinem et irreverentiam, sicut quaerebat Dominus : Adam, ubi es » (*S. Bon.*)? v. 18 *non est inventus qui rediret et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena* οὐχ εὑρέθησαν; num non inventi sunt qui redirent etc.? num nemo ex illis se talem exhibuit qui Deo daret gloriam et honorem? Eo quod Samaritanus id fecit, magis accusantur Iudaei negligentiae et irreverentiae. Fidem habebant decem, animum vero gratum unus (*Euth.*). Multi quidem accipiunt beneficia; pauci vero se gratos esse opere probant (*Mald.*).

Hisce iam multum laudavit Samaritanum; eum benigne dimittit v. 19 *et ait illi : surge, vade; (quia) fides tua te salvum fecit;* denuo vim fidei effert et novo documento ostendit discipulis quod antea v. 6 verbis eos docuerat. Simul monet eos quoque quam gratos esse oporteat de gratiis acceptis. Et cum apostoli videant alienigenam redeuntem et Deum extollentem laudibus, cuius agendi modum Iesus commendat, praesagire poterunt Deum inter gentes quoque a Iudaeis despectas habere suos electos, immo gentes Deo maiorem esse relaturas gratiam quam plerosque Iudaeorum. Quare haud immerito in Samaritano gentiles designari quandoque dicunt (cf. *S. Bon. Theoph. Lap.*), qui magno studio salutem messianam amplectantur et beneficia accepta altis animis reponant.

b) De adventu regni et die Filii hominis 17,20-37.

17,20. Interrogatus autem a pharisaeis : Quando venit regnum Dei? respondens eis, dixit : Non venit regnum Dei cum observatione; 21. Neque dicent :

17,20. Ἐπερωτηθεὶς δὲ ὑπὸ τῶν Φαρισαίων, πότε ἔρχεται ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ, ἀπεκρίθη αὐτοῖς, καὶ εἶπεν, Οὐκ ἔρχεται ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ μετὰ παρατηρήσεως· 21.

Ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est. 22. Et ait ad discipulos suos : Venient dies quando desideretis videre unum diem Filii hominis, et non videbitis. 23. Et dicent vobis : Ecce hic, et ecce illic. Nolite ire, neque sectemini, 24. Nam, sicut fulgur coruscans de sub coelo in ea quae sub coelo sunt, fulget : ita erit Filius hominis in die sua. 25. Primum autem oportet illum multa pati, et reprobari a generatione hac. 26. Et sicut factum est in diebus Noe, ita erit et in diebus Filii hominis. 27. Edebant et bibebant, uxores ducebant, et dabantur ad nuptias, usque in diem qua intravit Noe in arcam; et venit diluvium, et perdidit omnes. 28. Similiter sicut factum est in diebus Lot : edebant, et bibebant; emebant, et vendebant; plantabant, et aedificabant. 29. Qua die autem exiit Lot a Sodomis, pluit ignem et sulphur de coelo, et omnes perdidit. 30. Secundum haec erit qua die Filius hominis revelabitur. 31. In illa hora, qui fuerit in tecto, et vasa eius in domo, ne descendat tollere illa; et qui in agro, similiter non redeat retro. 32. Memores estote uxoris Lot. 33. Quicumque quaesierit animam suam salvam facere, perdet illam; et quicumque perdiderit illam, vivificabit eam. 34. Dico vobis : In illa nocte erunt duo in lecto uno : unus assumetur, et alter relinquetur; 35. Duae erunt molentes in unum : una assumetur, et altera relinquetur; duo in agro : unus assumetur, et alter relinquetur. 36. Respondentes dicunt illi : Ubi, Domine? 37. Qui dixit illis : Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilae.

οὐδὲ ἐροῦσιν, Ἰδοὺ ὧδε, ἢ ἐκεῖ. ἰδοὺ γὰρ, ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ ἐντὸς ὑμῶν ἐστίν. 22. Εἶπεν δὲ πρὸς τοὺς μαθητὰς, Ἐλεύσονται ἡμέραι, ὅτε ἐπιθυμήσετε μίαν τῶν ἡμερῶν τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου ἰδεῖν, καὶ οὐκ ὄψεσθε. 23. καὶ ἐροῦσιν ὑμῖν, Ἰδοὺ ὧδε, ἢ, Ἰδοὺ ὧδε 23. μὴ [ἀπέλθητε, μηδὲ] διώξητε. 24. ὥσπερ γὰρ ἡ ἀστραπὴ ἀστράπτουσα ἐκ τῆς ὑπὸ τὸν οὐρανὸν εἰς τὴν ὑπ' οὐρανὸν λάμπει, οὕτως ἔσται καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου [ἐν τῇ ἡμέρᾳ αὐτοῦ]. 25. πρῶτον δὲ δεῖ αὐτὸν πολλὰ παθεῖν, καὶ ἀποδοκιμασθῆναι ἀπὸ τῆς γενεᾶς ταύτης. 26. καὶ καθὼς ἐγένετο ἐν ταῖς ἡμέραις Νῶε, οὕτως ἔσται καὶ ἐν ταῖς ἡμέραις τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου. 27. ἤσθιον, ἔπινον, ἐγάμουν, ἐγαμίζοντο, ἄχρι ἧς ἡμέρας εἰσῆλθεν Νῶε εἰς τὴν κιβωτὸν, καὶ ἦλθεν ὁ κατακλυσμὸς, καὶ ἀπώλεσεν πάντας. 28. ὁμοίως καθὼς ἐγένετο ἐν ταῖς ἡμέραις Λώτ· ἤσθιον, ἔπινον, ἠγόραζον, ἐπώλουν, ἐφύτευον, ᾠκοδόμουν· 29. ᾗ δὲ ἡμέρᾳ ἐξῆλθεν Λὼτ ἀπὸ Σοδόμων, ἔβρεξεν πῦρ καὶ θεῖον ἀπ' οὐρανοῦ, καὶ ἀπώλεσεν πάντας· 30. κατὰ τὰ αὐτὰ ἔσται ᾗ ἡμέρᾳ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἀποκαλύπτεται. 31. ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, ὃς ἔσται ἐπὶ τοῦ δώματος, καὶ τὰ σκεύη αὐτοῦ ἐν τῇ οἰκίᾳ, μὴ καταβάτω ἆραι αὐτά· καὶ ὁ ἐν ἀγρῷ ὁμοίως μὴ ἐπιστρεψάτω εἰς τὰ ὀπίσω. 32. μνημονεύετε τῆς γυναικὸς Λώτ. 33. ὃς ἐὰν ζητήσῃ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ περιποιήσασθαι ἀπολέσει αὐτήν· ὃς δ' ἂν ἀπολέσῃ, ζωογονήσει αὐτήν. 34. λέγω ὑμῖν, Ταύτῃ τῇ νυκτὶ ἔσονται δύο ἐπὶ κλίνης [μιᾶς]· ὁ εἷς παραλημφθήσεται, καὶ ὁ ἕτερος ἀφεθήσεται. 35. ἔσονται δύο ἀλήθουσαι ἐπὶ τὸ αὐτό· ἡ μία παραλημφθήσεται, ἡ δὲ ἑτέρα ἀφεθήσεται. 36. Καὶ ἀποκριθέντες λέγουσιν αὐτῷ, Ποῦ, κύριε; 37. ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς, Ὅπου τὸ σῶμα, ἐκεῖ καὶ οἱ ἀετοὶ ἐπισυναχθήσονται.

In v. 21 η εκει ℵ B L, aut illic e ff² i l s arm; al η ιδου εκει, add D μη πιστευσητε. In v. 22 D του επιθυμησαι υμας, sim ut concupiscatis a d e, ut desideretis b c ff² i l q; D ημερων τουτων. In v. 23 B* ωδε et ωδε; ℵ B³ L εκει et ωδε; al ut vulg, B pauc minusc om απελθητε μηδε. In v. 24 B D 220. om εν τη ημερα αυτου; item om a b c d e i; l in adventu suo. In v. 29 pluit dominus l, deus c. In v. 30 D εν τη ημερα του υιου τ. α. η αποκαλυφθη, sim in die qua a, in die filii hominis qua c ff² d i l r. In v. 32 D λωθ. In v. 33 B L περιποιησασθαι; liberare b c i; al σωσαι; perdiderit *propter me* b c ff² i l q r dub mt ken; mei causa e; inveniet l; salvam faciet b c f ff² i q mt. In

v. 35 duo in agro etc. in D U al permu it vulg tat syr (sin, cu, utr) arm Amb Aug; rell non habent. In v. 37 *et* aquilae eg ox b (sin v. 20 et interrogabant eum pharisaei et dicebant; v. 24 ab extremo coelorum usque ad extremum eius, sic erit dies Filii hominis; in v. 28 om plantabant, aedificabant; v. 31 in illa hora qui ascendit in tectum, non descendat ut tollat vasa sua ex domo; v. 35 molentes in uno lapide).

Frequenter disserebat Iesus de regno Dei; immo Ioannes baptista, Iesus ipse, apostoli ab eo missi praedicationem auspicati sunt a promissione regni Dei dicentes illud appropinquasse. Inde itaque pharisaei captant occasionem quaerendi (cf. *Euth. Cai. Ians. Luc. Ipr. Mald. Lap. Calm.*) v. 20 *interrogatus autem a pharisaeis : quando venit regnum Dei?* eos interrogasse tentandi et insidias struendi causa aliqui putant (cf. *Schegg, Reischl, Fil. Sp.*), id quod si respicitur 11, 53. 54, fortasse nonnemini satis probabile videbitur; alii eos hac quaestione voluisse Christum deridere, quia quamvis toties de regno loqueretur nulla tamen eius indicia cernerentur (cf. *S. Cyr. Theoph. Euth. Ians. Luc. Lap. Calm.*) idque ex tota pharisaeorum indole esse iudicandum *Mald. Ipr.* censent. Attamen duo obstare videntur. Christus enim iis respondet eosque de modo quo regnum Dei veniat edocet; id quod vix fecisset si irrisorie rogassent. Dein evangelista alias sedulo notare solet animum pharisaeorum malevolum (cf. 5,21. 30; 6,7; 7,30. 39; 11,38. 53; 14,1; 15,2; 16,4). Quod cum hoc loco non faciat, cur demum interpres faceret? Quare potius dicendum cum *Bisp. Schanz, Keil, Weiss* eos interrogasse animo non malevolo. Quae eorum, sicut aliorum quoque et ipsorum discipulorum, erat opinio de regno Dei, de restitutione throni David, de hostibus populi Dei subigendis, etiam facile intelligitur, cur et ipsi quaesierint et Christus responderit non de tempore, sed de modo quo regnum Dei veniat; *respondens eis dixit : non venit regnum Dei cum observatione* i. e. non eo modo adspectabili quo illi exspectant; non μετὰ περιφανείας ἀνθρωπίνης, uti fit in terrenis regibus (*Euth.*); non veniet conspicuum ac notabile externo maiestatis splendore, illustre pompa mundana (*Luc.*; similiter *Lap. Schanz, Fil.*); v. 21 *neque dicent : ecce hic aut ecce illic,* uti scil. dici potest de rege victore qui in certa civitate vel regione sedem collocat, milites et asseclas ad se vocat, stipendia et praemia suis distribuit. Dictum est postea : ecce hic, ecce illic, quando pseudochristi miseram Iudaeorum plebem decipiebant. Hisce itaque eos revocat a falsa opinione de regno messiano, quasi regno terreno, simili regno quod David vel Salomon tenebant.

Et quam merito talem regni indolem neget manifestum est : *ecce enim regnum Dei intra vos est,* i. e. inter vos iam eius regni initia et fun-

damenta consistunt. Dicit itaque pharisaeis idem quod eis iam baptista exprobravit : medius vestrum stetit quem vos nescitis (Ioan. 1,26), idem quod ipse quoque alias indicavit dicens : si in digito Dei eiicio daemonia, profecto pervenit ad vos regnum Dei (11,20. Matth. 12,28). Non est dubium quin ἐντὸς ὑμῶν possit significare *inter vos*, cuius notionis exempla apud scriptores profanos haud raro reperiuntur (cf. *Schegg, Schanz*) et *Euth.* explicat ἐντὸς αὐτῶν, ὡς ἐν μέσῳ αὐτῶν ἀναστρεφόμενος de quo et praecursor dixit : μέσος ὑμῶν ἔστηκεν medius vestrum stetit quem vos non nostis. Bene advertit *Alb.* : « secundum litteram hic intendit regnum materiale iam esse intra pharisaeos, quia et rex iustorum et prima ordinatio potestatum et principum apostolorum et discipulorum fuit intra eos et non recognoverunt » vel, ut *Ians.* ait : iam inter Iudaeos suam vim exserit regnum Dei per miraculorum operationem, daemonum expulsionem et multorum ad fidem concursum. Et similiter verba illa explicant *Lap. Lamy, Reisch, Schanz, Weiss, Sp.*

Alii interpretantur ἐντὸς ὑμῶν : in vestra potestate est, ut illud consequamini ; ita *S. Cyr. Theoph.* ita *Tertullianus* quoque : intra vos est, id est, in manu vestra, in potestate vestra, si audiatis, si faciatis Dei praeceptum (c. Marc. 4,35). Quae explicatio etsi a proprietate verborum recedat saltem id habet commodi, ut verba eo sensu ad pharisaeos dici posse constet. Verum quod sat multi exponunt : intra vos i. e. regnum Dei est in animis vestris, est in cordibus vestris, de pharisaeis dici nequit. Ad eos tamen sermo dirigitur, cum iis respondeat Christus eosque alloquatur, uti evidens est. Verum quidem est quod monent regnum Dei in iis quae ad animum pertineant positum esse ; esse doctore apostolo iustitiam et pacem et gaudium in Spiritu sancto (Rom. 14,17). At quaestio hoc loco est dicatne Christus regnum Dei esse in animis pharisaeorum. Id ne illi ipsi quidem asserere audent. Quare verba *intra vos* vario modo extenuant : illud ὑμῶν non dici de omnibus pharisaeis (*Orig.*), dici generatim de animis hominum, quibus nihil interius aut praesentius esse possit (*Luc. Bisp.*) vel dici quia complures homines aequales pharisaeorum essent de regno Dei (*Luc.*) ; vel quia fuerit in pharisaeis per veram unius Dei fidem, per quam inchoetur regnum Dei aut quia proxime intra illos futurum sit post missionem Spiritus sancti aut quia illud *vos* significet omnes fideles fide viva (*Cai.*), vel ea dictione solum asseri : non esse quaerendum foris, quod intus quaeri debeat et inveniri possit ; proinde non affirmari quasi esset in pharisaeis regnum Dei, sed solum efferri naturam regni quod de se sit spirituale et invisibile (*Ipr.*) vel *intra vos* i. e. in animis eorum qui regnum illud desiderant (*Keil*), ita ut non solum pharisaei intelligantur (*Fil.*), vel *intra vos est* i. e. vos aliosque omnes doceri ubinam regnum Dei quaerendum sit (*Schegg*). Aliam viam ingreditur *S. Ambr.* haec verba scil. dici ad discipulos.

Quae explicationes quam coactae sint manifestum est, cum a proprietate

verborum vel plane recedant vel ad alios dirigi sermonem statuant. Quae incommoda omnia evitantur, si priorem interpretationem sequimur : inter vos versatur regnum Dei. Quam etiam tangere videntur *S. Cyr. Theoph. Bon.*, quia praeter aliam etiam in medium proferunt quod Ioan. 1,26 habetur : medius vestrum stetit quem vos nescitis. Verum quidem est quod *Schegg* urget ἐντός in aliis s. Scripturae locis solum reperiri in notione *intra, intus* (Matth. 22,26. Ps. 38,4; 108, 22. Cant. 3,10. Dan. 10,16); at cum ἐντός aliter quoque apud graecos adhibeatur et nostro loco haec sola notio aptum fundat sensum in sermone ad pharisaeos dicto, dubium esse nequit utra significatio sit seligenda.

Mentione facta de regno Dei Iesus discipulos edocet de sorte quae ipsis in hoc regno Dei continget; v. 22 *et ait ad discipulos suos* (nunc explicite dicitur sermonem fieri ad discipulos; proinde patet illud *vos* in v. 21 non posse explicari sensu quodam generali) : *venient dies, quando desideretis videre unum diem*, μίαν τῶν ἡμερῶν i. e. τινά unum aliquem *Filii hominis et non videbitis;* dies Filii hominis est dies quo singulari quadam ratione se exhibet iudicem, vindicem, ultorem; quare secundus eius adventus ad iudicium peculiari modo dies Domini dicitur. Significat igitur Dominus, instare tempus quo ob fidem Christi et praedicationem evangelii multa adversa et persecutiones graves et contradictiones et tribulationes adeo in eos incurrant eosque affligant, ut vehementi desiderio ipsius Domini iudicis manifestationem et adventum exoptaturi sint. Et profecto haud raro Ecclesia Christi ea tempora vidit quibus multi fideles ardenter desiderabant, ut Dominus subito insigni quadam clade prostratis Ecclesiae inimicis sponsam suam redderet triumphantem et gloriosam. At cum Iesus dicat : *et non videbitis,* iis clare innuit se posse et velle permittere, ut quandoque diu premantur calamitatibus et potestate inimicorum, neque se splendido quodam suo interventu et ad admirationem facto esse opem laturum. Qua ratione autem Deus Ecclesiae suae afflictae succurrere soleat bene iam delineat propheta in aquis Siloe quae vadant cum silentio (Is. 8,6) et cum dicat : nolite timere opprobrium hominum et blasphemias eorum ne metuatis; sicut enim vestimentum sic comedet eos vermis, et sicut lanam sic devorabit eos tinea (Is. 51,7.8; cf. quae ad h. l. adnotavi). Intelligi diem de tempore futuro plerique rite censent (cf. *Bed. Alb. Lap. Bisp. Reischl, Schegg, Schanz, Fil.*), pauci de tempore praeterito, de tempore quo Christus in terra cum discipulis versatus sit, ita ut unum ex illis diebus desiderare dicantur (cf. *S. Cyr. Theoph. Mald.*), quae explicatio satis tenuis est.

Ne calamitosis illis temporibus se decipi sinant per pseudoprophetas et pseudochristos graviter monet : v. 23 *et dicent vobis : ecce hic et ecce*

illic! nolite ire neque sectemini; vide ad Matth. 24,23; si enim Christus revera venit in gloria et maiestate, eius adventus ita erit omnibus conspicuus, ut nulla alia admonitione opus sit. Quare quicumque dicunt: ecce hic est Messias etc. statim cognoscuntur mendaces; v. 24 *nam sicut fulgur coruscans de sub coelo in ea quae sub coelo sunt fulget* ἐκ τῆς (χώρας erit supplendum) ὑπὸ τὸν οὐρανὸν εἰς τὴν ὑπ' οὐρανόν fulget ex una regione coeli ad aliam; uno quasi momento ubique effulget et totam regionem late sub coelo patentem illustrat, *ita erit Filius hominis in die sua;* cf. Matth. 24,27; diem vocat suam quia tum gloria ipsius toti mundo erit manifesta eo modo quo antea non fuit. Sed ad hanc gloriam perveniendum est passione; denuo discipulis in memoriam revocat quod iam saepius eos monuerat (9,22. 44; 12,49; 13,33. Matth. 16,21; 17,22; 20,17. Marc. 8,31; 9,30; 10,33) v. 25 *primum autem oportet illum multa pati et reprobari a generatione hac;* nolite itaque mirari si vobis quoque evenerint molesta; nam qua via mihi perveniendum est ad gloriam? ita eos praemunit contra scandalum crucis, ut exemplo suo et consortio passionis simul ac gloriae mitiget mala quae ipsis obventura praedixerat (*Luc.*).

Dies autem ille adveniet inexspectato; quare semper paratos esse oportet, ne dies ille iis evadat in perniciem; v. 26 *et sicut factum est in diebus Noe, ita erit et in diebus Filii hominis;* v. 27 *edebant et bibebant, uxores ducebant et dabantur ad nuptias,* bene dabantur nuptum, ἐγαμίζοντο, cum more veterum patres filias darent nuptum quibus ipsi volebant, *usque in diem qua intravit Noe in arcam et venit diluvium et tulit omnes;* illi vitam degebant totam rebus terrenis immersam, neque aedificatione arcae neque praedicatione Noe (1 Petr. 3,20) ad resipiscentiam adducebantur; remanebant increduli adeoque iis sua culpa ex improviso diluvium ingruebat quo illi omnes perierunt. Simili modo dum hominum plerique solum rebus et voluptatibus terrae dedit sunt, subito ingruet dies Filii hominis; vae illis quos imparatos et peccatis implicatos deprehendet! Aderat olim Noe praeco iustitiae; nulla ei est adhibita fides! aderit tum Christi Ecclesia, praeco iustitiae; verum plerique rebus et commodis et negotiis terrenis plane dediti aures habebunt surdas et clausas voci Ecclesiae; v. 28 *similiter sicut factum est in diebus Lot: edebant et bibebant, emebant et vendebant, plantabant et aedificabant,* v. 29 *qua die autem exiit Lot a Sodomis, pluit ignem et sulphur de coelo* cf. Gen. 19,24 *et omnes perdidit,* v. 30 *secundum haec erit qua die Filius hominis revelabitur* i. e. toti intenti erunt negotiis terrenis, nihil minus quam de mundi fine et districto iudicio cogitantes (*Luc.*); Christi gloria nunc hominibus abscondita est; tum omnibus fiet manifesta; revelari saepius dicitur

de altero eius adventu in maiestate (cf. 1 Cor. 1,7; 3,13. 2 Thess. 1,7. 1 Petr. 5,4. 1 Ioan. 2,28).

Exemplis diluvii et destructionis Sodomorum allatis patet diem Domini interitum esse allaturum hominibus qui rebus terrenis prorsus sint immersi. Quare suos docet Iesus animis ita esse debere comparatos, ut nullo rerum mundanarum studio vel amore capiantur vel retineantur; v. 31 *in illa hora qui fuerit in tecto et vasa eius in domo, ne descendat tollere illa, et qui in agro, similiter non redeat retro;* « flocci facere iubet rem quamlibet terrenam ac temporalem atque unum prae oculis scopum habere, ut animam quisque suam salvet » (*S. Cyr.*). Itaque paratos nos esse oportet ut statim tales quales ille dies nos deprehendat Christo occurrere possimus; quare nullo impedimento nos retineri oportet neque ulla iam erit mora vel opportunitas nos expediendi vel nobis providendi. Id Christus locutione proverbiali demonstrat. Debemus ergo esse directi ad regnum Dei (*S. Ambr.*), quae retro sunt obliviscentes ad ea autem quae sunt priora extendentes nos ipsos et despectis mundanis perseveranter tendentes ad aeterna (*S. Bon.*). Hanc itaque curam solam animis vult insidere, ut parati sint et expediti ad diem iudicii (cf. *Cai. Luc. Fil.*). Ad quod monet v. 32 *memores estote uxoris Lot;* cf. Gen. 19,17. 26; quae scil. respexit ac periit; uxor enim incredula verbis angeli (cf. Sap. 10,7) respexit affectu et studio eorum quae invita et dolens, corpore quidem relinquere cogebatur, at animo non reliquerat (cf. *Luc. Lap. Bisp. Schanz, Fil.*).

Proinde ut tuti et securi illum diem opperiri possimus, debemus nos expedire ab omni amore inordinato, ab omni timore mundano, ita ut vitam potius profundamus quam a Christo recedamus v. 33 *quicumque quaesierit animam suam salvam facere perdet illam,* qui commodo suo temporali ita studet, ut pro fide ac virtute bona terrestria et ipsam vitam prodigere recuset, ille revera se ipsum perdet; *et quicumque perdiderit illam, vivificabit eam;* qui commoda temporalia et vitam ipsam Christi causa amiserit, ille cuncta cum lucro ingenti recuperabit; nam, ut *Eus.* dicit, prodigos tunc esse oportet non rei familiaris tantummodo, verum etiam vitae eos qui in apostasiae aetatem incurrent, ne dum animam suam conservare temporalique vitae parcere student, hanc simul et aeternam vitam amittant victi scil. vel voluptatibus vel timore persecutionum. Quare *S. Cyr.* bene dicit eos perdere animam suam ut salvent, qui carnem suam crucifigunt cum vitiis et concupiscentiis suis et *S. Bon.* totius periculi rationem esse conversionem ad bonum privatum quo quis nimis se ipsum diligat (sim. *Cai.*). Ceterum vide ad 9,24 et ad Matth. 10,39 et Marc. 8,35. Ex omni vitae conditione alios iri assumptum, reiectum alios docet Christus; quare ne-

mo desperet, nemo praesumat, sed sibi ipsi caute provideat v. 34 *dico vobis : in illa nocte erunt duo in lecto uno;* antea vocaverat diem, intelligendo generatim tempus; nunc noctis fit mentio vel quia de duobus in uno lecto cubantibus exemplum depromitur vel quia Dominus venit tamquam fur in nocte, ut adventus subitus, inexspectatus notetur (cf. *Schegg, Schanz*), vel quod plures approbant, ut tempus tribulationis et angustiae, terroris et horroris nota illa metaphora noctis et tenebrarum declaretur (cf. *S. Ambr. Bed. Bon. Alb. Luc. Lap. Fil.*), *unus assumetur, et alter relinquetur,* unus scil. obviam ibit Christo in aera et in gloriam assumetur; cf. 1 Thess. 4,16 rapiemur in nubibus obviam Christo in aera et sic semper cum Domino erimus; alter a consortio gloriae excludetur; v. 35 *duae erunt molentes in unum,* simul molentes, *una assumetur et altera relinquetur;* priore exemplo divites, hoc designari pauperes, quorum alii salvi, reprobi erunt alii, *Eus. Cyr. Theoph. Cai. Luc.* exponunt; *duo in agro, unus assumetur et alter relinquetur,* quae pars in plerisque codd. unc. deest (vide lect. var.); ceterum cf. Matth. 24,40; v. 36 *respondentes dicunt illi* i. e. ex Iesu verbis occasionem quaerendi capiunt : *ubi Domine?* ubi haec erunt, ubi assumentur? v. 37 *qui dixit illis : ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur (et) aquilae;* respondet Christus, ut bene dicunt *Alb. Cai. Luc. Lamy,* per similitudinem : non opus est monitore, sicut non admonendae sunt aquilae ubi sit cadaver; naturali instinctu atque impetu undique conveniunt ad cadaver; proinde locutione quasi proverbiali indicat undique electos vi quadam innata et celerrimo quasi volatu ad se iri congregatum. Sunt qui aquilas de electis, corpus de Christo explicent (cf. *S. Cyr. Bed. Bon. Euth. Theoph.* etc.); alii vero id significari volunt : ubicumque mali invenientur ibi quoque erit iudicium (cf. *Schanz, Fil. Keil, Weiss*). Ceterum pluribus de his verbis disputavi ad Matth. 24,28.

Legentibus facile patet hunc Domini sermonem in pluribus similem esse illi quem legimus Matth. 24. Attamen perperam quis diceret esse eundem vel ex eo depromptum. Christum enim de re adeo gravi, de suo adventu ad iudicium non solum semel, ultimo tempore ante passionem, sed saepius disseruisse iam ex eo concluseris quia alias quoque documenta gravia saepius proponere solet. Dein occasio huius sermonis est plane alia. Apud Matth. 24 sermonis occasionem capit ex eo quod discipuli ostendant magnificas templi aedificationes et ibi prius agit de ruina urbis, quem sermonem Lucas pariter proponit postea cap. 21; hic autem sermo nascitur ex quaestione pharisaeorum : quando venit regnum Dei? neque quidquam inseritur de destructione urbis Ierusalem. Nam quod *Alb. Lamy, Calm. Schegg* unam alteramve sententiam ad obsidionem urbis referri censent, plane a con-

texta oratione alienum est neque ullo indicio innuitur. Praeterea hic sermo habet peculiaria quaedam ac singularia quae in altero posteriore tempore qui habitus est non deprehendantur. Ita statim ei soli proprius est modus quo a responsione pharisaeis data oratio deflectitur ad discipulos neque alibi legitur sententia in v. 22 expressa, quae plane est sui generis. Huic sermoni porro proprium est alterum illud exemplum ex diebus Lot petitum, pariter admonitio quae ex eius uxore colligitur, item quod in v. 25 legitur; alio contextu (qui tamen facile colligitur ex mentione Lot iussi fugere ex Sodomis) et ad aliam applicationem legitur et ponitur v. 31, qui alio prorsus sensu Matth. 24,16 habetur. Praeterea monitum illud in v. 33 et quaestio discipulorum in v. 36, cum in sermone apud Matth. non reperiantur, etiam suadent esse cogitandum de alio tempore et alio sermone.

c) Orationem esse efficacem 18,1-8.

18,1. Dicebat autem et parabolam ad illos, quoniam oportet semper orare et non deficere. 2. Dicens : Iudex quidam erat in quadam civitate, qui Deum non timebat, et hominem non reverebatur. 3. Vidua autem quaedam erat in civitate illa, et veniebat ad eum, dicens : Vindica me de adversario meo. 4. Et nolebat per multum tempus. Post haec autem dixit intra se : Etsi Deum non timeo, nec hominem revereor, 5. Tamen quia molesta est mihi haec vidua, vindicabo illam, ne in novissimo veniens sugillet me. 6. Ait autem Dominus : Audite quid iudex iniquitatis dicit. 7. Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, et patientiam habebit in illis? 8. Dico vobis, quia cito faciet vindictam illorum. Verumtamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?

18,1. Ἔλεγεν δὲ παραβολὴν αὐτοῖς πρὸς τὸ δεῖν πάντοτε προσεύχεσθαι αὐτοὺς καὶ μὴ ἐνκακεῖν, 2. λέγων, Κριτής τις ἦν ἔν τινι πόλει, τὸν Θεὸν μὴ φοβούμενος, καὶ ἄνθρωπον μὴ ἐντρεπόμενος. 3. χήρα δὲ ἦν ἐν τῇ πόλει ἐκείνῃ, καὶ ἤρχετο πρὸς αὐτὸν, λέγουσα, Ἐκδίκησόν με ἀπὸ τοῦ ἀντιδίκου μου. 4. καὶ οὐκ ἤθελεν ἐπὶ χρόνον· μετὰ ταῦτα δὲ εἶπεν ἐν ἑαυτῷ, Εἰ καὶ τὸν Θεὸν οὐ φοβοῦμαι, οὐδὲ ἄνθρωπον ἐντρέπομαι· 5. διά γε τὸ παρέχειν μοι κόπον τὴν χήραν ταύτην, ἐκδικήσω αὐτὴν, ἵνα μὴ εἰς τέλος ἐρχομένη ὑπωπιάζῃ με.

6. Εἶπεν δὲ ὁ Κύριος, Ἀκούσατε τί ὁ κριτὴς τῆς ἀδικίας λέγει· 7. ὁ δὲ Θεὸς οὐ μὴ ποιήσῃ τὴν ἐκδίκησιν τῶν ἐκλεκτῶν αὐτοῦ τῶν βοώντων αὐτῷ ἡμέρας καὶ νυκτὸς, καὶ μακροθυμεῖ ἐπ' αὐτοῖς; 8. λέγω ὑμῖν, ὅτι ποιήσει τὴν ἐκδίκησιν αὐτῶν ἐν τάχει. πλὴν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐλθὼν ἆρα εὑρήσει τὴν πίστιν ἐπὶ τῆς γῆς;

In v. 1 ελεγεν δε sine και ℵ B L M pl minusc a b c i l q dub eg Ti W H; a ob hoc quod oportet; c ad hoc quia. In v. 4 D χρονον τινα d in aliquod temporis. In v. 5 c mihi tedium facit; b ff² q ne... constringat me; e molestior sit mihi; l invidiam mihi faciat. In v. 7 μακροθυμει ℵ A B D L Q X Π pl minusc (sin v. 1 parabolam hanc ut orent omni tempore et non sit taedium eis; v. 4 et nolebat; postea dixit apud se; v. 7 Deus itaque non eximie faciet etc.).

Haec parabola arcte ad antecedentia adnectitur. Dixerat enim instare suis persecutiones et tribulationes in quibus desideraturi essent videre Christum, ut ab eo auxillium acciperent 17,22; nunc itaque

remedium contra adversa suggerit et quid iis in angustiis praestandum sit docet (cf. *Ians. Mald. Luc. Lap. Schanz*) v. 1 *dicebat autem (et) parabolam ad illos quoniam oportet semper orare et non deficere* πρὸς τὸ δεῖν, qua dictione declaratur ad quid demonstrandum parabola tendat. Orare *semper* vel explicari potest communi loquendi modo quo dicimus aliquem semper facere id quod assidue, magno studio et fervore et frequentissime facit, uti iste semper studet (*Lap.*) vel desumi ex ipsa parabola, scil. ut non desistamus petere a Deo donec consecuti simus, sicut vidua illa semper venit ad iudicem, donec propter suam constantiam rem obtinebat. Ad istam orandi constantiam adiungi-oportet μὴ ἐνκακεῖν *non defatigari* aut delassari (*Ians.*), animum non despondere, etsi oratio non videatur exaudiri a Deo (*Mald. Luc. Lamy, Fil.*), verum alacri animo et instanter pergere, uti vidua in parabola non abiecit animum, verum e contra cum saepius tulisset repulsam audacior facta magis instabat et truces sumebat spiritus, uti ex verbis iudicis v. 5 elucet; v. 2 *dicens : iudex quidam erat in quadam civitate qui Deum non timebat et hominem non reverebatur;* « vide maioris malitiae indicium esse ne homines quidem vereri; Deum enim multi non timent, attamen homines verentur, ideo et minus peccant; quando autem et apud homines quis impudens fuerit, tunc omnis malitiae vertex videtur; idcirco et Dominus secundo loco posuit : nec hominem reverens, quasi dicens : quid dico quod Deum non timuit? maius malitiae indicium habuit, quia ne hominem quidem verebatur » (*Theoph.* sim. *Ians.*). Nam, ut *Mald.* ait, sunt qui quod Dei metu non faciunt hominum respectu faciant, sive quod eos timeant sive quod eis placere velint et cum impii omnino sint, videri pii; perditissimus est qui nec videri quidem bonus cupit.

Erat itaque iudex ille contemptor Dei et hominum. Talem autem describere congruum erat quo magis pateret vis et efficacia quae in constanti postulatione sita est; v. 3 *vidua autem quaedam erat in civitate illa;* inducitur vidua, utpote magis inops et auxilio destituta; unde viduae magis expositae erant iniuriis et oppressionibus; quare earum curam speciali modo Deus commendat (cf. Deut. 14,29; 16,11. 14; 24,17. 19; 26,12; 27,19); viro destituta ipsa debuit per se ius suum prosequi; *et veniebat ad eum dicens : vindica me de adversario meo,* defende me ab illo, ἐκδίκησον, quod accipiunt vel de administratione iustitiae (*Mald. Luc. Weiss*) vel de ultione et vindicta ab adversario capienda; sed cum saepe ius alteri apud iudicem tribui ita debeat, ut alter poenae subiiciatur, non erit multum litigandum expetieritne vidua ius an vindictam, praesertim quia ex vetere lege valebat illud : oculum pro oculo, dentem pro dente etc. (Ex. 21,24. Lev.

24,20. Deut. 19,21); v. 4 *et nolebat per multum tempus* ἐπὶ χρόνον ad tempus, aliquamdiu; *multum* etiam explicant tat arm syr (sch) ev hier; *post haec autem dixit intra se : etsi Deum non timeo nec hominem revereor,* v. 5 *tamen quia molesta est mihi haec vidua* παρέχει μοι κόπον molestiam mihi facessit, *vindicabo illam, ne in novissimo* εἰς τέλος, postremo, tandem *veniens sugillet me* ne faciem meam ictibus luridam faciat ac lividam; est enim ὑπωπιάζειν, ut bene notant *Ians. Luc. Lap.* et recentiores, faciem pugnis aut cestibus ita caedere, ut livida fiat et sanguine commaculetur vel ut sub oculis vibices maculaeque luridae exsistant. Ait itaque iudex : mulier iam ita est furiosa ut me aggredi et verberare parata sit, ni ei obsequar. Unde collige quanta fortitudine, vi et impetu ius postulaverit, etsi iudex de illa sugillatione magis per iocum nec sine exaggeratione loquitur, uti loqui solent qui de importunis et molestis postulationibus conqueruntur.

Iam quid ex parabola nobis sit discendum, cum emphasi Christus monet v. 6 *ait autem Dominus : audite quid iudex iniquitatis dicit!* noluit ius dicere, sed victus est constanti postulatione! Si invitus cogitur et iniustus, quid faciet ille qui est maxime misericors, benignus, iustus? v. 7 *Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte?* quanto igitur magis preces erunt efficaces apud Deum? quippe qui iustissimus non possit negligere iustitiam quam sancti implorant, qui sit maxime misericors, quare non possit non commoveri miseriis eorum qui iniuste oppressi diu noctuque ad eum clamant, et qui clamant sunt electi et dilecti ab eo; porro preces non sunt Deo molestae; proin si res ingrata et molesta efficax fuit apud iudicem, multo magis res gratissima valebit apud Deum (*Ians.*), *et patientiam habebit in illis?* i. e. num moram faciet erga eos? num patietur electos suos diu affligi? num differet eos exaudire et vindicare? ita merito explicant *Cai. Ians. Mald. Luc. Ipr. Lap. Calm. Bisp. Schegg, Schanz, Fil. Weiss;* atque eo sensu μακροθυμεῖν esse capiendum : num tardus erit in eos, scil. num tardabit facere vindictam electorum, aperte consequitur ex ipso Christi ad eam quaestionem responso v. 8 *dico vobis : quia cito faciet vindictam illorum;* ille iudex diu noluit; aliter Deus. Sed quomodo *cito?* non utique semper cito secundum mensuram humanam; sed cum omnia terrena ratione habita aeternitatis brevia sint et momentanea, breves etiam afflictiones illae dici possunt. Nam, ut ait *S. Aug. :* quod tibi videtur longum breve est; omnia ista cito transeunt; quid est longa vita hominis ad aeternitatem Dei (in Ps. 91,6; *M.* 37,1176); ita apostolus quoque praesentis temporis tribulationem appellat momentaneam quia consi-

derabat gloriae aeternitatem (2 Cor. 4,17 ; *Ians. Schanz*). Atque illud quoque in memoriam revocare iuvat quod apostolus opponit anxie vel malitiose quaerentibus : ubi est promissio aut adventus eius? unum hoc non lateat vos quia apud Dominum mille anni sicut dies unus (2 Petr. 3,4. 8). Dein non intelligi *cito*, quam primum voluerint et oraverint, iam ex eo patet quia vult eos orare constanter et perseveranter neque orando defatigari, sed clamare die ac nocte, patet quia desiderantes videre unum diem Filii hominis non videbunt (17,22).

Illud in v. 7 καὶ μακροθυμεῖ ἐπ'αὐτοῖς varie concipitur. Cum verbum alias significet patientem esse, ferre longanimiter aliorum peccata, tardum esse ad irascendum, ad puniendum, etiam hanc notionem aliqui hic retinendam esse volunt, vario tamen modo. Nam aliqui illud αὐτοῖς referunt ad adversarios electorum : non habebit patientiam in eos qui suos offendunt; ita verba latina intelligunt *Alb. Lamy :* an Deus continebit iram qua excandescit adversus eos a quibus pii affliguntur? qui μακροθυμῶν legunt, explicant quandoque : etiamsi iis indulgeat i. e. Deus faciet vindictam, etiamsi adversariis electorum indulgeat. Alii longanimem esse referunt ad electos; ita *Theoph. Euth. :* Deus faciet brevi vindictam καίτοι μακροθυμῶν quamvis differat et videatur non audire orantes die ac nocte, quamvis videatur negligere aliquo tempore, ut probentur; eodem modo *Keil :* nonne longanimitatem erga eos exhibet, quia non statim eorum audit clamorem, ut eos eripiat? Quae tamen acceptio cum v. 8 non congruit, in quo Christus adeo clare affirmat : cito faciet vindictam.

Quaerunt etiam quomodo electi clament vindictam. Posset quoque responderi hoc loco non id enuntiari, sed solum affirmari eos clamare ad Deum, ut scil. opem ferat, liberet ab oppressione; neque quod in parabola dicitur : vindica me, necessario in applicatione parabolae trahi debet ad vindictam quam electi postulant. Sed vero et bono sensu etiam electi dici possunt expetere vindictam. Idque varia ratione; nam si petunt ut liberentur ab oppressoribus, ut Deus impetum adversariorum coerceat, iis Ecclesiae suae damnum inferre ne permittat, postulant id quod si Deus concedat plerumque cum acri poena et humiliatione adversariorum coniunctum est. Petunt, ut *Cai.* dicit, formaliter : adveniat regnum tuum; sed quia adventus regni Dei annexam habet vindictam i. e. punitionem iniuriarum electis Dei illatarum, ideo clamor iste est virtualiter petens vindictam. Contra inimicos Ecclesiae Deo supplicamus, ut ait *S. Cyr.* auxilium eius implorantes et adversus hostes gloriae Dei reclamamus cum Moyse : exsurge Domine, dissipentur inimici tui; fugiant omnes qui oderunt nomen tuum (Num. 10,35. Ps. 67,1). Postulamus itaque, sicut *Beda* indicat, ut inimici per supplicium eam amittant potestatem qua nunc adversus bonos valent. Demum recte quoque dici potest electos precari vindictam eo modo quo eam prophetae quoque in s. litteris haud raro precantur ex zelo iustitiae et consideratione divinae aequitatis, cui suam conformant voluntatem at-

que ex zelo gloriae divinae quam inde vident illustrandam (*Ians.*). De qua re vide quae disputat de psalmis qui imprecatorii dicuntur *Cornely,* Introd. II 2 p. 120-123.

Utique electi magnopere desiderabunt diem Domini, et praesertim illud desiderium quam maxime augebitur ultimis illis ac summis tribulationibus quae ante diem Domini ingruent (cf. Matth. 24,22. Marc. 13,20. 24. Luc. 21,26). Verum num multi, num longe plures ea fide et desiderio adventum Christi exspectabunt et exoptabunt? Aliquod responsum iam datum est 17,26-28, ubi homines describuntur rebus terrenis prorsus implicati; aliud habes hic : *verumtamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* figuram interrogationis raros fore denotare monet iam *S. Cyr.;* uti Messias in primo suo adventu paucos invenit credentes in populo suo — oportet illum reprobari a generatione hac 17,25 — ita simile quid deprehendet in secundo. Nam, uti Christus dicit, surgent pseudoprophetae et dabunt signa et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi (Matth. 24,24); haec est apostasia illa et seductio, de qua apostolus scribit 2 Thess. 2,3 seq. (cf. 2 Petr. 3,3). Vides in hac quoque re apostolos idem docere quod Christus praedixerat. Quare ad verba haec Christi explicanda non opus est dicere cum *S. Aug.* eos intelligi qui habeant fidem qua montes etiam transferantur et eos quidem esse rarissimos et de tali fide Dominum haec dixisse (c. Gaudentium 2,6; *M.* 43,745). Ex hac ultimorum temporum descriptione, sicut ex aliis Christi verbis et parabolis, etiam colligi potest nullo modo commendari opinionem quorundam chiliastarum fore ultimis temporibus maximum quendam Ecclesiae splendorem ac triumphum et eximiam ac beatam fere omnium sanctitatem (contra quos egi in Comment. Ez. p. 515).

d) De humilitate 18,9-17.

18,9. Dixit autem et ad quosdam, qui in se confidebant tanquam iusti, et aspernabantur caeteros, parabolam istam : 10. Duo homines ascenderunt in templum ut orarent; unus pharisaeus, et alter publicanus. 11. Pharisaeus stans, haec apud se orabat : Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut caeteri hominum raptores, iniusti, adulteri; velut etiam hic publicanus. 12. Ieiuno bis in sabbato; decimas do omnium quae possideo. 13.

18,9. Εἶπεν δὲ καὶ πρός τινας τοὺς πεποιθότας ἐφ' ἑαυτοῖς ὅτι εἰσὶν δίκαιοι καὶ ἐξουθενοῦντες τοὺς λοιποὺς, τὴν παραβολὴν ταύτην· 10. Ἄνθρωποι δύο ἀνέβησαν εἰς τὸ ἱερὸν προσεύξασθαι· εἷς Φαρισαῖος, καὶ ὁ ἕτερος τελώνης· 11. ὁ Φαρισαῖος σταθεὶς ταῦτα πρὸς ἑαυτὸν προσηύχετο· Ὁ Θεὸς, εὐχαριστῶ σοι, ὅτι οὐκ εἰμὶ ὥσπερ οἱ λοιποὶ τῶν ἀνθρώπων, ἅρπαγες, ἄδικοι, μοιχοὶ, ἢ καὶ ὡς οὗτος ὁ τελώνης. 12. νηστεύω δὶς τοῦ σαββάτου, ἀποδεκατεύω πάντα ὅσα

Et publicanus a longe stans, nolebat nec oculos ad coelum levare, sed percutiebat pectus suum, dicens : Deus, propitius esto mihi peccatori. 14. Dico vobis : descendit hic iustificatus in domum suam ab illo : quia omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur.

15. Afferebant autem ad illum et infantes, ut eos tangeret. Quod quum viderent discipuli, increpabant illos. 16. Iesus autem convocans illos, dixit : Sinite pueros venire ad me, et nolite vetare eos; talium est enim regnum Dei. 17. Amen dico vobis : quicumque non acceperit regnum Dei sicut puer, non intrabit in illud.

κτῶμαι. 13. ὁ δὲ τελώνης μακρόθεν ἑστὼς οὐκ ἤθελεν οὐδὲ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐπᾶραι εἰς τὸν οὐρανόν· ἀλλ' ἔτυπτε τὸ στῆθος ἑαυτοῦ, λέγων· Ὁ Θεὸς ἱλάσθητί μοι τῷ ἁμαρτωλῷ. 14. λέγω ὑμῖν, κατέβη οὗτος δεδικαιωμένος εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ, παρ' ἐκεῖνον, ὅτι πᾶς ὁ ὑψῶν ἑαυτὸν ταπεινωθήσεται· ὁ δὲ ταπεινῶν ἑαυτὸν ὑψωθήσεται.

15. Προσέφερον δὲ αὐτῷ καὶ τὰ βρέφη, ἵνα αὐτῶν ἅπτηται· ἰδόντες δὲ οἱ μαθηταὶ ἐπετίμων αὐτοῖς. 16. ὁ δὲ Ἰησοῦς προσεκαλέσατο λέγων, Ἄφετε τὰ παιδία ἔρχεσθαι πρός με, καὶ μὴ κωλύετε αὐτά· τῶν γὰρ τοιούτων ἐστὶν ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ· 17. ἀμὴν λέγω ὑμῖν, Ὃς ἂν μὴ δέξηται τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ ὡς παιδίον, οὐ μὴ εἰσέλθῃ εἰς αὐτήν.

In v. 10 priore loco publicanus, altero pharisaeus a b c ff² i l. In v. 12 rite vertunt κτωμαι *adquiro* d i q. In v. 14 dico *itaque* b c f l; παρ εκεινον ℵ B L aliq minusc sah cop Or; D μαλλον παρ εκ; al η γαρ εκ. Ti; magis ab illo eg; prae illum pharisaeum a; magis quam ille phar b c e (qui se exaltat) f ff² i l q r; magis quam phar ger mt; magis praeter illum phar d. In v. 15 offerebant a d e mt val; obiurgabant a, corripuerunt e, prohibebant r. In v. 16 imperavit eis dicens a; parvulos dub car rush tol wil; infantes a d i r; prohibere it dub mt ken (sin v. 12 sed ieiuno etc. v. 15 ut poneret manum super eos, et increpabant eos discipuli; v. 16 dixit eis Iesus : sinite etc.).

Nexus cum praecedente et ipsius doctrinae ulterior explicatio ita concipi potest ut ad fidem adiungi debeat vera animi demissio (cf. *Bed. Bon. Alb. Schanz*); superbis enim Deus resistit, humilibus dat gratiam (1 Petr. 5,5. Iac. 4,6). Et cum teste apostolo Iudaei ideo regno messiano nomen dare renuerent, quia suam quaerentes statuere iustitiam iustitiae Dei non sunt subiecti (Rom. 10,3), certe quam maxime erat, cur Iesus eos dedoceret qui pharisaeorum sentiendi modo infecti suam coram Deo ostentabant iustitiam. Uti in exemplo pharisaei dedocet, ita precatione publicani quam maxime suos docet quae animi affectio Deo sit grata et ab ipso gratiae donis honoretur. Cum publicani tamquam peccatores publici haberentur et eodem cum gentibus impiis censu collocarentur, precatio publicani et eius coram Deo in gratiam receptio non poterat non esse gentibus et documento utilissimo et maximo solatio; v. 9 *dixit autem et ad quosdam* πρός τινας; ita *ad* quosdam (*Schegg, Bisp. Fil. Keil, Weiss, Sp.*), non *de* quibusdam (*Schanz*), cum saepe εἰπεῖν πρὸς priore notione adhibeatur (cf. 1,13. 18. 28. 34. 61; 2,15. 34. 48. 49; 3,12. 13; 4,23. 43; 5,4. 10. 22. 31. 33. 34. 36; 6,9; 7,40. 50; 8,21. 22; 9,3. 13. 14. 33.

44. 50. 57. 59; 10,26 etc. etc.) eodemque modo scribere solet Lucas λέγειν, λαλεῖν πρός τινα; quare nulla est ratio recedendi ab usu adeo frequenti et constanti. Praeterea inter eos qui Iesum vel sequebantur vel audiebant certo erant qui pharisaico more animos habebant affectos; immo quid obstat quominus haec ad ipsos pharisaeos dicta esse existimemus?

Pharisaei quidem non nominantur — quare plerique ad eos sermonem dirigi negant — at tales nobis describit evangelista quales quam maxime erant pharisaei : *qui in se confidebant tamquam iusti* ὅτι... εἰσίν se esse iustos, qualem fiduciam in se collocarent et quid de se confiderent exprimitur; *Schanz* exponit *quoniam;* sed πέποιθα, ut Rom. 2,19 accusativo cum inf. declaratur quae sit fiducia, uti Phil. 1,6 idem declaratur per ὅτι, ita hoc loco quam maxime congruum est, ut exponatur qua in re illa sui ipsorum confidentia constiterit, *et aspernabantur ceteros,* nihili facientes, prorsus despicientes; hunc fuisse morem pharisaeorum, ipso nomine declarabant quo se vocabant pharisaeos, separatos scil. ab omni immunditia et ab omnibus hominibus immundis et a plebe communi, qui scil. ipso suo nomine singularem sibi vindicabant puritatem et iustitiam (cf. *Schürer* l. c. II p. 329 seq.). Ad eiusmodi igitur homines dixit *parabolam istam :* v. 10 *duo homines ascenderunt in templum,* in colle Moria situm, ad quem collem ex urbe ascendebatur, *ut orarent, unus pharisaeus et alter publicanus;* v. 11 *pharisaeus stans haec apud se orabat,* Iudaei quidem haud raro stare solebant orantes (cf. 1 Reg. 1,25. 3 Reg. 8,22. Matth. 6,5. Marc. 11,25); nihilominus hoc loco in σταθείς significari elationem animi et sui confidentiam plerique existimant (cf. *Alb. Bon. Theoph. Mald. Ians. Luc. Ipr. Lap. Schanz, Fil.*), qua se constituat coram Domino, quae acceptio commendari potest eo quod in publicano corporis habitus ad animi demissionem factus describitur, *Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut ceteri hominum, raptores, iniusti, adulteri;* bene quidem videtur incipere, cum Deo agat gratias; « at cetera quanta referta sunt arrogantia; neque enim dixit : fecisti me abstinere ab iniustitia; sed quomodo? non sum; sibi ipsi attribuit bonum opus et suo robori » (*Theoph.*); et gratias agendo male sibi placuit et alios prae se superbe contempsit; sic enim sibi placuit, ut in sua gratiarum actione suas tantum laudes commemoraret adeo ut nihil ad suae iustitiae complementum sibi petendum putaret (*Ians.*).

Quid est, ait *S. Aug.* (serm. 115,2; *M.* 38,656), sicut ceteri homines, nisi omnes praeter ipsum? ego, inquit, iustus sum; ceteri peccatores; atque ita quoque verba explanant *S. Bon. Mald. Luc. Ipr.*

Lap. Lamy, Calm. Fil. Weiss; alii tamen aliter : sicut ceteri homines qui scil. non sint pharisaei (*Schegg, Schanz*) et *Cai.* monet : « nec tam desipiens putandus est, ut iste se reliquo humano generi praeferret, sed determinantur *ceteri homines* per subsequentia : raptores... ita quod sensus est : non sum sicut alii homines qui sunt raptores etc. »; similiter *Ians.;* at οἱ λοιποὶ τῶν ἀνθρώπων non sunt solum vel aliqui alii vel maior quasi hominum pars, sed reliqui omnes i. e. praeter pharisaeos. Nam a pharisaeo pharisaeos non dici communibus hominum vitiis inquinatos satis certum est et ad superbiam pharisaicam omnino congruit reliquos omnes praeter genus pharisaicum summo prosequi contemptu; *velut etiam hic publicanus,* « et ecce tibi ex vicino publicano maioris tumoris occasio » (*S. Aug.*); videt eum orantem; non optat ut convertatur nec Deum pro eo rogat, sed e contra Deo in memoriam revocare vult quantus et qualis ille sit peccator, nec sibi dicit publicanum quia oret iam ad meliorem frugem rediisse. Verum quantopere fallatur et quantopere ei esset exoptandum ut esset sicut iste publicanus quem contemptim nominat, Christus statim declarabit v. 14.

Texuit pharisaeus suas laudes secundum illud : declina a malo et fac bonum (*Theoph. Cai. Ians. Mald.*); « introducuntur enim ipsius gratiarum actio fastuosa, reprehensio aliorum praesumptuosa, commendatio sui vane gloriosa » (*S. Bon.*) v. 12 *ieiuno bis in sabbato* τοῦ σαββάτου bis in hebdomada, qua significatione σάββατον quandoque reperitur (cf. Marc. 16,9; communiter vero τὰ σάββατα); ieiunabant pharisaei feriis secunda et quinta (uti *Theoph.* recte commemorat), quia ex rabbinorum opinione Moyses ad tabulas legis secundo accipiendas feria quinta ascendit in montem et feria secunda rediit (cf. *Lamy, Calm. Ed.* I p. 662; II. 291 *Wünsche* p. 476); *decimas do omnium quae possideo* κτῶμαι acquiro, praecepta de decimis (Ex. 22,29. Lev. 27,30. Deut. 12,6. 17; 14,23; 26,12) accurate se observare gloriatur et scimus pharisaeos de minimis quoque decimas solvisse idque sibi peculiari honori et merito vertisse (cf. Matth. 23,23. Luc. 11,42); quare cum emphasi ait *do omnium* quae acquiro. Ergo in utraque re se plus praestare ait quam praeceptum est; nam unus solum singulis annis dies ieiunii lege erat praescriptus, dies scil. expiationis (Lev. 16,29. Num. 29,7); postmodum dies quidam nefasti quoque ieiunio celebrabantur (cf. Zach. 7,5; 8,19). Unde indicat quam religiose observet quae praecepta sunt, cum Deo enumeret quae ultro et ultra mandata peragat; « perfectam iustitiam servo et erga meipsum et erga Deum, quia carnem macero bis ieiunando in septimana, et pietatem erga Deum servo reddendo decimas » (*S. Bon.*). Alios obnoxios esse dixerat iniu-

stitiis et voluptatibus, se exhibet plus reddentem quam debet et abstinentiae studiosum[1]. « Quam disertus aliorum accusator, quam facundus laudator sui » (*Mald.*). Et bene notat *S. Aug.* : « quid rogaverit Deum quaere in verbis eius, nihil invenies; ascendit orare, noluit Deum rogare sed se laudare; parum est non Deum rogare sed se laudare, insuper et roganti insultare ». Solent hic ex S. Gregorio adduci « quattuor species quibus omnis tumor arrogantium demonstratur : cum bonum aut a semetipsis habere se aestimant; aut si sibi datum desuper credunt, pro suis se hoc accepisse meritis putant; aut certe cum iactant se habere quod non habent; aut despectis ceteris singulariter videri appetunt quod habent; qua pharisaeus iste iactantiae peste laborasse deprehenditur » (ita *Bed.* cf. *S. Bon. Alb. Ians. Mald. Lap. Schegg, Schanz;* leguntur illae species tumoris apud S. Greg. in Iob 32,8; Moral. lib. 23,6. 13; *M.* 76,258).

Aliter publicanus, qui toto habitu externo prae se fert animi demissionem, contritionem, summam reverentiam erga Deum quem adorat v. 13 *et publicanus a longe stans*, se reputat indignum qui prope accedat, infimo loco humiliter consistit, « sed Dominus eum de propinquo attendebat » (*S. Aug.*), *nolebat nec oculos ad coelum levare* i. e. non audebat; sed pudibundo aspectu animae timiditatem significabat (*S. Cyr.*) et quam indignum se reputaret et pudore confusum ostendebat, *sed percutiebat pectus suum*, quod est signum luctus et doloris; « pectus tundit, peccata fatetur, ostendit velut medico morbum suum, misericordiam implorat » (*S. Cyr.*) vel, ut *S. Aug.* dicit : tundere pectus quid est nisi arguere quod latet in pectore et evidenti pulsu occultum castigare peccatum (serm. 67; *M.* 38,433)? *dicens : Deus propitius esto mihi peccatori* τῷ ἁμαρτωλῷ, articulus habet emphasin; se singulari ratione quasi iure praecipuo peccatorem declarat, de se solo cogitans « quasi solus fuisset peccator » (*Ians.*). Nota hic, monet *S. Bon.*, brevissimam orationem et efficacissimam quia in hac orans seipsum humiliat et Deum exaltat : oratio humiliantis se nubes penetrat et donec propinquet non consolabitur et non discedet donec Altissimus aspiciat (Eccli. 35,21). Nihil petit nisi misericordiam talem

1. Precatio haud multum absimilis affertur ex tract. Berachot fol. 28 b; si quis ex domo doctrinae (בית מדרש) egreditur, hanc dicere iubetur orationem : gratias ago tibi Deus quod partem meam destinasti inter eos qui sedent in domo doctrinae, non inter eos qui sedent in angulis (nummularii scil. et nogotiatores); ego surgo prima luce et illi surgunt prima luce; ego surgo ad verba (res) legis, illi surgunt ad res vanas; ego laboro et illi laborant; ego laboro et accipio mercedem, isti laborant neque accipiunt mercedem; ego curro et isti currunt; ego curro ad vitam saeculi futuri, illi currunt ad foveam perditionis; cf. *Wünsche* p. 476; *Ed.* II p. 291 refert inter alia dixisse rabbi Simeon ben Jochai : si sunt duo iusti in mundo, hi sumus ego et filius meus; si vero solum unus, ego sum.

qua Deo reconcilietur; nulla practendit merita, nullas affert excusationes, libere se cum emphasi fatetur peccatorem, et dum Dei implorat propitiationem, significat id maxime animum pulsare et torquere quod Deum offensum habeat, nihil magis se optare quam ut eum habeat placatum. Exhibetur itaque nobis in publicano vivum quoddam exemplum poenitentiae : propriae indignitatis agnitio et quae ex ea nascitur sui ipsius deiectio et erubescentia, serius de peccatis dolor, bona de benignitate divina confidentia, quae tres conditiones verae poenitentiae in eius habitu verbisque praeclare exprimuntur (cf. *Ians.*). « Ecce qui rogat; quid miraris si Deus ignoscit, quando ipse se agnoscit » (*S. Aug.*)?

« De pharisaeo et publicano accepisti controversiam, audi sententiam ; audisti superbum accusatorem, audisti reum humilem, audi nunc iudicem : v. 14 *dico vobis*, veritas dicit, Deus dicit, iudex dicit » (*S. Aug.*) : *descendit hic iustificatus in domum suam ab illo* παρ' ἐκεῖνον prae illo ; qua dictione enuntiari solet id de quo agitur alteri vel minus vel omnino non attribui. Utrum assumendum sit, re ipsa vel oratione contexta diiudicari debet. Hic sensus est, ut bene *Euth.* dicit : οὐκ ἐκεῖνος, si quidem qui se adeo iustum declaraverat a Deo condemnatus est, qui se accusaverat, a Deo iustificatus est (sim. *Theoph.*), uti *Tertullianus* quoque dicit pharisaeum reprobatum, publicanum iustificatum descendisse (c. Marc. 4,36; *M.* 2,449), eodemque modo recentiores explicant (cf. *Schanz, Fil. Weiss*). Adhibetur itaque comparatio eo fere sensu quo Ioan. 3,19 et 1 Tim. 1,4; cf. Gen. 38,26. Hab. 1,13; negari quippe iustificationem pharisaei etiam conficitur, cum Christus pergat : *quia omnis qui se exaltat humiliabitur et qui se humiliat exaltabitur ;* cf. 14,11 et Matth. 23,12; « audisti sententiam, cave causam malam; aliud dico : audisti sententiam, cave superbiam » (*S. Aug.*). In hisce duobus duos quoque populos describi, Iudaeos superbos et gentiles aliqui censent (cf. *Bed. Bon.*), id quod aliqua parabolae vel extensione vel accommodatione dici potest.

Hic quoque finiuntur ea quae a 9,51 Lucas fere solus refert. Quae subsequuntur enim plerumque etiam ab aliis synopticis simili modo enarrantur. Ex Matth. 19,1. 13 et Marc. 10,1. 13 patet benedictionem parvulorum in Peraea factam esse; unde concludendum erit Iesum per regionem inter Samariam et Galilaeam profectum (17,11) tetendisse in Peraeam et inde in urbem Iericho (19,1) et in Ierusalem (19,28). Eo in itinere in Peraea doctrina quoque tradita est de indissolubili vinculo matrimonii et de praestantia virginitatis (Matth. Marc. l. c.); illam paucis tetigit Lucas supra contra pharisaeos 16,18; hanc in exemplo Iesu et apostolorum qui relictis omnibus Dominum sequun-

tur satis quoque commendat; utramque doctrinam Paulus quoque clarissime proponit (1 Cor. 7).

Uti antea docuerat Christus humilitatem in orando, ita denuo docet humilitatem actione et verbo in benedictione parvulorum (cf. *Theoph. Bon. Lap.*) v. 15 *afferebant autem ad illum et infantes*, τὰ βρέφη infantes omnino tenerae aetatis; cf. 2,12. 16 de Iesu modo nato; Act. 7,19 de infantibus recenter natis; 1 Petr. 2,2; *ut eos tangeret* i. e. impositis manibus iis bene precaretur (cf. Matth. 19,13). Est id unum ex paucissimis exemplis beneficii spiritualis a Iesu petiti, nisi hic quoque dicere malueris oblatos esse parvulos ut benedictione Iesu a morbis custodirentur. Verum quidquid demum afferentes intendebant Iesus spiritualium beneficiorum capaces esse infantes indubie declarat; *discipuli autem increpabant eos*, scil. qui afferebant; matres attulisse probabile est; evangelistae loquuntur in universum; unde αὐτοῖς. Discipuli vel putabant importune magistro facessi negotium vel esse alienum ab eius dignitate. Aliter Christus; modum agendi discipulorum indigne tulit (Marc. 10,14); id quod hic quoque satis indicatur; nam Iesus quos illi reprehenderant ad se vocat et discipulos iubet duplici sententia parvulos ad se admittere v. 16 *Iesus autem convocans illos dixit* προσεκαλέσατο λέγων ad se vocavit dicens : *sinite pueros* τὰ παιδία infantes, puerulos *venire ad me et nolite vetare eos* κωλύειν impedire, prohibere; dum iubet quod fieri vult et prohibet ne aliter fiat, quam serio id velit satis declarat, pariter ea sententia reprehenduntur discipuli. Et cur infantes velit ad se venire, rationem reddit sublimem *talium est enim regnum Dei*, quibus verbis simul docet quanta reverentia et cura digni sint infantes, quam sibi et Deo cari. Hisce iam funditus evertit morem gentium crudelem abiiciendi infantes. Docent theologi circumcisionem remedium fuisse peccati originalis delendi neque pro puellis defuisse aliquam eius labis expiationem; quare eo quoque sensu optime dici potuit : talium est regnum Dei quippe qui mundati ab originali labe gratiam Dei qua regnum Dei in singulis constituitur et exsistit in se habebant. Unde merito quoque ex istis verbis inferunt baptismum infantium esse legitimum ac necessarium. Dicit autem *talium*, ut et puerulos includat et simul sibi viam paret ex natura et indole parvulorum alios docendi; unde v. 17 *amen dico vobis : quicumque non acceperit regnum Dei sicut puer, non intrabit in illud*, reversus scil. ad simplicitatem qua deposito omni fastu et superbia doctrinam Christi fide amplectatur et animum exhibeat docilem. Plura vide ad Matth. 18,3 et Marc. 10,15. Vera postulatur humilitas; qui enim humilis est, ille et simplex est et docilis.

e) De paupertate 18,18-30.

18,18. Et interrogavit eum quidam princeps, dicens : Magister bone, quid faciens vitam aeternam possidebo? 19. Dixit autem ei Iesus : Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi solus Deus. 20. Mandata nosti : Non occides : Non moechaberis : Non furtum facies : Non falsum testimonium dices : Honora patrem tuum et matrem. 21. Qui ait : Haec omnia custodivi a iuventute mea. 22. Quo audito, Iesus ait ei : Adhuc unum tibi deest : omnia quaecumque habes vende, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo; et veni, sequere me. 23. His ille auditis, contristatus est, quia dives erat valde. 24. Videns autem Iesus illum tristem factum, dixit : Quam difficile, qui pecunias habent in regnum Dei intrabunt! 25. Facilius est enim camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei. 26. Et dixerunt qui audiebant : Et quis potest salvus fieri? 27. Ait illis : Quae impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.

28. Ait autem Petrus : Ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te. 29. Qui dixit eis : Amen dico vobis : nemo est qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem aut filios propter regnum Dei, 30. Et non recipiat multo plura in hoc tempore, et in saeculo venturo vitam aeternam.

18,18. Καὶ ἐπηρώτησέν τις αὐτὸν ἄρχων, λέγων, Διδάσκαλε ἀγαθέ, τί ποιήσας ζωὴν αἰώνιον κληρονομήσω; 19. Εἶπεν δὲ αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, Τί με λέγεις ἀγαθόν; οὐδεὶς ἀγαθὸς, εἰ μὴ εἷς, (ὁ) Θεός. 20. τὰς ἐντολὰς οἶδας, Μὴ μοιχεύσῃς· μὴ φονεύσῃς· μὴ κλέψῃς· μὴ ψευδομαρτυρήσῃς· τίμα τὸν πατέρα σου καὶ τὴν μητέρα. 21. ὁ δὲ εἶπεν, Ταῦτα πάντα ἐφύλαξα ἐκ νεότητος. 22. ἀκούσας δὲ ὁ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ, Ἔτι ἕν σοι λείπει· πάντα ὅσα ἔχεις πώλησον, καὶ διάδος πτωχοῖς, καὶ ἕξεις θησαυρὸν ἐν τοῖς οὐρανοῖς· καὶ δεῦρο, ἀκολούθει μοι. 23. ὁ δὲ ἀκούσας ταῦτα περίλυπος ἐγενήθη· ἦν γὰρ πλούσιος σφόδρα. 24. Ἰδὼν δὲ αὐτὸν Ἰησοῦς εἶπεν, Πῶς δυσκόλως οἱ τὰ χρήματα ἔχοντες εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ εἰσπορεύονται. 25. εὐκοπώτερον γάρ ἐστιν κάμηλον διὰ τρήματος βελόνης εἰσελθεῖν, ἢ πλούσιον εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ εἰσελθεῖν. 26. Εἶπον δὲ οἱ ἀκούσαντες, Καὶ τίς δύναται σωθῆναι; 27. ὁ δὲ εἶπεν, Τὰ ἀδύνατα παρὰ ἀνθρώποις δυνατὰ παρὰ τῷ Θεῷ ἐστίν.

28. Εἶπεν δὲ ὁ Πέτρος, Ἰδοὺ, ἡμεῖς ἀφέντες τὰ ἴδια ἠκολουθήσαμέν σοι. 29. ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς, Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι οὐδείς ἐστιν ὃς ἀφῆκεν οἰκίαν, ἢ γυναῖκα, ἢ ἀδελφοὺς, ἢ γονεῖς, ἢ τέκνα, εἵνεκεν τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ, 30. ὃς οὐχὶ μὴ λάβῃ πολλαπλασίονα ἐν τῷ καιρῷ τούτῳ, καὶ ἐν τῷ αἰῶνι τῷ ἐρχομένῳ ζωὴν αἰώνιον.

In v. 20 ad initium c et ait illi Iesus; post nosti add a ait quae; e ait illi quae; dicit ille; similiter D. In v. 24 περίλυπον γενομενον non habent ℵ B L aliq minusc cop syr (hr) Ti W H; sin al habent; B L εισπορευονται; al futurum praebent. In v. 25 τρημματος ℵ B D 49. Ti W H; al τρυπηματος, τρυμαλιας; βελονης ℵ B D L pl minusc Ti W H; al ραφιδος; e cavernam. In v. 28 αφεντες τα ιδια ℵ^{c} B D L mu minusc Ti W H; al αφηκαμεν παντα και; b relictis retibus nostris; relictis nostris i; relictis omnibus nostris a l. In v. 29 add D Χ Δ al 7 η αδελφας; rush aut agros. In v. 30 D εαν μη; similiter nisi ut recipiat b c e i l; qui non recipiat a ff^{2} q; D επταπλασιονα, similiter septies tantum a b c d e ff^{2} i l q r; tot dupla tat; add in fine *possidebit* a b c ff^{2} i l r dub ept ken rush; (sin v. 18 quidam ex principibus; v. 19 non est bonus nisi unus, Deus; v. 20 non occides neque adulterabis, non furaberis neque testaberis testimonium mendacii; v. 21 dixit : haec ecce a puero servavi; v. 22 et veni post me; v. 28 dixit ei Kephas; omnia

nostra; v. 29 dico tibi; in enumeratione cernitur ordo qui est in vulg. v. 30 centuplum in hoc tempore et in saeculo futuro acquiret vitam in aeternum).

Post commendationem humilitatis proponitur doctrina de periculis divitiarum et de mercede et perfectione paupertatis sponte electae. Brevius quam reliqui duo (Matth. 19,16. Marc. 10,17) Lucas narrationem refert; v. 18 *et interrogavit eum quidam princeps* ἄρχων appellatur ille adolescens (νεανίσκος, Matth. 19,20) a solo Luca; cum ἄρχων etiam dicatur synagogae praefectus (cf. Matth. 9,18 et Luc. 8,41), aliqui putabant eum ita designari (*S. Cyr. Weiss*); eo nomine assessores etiam synedrii appellabantur et demum generatim qui nobilitate generis et auctoritate valent (1 Cor. 2,6. 8); *magister bone quid faciens vitam aeternam possidebo?* κληρονομήσω *hereditabo,* homines enim adoptione filiorum a Deo patre donati bona Dei patris i. e. vitam cum Deo beatam consequuntur, ingrediuntur in bona paterna tamquam filii et habita ratione mortis Christi vita aeterna singulari titulo nobis est hereditas scripta (Hebr. 9,16), in cuius figuram et typum etiam terra Chanaan eiusque possessio appellabatur hereditas (cf. Lev. 20,24. Ps. 36,9. 11 et vide ad Matth. 5,4). Putant *S. Cyr. Ambr.* eum tentandi causa et simulate interrogasse, id quod *Theoph.* iam bene reiicit ex iis quae apud Marcum leguntur, praecipue quia Iesus dicitur eum dilexisse, et satis quoque ex hac ipsa narratione refellitur; nam Christus ad quaestionem statim clare ac directe respondet; aliter agere solet, si tentantes quaerunt (cf. Matth. 22,18. Luc. 10,26 : in lege quid scriptum est? quomodo legis?); insuper ex v. 21 et 22 omnino apparet eum animo sincero ad Christum accessisse.

Iesum ex iis quae de eo novit vocat magistrum bonum; v. 19 *dixit autem Iesus : quid me dicis bonum, nemo bonus nisi solus Deus*, nisi unus, Deus scil., qui non est nisi bonus, ipsa bonitas, in quem defectus nullus cadere potest et qui est omnis boni fons et origo et auctor. Cur Iesus ita respondeat, plerique explicant voluisse Christum iuvenem inducere, ut de se sublimius sentiat neque se in ordine bonorum hominum collocet (cf. *S. Cyr. Ambr. Bed. Bon. Alb. Luc. Fil.*) quam explicationem etiam SS. Patres contra Arianos proposuisse, vide apud Petavium (de Trinitate 2,4. 13). Cui expositioni coniunctum est quod habet *S. Bon.* praeterea, « ostendi ea responsione quo tendendum sit; Christus igitur responsurus quaestioni utili ad salutem totius mundi tamquam magister morum incepit a summo bono per essentiam, a quo et secundum quod et ad quod ordinari debet omne bonum; alioquin desinit esse bonum »; similiter *Schegg, Schanz* ostendi responsione viam ad verum bonum. Ad quod bonum ut perveniatur opus est ut mandata Dei

quibus illa Dei bonitas homini innotescit observentur; unde v. 20 *mandata nosti;* et quaenam intelligenda sint, exemplis demonstrat; uti Marcus, ita Lucas quoque quaestionem interpositam ab iuvene apud Matthaeum omittit (idem adverte ad v. 21) : *non occides, non moechaberis, non furtum facies, non falsum testimonium dices;* hisce illustratur prior morum regula : declina a malo; altera : et fac bonum indicatur uno exemplo : *honora patrem tuum et matrem,* quod *adolescenti* praecipue commendari congruum videtur; v. 21 *qui ait : haec omnia custodivi a iuventute mea;* eum haec vere de se asseruisse et Marcus testatur : Iesus intuitus eum dilexit eum et pariter consequitur ex eo quod Iesus eum ad id invitat quod ei adhuc deest, ad perfectionem vitae apostolicae v. 22 *quo audito Iesus ait ei : adhuc unum tibi deest : omnia quaecumque habes vende et da pauperibus et habebis thesaurum in coelo,* en, non pereunt tibi divitiae; opes longe pretiosiores et ampliores multoque magis securiores tibi reconditas esse invenies; *et veni,* pauper terrenis rebus (te enim quaero, non tua), liber curis spe omni saeculi abiecta (*Luc.*) *sequere me,* mihi te adiunge aliorum discipulorum more pauperem mecum agens vitam. Proin ad sublime vitae genus quod communi longe sit excellentius eum provocat, quod vitae genus designat : si vis perfectus esse, idque distinguit luce clarius ab illo communi : si vis ad vitam ingredi, serva mandata (vide ad Matth. 19,17. 21). Etiam hic monet *Weiss* paupertatem non commendari quasi spectaret ad perfectionem, verum solum exigi ab hoc iuvene pro singulari sua indole et ad peculiarem eiusdem probationem. Qua monitione cavere vult ne quis inde consilium evangelicae perfectionis derivet putans fieri posse, ut quod Christus ab apostolis exigebat et ad quod iuvenem invitabat et quod praemiis propositis in v. 29. 30 generatim effert, id dicatur non uni, verum multis considerandum et imitandum proponatur. Ceterum vide quae ad Matth. l. c. notavi.

Adolescens non derisit sermonem Domini, uti pharisaei 16,14 (*Luc.*), verum horrore paupertatis (quam summam miseriam rabbini putant) tactus et amore opum captus rem iudicat duriorem; v. 23 *his ille auditis contristatus est quia dives erat valde;* περίλυπος valde tristis effectus est; sentiebat enim se impelli ad perfectius vitae genus (quid adhuc mihi deest? Matth. 19,20); at cum audiat quo pretio comparandum sit quod sibi deesse sentiat, animus eius amore opum saucius luget et tristatur. « Si res huic fuisset angusta domi et curta supellex, ut Petro et Andreae, cum non deessent ei semina pietatis, non minus facile fortassis vocantem Iesum secutus fuisset atque illi. Habebat igitur hic bona seu facultates multas quas impense diligebat;

nam quod S. Augustinus adnotat ep. 34, diliguntur divitiae acquisitae longe etiam magis quam concupitae, eoque arctius et tenacius est vinculum, quo divitiae sunt ampliores » (*Luc.*). Quare magna eius tristitia ex copia divitiarum declaratur; quia enim abundabat divitiis, ait *S. Bon.*, horruit penuriam paupertatis et ideo de paupertatis laude et consilio tristis effectus fuit.

Cernitur in hoc adolescente triste exemplum, quomodo qui audierint vocem Domini a divitiis veluti sementis a spinis suffocentur et non referant fructum (8,14); quare Christus quod in illa parabola docuit graviter suis discipulis in memoriam revocat v. 24 *videns autem Iesus illum tristem factum dixit : quam difficile qui pecunias habent in regnum Dei intrabunt!* sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua (Gen. 8,21), divitiae vero omnia praebent subsidia ad satisfaciendum malis cupiditatibus, immo sunt ipsae incitamenta vehementia et vehicula vitiorum. Quas illecebras homo sibi relictus superare nequit. Idque Christus proverbiali locutione exprimit graviter docens quantum lateat periculum salutis perdendae in amore divitiarum v. 25 *facilius est enim camelum per foramen acus transire quam divitem intrare in regnum Dei; S. Cyr.* iam censet κάμηλον etiam explicari posse παχὺ σχοινίον, immo dicit hic non intelligi animal, sed crassum rudentem navium; *Theoph.* sive animal sive funem nauticum crassum intelligi posse dicit; at de fune non esse cogitandum et voce ipsa et locutionibus proverbialibus aliis haud dissimilibus suadetur (vide ad Matth. 19,24 et Marc. 10,25). « Magna vis, magnum pondus in verbis! quibus enim verbis aliis vehementius exprimeret non debere iactare se divitem in divitiis suis » (*S. Ambr.*)? Et tale exemplum iam supra proposuit 16,19 in divite epulone; v. 26 *et dixerunt qui audiebant : et quis potest salvus fieri?* καὶ non caret emphasi (cf. ad Marc. 10,26) quasi obiiciunt : ergone omnes divites salute excidunt? v. 27 *ait illis : quae impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum;* proinde docet divites eo magis indigere gratia et ope divina, quo prae aliis hominibus circumdati sunt maioribus periculis; quare quid sit eis commendandum et ad quid inducendi sint facile consequitur; oratione, operibus misericordiae uberem Dei gratiam sibi promereri studeant. Supra iam docuit Christus ut sibi facerent amicos de mammona iniquitatis (16,9), et cur vocaverit mammon iniquitatis hic quoque satis declarat.

Ostensis divitiarum periculis demonstratur praemium paupertatis quae propter causam regni Dei suscipiatur; v. 28 *ait autem Petrus : ecce nos dimisimus omnia et secuti sumus te;* qualis sit ille thesaurus in coelo quaerere velle videtur (v. 22); recitat *Beda* verba S. Hieronymi :

grandis fiducia; Petrus piscator erat, dives non fuerat etc. et tamen loquitur confidenter. Utique multum relinquit qui omnem spem et affectum rerum terrenarum relinquit. Ceterum loquitur nomine omnium et aliqui apostolorum, ut Ioannes et Iacobus, filii Zebedaei, et Matthaeus, non erant inopes. Respondet Iesus ita, ut iterum pateat se velle cogitate ac consulto invitare ad amplectendam paupertatem v. 29 *qui dixit eis : amen dico vobis : nemo est qui reliquit domum aut parentes aut fratres aut uxorem aut filios propter regnum Dei,* ut regnum Dei annuntiet vel ut thesauro in coelo reposito amplius particeps fiat bonorum ac beatitatis regni Dei, ut evadat perfectus in regno Dei (Matth. 19,21) v. 30 *et non recipiat multo plura in hoc tempore et in saeculo venturo vitam aeternam;* « digna Dei vox et sanctum decretum ; namque in spem firmam audientes cunctos adducit iuratamque adeo facit promissionem praeposito *amen* vocabulo quod iurisiurandi vice fungitur » (*S. Cyr.*). Christus iam praedixerat persecutiones, dixerat : qui amat patrem aut matrem plus quam me non est me dignus; veni separare hominem a patre suo etc. (Matth. 10,35. 37. Luc. 12,51 seq. 14,26; *S. Cyr.*); unde haud raro necesse erit ad fidem Christi et amorem eius retinendum renuntiare domui, parentibus. Sed talem necessitatem Iesus dulcem reddere studet et facilem, dum multo maiora, multo plura promittit et pro hac vita temporali et pro aeterna; illa πολλαπλασίονα accuratius enumerat Marcus 10,30. Ergo renuntiatione illa non tantum non damno afficientur, ut potius ingenti lucro ; non sufficit Iesu suorum mentes sursum ad spem vitae aeternae efferre, verum etiam praesentibus eos solatiis sustentat confirmatque ad ferendam crucem (*Luc.*).

f) In via Iericho versus 18,31-43.

18,31. Assumpsit autem Iesus duodecim, et ait illis : Ecce ascendimus Ierosolymam, et consummabuntur omnia quae scripta sunt per prophetas de Filio hominis. 32. Tradetur enim gentibus, et illudetur, et flagellabitur, et conspuetur. 33. Et postquam flagellaverint, occident eum; et tertia die resurget. 34. Et ipsi nihil horum intellexerunt, et erat verbum istud absconditum ab eis, et non intelligebant quae dicebantur.

35. Factum est autem, quum appropinquaret Iericho, caecus quidam sedebat secus viam, mendicans. 36. Et quum audiret turbam praetereuntem, interrogabat quid hoc esset. 37. Dixerunt

18,31. Παραλαβὼν δὲ τοὺς δώδεκα, εἶπεν πρὸς αὐτούς, Ἰδοὺ, ἀναβαίνομεν εἰς Ἰερουσαλὴμ καὶ τελεσθήσεται πάντα τὰ γεγραμμένα διὰ τῶν προφητῶν τῷ υἱῷ τοῦ ἀνθρώπου. 32. παραδοθήσεται γὰρ τοῖς ἔθνεσιν καὶ ἐμπαιχθήσεται καὶ ὑβρισθήσεται καὶ ἐμπτυσθήσεται, 33. καὶ μαστιγώσαντες ἀποκτενοῦσιν αὐτόν· καὶ τῇ ἡμέρᾳ τῇ τρίτῃ ἀναστήσεται. 34. Καὶ αὐτοὶ οὐδὲν τούτων συνῆκαν, καὶ ἦν τὸ ῥῆμα τοῦτο κεκρυμμένον ἀπ' αὐτῶν, καὶ οὐκ ἐγίνωσκον τὰ λεγόμενα.

35. Ἐγένετο δὲ ἐν τῷ ἐγγίζειν αὐτὸν εἰς Ἰερειχὼ, τυφλός τις ἐκάθητο παρὰ τὴν ὁδὸν ἐπαιτῶν· 36. ἀκούσας δὲ ὄχλου διαπορευομένου, ἐπυνθάνετο τί εἴη τοῦτο.

autem ei, quod Iesus Nazarenus transiret. 38. Et clamavit, dicens : Iesu, fili David, miserere mei. 39. Et qui praeibant, increpabant eum ut taceret. Ipse vero multo magis clamabat : Fili David, miserere mei. 40. Stans autem Iesus iussit illum adduci ad se. Et quum appropinquasset, interrogavit illum, 41. Dicens : Quid tibi vis faciam? At ille dixit : Domine, ut videam. 42. Et Iesus dixit illi : Respice, fides tua te salvum fecit. 43. Et confestim vidit, et sequebatur illum magnificans Deum. Et omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo.

37. ἀπήγγειλαν δὲ αὐτῷ, ὅτι Ἰησοῦς ὁ Ναζωραῖος παρέρχεται. 38. καὶ ἐβόησεν λέγων, Ἰησοῦ, υἱὲ Δαυείδ, ἐλέησόν με. 39. καὶ οἱ προάγοντες ἐπετίμων αὐτῷ ἵνα σιγήσῃ· αὐτὸς δὲ πολλῷ μᾶλλον ἔκραζεν, Υἱὲ Δαυείδ, ἐλέησόν με. 40. σταθεὶς δὲ Ἰησοῦς ἐκέλευσεν αὐτὸν ἀχθῆναι πρὸς αὐτόν· ἐγγίσαντος δὲ αὐτοῦ ἐπηρώτησεν αὐτόν, 41. Τί σοι θέλεις ποιήσω; ὁ δὲ εἶπεν, Κύριε, ἵνα ἀναβλέψω. 42. καὶ ὁ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ, Ἀνάβλεψον· ἡ πίστις σου σέσωκέν σε. 43. καὶ παραχρῆμα ἀνέβλεψεν καὶ ἠκολούθει αὐτῷ δοξάζων τὸν Θεόν· καὶ πᾶς ὁ λαὸς ἰδὼν ἔδωκεν αἶνον τῷ Θεῷ.

In v. 31 D aliq minusc Epiph περι του υιου; item it vulg cop syr sin arm tat. In v. 34 dub quae dicebantur *illis;* ad eos a, ab eo b; cum illis syr (sin, cu, sch). In v. 39 σιγηση B D L P X aliq minusc Or; al σιωπηση. In v. 41 non praebent λεγων ℵ B D L X e cop; syr (qu) ut aperiantur oculi mei et videam. In v. 43 D δοξαν d gloriam (sin v. 32 et spuent in faciem eius; v. 33 et cum appropinquaret Iericho, vir quidam caecus; v. 36 cum audiret vocem turbae quae praeteribat; v. 39 qui ibant ante Iesum; 40 praecepit ut adducerent eum).

Iam saepius Iesus de sua passione sermonem intulerat; ita in Galilaea post illam Petri confessionem (9,22; Matth. 16,21; Marc. 8,31), dein mox post transfigurationem (9,44; Matth. 17,22; Marc. 9,30); praeter has praedictiones explicatiores aliquoties quasi obiter passionis futurae mentionem fecit, ita loquens de signo Ionae (Matth. 12,40), ita Matth. 17,12 et Luc. 13,34 et 17,25. Tempore autem passionis appropinquante iterum de ea sermonem miscet et quod antea dixerat in universum se debere *multa pati* (9,22; Matth. 16,21; Marc. 8,31), accuratius fere per singula tormentorum genera prosequitur. Ita clare ostendit se praescire quae ventura sint, se sponte obviam ire passioni; praedicit autem discipulis, ut saltem postquam passus est cognoscerent omnia esse praedicta et ut aliquo modo ad ipsam praeparentur passionem et eo modo illorum perturbatio reddatur minor (cf. *S. Cyr. Bed. Theoph.*) v. 31 *assumpsit autem Iesus duodecim;* apostolis itaque prae aliis discipulis passionem suam enarrare vult, eos paulatim de re adeo ab eorum mente et de Messia sententia remota edocere; *et ait illis : ecce ascendimus Ierosolymam et consummabuntur omnia quae scripta sunt per prophetas de Filio hominis;* solus Lucas narrat ea occasione Christum vaticinia prophetarum commemorasse (cf. Matth. 20,18. Marc. 10,33), uti postea quoque refert Christum aperuisse iis Scripturas (24,27. 44). Unde docet se non solum praescire ea, verum ea altissimo Dei consilio et

sanctissima voluntate fuisse ordinata et constituta; huc autem spectant praesertim vaticinia Ps. 21 et Is. 50,6 et 53,1 seq. et Dan. 9,26 et Zach. 11,12; 12,10; 13,7; quod legitur τῷ υἱῷ τοῦ ἀνθρώπου alii referunt ad τελεσθήσεται, consummabuntur, perficientur ei, ei fient (cf. *Luc. Schanz*), alii ad γεγραμμένα (*Weiss*); sed cum γράφειν ea notione iungi soleat cum περὶ (cf. lect. var.) vel ἐπὶ (Ioan. 12,16. Marc. 9,12. 13), prior acceptio praeferri debebit (cf. Matth. 11,10; 26,24. Marc. 14,21. Luc. 7,27; 24,24. Ioan. 5,46. Act. 13,29 etc.).

Quaenam sint illa quae ei fieri debeant exponit v. 32 *tradetur enim gentibus et illudetur* vel deridebitur *et flagellabitur* ὑβρισθήσεται magis generaliter : contumeliis afficietur, insolenter et contumeliose tractabitur *et conspuetur* v. 33 *et postquam flagellaverint occident eum* (apud Matth. etiam magis determinate σταυρῶσαι) *et tertia die resurget;* cf. Matth. 20,18. 19. Marc. 10,33. 34; haec praedicens Christus « et paganorum dementiam qua eius crucem derident apertissime confutat, quando proximae suae passionis et tempus quasi futurorum praescius ostendit et locum quasi mortis intrepidus adiit » (*Beda*). Discipuli amant Iesum, sciunt esse Messiam et Filium Dei, regnum messianum exspectant gloriosum; unde quo tendat haec oratio et quid sibi velit non percipiunt v. 34 *et ipsi nihil horum intellexerunt et erat verbum istud absconditum ab eis et non intelligebant quae dicebantur;* verba quidem intelligebant neque enim nescire poterant quid esset illudi, conspui, flagellari etc.; sed cum ab eorum opinionibus plane abhorreret cogitatio de Messia et Filio Dei patiente, plane nesciebant quid facerent de tali sermone; « et quia per parabolas eum saepe loquentem audire consueverant, quoties aliquid de sua passione dicebat, hoc non ita ut sonabat intelligendum, sed amore dictante ad aliud quid allegorice referendum esse credebant » (*Bed. Bon.*); nam quem credebant Messiam regnaturum in mundo non poterant credere passurum talia ut verba significabant secundum sensum litteralem (*Cai.*). Demum quam difficile ea nobis persuademus quae ne unquam fiant vehementissime optamus? Quod postmodum dicitur Iesum eis aperuisse sensum (24,32. 45) explicat a contrario illud *absconditum*. Adnotat *Theoph.* : « sed dixeris : si nihil intelligebant, quare eis talia praedicit? quae utilitas? non parvam utilitatem capiebant dum postea recordarentur esse ea quae tunc praedicente Domino non intellexerant; id quod ex multis manifestum est et praeprimis ex eo quod Ioannes dicit : haec non cognoverunt discipuli eius primum, postea autem recordati sunt haec esse scripta de eo » (Ioan. 12,16).

De sanatione caeci referunt alii duo synoptici Iesu proficiscente de Iericho (Matth. 20,29. Marc. 10,46). Putant aliqui Lucam hanc narratio-

nem nunc statim ponere quia eventu de Zachaeo in urbe descripto voluerit sine ulla interruptione adiungere parabolam 19,11 seq. Quae ratio num sufficiat vel num quid explicet nescio. Nam non video cur non potuerit inserere narrationem ante 19,28 : et his dictis ἐπορεύετο ἔμπροσθεν, quibus verbis profectio ab Iericho satis indicatur. Videtur itaque Lucas qui asserit se diligenter omnia inquisivisse (1,3) certo comperisse caecum esse sanatum ἐν τῷ ἐγγίζειν αὐτὸν εἰς Ἰερειχώ; ceterum vide quae notavi ad Matth. l. c.; v. 35 *factum est autem cum appropinquaret Iericho, caecus quidam sedebat secus viam mendicans,* de urbe vide quae dixi ad Marc. 10,46; prope erat pascha; iam incipiebant turmae ascendere Ierusalem ad festum; unde pauperes, caecos etc. ubique viarum frequentes stipem a peregrinantibus efflagitasse usu quoque et consuetudine hodierna probatur; v. 36 *et cum audiret turbam praetereuntem* quae scil. solito maior ex strepitu cognoscebatur, *interrogabat quid hoc esset;* v. 37 *dixerunt autem ei, quod Iesus Nazarenus transiret,* v. 38 *et clamavit dicens : Iesu, fili David, miserere mei!* Nazarenum audivit, sed filium David eum palam proclamat; proin Messiam eum agnoscit (cf. *S. Bon. Theoph.*) qui tum temporis exspectabatur et qui singulari ratione filius David vocabatur. Qua appellatione et supplicatione fidem suam profitetur et quasi turmis exemplo praeit quid de Iesu sit sentiendum et qualis ascendat in urbem David regiam; v. 39 *et qui praeibant increpabant eum ut taceret* vel putantes eum eleemosynam efflagitare (*Luc.*) vel nolentes ut Iesu quid molestiae ab homine mendico afferretur; *ipse vero multo magis clamabat : Fili David, miserere mei!* « non solum nihil remittebat de contentione sua, verum etiam duplicabat sancta improbitate clamorem, tum ut monstraret se nolle cedere increpationibus huiusmodi, tum ut supra turbae strepitum a Iesu exaudiretur; exemplum fidei fiduciaeque invictae, ardentis desiderii, constantis fidei, tentationibus minime succumbentis » (*Luc.*); neque hominum timore vel pudore se regi sinebat.

« Domini gressum sistit hominis vox cum fide invocantis meritoque honoratur a Christo caecus » (*S. Cyr.*) v. 40 *stans autem Iesus iussit illum adduci ad se;* quem alii despiciebant, increpabant, ipse honorat, gressum sistit, blande eum ad se vocat; quanta gaudii demonstratione hanc Iesu vocem exceperit, ad vivum describitur Marc. 10,50; *et cum appropinquasset interrogavit illum* v. 41 *dicens : quid tibi vis faciam?* « in quo apparet liberalitas dantis quia offert se beneplacito postulantis » (*S. Bon.*); non ignorabat quid ille vellet; « sed peti vult hoc quod et nos petere et se concedere praenoscit; ad hoc requirit, ut cor ad orationem excitet » (*Beda*); *at ille dixit : Domine ut*

videam ἀναβλέψω; eadem voce respondet Iesus v. 42 *et Iesus dixit illi : respice* ἀνάβλεψον, hac una voce et suam manifestans potentiam, cui velle sit efficere et suam in petentem affabilitatem; dein fidem caeci, qua Messiam proclamaverit et ab eius potentia et misericordia miraculum firmiter exspectaverit, coram omnibus et approbat et quantae sit efficaciae declarat : *fides tua te salvum fecit;* v. 43 *et confestim vidit et sequebatur illum* cum turba et gratum animum ostendit *magnificans Deum, et omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo;* cf. 5,26; 9,44; 13,17. Id quidem turbae bene fecerunt; at quam mobiles sint et inconstantes mox iterum apparet. Nam cum postea vident eum domum ingredi Zachaei, murmurant omnes dicentes : ad hominem peccatorem divertit (19,7). Tanta est eorum in praeiudicatis opinionibus obstinatio; ferre non possunt Iesum recedere a more pharisaico et superbo Iudaeorum qui se solos Deo acceptos iactent aliosque omnes immundos iudicent a quorum contaminatione summopere sit cavendum. Non videre volunt quod in aperto est positum Iesum tali potestate praeditum recte agere Deique sequi voluntatem in sua cum peccatoribus agendi ratione. Etiam hic valet illud apostoli : suam quaerentes statuere iustitiam iustitiae Dei non sunt subiecti. Est idem vitium quo regnum messianum non receperunt, quia non eo quo ipsi volebant modo exstitit, quo gentes ei regno adscribi et cum eis sociari renuebant quia non eo quo ipsis placuit modo i. e. observatione legalium in illud assumebantur. Eiusmodi pervicacia cuius indicia 19,7 manifestant ruinam iis attulit. — Caecum considerari ut quendam generis humani typum vide in Comment. Marc. p. 288.

g) De Zachaeo 19,1-10.

19,1. Et ingressus perambulabat Iericho. 2. Et ecce vir nomine Zachaeus; et hic princeps erat publicanorum, et ipse dives; 3. Et quaerebat videre Iesum, quis esset; et non poterat prae turba, quia statura pusillus erat. 4. Et praecurrens ascendit in arborem sycomorum ut videret eum, quia inde erat transiturus. 5. Et quum venisset ad locum, suspiciens Iesus vidit illum, et dixit ad eum : Zachaee, festinans descende; quia hodie in domo tua oportet me manere. 6. Et festinans descendit, et excepit illum gaudens. 7. Et quum viderent omnes, murmurabant, dicentes quod ad hominem peccatorem divertisset. 8. Stans

19,1. Καὶ εἰσελθὼν διήρχετο τὴν Ἰερειχώ· 2. καὶ ἰδοὺ ἀνὴρ ὀνόματι καλούμενος Ζακχαῖος, καὶ αὐτὸς ἦν ἀρχιτελώνης, καὶ αὐτὸς πλούσιος· 3. καὶ ἐζήτει ἰδεῖν τὸν Ἰησοῦν τίς ἐστιν, καὶ οὐκ ἠδύνατο ἀπὸ τοῦ ὄχλου, ὅτι τῇ ἡλικίᾳ μικρὸς ἦν. 4. καὶ προδραμὼν εἰς τὸ ἔμπροσθεν ἀνέβη ἐπὶ συκομορέαν, ἵνα ἴδῃ αὐτόν· ὅτι ἐκείνης ἤμελλεν διέρχεσθαι. 5. καὶ ὡς ἦλθεν ἐπὶ τὸν τόπον, ἀναβλέψας Ἰησοῦς εἶπεν πρὸς αὐτόν, Ζακχαῖε, σπεύσας κατάβηθι· σήμερόν γὰρ ἐν τῷ οἴκῳ σου δεῖ με μεῖναι. 6. καὶ σπεύσας κατέβη, καὶ ὑπεδέξατο αὐτὸν χαίρων. 7. καὶ ἰδόντες πάντες διεγόγγυζον, λέγοντες, ὅτι παρὰ ἁμαρτωλῷ ἀνδρὶ εἰσῆλθεν καταλῦσαι. 8. Σταθεὶς δὲ Ζακχαῖος εἶπεν

autem Zachaeus, dixit ad Dominum : Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus; et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. 9. Ait Iesus ad eum : Quia hodie salus domui huic facta est; eo quod et ipse filius sit Abrahae. 10. Venit enim Filius hominis quaerere et salvum facere quod perierat.

πρὸς τὸν Κύριον, Ἰδοὺ, τὰ ἡμίσιά μου τῶν ὑπαρχόντων, κύριε, πτωχοῖς δίδωμι. καὶ εἴ τινός τι ἐσυκοφάντησα, ἀποδίδωμι τετραπλοῦν. 9. εἶπεν δὲ πρὸς αὐτὸν Ἰησοῦς, ὅτι σήμερον σωτηρία τῷ οἴκῳ τούτῳ ἐγένετο, καθότι καὶ αὐτὸς υἱὸς Ἀβραάμ ἐστιν. 10. ἦλθεν γὰρ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ζητῆσαι καὶ σῶσαι τὸ ἀπολωλός.

In v. 1 a circuibat; dub in hyericho. In v. 2.5 pler codd vulg praebent Zaccheus. In v. 4 εις το εμπρ. ℵ B L, e in priore, d ab ante; al εις το non exprimunt. In v. 5 Ιησους ειπεν ℵ B L aliq minusc cop arm Ti W H; al add ειδεν αυτον και, etiam tat; it fere ita : et factum est dum transiret Iesus vidit illum sursum aspiciens. In v. 7 divertit manere ff² r; introivit manere a s; introivit hospitari e. In v. 10 a salvum facere et quaerere perditum (sin v. 4 ascendit in ficum silvestrem; v. 8 ecce, Domine mi; plura desunt in v. 4.5.9.10).

Haec de Zachaeo a solo Luca narrantur. Clare hic demonstratur Christi gratia et clementia qua peccatores quaerit ut eos salvet v. 10; quare haec narratio gentilibus quoque admonitioni et solatio esse debebat. Simul illustratur quod antea Christus dixerat 18,27. Unde haud immerito *Beda* explicationem narrationis ita orditur : « quae impossibilia sunt apud homines possibilia sunt apud Deum; ecce namque camelus deposita gibbi sarcina per foramen acus transit, hoc est, dives et publicanus relicto onere divitiarum, contempto sensu fraudium angustam portam arctamque viam quae ad vitam ducit ascendit » (sim. *S. Bon.*); v. 1 *et ingressus perambulabat Iericho*, διήρχετο scil. lente dum per urbem iter faceret evenit quod narratur (*Schanz, Weiss*); alii tamen extra urbem id evenisse censent (*Schegg*), quia in angustis urbis viis non esset arbori locus. Solet sycomorus crescere ad altitudinem 40-50 pedum et caput arboris ramis fere recta extensis non raro habet diametrum 40 passuum (cf. *Riehm*, Handwoerterb. d. bibl. Alt. 963); v. 2 *et ecce vir nomine Zachaeus*, nomen non inusitatum cf. Esdr. 2,9. Neh. 7,14 זַכַּי; significare videtur idem atque Innocentius, *et hic princeps erat publicanorum*, ἀρχιτελώνης; aliis itaque portitoribus praeerat; fortasse totius regionis vel urbis vectigalia conduxerat quae alii ab ipso instituti portitores colligerent et ad ipsum deferrent. Iericho urbs celebris erat tum aliis tum opobalsamo unguento praestantissimo (*Iosephus*, Antiq. 14,4. 1; 15,4. 2); unde commercium frequens adeoque multa vectigalia. Quare ad ea conducenda non erat aptus nisi vir dives, qui quod pacto stabilitum erat si forte vectigalia deficerent solvere equiti romano, mancipi vectigalium totius provinciae, ex suo poterat; unde *et ipse dives;* prout nomine indica-

tur et in v. 9 clare dicitur, Zachaeus erat genere Iudaeus (uti recte iam sentiunt *Euth. Alb. Cai. Luc. Ipr. Ians. Lap. Sylv. Calm.* et recentiores)[1].

Hic ergo talis vir quem et vitae genus et fortunae indulgentia impellere poterat ad contemptum humilis Iesu (*Ians.*) v. 3 *quaerebat videre Iesum quis esset,* « quia salutis semen iam in eo germinabat » (*S. Cyr.*); naturale utique est hominibus de facie nosse cupere eos quos fama magnos praedicat ac singulares et certe rumor de Iesu miraculis sparserat admiranda; at in Zachaeo ad desiderium naturale accessit divinus impulsus, ut esset ei prima ad salutem praeparatio quod cognoscendi Iesu desiderio tenetur (*Luc. Lap.*); quaerebat i. e. conabatur, satagebat; *et non poterat prae turba* qua Iesus circumseptus erat, *quia statura pusillus erat;* unde non sine lepida quadam simplicitate et industria huic defectui medetur v. 4 *et praecurrens* εἰς τὸ ἔμπροσθεν scil. *in partem* urbis seu regionis quae erat adhuc *ante* Iesum *ascendit in arborem sycomorum ut videret eum, quia inde erat transiturus;* Iesus autem qui illud desiderium in eius animo excitaverat pium illum conatum quem fortasse nonnemo cum risu excipiebat largissime remuneratur v. 5 *et cum venisset ad locum suspiciens Iesus vidit illum;* num admonitus ab aliquibus qui Zachaeum in ramis latentem viderant eiusque nomen Iesu suggerunt? ita aliqui protestantes (cf. *Weiss*); alii in medio relinquunt, num tali modo vel ex se scientia altiore rem cognoverit (*Bisp. Keil*); at certe dicendum est Iesum totam rem ex se cognovisse; ipse enim sciebat quid in homine esset (Ioan. 2,25) et id iam ipso narrandi modo indicatur : progreditur Iesus, sed eo loco subito sursum aspicit; nihil de aliorum admonitione vel verbis. Dein verba quibus eum alloquitur respondent desiderio Zachaei idque quod ipse ausus erat sperare longe superant; num etiam dicent istud viri desiderium Iesu esse a turba suggestum? nonne ex v. 7 potius concludendum, quo erant in publicanos animo eos nullatenus fuisse monituros Iesum de praefecto publicanorum, etsi eum vidissent et scivissent quod ille cuperet? Quare ad unam Iesu scientiam hoc est referendum (cf. *S. Cyr. Luc. Lamy, Schegg, Fil.*).

« Et vidit Dominus ipsum Zachaeum; visus est et vidit; sed nisi visus esset non videret; quos enim praedestinavit, illos et vocavit » (*S. Aug.* serm. 174,4; *M.* 38,942); *et dixit ad eum : Zachaee,* tamquam notum

1. Zachaeum inter gentiles annumerasse dicuntur Tertullianus, Cyprianus (cf. *Schanz, Fil.*); sed dubito num recte. Nam Tertullianus (adv. Marc. 4, 37) solum dicit eum fuisse fortasse allophylon; S. Cypriani autem verba sunt : eos denique et Abrahae filios dicit quos in iuvandis alendisque pauperibus operarios cernit; nam cum Zachaeus dixisset etc. (de opere et eleem. 8; *M.* 4, 608).

compellat proprio nomine quem nunquam viderat, quae res haud dubie plurimum movit Zachaei animum (*Luc.*) eique magnum attulit gaudium (cf. *cat. Cr.*); *festinans descende quia hodie in domo tua oportet me manere;* « volebas videre transeuntem; hodie me apud te invenies habitantem » (*S. Aug.* serm. 113,3) et quod festinare iubet, ad magnitudinem pertinet beneficii, ut *Mald.* ait; nam bis dat qui cito dat, ter qui beneficium non petenti, non speranti offert, quater qui eum exhortatur quasi eius agens causam, ut diligens sit in accipiendo (*Mald.*). Dicit autem *oportet,* quasi non solum vellet, sed suo amore plane cogeretur, « oportet, ut caritati meae satisfaciam; oportet propter te, ut opem tibi acquiram » (*Alb.*). Christus enim munificentia supplicum preces excedit et vota (*Lap.*); v. 6 *et festinans descendit et excepit illum gaudens* « non solum quod eum vidisset, ut optaverat, sed quod etiam ab illo vocatus esset quodque ipsum suscepisset, quod nunquam fore speraverat » (*Euth.*). Sed qui modo patrantem miracula admirati laudem Deo dixerant, nunc de eodem indignantur et inter se conqueruntur v. 7 *et cum viderent omnes murmurabant dicentes quod ad hominem peccatorem divertisset;* portitores vel publicani habebantur peccatores (cf. Matth. 9,11. Luc. 15,1); iam is qui inter eos maiore dignitate eminebat, iis praefectus nonne maior quoque peccator censendus erit? Habes hic indolem plebis mobilem spernentis Iesum si quid agat eorum beneplacito contrarium.

Verum quam praeclarus fructus ex Iesu clementia exortus sit, docemur v. 8 *stans autem Zachaeus* cum reverentia coram Domino, quasi servus coram hero, *dixit ad Dominum : ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus*, iam exsequitur illud Christi : facite vobis amicos de mammona (16,9) et quod dives ille princeps, invitatus a Iesu, praestare noluit, Zachaeus incipit facere non invitatus; *et si aliquem defraudavi reddo quadruplum;* amplissime itaque omnem iniuriam vel fraudem compensare vult; plus se facturum spondet quam lege exigitur; fraude enim peracta et damno illato post sententiam iudicum duplum erat restituendum (Ex. 22,10); ex iure romano poterat pro furto manifesto (si fur in ipso scelere furandi deprehendebatur) quadruplum imponi i. e. quadrupli actio constituta est. Quod dicit εἴ τινός τι ἐσυκοφάντησα, explicant aliqui dici ab eo mitiore sui ipsius accusationis modo pro ὅ, τι (*Bisp. Weiss*); at eum nolle aperte fateri peccatum, incredibile est. Tantam enim ostendit animi promptitudinem statim dimidium bonorum devovens pauperibus; insuper Iesus affirmat salutem factam esse domui eius, ita ut aliqua dissimulatio et tergiversatio qua peccata nollet fateri in eius animo assumi nequeat. Alii e contra contendunt nullius fraudis sibi fuisse conscium (*Schegg, Fil.*),

id quod alii negant, quia alias ei non in mentem venisset eius rei mentionem facere (cf. *Schanz*). Dicendum erit tum quidem certae alicuius fraudis vel iniustae extorsionis pecuniarum (cf. συκοφαντεῖν) certam memoriam eum non habuisse, at facile sibi persuasisse in tot negotiis et exactionibus vectigalium fieri omnino potuisse, ut cuiquam inferretur iniuria. Ad talem animum verba apta sunt. Neque dici potest cum *Luc.* eum ita loqui ut ostendat se non esse tantum culpabilem quantum ferret hominum opinio; de sui enim excusatione et purgatione non agit. Ex ea autem voce patet Zachaeum fuisse virum in munere suo probum qui sciens non admitteret fraudem et iniustitiam, saltem prout ipse normam iustitiae intelligebat. Quare puto ab hac narratione recedere qui in Zachaeum invehantur : multos presserat, multis abstulerat (*S. Aug.* serm. 113,3); eius nomen notum erat et vulgatum propter infamiam rapacitatis (*S. Bon.*); iste et inique acquisivit opes et avare retinuit (*Alb.*), immo *Theoph.* neminem dubitare ait quin ἀρχιτελώνης sit etiam ἐν κακίᾳ ἄρχων; similiter *Ipr.;* verum rectius *Cai.* dicit ex verbis eius « apparere quod non ex male acquisitis erat dives, asserendo enim se dimidium bonorum propriorum daturum eleemosynaliter et sub dubio ponendo fraudem quam etiam in quadruplo restituit, manifestat se non ex male partis divitem esse ». Quare perperam etiam aliqui censent eum putasse ut fraudes quadruplo compensaret opus esse altera dimidia bonorum parte eumque se ita plane omnibus exspoliasse (cf. *Theoph. Luc. Lap.*).

Quod autem dicit, *do, reddo,* firmum ac fixum animi propositum enuntiat; « obtemperavit quippe Salomoni monenti : ne dicas : postea revertere et cras dabo » (Prov. 3,28; *S. Cyr.*). Christi apud pharisaeum hospitium pharisaeis occasio erat insidiarum quas Iesu ponebant (14,1); aliter Zachaeus quem illi despiciebant hac Christi praesentia usus est (cf. *Beda*); unde v. 9 *ait Iesus ad eum* πρὸς αὐτόν; cum Iesus in subsequenti eum non alloqui videatur, explicant aliqui *de eo,* id quod a notione vocis non est alienum (cf. *Schanz*); plerique tamen retinent *ad eum;* et certe prior pars potest dici ad eum : *quia hodie salus domui huic facta est;* Christus itaque suam gratiam et salutem messianam domui eius, ipsi et toti familiae, attulit; quae sequuntur contra murmurantes diriguntur; proin ita enuntiata esse probabile est, ut Iesus se ad illos converteret quasi rationem reddens cur merito suo adventu etiam hanc domum salute donaverit : *eo quod et ipse filius sit Abrahae* et proinde iure quodam ex Dei foedere orto illi est offerenda salus messiana. Profitetur enim Christus se esse missum ad oves quae perierant domus Israel (Matth. 15,24) et apostolus quoque Iudaeo primum esse evangelium praedicandum affirmat (Rom. 1,16). Cur itaque

indignantur? Abrahae filium Iesus salute donat; « oportuit Iudaeos gratulari Zachaeo praeter spem salvato, quia et ipse de filiis erat Abrahae quibus per Christum redemptionem Deus per s. prophetas promiserat » (*S. Cyr.*). Et qui de se superbe iactant : filii Abraham sumus, cur non eandem filiationem in alio agnoscunt ac reverentur? Intelligitur itaque filius Abraham iure nativitatis; nam, ut *Cai.* bene dicit, affertur enim origo Zachaei pro confutatione murmurantium quod apud virum peccatorem hospitatus esset (cf. *S. Cyr. Luc. Bisp. Schegg, Schanz*); quod alii saepius exponunt : filius Abrahae fidei et iustitiae imitatione (*Theoph. Bon. Alb. Ipr. Lap. Lamy, Calm.*), potius alium requireret dicendi modum : factus est filius Abraham. Et cur ad peccatores divertat rationem reddit amplissimam et solatio pro omnibus plenissimam v. 10 *venit enim Filius hominis quaerere et salvum facere quod perierat;* cf. Matth. 18,11; hoc suae missionis munus et officium esse sollemniter declarat; « pius sane magister qui murmurantibus turbis sua mysteria non dedignatur exponere, adeo scil. peccatorum poenitentiam non esse respuendam, ut ipse Dei Filius ob hanc maxime quaerendam sit destinatus ad terras ».

In Recognitionibus et Homiliis pseudoclementinis Zachaeus describitur socius Petri, a quo episcopus consecratur (Recog. 3,65. 74; Hom. 3,63-72, *M.* 1,1310. 1314; 2,152 seq.); etiam in Constitutionibus quae dicuntur apostolicis tamquam Petri comes enumeratur (6,8; *M.* 1,928) et primus dicitur fuisse episcopus Caesareae Palaestinæ (7,46) a S. Petro institutus, id quod Rufinus quoque in praefatione ad Recognitionum libros commemorat (*M.* 1,1207). Verum id ad fabulas esse reiiciendum iam inde liquet quod Eusebius *caesariensis* de eo ne mentionem quidem facit; num eiusmodi ecclesiae suae decus omisisset? A Clemente autem alexandrino discimus Zachaeum etiam ab aliis habitum fuisse Matthiam (Strom. 4,6; *M.* 8,1248). Alia traditio ferebatur in Gallia, Zachaeum migrasse ad Gallos in locum deserti et in ecclesia tutelensi eum coli sub nomine S. Amatoris. Quid de ea traditione sentiendum sit lege in Act. SS. ad diem 23 Aug. in tomo Aug. 4 p. 18. 25. Iterum alia traditione dicitur fuisse post S. Petrum episcopus Antiochiae; ita ex aliqua lectione variante in epistola 3 Anacleti (supposititia, uti patet; cf. *M.* 2,814; *Mansi*, Concil. I p. 617).

h) Parabola de decem minis 19,11-27.

19,11. Haec illis audientibus, adiiciens dixit parabolam, eo quod esset prope Ierusalem, et quia existimarent quod confestim regnum Dei manifestaretur. 12. Dixit ergo : Homo quidam nobilis

19,11. Ἀκουόντων δὲ αὐτῶν ταῦτα, προσθεὶς εἶπεν παραβολήν, διὰ τὸ ἐγγὺς εἶναι Ἰερουσαλὴμ αὐτὸν, καὶ δοκεῖν αὐτοὺς ὅτι παραχρῆμα μέλλει ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ ἀναφαίνεσθαι· 12. εἶπεν οὖν, Ἄνθρωπός τις

abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, et reverti. 13. Vocatis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas, et ait ad illos : Negotiamini dum venio. 14. Cives autem eius oderant eum; et miserunt legationem post illum, dicentes : Nolumus hunc regnare super nos. 15. Et factum est ut rediret accepto regno; et iussit vocari servos quibus dedit pecuniam, ut sciret quantum quisque negotiatus esset. 16. Venit autem primus dicens : Domine, mna tua decem mnas acquisivit. 17. Et ait illi : Euge, bone serve; quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem civitates.

18. Et alter venit dicens : Domine, mna tua fecit quinque mnas. 19. Et huic ait : Et tu esto super quinque civitates. 20. Et alter venit dicens : Domine, ecce mna tua, quam habui repositam in sudario; 21. Timui enim te, quia homo austerus es; tollis quod non posuisti, et metis quod non seminasti. 22. Dicit ei : De ore tuo te iudico, serve nequam : Sciebas quod ego homo austerus sum, tollens quod non posui, et metens quod non seminavi; 23. Et quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, ut ego veniens cum usuris utique exegissem illam? 24. Et astantibus dixit : Auferte ab illo mnam, et date illi, qui decem mnas habet. 25. Et dixerunt ei : Domine, habet decem mnas. 26. Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur, et abundabit; ab eo autem qui non habet, et quod habet auferetur ab eo. 27. Verumtamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, et interficite ante me.

εὐγενὴς ἐπορεύθη εἰς χώραν μακρὰν λαβεῖν ἑαυτῷ βασιλείαν, καὶ ὑποστρέψαι. 13. καλέσας δὲ δέκα δούλους ἑαυτοῦ, ἔδωκεν αὐτοῖς δέκα μνᾶς, καὶ εἶπεν πρὸς αὐτοὺς πραγματεύσασθαι ἐν ᾧ ἔρχομαι. 14. οἱ δὲ πολῖται αὐτοῦ ἐμίσουν αὐτὸν, καὶ ἀπέστειλαν πρεσβείαν ὀπίσω αὐτοῦ, λέγοντες, Οὐ θέλομεν τοῦτον βασιλεῦσαι ἐφ' ἡμᾶς. 15. Καὶ ἐγένετο ἐν τῷ ἐπανελθεῖν αὐτὸν λαβόντα τὴν βασιλείαν, καὶ εἶπεν φωνηθῆναι αὐτῷ τοὺς δούλους τούτους οἷς δεδώκει τὸ ἀργύριον, ἵνα γνοῖ τί διεπραγματεύσαντο. 16. παρεγένετο δὲ ὁ πρῶτος, λέγων, Κύριε, ἡ μνᾶ σου δέκα προσηργάσατο μνᾶς. 17. καὶ εἶπεν αὐτῷ, Εὖγε, ἀγαθὲ δοῦλε· ὅτι ἐν ἐλαχίστῳ πιστὸς ἐγένου, ἴσθι ἐξουσίαν ἔχων ἐπάνω δέκα πόλεων.

18. Καὶ ἦλθεν ὁ δεύτερος λέγων, Ἡ μνᾶ σου, κύριε, ἐποίησεν πέντε μνᾶς. 19. εἶπεν δὲ καὶ τούτῳ, Καὶ σὺ ἐπάνω γίνου πέντε πόλεων. 20. Καὶ ὁ ἕτερος ἦλθεν λέγων, Κύριε, ἰδοὺ ἡ μνᾶ σου, ἣν εἶχον ἀποκειμένην ἐν σουδαρίῳ. 21. ἐφοβούμην γάρ σε, ὅτι ἄνθρωπος αὐστηρὸς εἶ· αἴρεις ὃ οὐκ ἔθηκας, καὶ θερίζεις ὃ οὐκ ἔσπειρας. 22. λέγει αὐτῷ, Ἐκ τοῦ στόματός σου κρίνω σε, πονηρὲ δοῦλε. ἤδεις ὅτι ἐγὼ ἄνθρωπος αὐστηρός εἰμι, αἴρων ὃ οὐκ ἔθηκα, καὶ θερίζων ὃ οὐκ ἔσπειρα; 23. καὶ διατί οὐκ ἔδωκάς μου τὸ ἀργύριον ἐπὶ τὴν τράπεζαν; κἀγὼ ἐλθὼν σὺν τόκῳ ἂν αὐτὸ ἔπραξα. 24. καὶ τοῖς παρεστῶσιν εἶπεν, Ἄρατε ἀπ' αὐτοῦ τὴν μνᾶν, καὶ δότε τῷ τὰς δέκα μνᾶς ἔχοντι. 25. καὶ εἶπαν αὐτῷ, Κύριε, ἔχει δέκα μνᾶς. 26. λέγω ὑμῖν, ὅτι παντὶ τῷ ἔχοντι δοθήσεται· ἀπὸ δὲ τοῦ μὴ ἔχοντος, καὶ ὃ ἔχει ἀρθήσεται. 27. πλὴν τοὺς ἐχθρούς μου ἐκείνους, τοὺς μὴ θελήσαντάς με βασιλεῦσαι ἐπ' αὐτοὺς, ἀγάγετε ὧδε, καὶ κατασφάξατε αὐτοὺς ἔμπροσθέν μου.

In v. 12 homo quidam *dives* b c f ff² i l q r; generosus e; paterfamilias a. In v. 13 πραγματευσασθαι ℵ A B D E RL Γ W H; — σθε Ti et W H in marg; verss habent imperativum uti ΔΔ U 1.131 al 10 fere Or; codd pler εν ω; εως ΓΔΛ unc 8 al pl syr (sch) tat; b *talenta*. In v. 15 τι διεπραγματευσαντο ℵ B D L 157. cop syr (cu) aeth Or; e quid egerint; alii τις τι — σατο; tol ut scriberet. In v. 17 ευγε B D aliq minusc Or it vulg Lcif Ti W H; al ευ; a tanto melior. In v. 19 επανω γινου ℵ B L aliq minusc Ti W H; add a potestatem habens. In v. 21 om *te* am ept*-fuld hub* med mt lind; add U Λ aliq

minusc και συναγεις οθεν ου διεσκορπισας, sim. aeth (ex Matth); tat (medium membrum) exigis quod non dedisti; idem add (excipe tat) in v. 22. In v. 23 pecuniam meam nummulariis c f; *ut* ego sixt ff^2; al *et* ego veniens. Om v. 25 D 69. al 8 b c ff^2 syr (sin, cu) Leif. In v. 26 λεγω sine coniunctione ℵ B L aliq minusc tat cop; al γαρ; add *et abundabit* eg ken wil steph sixt; sim aliq minusc και περισσευθησεται syr (cu) aeth; αρθησεται sine additam ℵ* B L pl minusc Leif Ti W H; al add απ αυτου. In v. 27 a iugulate; D add ex Matth 25,30 και τον αχρειον δουλον — των οδοντων (sin v. 11 om haec illis audientibus; v. 17 inventus es fidelis; eris princeps super etc. item v. 19; v. 22 infidelis; v. 25 om).

Hac parabola docet minime fore ut regnum Dei gloriosum statim instituatur. Verum se abiturum esse et donec iterum revertatur opus fore ut sui donis sibi concessis strenue operentur neque defuturas esse infestationes. Quando autem reversus fuerit exactum iri rationem de uniuscuiusque agendi modo et amplissimam mercedem datum iri servis fidelibus, sed pigris et inertibus dona Dei iri ablatum, hostes vero regni Dei ruituros in interitum. Quare merito dicit *S. Cyr.* nobis hic breviter proponi summam quandam divinae dispositionis et Christi mysterium usque in finem delineari; v. 11 *haec illis audientibus adiiciens dixit parabolam,* προσθείς scil. addens et adiungens ad doctrinam iam antea traditam ipsa re et verbis (v. 5-10); quod alii quandoque explicant : *iterum* dixit parabolam, a notione vocis nimium recedit neque hebraismo (יסף) commendatur. Cum itaque parabola ad doctrinam antecedentem addatur, pronum est etiam *illis audientibus* ita intelligere, ut potius explicetur : *quia* haec audierunt, quam ut solum temporis designationem exprimi dicatur. Qui audiunt parabolam, ii sunt censendi omnes ad quos verba in v. 9 diriguntur; itaque etiam murmurantes (cf. *Ians. Luc. Ipr. Sp.*), quos utique aliqui excludunt (cf. *Schegg, Schanz, Keil*); sed si verba in v. 9. 10 etiam iis dicuntur, non est cur excludantur; insuper isti murmurantes in ipsa parabola quoque clare perstringuntur, cum sua murmuratione aperte a partibus eorum stare perhibeantur qui dicunt : nolumus hunc regnare super nos.

Iam re gesta et verbis v. 9. 10. satis declarat quae sit regni sui indoles et natura; hanc ipsa parabola etiam explicatius proponit ratione habita falsae exspectationis; unde pergitur *eo quod esset prope Ierusalem,* Iericho quippe distat ab urbe stadiis 150 (Bell. iud. 4,8. 3) *et quia existimarent quod confestim regnum Dei manifestaretur;* vigebat enim quam maxime exspectatio Messiae et cum Iesus tot signa patraret et aperte filius David salutaretur neque unquam contradiceret, eum regnum Davidis esse restituturum cum pompa et gloria facile sibi persuadebant; neque enim alia regni Dei notio animis inhaerebat.

Quam ut corrigeret v. 12 *dixit ergo : homo quidam nobilis* εὐγενής nobili genere ortus *abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum et reverti ;* alludit ad id quod eo tempore fiebat; quotquot enim erant principes vel dynastae Romanis subiecti, a Romanis petere vel etiam ipsam urbem Romam adire debebant ut principes vel reges agnoscerentur et appellarentur; id fecerat Herodes (cf. *Iosephus*, Antiq. 14, 14.3-5; 6. 7), id Antipater, Archelaus, Herodes Antipas (l. c. 17,3. 2; 17,5. 1 et 17,9. 3. 4). Idemque ab aliis quoque regibus fiebat (cf. *Schegg*, qui enumerat principes Chalcidis, Arethusae et Emesae, Abilae, Damasci, Armeniae maioris). Dicit in regionem *longinquam,* ut illud *confestim* in v. 11 ex animis audientium statim removeatur; si enim iter longum instituendum est, etiam longum temporis spatium intercedet donec reversus regnum adeat. Antequam autem abiret v. 13 *vocatis autem decem servis suis dedit eis decem mnas* i. e. unicuique unam mnam, uti etiam ex v. 16 et 18 colligitur (quod iam *Alb. Ipr.* monent) et generatim explicant (cf. *S. Ambr. Bed. Luc. Ians. Schegg*); singulis datas esse decem mnas censet *Fil.;* verum modo loquendi id nullatenus suadetur. Cum eo tempore Iudaea a procuratore romano administraretur neque principibus herodianis liceret nummos cudere argenteos, mna erit intelligenda non vetus illa hebraea centum siclorum, sed attica centum drachmarum. Pecuniae summa satis est exigua, cum mnam aestiment circiter 90 fr. vel 78 M.; cur tam parvam selegerit Christus quaeri potest. Fortasse ratio petenda erit ex ipsa laude quae servo tribuitur *in modico* fideli; alii censent alludi ad conditionem in qua plerique Christianorum futuri sint, ad conditionem pauperem, vel designari evangelium propagari sine pompa mundana; *et ait ad illos : negotiamini, dum venio;* vult ut studio et industria usi mercaturam faciant; proinde ne desides sint, sed strenue laborent sicut solent mercatores lucri cupidi. Quando venturus sit, non dicit; se diutius abfuturum iam innuit. Servorum autem fidelitas eorumque rerum domini studium eo quoque tentatur, quod cives animo sunt in eum valde infenso v. 14 *cives autem eius oderant eum et miserunt legationem post illum dicentes : nolumus hunc regnare super nos;* dicunt *hunc* cum contemptu; ei itaque per legatos nuntiant ne redeat; ei odium et contemptum significant neque se ullo modo eius imperio esse consensuros aut in eo acquieturos. Animos pandunt omnino obstinatos et contra eum praeoccupatos et contumaces.

Dum Archelaus et Antipas Romae sententiam et arbitrium Imperatoris exspectarent de testamento Herodis, Iudaeorum legatio Romam veniebat ad postulandam libertatem suis legibus vivendi (Antiq. 17,11. 1; Bell. iud. 2,

6. 1). Nolebant itaque Archelaum super se regnare, idque legatione post eum ad Imperatorem missa significabant. Quare sunt qui censeant Christum in parabola ad rem illam aperte alludere illumque eventum eum ob oculos habuisse et ad eum conformasse parabolam vel potius ex eo occasionem parabolae cepisse. Idque eo magis esse putandum, quia Archelaus in urbe Iericho magnificum palatium exstruxisset et campum ab urbe septemtrionalem palmetis totum consevisset in quem ex vico Neara aquam divertisset (Antiq. 17,13. 1). Unde ipsa urbe memoriam eius esse revocatam (cf. *Calm. Meyer, Weiss, Sp.*). Alii tamen negant parabolam posse referri ad Archelaum (*Schegg, Schanz, Keil*). Et profecto legatio illa ante annos multos, mox post Herodis mortem erat missa; proinde omnino assumi debet plerosque vel omnes qui Iesum loquentem audiunt nihil de ea scire. Insuper quod praecipuum est, Archelaus erat pessimus filiorum Herodis et crudelitatis et tyrannidis accusabatur (Antiq. 17,13. 2); unde merito eius dominationem aversabantur; vide quoque ad Matth. 2,22. Quare quis sibi persuadere poterit Iesum cum de se suoque regno loqueretur voluisse se suamque conditionem quasi cum Archelao conferre homine plane impio quem Iudaei merito detestabantur? Et cum contra Archelaum illa legatio iure esset missa, nonne si eam auditoribus in memoriam revocaret, potius eorum animis cogitationem iniicere videretur in parabola quoque iure mitti legationem? Praeterea memoria Archelai, si apud auditores esset excitata, non potuisset non maxime obscurare ipsam parabolae applicationem; immo eam plane pervertere.

Reversus rationem exigit a servis et inimicos qui se regem habere noluerint trucidari iubet; v. 15 *et factum est ut rediret accepto regno et iussit vocari servos quibus dedit pecuniam ut sciret quantum quisque negotiatus esset;* inquiritur de industria et studio et labore lucroque uniuscuiusque. Ad quod in tribus ponitur exemplum, ut explicetur et meritorum praemiorumque diversitas et pigritiae desidiaeque poena; v. 16 *venit autem primus dicens : domine, mna tua decem mnas acquisivit;* « dominum suum recognoscit, bona commissa domino attribuit, lucrum excrescens bonis domini concedit et non sibi usurpavit » (*Alb.*); dicit *mna tua acquisivit,* non ego, totum scil. tribuens domini subsidio et modeste de suo labore et industria tacens (cf. *Cai. Ians. Luc. Lap.*), uti apostolus quoque dicit : gratia Dei sum quod sum (1 Cor. 15,10); v. 17 *et ait illi : euge, bone serve,* εὖγε praeclare, optime! laetatur et delectatur herus propter servi tantam industriam eumque laudibus ornat et praemium addit vere magnificum quod summam illam quam longissime excedit, *quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem civitates;* mos exprimitur regum orientalium qui servos bonos remunerari solebant vel urbium aliquarum vel provinciarum proventu aut praefectura; v. 18 *et alter*

venit dicens : domine, mna tua fecit quinque mnas; non est scil. omnibus idem ingenii vigor artisve ingenium neque eadem semper cuivis offertur lucri faciendi opportunitas; neque is est dominus qui idem ab omnibus praestari posse vel debere existimet; v. 19 *et huic ait : et tu esto super quinque civitates;* minus quidem attulit; nihilominus praemio donatur lucrum quod fecit plurimum superante. Quem alii odio habebant, is se ostendit plane benignissimum.

Verum non omnes servi in heri utilitatem laborant; sunt inter eos quoque pigri et qui ab omni opere abhorrent v. 20 *et alter venit dicens : domine, ecce mna tua quam habui repositam in sudario;* non dissipavit bona heri neque iis ad luxuriam abusus est; verum donis Dei non uti iam est abuti; suam excusat desidiam, sed male, in herum quippe opprobria coniicere non veretur; v. 21 *timui enim te quia homo austerus es : tollis quod non posuisti et metis quod non seminasti;* ei exprobrat tamquam duritiei et avaritiae signum quod ex aliorum labore et industria velit ditescere; unde dicit eum tollere quod non ipse posuerit i. e. alienum sibi vindicare lucrum et fructum laboris aliorum; metere quod ipse sua industria non seminarit. Id servo illi videbatur indignum et domini iniqua exigentis indicium. Quare ait se timuisse; incertas scil. esse commercii ac negotiationis vicissitudines; potuisse accidere, ut pecuniam infortunio quodam perderet vel ea infelici quodam negotio inito periret; unde tutius esse putavit eam secure ac tuto in sudario colligatam servare adeoque omnem curam ac sollicitudinem declinare et pro labore negotiationis ac periculo indulgere suavi quieti. Verum aliter dominus iudicat : v. 22 *dicit ei : de ore tuo te iudico, serve nequam*; ita merito vocatur, « quia et piger ac deses est ad negotium exercendum et procax ac superbus ad accusandum domini iudicium » (*Bed. Alb.*); ex iis ipsis enim quae dixit longe aliter debuit concludere; unde proprio iudicio quod tulit condemnatur : *sciebas quod ego homo austerus sum tollens* etc. v. 23 *et quare non dedisti pecuniam meam ad mensam?* cum scil. voluntatem domini sciret capiendi lucrum ex servorum industria, id saltem debuit facere quod sine ullo servi periculo sed cum utilitate pro hero fieri potuit, pecuniam scil. tradere nummulariis seu feneratoribus, *ut ego* i. e. et ego *veniens cum usuris utique exegissem illam;* proin aliquid lucri attulisset pecunia; v. 24 *et astantibus dixit : auferte ab illo mnam et date illi qui decem mnas habet;* v. 25 *et dixerunt ei : domine, habet decem mnas;* habet iam honorem sufficientem (*Euth.*); dicunt hoc admirantes domini liberalitatem qui servum fidelem denuo remuneratur. Est enim experientia quoque comprobatum et pariter valet in modo agendi Dei v. 26 *dico autem*

vobis : quia omni habenti dabitur et abundabit, qui dives est habet unde augeat divitias et qui Dei donis bene utitur maiora et plura pro Dei liberalitate accipere solet ; *ab eo autem qui non habet et quod habet auferetur ab eo ;* pauper vero facile quoque amittit minimum illud quod habet, et in re spirituali qui Dei dona et gratias non sedulo adhibet cum iis cooperando, merito iis plane destituitur ; ceterum vide ad Matth. 25,29. Qua sententia generali non tam parabola quam doctrina parabolae illustratur. Demum vae illis qui dominationem eius repudiarunt : v. 27 *verumtamen, inimicos meos illos qui noluerunt me regnare super se, adducite huc et interficite ante me,* κατασφάξατε vox est irati et contemnentis, iugulate, trucidate.

Quo tendat parabola, satis est obvium. Homo ille nobili genere ortus est Christus qui ut Filius Dei originem habet ab aeterno nobilissimam et ut homo conceptus de Spiritu sancto et natus ex Virgine et descendens ex stirpe davidica ortum habet multipliciter nobilem. Abit in regionem longinquam accipere sibi regnum, i. e. in coelum (solus *Beda* explicat de ecclesia ex gentibus colligenda) ; nam oportebat eum pati et sic intrare in gloriam suam (*Cai.*) ; sedens ad dexteram Patris regnat ; inde suo tempore reversurus ut iudicet vivos et mortuos. Uti in decem virginibus (Matth. 25,1), ita in decem servis universitas fidelium designatur ; neque enim ratio ulla apparet, cur cum aliquibus soli apostoli intelligantur et mna solum de munere apostolico explicetur. Bene dicuntur *vocati* « tripliciter per internam Spiritus inspirationem, per exteriorem admonitionem, per officii iniunctionem » (*Alb.*). Mna autem quae cuique committitur ad negotiationem designat gratias Dei quae cuique dantur ut salutem suam operetur eo in officio et munere in quo constituitur. Cives qui odio habent hominem nobilem Iudaei sunt, ex quibus Christus est secundum carnem (Rom. 9,5) qui itaque praecipuo iure cives eius vocantur, inter quos natus et educatus fuit. Quantopere eum odio haberent luculentur ostendebant in vita eius mortali, dum eum et persequerentur et demum traderent Pilato ad crucifigendum. Clamantes : tolle, crucifige ; non habemus regem nisi Caesarem, palam declarabant : nolumus hunc regnare. Idem declarabant postquam abiit in coelum, dum apostolos et Christifideles persequerentur, expellerent, trucidarent. Sed applicatio ad alios quoque inimicos et persecutores Christi et Ecclesiae facile consequitur. Redit autem Christus ad rationem capiendam de uniuscuiusque negotiatione, de usu gratiarum, de gestione muneris. Reditus iste maxime proprius et sollemnis est alter Christi adventus ad iudicium universale. Perperam autem concludit *Weiss* declarari hunc reditum intra tempus unius generationis, cum ratio exigatur tempore reditus

ab iisdem servis. Verum evidens est vi ac notione parabolae aliter rem non potuisse significari, nisi ut ille reversus ab iisdem rationem negotiationis postularet. De tempore reditus in ipsa parabola id unum significatur quod ex profectione in regionem *longinquam* consequitur. Sed cum non omnes victuri sint usque ad alterum Christi adventum, merito dicitur Christus venire ad unumquemque, quando morte sistitur ad iudicium particulare. Merita nostra et bene gesta sunt Dei dona; quare bene dicit servus : mna tua acquisivit etc.; tota enim gloria ad Deum est referenda et animo grato oportet agnoscere nos ex solis nostris viribus nihil posse efficere quod valeat ad praemium supernaturale.

In ipsis verbis v. 17 exprimitur laetitia Christi de profectu electorum (*Cai.*); dona Dei hisce in terris nobis collata dici possunt *modicum* ratione habita donorum vitae futurae coelestis. Eodem modo cum pro decem mnis dentur decem civitates, praemium coeleste, pondus illud supereminens gloriae (2 Cor. 4,17) comparatione rerum sensibilium significatur. Regnabunt enim electi cum Christo quippe qui sunt eius coheredes. Diversitas quoque meritorum designatur; fieri enim potest, ut cum eadem gratiae mensura alius alio maiora merita acquirat. Quantum autem quisque negotiatus sit, dimetiendum est ex studio et industria, τῷ μέτρῳ τῆς ἑκάστου σπουδῆς, ut ait *Euth.*, vel ut apostolus dicit κατὰ τὸν ἴδιον κόπον unusquisque recipiet mercedem; neque enim secundum munera varia neque secundum fructum qui in prospero successu cernitur negotiatio illa diiudicabitur, sed secundum laborem quem quisque impenderit. Ex v. 20, cum de tribus servis solum mentio fiat, perperam infert *Weiss* in prima parabolae forma tres servos esse designatos, non decem. Sed bene iam *Euth.* notat : « sed quare de solis tribus servis dixit relictis ceteris? quia ex his facile est etiam de aliis coniectare; quotquot enim negotiati sunt, conformes ad lucrum susceperunt honores; quotquot vero otiosum et inutile habebant donum, similia cum praedicto passi sunt ». Sufficienter enim in tribus hisce exemplis omnes fidelium ordines describuntur, eorum scil. qui varietate meritorum instructi sistentur divino tribunali et eorum quoque qui gratiam Dei in vacuum receperunt. Nonne esset res quam maxime taediosa, si in parabola omnes decem servi inducerentur rationem reddentes? Doctrina parabolae in tribus apte traditur.

Pecuniam in sudario ligare, ait *Beda*, est percepta dona sub otio lenti torporis abscondere; sudarium otium, segnitiem, inutilitatem significat (cf. *Euth.*). Ille designatur qui munere sibi credito non fungitur neque cum gratiis sibi datis cooperatur. In verbis Christi indicatur quoque fieri posse ut ab eo qui donis Dei non utatur haec dona aufe-

rantur, ut demum careat gratiis, qui diu eis abusus est. Qui vero gratiis bene utitur, accipiet uberiores. In v. 27 adumbratur sors Iudaeorum infidelium. Cum ex modo loquendi sacrorum librorum Deus dicatur venire, descendere, egredi, quando de singulari quodam effectu divinae rerum gubernationis sermo inducitur (cf. Gen. 11,5; 18,10; Ps. 49,3. Is. 3,14; 30,27. Mich. 1,3; vide quae dixi in Comment. Proph. min. II p. 73), Christus vero aliquo sensu dici potest venisse iudex in destructione urbis et templi; idque eo magis quia iudicium illud in urbem Ierusalem quasi figura quaedam et prooemium ultimi iudicii nobis proponitur. In illa autem urbis ruina Iudaei infideles poenas dabant eo quod Christum nolebant regnare super se. Perierunt enim teste *Iosepho* (Bell. iud. 6,9. 3) totius obsidionis tempore undecies centena hominum millia; captivorum autem numerus qui totius belli tempore capti sunt erat ad nonaginta septem millia. — In hac autem ruina facile cernitur interitum adumbrari omnium qui Christum nolint regnare super se; nam Christo dictum est : sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum, atque de eo valet : omnia subiecisti sub pedibus eius (cf. 1 Cor. 15,25. Hebr. 2,8).

Aliquam intercedere similitudinem inter hanc parabolam et eam apud Matth. 25,14-30 de talentis statim deprehenditur. Unde quaerunt sintne revera duae parabolae hae ut distinctae a Christo dictae, vel estne una parabola, sed diverso modo ab utroque evangelista relata aut traditione accepta. Unam esse parabolam a Christo propositam approbat *Mald.* ad Matth. 25,14 asserens id ab omnibus recentioribus auctoribus tradi, cui sententiae etiam aliqui recentiores adstipulantur (cf. *Weiss*). At cum aliis omnino statuendum est duas esse parabolas a Christo diverso tempore propositas. Nam quamvis aliqua adsit similitudo, tamen occasio, locus, tempus, argumentum parabolae plane sunt diversa. Apud Matth. adiungitur, ut admonitio ad vigilandum fulciatur et declaretur, uti in v. 14 clare assignatur : sicut *enim* etc. cum praecedat : vigilate itaque etc.; porro proponitur in urbe post sollemnem in urbem ingressum. Apud Lucam occasio est : quia existimarent confestim regnum Dei iri manifestatum; proponitur in Iericho ante ingressum in urbem. Apud Matth. soli discipuli audiunt parabolam; non ita hic; ibi tradit homo peregre proficiscens bona sua, tribus servis distribuens octo talenta, uni quinque, duo alteri, tertio unum. Hic vero narratur eum abiisse ut acciperet regnum; non omnia bona committit servis, sed partem exiguam, decem mnas; non tribus, sed decem servis tribuit, neque summam inaequalem, sed eandem singulis. Quae hic de odio civium, de legatione missa et demum de occisione inimicorum dicuntur, huic parabolae propria sunt neque quidquam eiusmodi in altera apud Matth. deprehenditur. Hic porro una mna acquisivit decem, quinque mnas; apud Matth. qui quinque talenta acceperat lucratus est alia quinque,

qui duo, alia duo. Praemium quoque aliter enuntiatur; apud Matth. : intra in gaudium domini tui; apud Lucam decem, quinque urbes servis fidelibus tribuuntur. Apud Matth. servus piger eiicitur in tenebras exteriores; de qua poena apud Lucam tacetur. — In tanta autem diversitate asserere vel ab evangelista ipso vel a traditione unam Iesu parabolam forma adeo dissimili fuisse exhibitam certe repugnat fidelitati illi, qua verba Christi et res gestas ab evangelistis ad nos esse transmissa omnino assumi debet. Neque ulla est ratio cur ob aliquam similitudinem una solum parabola statuatur. Nam Christum saepius docuisse similia quis negaverit? Quare duae parabolae agnoscendae sunt cum *Eus.* (cat. Cord.) *Ians. Sylv. Salmeron, Bisp. Schanz, Keil, Sp.* etc.

QUARTA PARS 19,28-24,53.

Enarratur Christi passio et resurrectio. Cum autem pascha nostrum immolatus sit Christus, haec pars apte inchoatur a sollemni in urbem ingressu, die scil. 10 nisan, quo die unusquisque agnum per familias et domos suas tollere iubebatur eumque servare usque ad diem 14 (Ex. 12,3; vide Comment. Matth. II p. 198). Unde in hac parte tria apte distinguuntur : ea quae passionem immediate praecedunt vel quae a die prima hebdomadis usque ad feriam quintam vespere gesta sunt, ipsa passio ab agonia in horto usque ad sepulturam, resurrectio et manifestatio Iesu vivi ad discipulos.

In hac parte Lucas sat multa habet propria. Ea brevi conspectu proponere non erit abs re : 19,39-44 pharisaei volunt ut discipulos increpet; flet de Ierusalem; 22,15.16 desiderio desideravi hoc pascha etc.; v. 24-30 de contentione apostolorum; v. 31.32 rogavi pro te ne deficiat fides tua etc.; v. 35-38 quando misi vos sine sacculo etc.; v. 43.44 angelus de coelo, sudor sanguineus; v. 49 si percutimus in gladio? v. 51 sanat auriculam; v. 66-71 mane habitum consilium; 23,2 accusationes de rebellione; v.5-16 Christus apud Herodem; v. 27-32 mulieres lamentantes; v. 34 Pater dimitte; v. 37 illudunt milites; v. 39-43 latro poenitens; v. 46 Pater in manus tuas etc.; v. 48 turbae percutientes pectora; v. 51 Ioseph non consenserat actibus eorum; 24,14-35 duo in Emmaus; v. 34 Simoni apparuit Dominus (cf. 1 Cor. 15,5); v. 37-39. 41-43. 44-53.

1. *A die prima hebdomadis ad feriam quintam* 19,28-22,38.

a) Sollemnis in urbem ingressus 19,28-48.

19,28. Et his dictis, praecedebat ascendens Ierosolymam.

29. Et factum est, quum appropinquasset ad Bethphage et Bethaniam, ad montem qui vocatur Oliveti, misit duos discipulos suos, 30. Dicens : Ite in castellum quod contra est; in quod introeuntes, invenietis pullum asinae alli-

19,28. Καὶ εἰπὼν ταῦτα, ἐπορεύετο ἔμπροσθεν, ἀναβαίνων εἰς Ἰεροσόλυμα.

29. Καὶ ἐγένετο ὡς ἤγγισεν εἰς Βηθφαγὴ καὶ Βηθανιὰ πρὸς τὸ ὄρος τὸ καλούμενον ἐλαιών, ἀπέστειλεν δύο τῶν μαθητῶν, 30. λέγων, Ὑπάγετε εἰς τὴν κατέναντι κώμην· ἐν ᾗ εἰσπορευόμενοι εὑρήσετε πῶλον δεδεμένον, ἐφ' ὃν οὐδεὶς πώποτε ἀνθρώπων ἐκάθισεν

gatum, cui nemo unquam hominum sedit; solvite illum, et adducite. 31. Et si quis vos interrogaverit : Quare solvitis? sic dicetis ei : Quia Dominus operam eius desiderat. 32. Abierunt autem qui missi erant; et invenerunt, sicut dixit illis, stantem pullum. 33. Solventibus autem illis pullum, dixerunt domini eius ad illos : Quid solvitis pullum? 34. At illi dixerunt : Quia Dominus eum necessarium habet. 35. Et duxerunt illum ad Iesum. Et iactantes vestimenta sua supra pullum, imposuerunt Iesum. 36. Eunte autem illo, substernebant vestimenta sua in via. 37. Et quum appropinquaret iam ad descensum montis Oliveti, coeperunt omnes turbae discipulorum gaudentes laudare Deum voce magna super omnibus quas viderant, virtutibus, 38. Dicentes : Benedictus qui venit rex in nomine Domini; pax in coelo, et gloria in excelsis. 39. Et quidam pharisaeorum de turbis dixerunt ad illum : Magister, increpa discipulos tuos. 40. Quibus ipse ait : Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt. 41. Et ut appropinquavit, videns civitatem flevit super illam, dicens : 42. Quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quae ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. 43. Quia venient dies in te; et circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te; et coangustabunt te undique; 44. Et ad terram prosternent te, et filios tuos qui in te sunt; et non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuae.

45. Et ingressus in templum, coepit eiicere vendentes in illo, et ementes, 46. Dicens illis : Scriptum est : Quia domus mea domus orationis est. Vos autem fecistis illam speluncam latronum.

47. Et erat docens quotidie in templo. Principes autem sacerdotum, et scribae, et principes plebis quaerebant illum perdere; 48. Et non inveniebant quid facerent illi. Omnis enim populus suspensus erat, audiens illum.

καὶ λύσαντες αὐτὸν ἀγάγετε. 31. καὶ ἐάν τις ὑμᾶς ἐρωτᾷ, Διατί λύετε; οὕτως ἐρεῖτε ὅτι ὁ κύριος αὐτοῦ χρείαν ἔχει. 32. ἀπελθόντες δὲ οἱ ἀπεσταλμένοι εὗρον καθὼς εἶπεν αὐτοῖς· 33. λυόντων δὲ αὐτῶν τὸν πῶλον, εἶπαν οἱ κύριοι αὐτοῦ πρὸς αὐτούς, Τί λύετε τὸν πῶλον; 34. οἱ δὲ εἶπαν, Ὁ κύριος αὐτοῦ χρείαν ἔχει. 35. καὶ ἤγαγον αὐτὸν πρὸς τὸν Ἰησοῦν. καὶ ἐπιρίψαντες αὐτῶν τὰ ἱμάτια ἐπὶ τὸν πῶλον, ἐπεβίβασαν τὸν Ἰησοῦν. 36. πορευομένου δὲ αὐτοῦ, ὑπεστρώννυον τὰ ἱμάτια ἑαυτῶν ἐν τῇ ὁδῷ. 37. Ἐγγίζοντος δὲ αὐτοῦ ἤδη πρὸς τῇ καταβάσει τοῦ ὄρους τῶν ἐλαιῶν, ἤρξαντο ἅπαν τὸ πλῆθος τῶν μαθητῶν χαίροντες αἰνεῖν τὸν Θεὸν φωνῇ μεγάλῃ περὶ πάντων ὧν εἶδον δυνάμεων, 38. λέγοντες Εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος ὁ βασιλεὺς ἐν ὀνόματι Κυρίου· ἐν οὐρανῷ εἰρήνη, καὶ δόξα ἐν ὑψίστοις. 39. καί τινες τῶν Φαρισαίων ἀπὸ τοῦ ὄχλου εἶπαν πρὸς αὐτόν, Διδάσκαλε, ἐπιτίμησον τοῖς μαθηταῖς σου. 40. Καὶ ἀποκριθεὶς εἶπεν, Λέγω ὑμῖν, (ὅτι) ἐὰν οὗτοι σιωπήσωσιν, οἱ λίθοι κράξουσιν. 41. Καὶ ὡς ἤγγισεν, ἰδὼν τὴν πόλιν, ἔκλαυσεν ἐπ' αὐτὴν λέγων, 42. ὅτι εἰ ἔγνως ἐν τῇ ἡμέρᾳ ταύτῃ καὶ σὺ τὰ πρὸς εἰρήνην, νῦν δὲ ἐκρύβη ἀπὸ ὀφθαλμῶν σου· 43. ὅτι ἥξουσιν ἡμέραι ἐπὶ σὲ, καὶ περιβαλοῦσιν οἱ ἐχθροί σου χάρακά σοι, καὶ περικυκλώσουσίν σε, καὶ συνέξουσίν σε πάντοθεν, 44. καὶ ἐδαφιοῦσίν σε καὶ τὰ τέκνα σου ἐν σοὶ, καὶ οὐκ ἀφήσουσιν λίθον ἐπὶ λίθον ἐν σοί· ἀνθ' ὧν οὐκ ἔγνως τὸν καιρὸν τῆς ἐπισκοπῆς σου.

45. Καὶ εἰσελθὼν εἰς τὸ ἱερὸν, ἤρξατο ἐκβάλλειν τοὺς πωλοῦντας, 46. λέγων αὐτοῖς, Γέγραπται, καὶ ἔσται ὁ οἶκός μου οἶκος προσευχῆς, ὑμεῖς δὲ αὐτὸν ἐποιήσατε σπήλαιον λῃστῶν.

47. Καὶ ἦν διδάσκων τὸ καθ' ἡμέραν ἐν τῷ ἱερῷ· οἱ δὲ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ γραμματεῖς ἐζήτουν αὐτὸν ἀπολέσαι, καὶ οἱ πρῶτοι τοῦ λαοῦ· 48. καὶ οὐκ εὕρισκον τὸ τί ποιήσωσιν, ὁ λαὸς γὰρ ἅπας ἐξεκρέμετο αὐτοῦ ἀκούων.

In v. 30 a asinam cum pullum; B D L και λυσαντες; dub adducite mihi. In v. 31 d eius opus habet, r s domino opus est, e desiderat illum. In v. 32 U add τον πωλον, mu minusc εστωτα τον π. sim if vulg arm aeth. In v. 33 a asinam cum pullo. In v. 34 operam (opera c ff²) eius desiderat c ff² i l q r; domino necessarius est a f. In v. 37 turbae discentium ger med Wordsworth; codd fere omnes *descendentium*, etiam steph hent sixt, discipulorum val; παντων B D; al πασων. In v. 38 post κυριου add D 157. ευλογημενος ο βασιλευς sim benedictus rex a c ff² i r s (add 157. aeth ισραηλ). In v. 39 a obiurga, e corripe; a c ff² i l *illos;* item syr (sin, cu) illos ne clament. In v. 40 G tat syr (sin, cu) ειπεν αυτοις αμην; ℵ B L κραξουσιν, al κεκραξονται. In v. 42 ℵ B L Or aeth W H (uti supra); al Ti ει εγνως και συ καιγε εν τη ημερα σου ταυτη, dub si cognovisses tu, *fleres*. In v. 43 παρεμβαλουσιν ℵ C* L Eus Ti; s cingent te, e circumfodient fossam, a inicient saepem; alterum *circumdabunt te* om big dub ox ken r; circumibunt te f ff² i l car; circumcingent d. In v. 44 eg sternent te; consternent te theod car ox val; e ad solum te deponent; d ad nihilum deducent te, a pavimentabunt te. In v. 45 τους πωλουντας sine addit ℵ B L cop Or Ti W H; al add εν αυτω και αγοραζοντας; insuper D Λ it pler add et mensas nummulariorum effudit et cathedras vendentium columbas evertit; cf. Matth 21,12. In v. 46 και εσται ℵ° B L R aliq minusc cop arm Or; *et erit* c l; vocabitur e r gat eg. In v. 48 ℵ B εξεκρεμετο, item Ti W H; al ἐξεκρεματο; e pendebat audiens; ben audientes (sin v. 28 et his dictis exiit inde et cum ascenderet Ier. venit ad Bethphage et Bethaniam; v. 30 adducite eum huc; v. 33.34 et cum solverent pullum, dixerunt eis : Domino eius necesse est; v. 37 super omne quod viderant; v. 39 dicebant ei aliqui ex populo e medio turbae : magister praeclare, increpa discipulos tuos ne clament; v. 40 amen dico vobis; v. 42 pacem tuam; v. 43 circumdabunt te inimici tui et angustiabunt te ex omni loco et prosternent te super terram et filios tuos in medio tuo; v. 45-47 non omnia servata sunt).

Qua in narratione magna cum Marco deprehenditur similitudo; aliqua tamen brevius referuntur (cf. v. 31. 34. 36. 45), aliqua explicatius neque desunt quae Lucae propria sunt (cf. 37. 38. 39-44. 47); v. 28 *et his dictis praecedebat ascendens Ierosolymam* ἐπορεύετο ἔμπροσθεν cf. Marc. 10,32 incedebat agmen ducens discipulorum, ante eos *praecedebat,* ipso itinerandi modo declarans quam prompto animo passioni suae obviam iret (cf. 18,31); v. 29 *et factum est cum appropinquasset ad Bethphage et Bethaniam,* vide quae dixi ad Marc. 11,1, *ad montem qui vocatur Oliveti*[1] *misit duos discipulos suos,* unum eorum Petrum fuisse redditur probabile ex Marc. 11,4 (cf. Comment. p. 292), v. 30 *dicens : ite in castellum quod contra est* κώμην pagum, vicum, *in quod introeuntes invenietis* (ἐν ᾗ *in quo* ben dub eg ept ger ox harl) *pullum asinae alligatum* πῶλον, quae vox de pullis variorum animalium dicitur; vide ad Marc. 11,2; intelligi asinae pullum elucet ex Matth. 21,1 et ex usu vocis apud LXX et etiam ex more Iudaeorum communi, *cui*

1. W H ἐλαιῶν, Tregelles, Ti ἐλαιών qui modus scribendi praeferendus est; est enim ών terminatio nominum derivatorum indicantium locum iis arboribus consitum, ut δαφνών, δρυμών etc.; cf. *Buttmann*, Gr. d. neut. Spr. p. 20, *Grimm* Lex. s. v.; sed v. 37 recte τῶν ἐλαιῶν i. e. mons olivarum.

nemo unquam hominum sedit; primitiae Domino consecrandae sunt; unde conveniebat, ut Christus talem sibi adduci iuberet pullum, cuius primum servitium Domino praestaretur; cf. Num. 19,2. Deut. 21,3. 1 Reg. 6,7 et 2 Reg. 6,3 arca Domini imponitur plaustro novo; *solvite illum et adducite;* rerum quoque absentium se habere notitiam significat; v. 31 *et si quis vos interrogaverit : quare solvitis? sic dicetis ei : quia Dominus operam eius desiderat* χρείαν ἔχει opus habet (uti versum est Matth. 21,3) ; v. 32 *abierunt autem qui missi erant et invenerunt sicut dixit illis* (*stantem pullum*) ; v. 33 *solventibus autem illis pullum dixerunt domini eius* (κύριοι, modus loquendi non est adeo insolitus uti aliquibus videtur; cf. Matth. 20,8; 21,40. Marc. 12,9. Luc. 20,15) *ad illos : quid solvitis pullum?* v. 34 *at illi dixerunt : quia Dominus eum necessarium habet;* dicunt ad verbum quod Dominus iusserat, scil. χρείαν ἔχει; sed interpreti placuit variare (uti Marc. 11,3 etiam aliter vertit : Domino necessarius est). Notat *Schanz* a Luca omissum esse quod Marcus praebet : et continuo illum dimittet, quia Lucas in enarranda passione non ut Marcus efferat praescientiam Christi. Sed praescientia satis iam declaratur hic quoque in v. 30 et 31.

Oraculi mentionem faciunt Matth. 21,4 et Ioan. 12,14 quod tamen oraculum eo tempore discipuli nondum cognoverunt; unde quod agunt referri oportet ad impulsum quem Christus secreto eorum animis impressit, quem impulsum turbis quoque tribuit volens ut ingressus in urbem triumphalis sibi paretur; v. 35 *et duxerunt illum ad Iesum;* tum faciunt quod iussi non erant sed quod eos interius docet Christus, *et iactantes vestimenta sua supra pullum imposuerunt Iesum;* intellige vestes superiores, pallia, uti ἱμάτιον opponitur τῷ χιτῶνι Matth. 5,40. Luc. 6,29 (Act. 9,39?). Alia quoque honoris significatio ei praestatur v. 36 *eunte autem illo substernebant* scil. alii qui Iesum comitabantur; Matth. 21,8 plurima turba, Marc. 11,8 multi, *vestimenta sua in via;* cf. 4 Reg. 9,13; alii ramorum quoque ac frondium mentionem faciunt; hoc omisso accuratius narratur, ubi sollemnes et festivas acclamationes tollere coeperint v. 37 *et cum appropinquaret iam ad descensum montis Oliveti,* ubi scil. aspectus urbis templique iam itinerantibus offerebatur, *coeperunt omnes turbae discipulorum,* eorum qui tum discipulorum instar Dominum comitabantur *gaudentes laudare Deum voce magna super omnibus quas viderant virtutibus;* vide quantopere Christus solo voluntatis nutu valeat in animos (cf. Comment. Marc. p. 293). Uti antea a caeco salutatus est filius David i. e. Messias, ita turbae eum Messiam proclamant; v. 38 *dicentes : benedictus qui venit rex in nomine Domini;* plerique iungunt : venit in nomine Domini, quod ipsa collocatione suaderi videtur; at cum benedicere in nomine Domini

saepius dicatur, ita quoque iungi posse dixi ad Marc. 11,10; ut filium David et Messiam eum salutant regem, vel : benedictum quod venit regnum patris nostri David (Marc. 11,10); in conferta multitudine atque in longiore illa ad urbem templumque profectione alios alia acclamasse et res ipsa et narratio trium suadet; *pax in coelo et gloria in excelsis;* pax in coelo explicari potest ut hosanna in excelsis : salutem concede in coelo, unde scil. ad nos descendat; vide ad Marc. 11,10; pacem, bona messiana, reconciliationem cum Deo in coelo esse definita et decreta hominibusque reposita laetantes acclamant; quare *gloria* quoque quam maxima Deo sit in excelsis, in sublimi coelorum sede. Pax in coelo, ait *S. Cyr.* quia Deus iam non est nobis adversus; diremptum est antiquum bellum et idcirco gloria in altissimis angelis glorificantibus in unione et conciliatione tali quam nobis rex largitur (*Theoph.*). Quod itaque nascente Domino angeli cantabant, idem iam in triumpho Christi regis festive canitur (cf. *Bed. Bon. Cai. Lap.*).

Verum pharisaeorum invidia hanc Christi gloriam ferre non potest v. 39 *et quidam pharisaeorum de turbis dixerunt ad illum : magister increpa discipulos tuos;* obiurga, compesce adulantes tibi; huiusmodi applausum non debes ferre; innuere volunt ne permittat se salutari Messiam. Quare denuo suam manifestant perversitatem, qua apud se statuerunt Iesum etsi venit in triumpho non agnoscere Messiam. Quod tempore encaeniorum postulaverant : si tu es Christus, dic nobis palam (Ioan. 10,24), iam clarissime eis respondet v. 40 *quibus ipse ait : dico vobis, quia si hi tacuerint lapides clamabunt* hoc scil. tempus definitum est a Deo ad contestandum publice et acclamandum eum esse Messiam; quare omnino fieri debet usque adeo, ut lapides potius in eiusmodi voces erupturi essent quam illi Dei decreto non satisfieret (*Cai. Luc.*). Modus loquendi proverbialis est summam declarans necessitatem; cf. Hab. 2,11. Proinde morosis illis et se esse regem Messiam idque iam omnino palam debere proclamari graviter et sollemniter annuntiat. At hic quoque dicere potuit, quod tempore encaeniorum eis dixit : loquor vobis et non creditis (Ioan. 10,25). Hisce pharisaeorum vocibus quasi praeludio quodam significatur obstinatio et contumacia principum ac ducum populi et quae necessario consequi debet eorum pernicies.

Quare iam excitatur dolor Iesu de tanta perversitate et de necessario supplicio; v. 41 *et ut appropinquavit videns civitatem,* ex monte Oliveti aspectus patet in urbem et templum iucundissimus et tota urbis magnitudo et magnificentia templi aspicientibus offertur, *flevit super illam* ἔκλαυσεν non solum lacrimas fudit (id quod est δακρύειν) sed elata voce flevit, ploravit, quae est vocis notio propria ad significandum quo-

que magnum animi affectum (cf. *Schmidt,* Synonymik I p. 471); « vide, pharisaee, quam caram habeat Iesus eiusmodi gloriam; inter tot honores flet; non magnifacit honores qui fletum non continet compassionis » (*Cai.*). Inter gaudia et acclamationes turbarum ei maxime cordi est salus civitatis ingratae quam nihilominus visceribus misericordiae complectitur. Plorat itaque intimo compassionis affectu lacrimis istis et lamentatione pandens sensus et dolorem amantissimi cordis sui, quod frustra laboraverit pro urbe hac quae tantis beneficiis a Deo erat cumulata, sed quae pro sua obdurata caecitate exitium praeelegit. Hunc Iesu ploratum Lucas nobis narrat, utpote comes apostoli cui etiam tristitia magna erat et continuus dolor cordis pro fratribus et cognatis secundum carnem et qui ut gentium apostolus strenue ministerio fungitur, si quo modo ad aemulandum provocet eos et salvos faciat aliquos ex illis (Rom. 9,2 et 11,13. 14).

Iesus autem ploratu maximum pondus addit verbis : *dicens* v. 42 *quia si cognovisses et tu* καὶ σύ, sicut scil. cognoverunt alii, ut apostoli, discipuli, *et quidem in hac die tua,* ubi testimonium adeo manifestum et splendidum redditur de Iesu dignitate, *quae ad pacem tibi* ea scil. quae pacem, salutem tibi afferre possent, scil. Messiam pacis salutisque auctorem; fides in eum et susceptio eius praedicationis (*Theoph. Euth. Luc.*) urbem eximeret ab exitio et summam ei afferret felicitatem; « exclamatio est deprompta ex intimo corde tanta affectione ut dolor vocem praecludat; scimus enim eos quibus ardent vehementes affectus, non nisi dimidia ex parte sensus effari » (*Luc.*); nam affectus vehementia interrumpit orationem; « consueverunt enim plorantes verba prae affectus magnitudine abrumpere » (*Euth.*); unde *Euth.* supplendum censet : non perires; at cum plerisque exclamationem qua desiderium et optatum exprimatur intelligere satius erit; *nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis,* voluntarie enim noluisti cognoscere, ut bene additur in *cat. Cr.* Si enim quis gratias multas spernit fieri potest ut Deus uberiores iam non concedat sed eum tradat in reprobum sensum (Rom. 1,28); unde excaecatio poena est peccatorum quibus gratiae Dei repudiabantur quae excaecatio describitur Ioan. 12,37 et Rom. 11,7.

Et hanc excaecationem non iri ablatum Iesus scit et praedicit dolens atque plorans, dum sortem futuram urbis delineat v. 43 *quia venient dies in te* ἐπὶ σέ adversum te, super te *et circumdabunt te inimici tuo vallo;* cf. *Iosephus,* Bell. iud. 5,11. 4; 5,12. 2; *et circumdabunt te,* circumcingent te *et coangustabunt te undique;* aliqui vaticinium ex eventu hic poni asserebant, cum obsidio adeo accurate exponatur; alii existimant Lucam utpote rei militaris romanae haud ignarum ea quae in prophe-

tia ratione quadam generali dicta essent accuratius per singula declarasse (cf. *Schanz*). Sed utrumque gratuito asseritur. Nam quae dicuntur, in omni obsidione a Romanis fieri solebant; unde si bellum et oppugnatio a Christo praevidebatur, singula haec iam per se consequuntur, quae in oppugnatione accidebant. Ea autem hic quoque modo valde generali proponi, patet si inspexeris quae habentur apud *Iosephum* l. c. et 5,6. 2; 5,9. 2; 5,12. 4; 6,1. 1-3; 6,2. 7; 6,8. 1. 4; v. 44 *et ad terram prosternent te et filios tuos* i. e. incolas urbis; urbs quippe tamquam mater considerari solet etiam apud prophetas; ἐδαφιοῦσιν urbem solo aequabunt et incolas in terram allident; dicitur quippe verbum et de hominibus prosternendis (cf. LXX Os. 10,14 et 14,1. Nah. 3,10. Ps. 136,9) et de urbe diruenda (Is. 3,26; cf. Ez. 31,12), *qui in te sunt, et non relinquent in te lapidem super lapidem;* « postquam vero neque quos occiderent neque quod raperent habebat exercitus, iubet eos Caesar totam iam funditus evertere (κατασκάπτειν) civitatem et templum » (*Iosephus* l. c. 7,1. 1), *eo quod non cognoveris tempus visitationis tuae,* quo scil. urbi et populo praedicatione Ioannis baptistae, praedicatione et miraculis Christi et apostolorum gratiae adeo frequentes offerebantur; revera in visceribus misericordiae Dei visitabat eam Oriens ex alto, visitavit eam Deus misso salutis nuntio et auctore (*Luc.*); declaratur benignissima Salvatoris cura, quam ei impendit doctrina, miraculis, minis (*cat. Cr.*); cf. 13,34. Matth. 23,37.

Omittit Lucas quid eo die ingressus in templum egerit (cf. Marc. 11,11) et statim subiungit quod teste Marco 11,12. 15 seq. sequenti die gestum est v. 45 *et ingressus in templum coepit eiicere vendentes in illo et ementes* ea scil. quibus ad varia sacrificia opus erat; vide ad Matth. 21,12 et ad Marc. 11,15; v. 46 *dicens illis : scriptum est, quia domus mea domus orationis est;* vide ad Is. 56,7; *vos autem fecistis illam speluncam latronum,* vituperium iam ab Ieremia 7,11 prolatum in eos coniicit; nam in negotiatione illa exercenda, uti erant avari lucrique cupidissimi, ita a fraude, oppressione, rapina non abstinebant et locum orationis tumultu et concertatione implentes quam maxime profanabant. Hoc exemplo simul exprimitur ad quam tandem conditionem eorum religio ac pietas conciderit, cum qui eius custodes ac vindices esse debebant ea in atrio templi peragi sinerent et fortasse iuberent. Quare Christus se eum praestat quem propheta annuntiavit : veniet ad templum suum; ipse quasi ignis conflans, et purgabit filios Levi et colabit eos (Mal. 3,1-3). Alia vide ad Matth. l. c.

Demum summatim nobis describitur quomodo et duces populi et populus per eos dies se habuerint. Quod in sollemni ingressu iam

manifestabatur (cf. v. 39), id odio et invidia eorum quam maxime auctum cernitur; cf. Ioan. 12,19 : videtis quia nihil proficimus? ecce mundus totus post eum abiit! v. 47 *et erat docens quotidie in templo; principes autem sacerdotum et scribae et principes plebis quaerebant illum perdere;* proinde omnes qui auctoritate sacra, laude doctrinae et scientiae legis, dignitate civili eminebant et plebi dominabantur mortem Iesu machinabantur, v. 48 *et non inveniebant quid facerent illi;* nam, ut Marc. 11,18 dicitur, timore retinebantur, quia populus magno studio et admiratione Iesu adhaerebat; idem hic indicatur : *omnis enim populus suspensus erat audiens illum,* « ab eius ore pendebat tamquam extra se raptus prae attentione atque aviditate, dum audiret illum docentem; tanta erat docentis et vis et gratia; metuebant igitur ut populus a quo tanti fiebat permitteret, si conarentur aut ipsum aggredi aut quid mali ipsi inferre » (*Luc.*). Nondum hora eius venerat, nondum volebat ab iis apprehendi; unde nihil in eum poterant; nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam a meipso (Ioan. 10,18; cf. Matth. 26,55. Marc. 14,49. Luc. 22,53).

b) Disceptatio cum synedristis 20,1-19.

20,1. Et factum est in una dierum, docente illo populum in templo, et evangelizante, convenerunt principes sacerdotum, et scribae cum senioribus. 2. Et aiunt, dicentes ad illum : Dic nobis, in qua potestate haec facis? aut : Quis est, qui dedit tibi hanc potestatem? 3. Respondens autem Iesus, dixit ad illos : Interrogabo vos et ego unum verbum, respondete mihi : 4. Baptismus Ioannis de coelo erat, an ex hominibus? 5. At illi cogitabant intra se, dicentes : Quia si dixerimus, de coelo, dicet : Quare ergo non credidistis illi? 6. Si autem dixerimus, ex hominibus, plebs universa lapidabit nos; certi sunt enim Ioannem prophetam esse. 7. Et responderunt se nescire unde esset. 8. Et Iesus ait illis : Neque ego dico vobis in qua potestate haec facio.

9. Coepit autem dicere ad plebem parabolam hanc : Homo plantavit vineam, et locavit eam colonis; et ipse peregre fuit multis temporibus. 10. Et in tempore misit ad cultores servum, ut de fructu vineae darent illi. Qui caesum dimiserunt

20,1. Καὶ ἐγένετο ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν διδάσκοντος αὐτοῦ τὸν λαὸν ἐν τῷ ἱερῷ καὶ εὐαγγελιζομένου, ἐπέστησαν οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ γραμματεῖς σὺν τοῖς πρεσβυτέροις, 2. καὶ εἶπαν λέγοντες πρὸς αὐτόν, Εἰπὸν ἡμῖν, ἐν ποίᾳ ἐξουσίᾳ ταῦτα ποιεῖς; ἢ τίς ἐστιν ὁ δούς σοι τὴν ἐξουσίαν ταύτην; 3. ἀποκριθεὶς δὲ εἶπεν πρὸς αὐτούς, Ἐρωτήσω ὑμᾶς κἀγὼ λόγον, καὶ εἴπατέ μοι· 4. Τὸ βάπτισμα Ἰωάνου ἐξ οὐρανοῦ ἦν, ἢ ἐξ ἀνθρώπων; 5. οἱ δὲ συνελογίσαντο πρὸς ἑαυτούς, λέγοντες, ὅτι ἐὰν εἴπωμεν, Ἐξ οὐρανοῦ, ἐρεῖ, Διατί οὐκ ἐπιστεύσατε αὐτῷ; 6. ἐὰν δὲ εἴπωμεν, Ἐξ ἀνθρώπων, ὁ λαὸς ἅπας καταλιθάσει ἡμᾶς· πεπεισμένος γάρ ἐστιν Ἰωάνην προφήτην εἶναι· 7. καὶ ἀπεκρίθησαν μὴ εἰδέναι πόθεν. 8. καὶ ὁ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς, Οὐδὲ ἐγὼ λέγω ὑμῖν ἐν ποίᾳ ἐξουσίᾳ ταῦτα ποιῶ.

9. Ἤρξατο δὲ πρὸς τὸν λαὸν λέγειν τὴν παραβολὴν ταύτην· Ἄνθρωπος ἐφύτευσεν ἀμπελῶνα, καὶ ἐξέδετο αὐτὸν γεωργοῖς, καὶ ἀπεδήμησεν χρόνους ἱκανούς. 10. καὶ καιρῷ ἀπέστειλεν πρὸς τοὺς γεωργοὺς δοῦλον, ἵνα ἀπὸ τοῦ καρποῦ τοῦ ἀμπελῶνος δώσουσιν αὐτῷ· οἱ δὲ

eum inanem. 11. Et addidit alterum servum mittere. Illi autem hunc quoque caedentes et afficientes contumelia, dimiserunt inanem. 12. Et addidit tertium mittere : qui et illum vulnerantes eiecerunt. 13. Dixit autem dominus vineae : Quid faciam? mittam filium meum dilectum; forsitan, quum hunc viderint, verebuntur. 14. Quem quum vidissent coloni, cogitaverunt intra se, dicentes : Hic est haeres, occidamus illum, ut nostra fiat haereditas. 15. Et eiectum illum extra vineam, occiderunt. Quid ergo faciet illis dominus vineae? 16. Veniet, et perdet colonos istos, et dabit vineam aliis. Quo audito, dixerunt illi : Absit. 17. Ille autem aspiciens eos, ait : Quid est ergo hoc, quod scriptum est : Lapidem, quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli? 18. Omnis, qui ceciderit super illum lapidem, conquassabitur; super quem autem ceciderit, comminuet illum. 19. Et quaerebant principes sacerdotum et scribae mittere in illum manus illa hora; et timuerunt populum; cognoverunt enim quod ad ipsos dixerit similitudinem hanc.

γεωργοὶ ἐξαπέστειλαν αὐτὸν δείραντες κενόν· 11. καὶ προσέθετο ἕτερον πέμψαι δοῦλον· οἱ δὲ κἀκεῖνον δείραντες καὶ ἀτιμάσαντες ἐξαπέστειλαν κενόν. 12. καὶ προσέθετο τρίτον πέμψαι· οἱ δὲ καὶ τοῦτον τραυματίσαντες ἐξέβαλον. 13. εἶπεν δὲ ὁ κύριος τοῦ ἀμπελῶνος, Τί ποιήσω; πέμψω τὸν υἱόν μου τὸν ἀγαπητόν· ἴσως τοῦτον ἐντραπήσονται. 14. ἰδόντες δὲ αὐτὸν οἱ γεωργοὶ διελογίζοντο πρὸς ἀλλήλους, λέγοντες, Οὗτός ἐστιν ὁ κληρονόμος· ἀποκτείνωμεν αὐτόν, ἵνα ἡμῶν γένηται ἡ κληρονομία. 15. καὶ ἐκβαλόντες αὐτὸν ἔξω τοῦ ἀμπελῶνος, ἀπέκτειναν. τί οὖν ποιήσει αὐτοῖς ὁ κύριος τοῦ ἀμπελῶνος; 16. ἐλεύσεται καὶ ἀπολέσει τοὺς γεωργοὺς τούτους καὶ δώσει τὸν ἀμπελῶνα ἄλλοις. Ἀκούσαντες δὲ εἶπαν, Μὴ γένοιτο. 17. ὁ δὲ ἐμβλέψας αὐτοῖς εἶπεν, Τί οὖν ἐστὶν τὸ γεγραμμένον τοῦτο, Λίθον ὃν ἀπεδοκίμασαν οἱ οἰκοδομοῦντες, οὗτος ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν γωνίας; 18. πᾶς ὁ πεσὼν ἐπ' ἐκεῖνον τὸν λίθον συνθλασθήσεται· ἐφ' ὃν δ' ἂν πέσῃ, λικμήσει αὐτόν. 19. Καὶ ἐζήτησαν οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ ἀρχιερεῖς ἐπιβαλεῖν ἐπ' αὐτὸν τὰς χεῖρας ἐν αὐτῇ τῇ ὥρᾳ, καὶ ἐφοβήθησαν τὸν λαόν· ἔγνωσαν γὰρ ὅτι πρὸς αὐτοὺς εἶπεν τὴν παραβολὴν ταύτην.

In v. 1 αρχιερεις ℵ B C D L M Q R al mu it vulg cop syr sin arm tat aeth; al ιερεις Ti; a e pontifices; e cum maioribus. In v. 3 λογον ℵ B L R pl minusc syr (sin, sch), verbum c q cav for car rush tol val harl; al ενα λογον unum verbum. In v. 4 eg bapt. Ioan. unde erat. In v. 5 διατι (sine ουν) ℵ B E G H L R S U V ΓΔΛ al 80 c r eg ept mt cop aeth syr (sin, hr). In v. 6 D πεπεισμενοι γαρ εισιν; sim it vulg; a sciunt, e persuasum est illis; dub scit. D γεγονεναι aliq minusc, it prophetam *fuisse*. In v. 9 εξεδετο ℵ* A B* C L Ti W H; al εξεδοτο; car ad turbas; tol ad turbam; a e peregrinatus est. In v. 10 καιρω ℵ B D L 33. 38. al εν κ.; l tempore fructuum; a d r vacuum. In v. 11 car et affectum contumelia; e et contumeliis egerunt et, d et iniuriantes; f inhonorantes, c ff² i q sine honore, l sine fructu. In v. 12 dub occiderunt, e expulerunt, f q add inanem, d vacuum. In v. 13 B τυχον (loco ισως); εντραπησονται (sine ιδοντες) ℵ B C D L Q aliq minusc cop syr (cu) arm Amb a c d ff² i l q r. In v. 14 add δευτε αποκτεινωμεν ℵ C D L R ΓΔΛ al pler; *venite* occidamus d e cav tol cop syr (cu, sch) aeth Or. In v. 16 l add qui reddent ei fructum in tempore suo. In v. 18 f d r dub confringetur; et pro ultimo verbo e commovet, l comminuetur, r contribulabitur. In v. 19 ger l cognoverunt autem (sin v. 2 om dic nobis; v. 5 dicet nobis; v. 6-8 desunt; pauca restant ex v. 9-11; v. 12-15 desunt v. 16 dabit vineam aliis; cum audirent hoc, sciverunt enim de se eum dixisse parabolam hanc; om dixerunt : absit; v. 18 et omnem super quem ceciderit; v. 19 om cognoverunt enim etc. quod iam legebatur in v. 16).

Ex iis quae hebdomada passionis Iesus in templo gessit, Lucas aliqua refert; ea fere quae apud Marcum quoque leguntur 11,27; plura nobis retulit Matthaeus 21,23 seq. Et talia tangit quibus perversitas principum illustratur, proin interitus ille de quo modo plorans vaticinatus erat, pro malitia eorum futurus magis declaratur et regnum Dei ad gentes esse transferendum demonstratur. Ita suo modo Lucas eandem solvit quaestionem quam apostolus in sua ad Romanos epistola cap. 9 seq. pertractat; v. 1 *et factum est in una dierum;* cf. 5,17; 8, 22; ex Marc. 11,20 haec gesta sunt die post eiectionem vendentium e templo, ergo feria tertia, si sollemnem in urbem ingressum prima die hebdomadis factum esse mecum existimaveris; vide quae dixi in Comment. Matth. II p. 198 seq., *docente illo populum in templo et evangelizante* i. e. dum nuntium de regno Dei praedicaret, *convenerunt principes sacerdotum et scribae cum senioribus* cf. 19,47, ex omni ordine scil. quo synedrium constabat; communi itaque totius synedrii consilio et auctoritate mittuntur v. 2 *et aiunt dicentes ad illum.: dic nobis, in qua potestate haec facis aut quis dedit tibi hanc potestatem?* quaestione repetita iam produnt iram et indignationem; *haec* non censendi erunt dicere de sola Iesu docendi in templo consuetudine; nam cum Iesus iam ex tribus annis doceret, sane mirum esset si tum demum eum de potestate docendi interrogarent; adde quod alioquin viris probis ac peritis licuit in synagogis lectione ex s. litteris facta ad populum loqui (cf. Act. 13,15 et quae notavi ad 4,16). Quare quaestio potius referenda erit ad ea quae antea a Christo gesta et permissa erant in sollemni ingressu, in acclamatione turbarum, in profanatione templi vindicanda (cf. *Theoph.* et quae dixi ad Matth. 21, 23 et ad Marc. 11,28).

« Contra tergiversantes oportet ex datis procedere » (*S. Bon.*), nam, ut *Alb.* ait, aliquando solutio interrogationis dependet ab alia quaestione quam oportet prius interrogare et ita est in proposito; quare « prudenter interrogat ut suo vel silentio vel sententia condemnentur » (*Beda*) v. 3 *respondens autem Iesus dixit ad illos : interrogabo vos et ego unum verbum,* a quo solutio totius dependet vestrae interrogationis (*Alb.*); *respondete mihi :* v. 4 *baptismus Ioannis de coelo erat an ex hominibus?* id effert quod ipsi in Ioanne potissimum investigandum esse existimarant : quid ergo baptizas (Ioan. 1,25); « provocatio ad Ioannem tacitam continebat Christi manifestationem; hic idem testimonium praebuerat, unde Servator potestatem accepisset; igitur ex Ioannis testimonio perspicuum erat, quanam potestate haec faceret » (*Eus.*). Ea autem quaestione ad incitas rediguntur v. 5 *at illi cogitabant intra se dicentes* συνελογίσαντο rationes collegerunt inter

se dicentes; inter se, secreto consultant : *quia si dixerimus : de coelo, dicet : quare ergo non credidistis illi?* qui scil. de me quis essem clare edixit; v. 6 *si autem dixerimus : ex hominibus, plebs universa lapidabit nos; certi sunt enim Ioannem prophetam esse;* lapidare poena erat quam blasphemantibus infligere solebant; cf. Ioan. 10,31. Act. 7,58; « viderunt ergo quodlibet horum respondissent, in laqueum se casuros, timentes lapidationem, sed magis timentes veritatis confessionem » (*Beda*); alii duo solum referunt : timemus populum; Lucas eum effert modum quo plebs indignationem de re sacra violata prodere solebat; cf. Act. 14,5. 18. Unde ignavi simul et mendaces v. 7 *responderunt se nescire unde esset;* praeclaros sane doctores ac duces populi, quorum pro munere maxime interesse debuit rectene populus sentiret necne. Quanta fuerit apud populum Ioannis auctoritas, *Iosephus* quoque testatur (Antiq. 18,5. 2); v. 8 *et Iesus ait illis : neque ego dico vobis in qua potestate haec facio,* οὐδέ i. e. etiam ego non dico vobis etc., quo modo indicat eos quidem scire, nolle autem dicere; respondet secundum illud : responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur (Prov. 26,5; *Schegg, Fil.*). Plura vide ad Matth. Marc. l. c.

Principes et duces populi spreverunt itaque testimonium Ioannis, spreverunt tot Iesu documenta de sua legatione divina; immo definito consilio iam statuerunt eum perdere. Ad haec igitur reciderunt tot Dei instituta, tot, ut ita dicem, conatus! Quod ut Christus illustret parabolam proponit, quae totam gentis historiam breviter comprehendit (*S. Cyr.*) et quae utut brevis est, multa tamen et magna nos docet : curam Dei de populo ingrato, unum esse Deum veteris et novae legis, vocandas gentes, abiiciendos Iudaeos (*Theoph.*) v. 9 *coepit autem dicere ad plebem parabolam hanc,* ad plebem, ut intellecta perversitate ducum ne se ab iis seduci sinat; verum principes quoque audisse parabolam elucet ex v. 19, quare ad eos parabolam dici merito alii indicant (vide ad Marc. 12,1 et Matth. 21,33) : *homo plantavit vineam;* quomodo eam instruxerit, vide Is. 5,2; *et locavit eam colonis;* vinea Domini domus Israel est (Is. 5,7), populus Dei quem Deus sibi in peculium (Ex. 19,5) elegit et sanctis institutis, legibus, doctrinis instituit; qui populum docere et regere debebant, sunt coloni quibus vinea illa erat commissa; *et ipse peregre fuit multis temporibus;* peregre *abiit*, « abire dicitur a vinea, ut vinitoribus liberum operandi arbitrium derelinquat » (*Bed.* sim. *S. Bon. Theoph.*); diu abfuit, quod Lucas solus commemorat, fortasse ut longum antiqui foederis tempus indicetur, quo vinea Domini colonis erit tradita; v. 10 *et in tempore*, quo scil. fructus percipiendi erant; cf. Lev. 19,23 seq.,

misit ad cultores servum, ut de fructu vineae darent illi, qui caesum dimiserunt eum inanem; mittit herus utens longanimitate alterum servum; illi autem augent iniuriam; ad verbera adiungunt opprobria v. 11 *et addidit alterum servum mittere; illi autem hunc quoque caedentes et afficientes contumelia dimiserunt inanem;* et quo magis herus postulat quae iuris sunt, eo magis illi insolescunt; tertium servum *vulnerantes eiecerunt* v. 12; non destitit Deus populo suo mittere monitores, prophetas, per quos eum erudiebat, a vitiis et idololatria revocabat, ad pietatem instituebat (cf. Os. 6,5. Am. 2,11. Ier. 7,13; 11,7; 23,5 etc.); verum quam male accepti sint, libri sacri abunde testantur (cf. 3 Reg. 18,13; 22,27. 4 Reg. 6,31; 9,7. 2 Par. 36,16. Ier. 2,30; 11,19; 26,11 etc.) idemque Christus eis exprobrat Matth. 23,35 et Luc. 13,33 et Stephanus : quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri (Act. 7,52)? Sunt qui per tres illos servos intelligant Moysen, David (vel potestatem regiam — at reges plerique impii erant!) et cuneum prophetarum (*Bed. Bon. Alb.*). Tres autem missos esse ait *Cai.* quia ternarius numerus perfectionis est adeoque eo perfectus numerus prophetarum describitur. Similiter in parabola mnarum exempla statuuntur in tribus 19,16-21.

Magna herus utitur clementia in rebelles v. 13 *dixit autem dominus vineae : quid faciam?* secum deliberat de remedio efficaci eos revocandi ad meliorem frugem; adeo exoptat ut iis parcere possit : *mittam filium meum dilectum; forsitan, cum hunc viderint, verebuntur,* ἴσως (τυχόν B) i. e. uti sperare est, filium reverebuntur; non tam dubium quoddam quam iusta exspectatio exprimitur (cf. germanicum wohl, hoffentlich, *Grimm* s. v.). Uti olim Deus locutus est : faciamus hominem (Gen. 1,26), ita eum Lucas quasi loquentem nobis proponit : faciamus redemptionem generis humani! Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret (Ioan. 3,16). Notatu dignum est ἀγαπητός *dilectus* apud LXX etiam adhiberi pro hebr. יָחִיד *unicus* cf. Gen. 22,2. 16; Ier. 6,26 et Hesychius quoque vocem explicat μονογενῆ (cf. *Schleusner* I p. 15). In applicatione ad Deum explicant *forsitan* dici, ut significetur praescientia Dei non tolli arbitrii libertatem, sed eam ad utrumque vertibilem notari (*S. Bon. Alb. Theoph.*); v. 14 *quem cum vidissent coloni cogitaverunt intra se dicentes* διελογίζοντο πρὸς ἀλλήλους deliberarunt inter se dicentes : *hic est heres; occidamus illum, ut nostra fiat hereditas* i. e. « collegerunt pontifices et pharisaei consilium et dicebant : quid facimus quia hic homo multa signa facit? si dimittimus eum sic, omnes credent in eum et venient Romani et tollent nostrum locum et gentem » (Ioan. 11,47. 48; *S. Bon.* qui addit id ab eis dici, ut hereditatem habitam conser-

varent); v. 15 *et eiectum illum extra vineam occiderunt* i. e. tradiderunt Filium gentibus ad crucifigendum; ita eum extra vineam i. e. ex populo Dei eiecerunt; immo conspiraverant iam antea, ut si quis eum confiteretur esse Christum extra synagogam fieret (Ioan. 9,22); quare multo magis eum ipsum exclusum et eiectum volebant; cf. Hebr. 13,12.

Et nunc ostendam vobis quid ego faciam vineae meae (Is. 5,5); *quid ergo faciet illis dominus vineae?* v. 16 *veniet et perdet colonos istos et dabit vineam aliis;* regnum Dei transferetur ad gentes Matth. 21,43; *quo audito dixerunt illi : absit;* intellexerunt quo tendat parabola; vineam enim significare regnum Dei iam patet ex Deut. 32, 32. Is. 5,2 seq. Ier. 2,21. Ps. 79,9 seq.; quare quis sit dominus vineae et quis sit filius eius, scil. Messias etiam facile perspiciunt. Unde cum aliqua indignatione reiiciunt quod dictum est occisum iri filium etc.; est enim μὴ γένοιτο pro hebr. חָלִילָה longe absit sc. ut tale quid fiat. Et cum tanta asseveratione loquantur v. 17 *ille autem aspiciens eos* ut facere solet qui aliis contradicentibus suam asserit denuo sententiam vultu et oculis quasi addens pondus *ait : quid est ergo hoc quod scriptum est* i. e. si non est quod dico, quorsum demum spectat quod scriptum est (*Luc.*)? parabola non aliud enuntiat quam quod prophetice est praedictum; quomodo ergo in dubium vocari potest? *lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli?* qui in parabola coloni appellantur, hic vocantur aedificantes, quippe qui domum Dei aedificare debebant veram illam ac spiritualem quae in piis cultoribus Dei consistit; sed quales sint aedificantes (cf. Ez. 13, 11) describitur : lapidem praecipuum ac fundamentalem reiiciunt et ita quam maxime similes sunt iis quos Ezechiel reprehendit. Verba deprompta sunt ex Ps. 117,22; cf. Is. 28,16. Eph. 2,20. 1 Petr. 2,4-8; atque Messiam vocari lapidem pretiosum ac fundamentalem domus Dei eo propius adiacet, quia iam Iahve eo quod vetus foedus datum est ab eo appellatur petra Israel (צוּר cf. Deut. 32,37. Ps. 18,3. 32. 47 hebr. Is. 30,29), quia ipse fidelissimus ac potentissimus promissa servat, domum Israel fulcit et sustentat, cui ea tamquam fundamento inconcusso innititur. Factus est Iesus lapis angularis, dum omnes populos in una Dei Ecclesia collectos servat (vide ad Matth. Marc. l. c.).

Iam uti v. 14 parabolae probavit oraculo, ita v. 16 quoque declarat in v. 18 *omnis qui ceciderit super illum lapidem,* qui offendit ad eum i. e. quicumque scandalizatur Messiae humilitate et doctrina, quicumque ex eo ruinae seu peccati causam accepit, *conquassabitur;* hi sunt qui Christum persequuntur, praedicatum non recipiunt vel receptum deserunt (*Luc.*); lapidi utique eo quod quis in eum impingit et offendit

nihil damni infertur; ita non Christo, sed sibi quam maxime nocet qui Christum odio habet; *super quem autem ceciderit comminuet illum* λικμήσει proprie ventilabit, disperget, quam notionem si retinueris dicendum erit transiri ab imagine ad rem designatam, ad Messiam iudicem, cuius ventilabrum in manu eius et permundabit aream suam (Matth. 3,12). Sed Dan. 2,44 vix dubium erit quin voci quoque insit notio conterendi, comminuendi et dissipandi comminuta. Lapis dicitur cadere super eos in quos ultio divina et iudicium devolvitur; v. 19 *et quaerebant principes sacerdotum et scribae mittere in illum manus illa hora et timuerunt populum; cognoverunt enim quod ad ipsos dixerit similitudinem hanc;* « sic veritas odium peperit » (*S. Bon.*); cognoverunt scil. sacerdotes et scribae; ita plerique (cf. *S. Cyr. Bed. Bon. Theoph. Schegg, Schanz, Fil. Keil, Sp.*); alii quandoque referunt vocem ad plebem (*Meyer, Weiss*), ita ut ratio reddatur cur populum timeant, quia populus perspexerit contra duces dici parabolam. Verum satius est afferri rationem cur voluerint Christum statim apprehendere, quod ne facerent timore populi iterum retinentur; populum autem timebant, quia Iesum maxime admirabantur et sicut prophetam eum habebant (Matth. 21,46 et Luc. 19,48), vix propterea quia intellexerunt aliqua dici contra principes.

c) De censu quaeritur 20,20-26.

20,20. Et observantes miserunt insidiatores, qui se iustos simularent, ut caperent eum in sermone, ut traderent illum principatui et potestati praesidis. 21. Et interrogaverunt eum, dicentes : Magister, scimus quia recte dicis et doces; et non accipis personam, sed viam Dei in veritate doces : 22. Licet nobis tributum dare Caesari, an non? 23. Considerans autem dolum illorum, dixit ad eos : Quid me tentatis? 24. Ostendite mihi denarium; cuius habet imaginem et inscriptionem? Respondentes dixerunt ei : Caesaris. 25. Et ait illis : Reddite ergo quae sunt Caesaris, Caesari; et quae sunt Dei, Deo. 26. Et non potuerunt verbum eius reprehendere coram plebe; et mirati in responso eius, tacuerunt.

20,20. Καὶ παρατηρήσαντες ἀπέστειλαν ἐγκαθέτους, ὑποκρινομένους ἑαυτοὺς δικαίους εἶναι, ἵνα ἐπιλάβωνται αὐτοῦ λόγου, ὥστε παραδοῦναι αὐτὸν τῇ ἀρχῇ καὶ τῇ ἐξουσίᾳ τοῦ ἡγεμόνος. 21. καὶ ἐπηρώτησαν αὐτὸν, λέγοντες, Διδάσκαλε, οἴδαμεν ὅτι ὀρθῶς λέγεις καὶ διδάσκεις, καὶ οὐ λαμβάνεις πρόσωπον, ἀλλ' ἐπ' ἀληθείας τὴν ὁδὸν τοῦ Θεοῦ διδάσκεις· 22. ἔξεστιν ἡμᾶς Καίσαρι φόρον δοῦναι, ἢ οὔ; 23. Κατανοήσας δὲ αὐτῶν τὴν πανουργίαν, εἶπεν πρὸς αὐτούς, 24. Δείξατέ μοι δηνάριον· τίνος ἔχει εἰκόνα καὶ ἐπιγραφήν; οἱ δὲ εἶπαν, Καίσαρος. 25. ὁ δὲ εἶπεν πρὸς αὐτούς, Τοίνυν ἀπόδοτε τὰ Καίσαρος Καίσαρι, καὶ τὰ τοῦ Θεοῦ τῷ Θεῷ. 26. καὶ οὐκ ἴσχυσαν ἐπιλαβέσθαι τοῦ ῥήματος ἐναντίον τοῦ λαοῦ καὶ θαυμάσαντες ἐπὶ τῇ ἀποκρίσει αὐτοῦ ἐσίγησαν.

In v. 20 D και αποχωρησαντες, et ita it pler; f i l q ger cum recessissent, a cum discessissent, c cum redissent; a c i l q submiserunt: r subornatos; L λογους, D των

λογων, pariter it plcr : ut apprehenderent (repre. e, caperent a) sermones (verba c) eius; l dub magistratui. In v. 21 D 60. ουδενος, nullius personam Aug. In v. 23 e l r nequitiam, a quorum visa nequitia, d iniquitatem; non add τι με πειραζετε ℵ B L pl minusc e cop arm Ti W H. In v. 24 add post denarium ℵ C L pl minusc sin cop arm arr οι δε εδειξαν και ειπεν; eg ut videam, c et ostenderunt d. et dixit eis. In v. 25 τοινυν om D syr (sin, cu) aeth et plcr it. In v. 26 codd mu vulg responsis (sin v. 20 desunt aliqua; pro insidiatoribus videntur nominari Herodiani; v. 21 verbum Dei doces; v. 22 pecuniam capitis).

Apud synedristas constitutum est Dominum perdere. Verum quominus ipsi manus in eum iniiciant timore populi prohibentur; « ideo quod per se non poterant, praesidis manibus efficere tentabant, ut velut ipsi a morte eius viderentur immunes » (*Bed. Bon.*); v. 20 *et observantes* insidiose *miserunt insidiatores qui se iustos simularent;* fraudulenter subornant discipulos quosdam pharisaeorum (Matth. 22, 16. Marc. 12,13) qui simularent se accedere ad interrogandum motos religione et tenera conscientia, ne scil. quidquam admitterent contra Deum et dignitatem populi electi; simulant itaque se esse viros pietati deditos qui vellent ab ipso discere quid iustum esset et Dei voluntati consentaneum (*Luc.*), *ut caperent eum in sermone, ut traderent illum* i. e. eo consilio illos subornarunt (qui eum in sermone caperent) ut traderent illum *principatui* τῇ ἀρχῇ generatim, et additur magis determinate *et potestati praesidis*, procuratoris romani, Pilati. Inde elucet synedristas exspectasse fore ut Iesus qui regnum Dei appropinquasse continuo annuntiet negaret tributum esse alienigenis solvendum. Id saltem praeprimis optabant, ut eum possent tamquam hominem rebellem per procuratorem romanum perdere. Sed cum simul submiserint Herodianos (Matth. Marc. l. c.), non minus provide quam astute etiam alteram responsionem forte dari posse considerarunt esse tributum solvendum Romanis; si hoc, poterant Iesum traducere ut inimicum dominationis Herodis (vide quae dixi in Comment. Matth. II p. 251 et Marc. p. 315) et ei apud populum quoque invidiam creare. Consulto itaque eam seligunt quaestionem qua sive negetur sive affirmetur necessario se posse Iesum capere sperabant; cf. ad v. 26.

Quam pie et religiose adeant hypocritae illi Iesum, verbis abundanter testantur v. 21 *et interrogaverunt eum dicentes : magister, scimus quia recte dicis et doces et non accipis personam*, partium studio tu non duceris, ita ut pro favore aut odio a veritate recedas neque in sermone privato neque in publico docendi munere, *sed viam Dei* quam viam Deus hominibus ineundam praescribit, mandata et normas Dei, *in veritate doces;* tali captatione benevolentiae prae-

missa insidias struunt v. 22 *licet nobis tributum dare Caesari an non?* fuisse qui id negarent, vide in Comment. Marc. p. 317; sed quaestio iis quae docuit olim iam Ieremias, quae Esdras et Nehemias faciebant, iam dudum erat soluta. Synedristae utique dominationem romanam abominabantur eamque quam primum possent excutere desiderabant; unde quanta malitia et hypocrisi Iesum per Romanos ea quaestione perdere optarint satis elucet. Verum « sapientia semper sapienter agit, ut suis potissimum tentatores sermonibus confutentur » (*Bed. Bon.*) v. 23 *considerans autem dolum illorum* πανουργίαν astutiam, vafritiem, calliditatem, *dixit ad eos : quid me tentatis?* vide lect. var., probabiliter ex locis parallelis huc adscriptum; *ostendite mihi denarium;* nam qui nummos cudendi ius habet potestatem et dominationem exercet; Iudaei itaque ipsis nummis quos habent imperium alienum fatentur et agnoscunt; *cuius habet imaginem et inscriptionem? respondentes dixerunt : Caesaris;* v. 25 *et ait illis : reddite ergo* τοίνυν cum emphasi primo loco ponitur, ἀπόδοτε; « vide non dixit δότε, sed ἀπόδοτε, debitum, inquit, est, ἀπόδος τὴν ὀφειλήν » (*Theoph.*) *quae sunt Caesaris Caesari et quae sunt Dei Deo;* sententia est generalis τὰ τοῦ Καίσαρος quae iure eius sunt; quaenam sint haec non determinantur; simul docet cum legitima hac subiectione omnino coniungi posse impletionem omnium erga Deum officiorum; proinde nullam esse specie religionis vel pietatis occasionem sese subtrahendi dominationi cui subiecti sint. Plura vide in Comment. Matth. et Marc.

Praeclare itaque evitat Iesus omne periculum et qui capere volebant capti sunt v. 26 *et non potuerunt verbum eius reprehendere coram plebe;* proinde hoc quoque ut facere possent optaverant; sed uti exciderunt responsione Christi a spe eum tradendi procuratori ut rebellem, ita pariter alterum illud non consecuti sunt, ut si sententiam diceret pro Caesare eum apud populum traducerent; *et mirati in responso eius tacuerunt;* inviti debent agnoscere summam responsionis sapientiam qua callidas insidias plane elusit et destruxit; nunc quidem tacent; sed postea 23,2 eum accusant synedristae quod prohibeat tributa dare Caesari (*S. Cyr.*).

d) De resurrectione mortuorum 20,27-40.

20,27. Accesserunt autem quidam sadducaeorum, qui negant esse resurrectionem et interrogaverunt eum, 28. Dicentes : Magister, Moyses scripsit nobis : Si frater alicuius mortuus fuerit habens uxorem, et hic sine liberis fuerit,

20,27. Προσελθόντες δέ τινες τῶν Σαδδουκαίων, οἱ λέγοντες ἀνάστασιν μὴ εἶναι, ἐπηρώτων αὐτὸν, 28. λέγοντες, Διδάσκαλε, Μωυσῆς ἔγραψεν ἡμῖν, ἐάν τινος ἀδελφὸς ἀποθάνῃ ἔχων γυναῖκα, καὶ οὗτος ἄτεκνος ᾖ, ἵνα λάβῃ ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ

ut accipiat eam frater eius uxorem, et suscitet semen fratri suo. 29. Septem ergo fratres erant; et primus accepit uxorem, et mortuus est sine filiis. 30. Et sequens accepit illam, et ipse mortuus est sine filio. 31. Et tertius accepit illam. Similiter et omnes septem, et non reliquerunt semen, et mortui sunt. 32. Novissime omnium mortua est et mulier. 33. In resurrectione ergo cuius eorum erit uxor? siquidem septem habuerunt eam uxorem.

34. Et ait illis Iesus : Filii huius saeculi nubunt, et traduntur ad nuptias. 35. Illi vero, qui digni habebuntur sacculo illo et resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores; 36. Neque enim ultra mori poterunt : aequales enim angelis sunt, et filii sunt Dei, quum sint filii resurrectionis. 37. Quia vero resurgant mortui, et Moyses ostendit secus rubum, sicut dicit Dominum, Deum Abraham, et Deum Isaac, et Deum Iacob. 38. Deus autem non est mortuorum, sed vivorum; omnes enim vivunt ei. 39. Respondentes autem quidam scribarum, dixerunt ei : Magister, bene dixisti. 40. Et amplius non audebant eum quidquam interrogare.

τὴν γυναῖκα, καὶ ἐξαναστήσῃ σπέρμα τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ. 29. ἑπτὰ οὖν ἀδελφοὶ ἦσαν· καὶ ὁ πρῶτος λαβὼν γυναῖκα ἀπέθανεν ἄτεκνος· 30. καὶ ὁ δεύτερος 31. καὶ ὁ τρίτος ἔλαβεν αὐτήν· ὡσαύτως δὲ καὶ οἱ ἑπτὰ· οὐ κατέλιπον τέκνα, καὶ ἀπέθανον· 32. ὕστερον καὶ ἡ γυνὴ ἀπέθανεν. 33. ἡ γυνὴ οὖν ἐν τῇ ἀναστάσει, τίνος αὐτῶν γίνεται γυνή; οἱ γὰρ ἑπτὰ ἔσχον αὐτὴν γυναῖκα.

34. Καὶ εἶπεν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, Οἱ υἱοὶ τοῦ αἰῶνος τούτου γαμοῦσιν καὶ γαμίσκονται· 35. οἱ δὲ καταξιωθέντες τοῦ αἰῶνος ἐκείνου τυχεῖν, καὶ τῆς ἀναστάσεως τῆς ἐκ νεκρῶν, οὔτε γαμοῦσιν οὔτε γαμίσκονται· 36. οὐδὲ γὰρ ἀποθανεῖν ἔτι δύνανται· ἰσάγγελοι γάρ εἰσιν, καὶ υἱοί εἰσιν Θεοῦ, τῆς ἀναστάσεως υἱοὶ ὄντες. 37. ὅτι δὲ ἐγείρονται οἱ νεκροί, καὶ Μωυσῆς ἐμήνυσεν ἐπὶ τῆς βάτου, ὡς λέγει Κύριον τὸν Θεὸν Ἀβραὰμ καὶ Θεὸν Ἰσαὰκ καὶ Θεὸν Ἰακώβ. 38. Θεὸς δὲ οὐκ ἔστιν νεκρῶν, ἀλλὰ ζώντων· πάντες γὰρ αὐτῷ ζῶσιν. 39. Ἀποκριθέντες δέ τινες τῶν γραμματέων εἶπαν, Διδάσκαλε, καλῶς εἶπας. 40. οὐκέτι γὰρ ἐτόλμων ἐπερωτᾶν αὐτὸν οὐδέν.

In v. 27 λεγοντες ℵ B C D L pl minusc e go cop syr (sin, cu, sch) aeth; al αντιλεγοντες, a contradicunt; solum B επηρωτων, al-ησαν. In v. 28 D αποθανη ατεκνος εχων γυν., e sine filiis habens uxorem; A Γ Δ Λ Π unc 8 al pler ατεκνος αποθανη; item sin c i f go. In v. 29 sin D ησαν παρ ημειν; car fuerunt ergo apud nos. In v. 30 breviter και ο δευτερος ℵ B D L 157. Ti W H; similiter et secundus. In v. 31 c tertius usque ad septimum omnes. In v. 32 υστερον και (sine παντων) ℵ B D L mu minusc c i cop syr (cu, sch). In v. 33 η γυνη ουν εν αναστ. B L Ti W H. In v. 34 add D (post αιωνος τ.) γεννωνται και γεννωσιν; sim generantur et generant ff² i q gat eg ken; generant et generantur a c e l Cypr; sim syr (cu); nubuntur a r, nascuntur et generant r; γαμουνται D. In v. 35 a saeculum illum attingere; in illo saeculo obtinere resurrectionem r; codd longe pler vulg nubunt, ducunt, uti graece. In v. 36 D (pro δυνανται) μελλουσιν, sim a morituri sunt, e incipient mori (Cypr), ff² i l q morientur, c moriuntur; angelis *Dei* a c ff² i l q gat eg Cypr Tert; car *quia* sunt filii Dei. In v. 37 f nam quia, dub eg ken rush quia *vere;* sicut dicit vidit dub, vidit in rubo ken, sicut dixit vidi in rubo c f ff² i l q; ita habet e resurgere autem mortuos moyses significavit super rubum quando dixerit ei deus dominus dicens ego sum ds abr. ds isac ds iacob. In v. 39 Q σαδδουκαιων, r farisaeorum. In v. 40 γαρ ℵ B L aliq minusc cop; al ουκετι δε; it vulg syr (sin, cu, sch) aeth et amplius non (e et iam non, a nec am.) (sin v. 28 et relinquet uxorem; v. 30 et sumpsit eam secundus uxorem et hic etiam mortuus est

sine filiis; v. 31 et etiam tertius sumpsit eam, et ita septem hi sumpserunt eam et mortui sunt, cum non relinquerent filios et mortua est etiam uxor; v. 34 nascuntur et generant, ducunt uxores et uxores sunt viris; v. 35 non sunt uxores viris; v. 36 aequales enim sunt cum angelis tamquam filii resurrectionis; v. 37 et Moyses indicavit quando locutus est Deus cum eo ex rubo et dixit Dominus Deus Abraham etc.).

Sadducaeorum doctrina fuit animas simul cum corpore interire (*Iosephus,* Antiq. 18,1. 4), unde negabant esse resurrectionem (Act. 23, 8), negabant, ut *Iosephus* alio loco dicit, animas permanere et esse supplicia vel praemia post mortem (Bell. iud. 2,8. 14). Hoc uno loco in evangelio eorum mentionem facit Lucas, ut ostendatur quomodo omnes Iudaeorum ordines, etsi inter se de summa rerum et religiosarum et civilium discordes erant (pharisaei, sadducaei, herodiani), tamen conspiratione quadam concordes exstiterint in odio Iesu et insidiis ei struendis. Et sadducaei quidem eius tamquam doctoris auctoritatem et existimationem apud plebem subruere conabantur v. 27 *accesserunt autem quidam sadducaeorum qui negant esse resurrectionem et interrogaverunt eum* v. 28 *dicentes : magister, Moyses scripsit nobis : si frater alicuius mortuus fuerit habens uxorem et hic sine liberis fuerit, ut accipiat eam frater eius uxorem et suscitet semen fratri suo;* sensus fideliter refertur ex Deut. 25,5. Omnino probabile est quod *Alb. Fab. Schegg* censent sadducaeos tali exemplo quod Christo opponunt iam saepius contra pharisaeos usos esse. Exemplum confictum esse ut in risum traheretur resurrectionis doctrina neque re vere gesta inniti, iam *S. Cyr. Theoph.* existimant, v. 29 *septem ergo fratres erant* etc. lege illa leviratus singuli eam duxerant et nemo ex ea prolem conceperat; unde v. 33 *in resurrectione ergo cuius eorum erit uxor? siquidem septem habuerunt eam uxorem;* singuli eam habebant legitime, ex praescripto legis; ergo omnibus est aequale ius ad eam recipiendam et si uni attribuitur, eadem ratione debet et ceteris. Cum itaque neque uni possit attribui sine iniuria ceterorum, neque omnibus simul (quae esset res turpissima, absurdissima, ipsa natura, lege mosaica quam maxime interdicta), concludebant non esse resurrectionem vel tali exemplo tamquam difficultate inextricabili suam firmabant sententiam.

Dominus autem fundamentum eorum statim concutit (*Theoph.*) ostendens quid intersit inter rationem vitae praesentis et futurae; v. 34 *et ait illis Iesus : filii huius saeculi nubunt et traduntur ad nuptias* i. e. qui hisce in terris degunt; pro tempore vitae terrestris utique dictum est generi humano : crescite et multiplicamini (*Cai. Schegg*); unde *hoc saeculum* dicitur generatim de vita in terra degenda et filii

huius saeculi sunt qui cum ipsi in vitam mortalem nati sint alios quoque in vitam mortalem gignunt. Verum alia est conditio vitae post hoc saeculum; v. 35 *illi vero qui digni habebuntur saeculo illo*, saeculo futuro, coelesti, *et resurrectione ex mortuis neque nubent neque ducent uxores;* loquitur Christus hoc loco de solis beatis; plane enim hoc sufficiebat ad quaestionem propositam elucidandam; similiter apostolus 1 Cor. 15 explicite de resurrectione beatorum solum disserit; omnium resurrectionem asserit Christus Ioan. 5,28. 29. Cur autem ibi iam non sit opus coniugii, rationes affert in v. 36 *neque enim ultra mori poterunt;* « quia connubia propter filios, filii propter successionem, successio propter mortem; ubi ergo mors non est, neque connubia » (*Bed.* sim. *S. Bon. Theoph.*). In hac terra debet genus humanum propagari, donec ad eam pervenerit multitudinem quam Deus voluerit; in resurrectione itaque resurgent omnes qui unquam vixerant, numero sufficienti et omnino qualem Deus humano generi praefinivit. Quia iam omnes sunt immortales, non est opus conservatione humanae speciei per nuptias (*Luc.*).

Et cur iam sint immortales et a conditione vitae terrestris plane remoti docet : *aequales enim angelis sunt,* angeli creati erant immortales, eo numero quo Deus vult; proinde nulla opus est conservatione speciei, nulla propagatione; quare angeli ab omni eiusmodi actu vel desiderio sunt plane immunes. Eandem immunitatem induunt homines resurrectione facta, cum sint immortales et eo quem Deus statuit numero. Erunt angelis aequales « in spiritualitatis lumine, in immortalitatis et impassibilitatis dote, in castitatis et munditiae puritate » (*Alb.*). Insuper *et filii sunt Dei, cum sint filii resurrectionis;* sunt scil. resuscitati ad novam vitam; filios resurrectionis distinguit e regione a filiis huius saeculi; uti hi indolem huius saeculi prae se ferunt in corpore labili et mortali, ita filii resurrectionis indolem novae illius vitae exprimunt in corpore immortali; resurrectio itaque generatio est ad vitam spiritualem (*Cai.*), resurrectio genus est novae generationis in immortalitatem (*Calm.*), quare bene *filii,* quia ex resurrectione denuo quasi nascuntur ad novam et beatam vitam (*Lap.*) et (quod est filiorum) eius status et conditionis naturam habent. Iam uti tales etiam sensu quodam excellentissimo dicuntur *filii Dei,* nam resurrectionis sola Dei omnipotentia auctor est; quare a Deo educuntur et quasi generantur in vitam immortalem (cf. *Theoph. Luc.*), ibi demum apparet quid paternitas divina efficiat in ipsis; sumus quidem iam filii Dei, ut 1 Ioan. 3,2 dicitur, at nondum apparuit quid erimus; sed cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est (*Alb.*). Tum enim consortium illud divinae naturae quo filii Dei constituimur

omni suo effectu et splendore in beatis exsistet, cum Deus in visione beata ipsum se et suam beatitatem cum iis communicet; sunt enim asciti, ut *Cai.* bene ait, in Deiformitatem, elevantur ad divinam similitudinem divini ordinis. Uti tales autem praeprimis frui debent beata immortalitate. Ita igitur sublimi modo probatum est illud : neque ultra mori poterunt. Eo quod apud Lucam legimus eos iam non posse mori, eos esse filios Dei utpote filios resurrectionis, argumentatio est uberior, clarior, sublimior quam apud alios duos.

Iam ulterius ostenditur etiam Moysen qui legem leviratus dederit doctrinam de resurrectione indicasse; quare hac sola observatione iam corruit absurdum illud quod sadducaei ex illa lege concludunt contra resurrectionem; v. 37 *quia vero resurgant mortui, et Moyses ostendit secus rubum* ἐπὶ τῆς βάτου ubi scil. de rubo narratur (Ex. 3,6), eo enim modo veteres locos librorum sacrorum allegare solebant; cf. Rom. 11,2 in Elia (i. e. 3 Reg. 19,10. 18); vide plura in Comment. Marc. p. 321; *sicut dicit Dominum Deum Abraham et Deum Isaac et Deum Iacob,* v. 38 *Deus autem non est mortuorum sed vivorum;* quae argumentatio eo magis ferit sadducaeos, si forte iactabant Deum non esse Deum mortuorum i. e. eorum qui iam non exsistant, sed Deum in Scripturis solum exhiberi gerentem curam vivorum et regentem homines viventes. Cum apud Iudaeos sententia resurrectionis intime iuncta esset cum sententia de animae immortalitate, ita ut una quaedam veluti sententia conficeretur (cf. 2 Mach. 7,9. 14; 12,43. 44) et sadducaei ideo negarent resurrectionem quia animam interire affirmabant, argumentatio iam ex hoc capite constaret tamquam argumentum eorum opinioni et captui accommodatum. Sed valet quoque quia Deus se dicit Deum Abraham; Abraham autem non dicit solam animam; Deus itaque se profitetur remuneratorem (inter alia) Abraham, ergo hominis, ergo illius qui anima et corpore constat, qui uti in corpore exsistens Deo servivit, ita eodem modo in corpore exsistens Deum habere debebit mercedem. Similiter ait *Beda :* « ut cum probaverit animas permanere post mortem, consequenter introduceretur et corporum resurrectio, quae cum animabus bona malave gesserunt »; *omnes enim vivunt ei;* hominibus quidem mortui sunt, at Domino vivunt; respectu eius vivunt (*Luc.*). Deus enim creavit ut essent omnia (εἰς τὸ εἶναι) hominem autem creavit ἐπ' ἀφθαρσίᾳ, invidia vero diaboli mors intravit in mundum (Sap. 1,14; 2,23. 24); quare ex prima Dei institutione quam in perpetuum fraude diaboli frustrari non sinit iam consequitur resurrectio. Alii quandoque provocant ad animae quoque humanae naturam quae coniunctionem cum corpore appetat; unde ex animae post mortem corporis permanentia conve-

niens esse ut aliquando iterum corpori societur (cf. *Alb.*). Vide Comment. Matth. II p. 260 seq.

Ipsi legis doctores non possunt non admirari Christi responsum v. 39 *respondentes autem quidam scribarum dixerunt ei : magister, bene dixisti;* cum itaque omnes insidias se verbo capiendi sapientissime eluderet et ipsos insidiatores pudore confunderet, v. 40 *et amplius non audebant eum quidquam interrogare;* cf. ad Matth. 22, 46. Marc. 12,34. Si legitur *et amplius* vel cum aliis οὐκέτι δέ (vide lect. var.), sensus est obvius et facilis; difficilior nexus in lectione οὐκέτι γάρ evadit; sed potest dici laudem illorum et approbationem sapientiae Christi eo quoque confirmari, quia iam non audebant eum captiosis quaestionibus adire; ita agnoscebant palam eius sapientiam. Aliter *Schanz*, voluisse eos sua laude efficere ut dissimularent se esse victos et confusos. Sed cum non scribae, sed sadducaei interrogationem posuerint, hi responsione confusi sunt, non scribae.

e) Ultima in templo verba 20,41-21,4.

20,41. Dixit autem ad illos : Quomodo dicunt Christum filium esse David? 42. Et ipse David dicit in libro Psalmorum : Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis, 43. Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. 44. David ergo Dominum illum vocat, et quomodo filius eius est?

45. Audiente autem omni populo, dixit discipulis suis : 46. Attendite a scribis, qui volunt ambulare in stolis, et amant salutationes in foro, et primas cathedras in synagogis, et primos discubitus in conviviis. 47. Qui devorant domos viduarum, simulantes longam orationem : hi accipient damnationem maiorem.

21,1. Respiciens autem vidit eos qui mittebant munera sua in gazophylacium, divites. 2. Vidit autem et quamdam viduam pauperculam mittentem aera minuta duo. 3. Et dixit : Vere dico vobis, quia vidua haec pauper, plus quam omnes misit. 4. Nam omnes hi ex abundanti sibi miserunt in muncra Dei; haec autem ex eo quod deest illi, omnem victum suum quem habuit, misit.

20,41. Εἶπεν δὲ πρὸς αὐτούς, Πῶς λέγουσιν τὸν Χριστὸν εἶναι Δαυεὶδ υἱόν; 42. αὐτὸς γὰρ Δαυεὶδ λέγει ἐν βίβλῳ ψαλμῶν, Εἶπεν Κύριος τῷ κυρίῳ μου, Κάθου ἐκ δεξιῶν μου, 43. ἕως ἂν θῶ τοὺς ἐχθρούς σου ὑποπόδιον τῶν ποδῶν σου· 44. Δαυεὶδ οὖν αὐτὸν κύριον καλεῖ, καὶ πῶς αὐτοῦ υἱός ἐστιν;

45. Ἀκούοντος δὲ παντὸς τοῦ λαοῦ, εἶπεν τοῖς μαθηταῖς, 46. Προσέχετε ἀπὸ τῶν γραμματέων τῶν θελόντων περιπατεῖν ἐν στολαῖς, καὶ φιλούντων ἀσπασμοὺς ἐν ταῖς ἀγοραῖς, καὶ πρωτοκαθεδρίας ἐν ταῖς συναγωγαῖς, καὶ πρωτοκλισίας ἐν τοῖς δείπνοις· 47. οἱ κατεσθίουσιν τὰς οἰκίας τῶν χηρῶν, καὶ προφάσει μακρὰ προσεύχονται. οὗτοι λήμψονται περισσότερον κρίμα.

21,1. Ἀναβλέψας δὲ εἶδεν τοὺς βάλλοντας εἰς τὸ γαζοφυλάκιον τὰ δῶρα αὐτῶν πλουσίους· 2. εἶδεν δέ τινα χήραν πενιχρὰν βάλλουσαν ἐκεῖ λεπτὰ δύο, 3. καὶ εἶπεν, Ἀληθῶς λέγω ὑμῖν, ὅτι ἡ χήρα αὕτη ἡ πτωχὴ πλεῖον πάντων ἔβαλεν· 4. πάντες γὰρ οὗτοι ἐκ τοῦ περισσεύοντος αὐτοῖς ἔβαλον εἰς τὰ δῶρα, αὕτη δὲ ἐκ τοῦ ὑστερήματος αὐτῆς πάντα τὸν βίον ὃν εἶχεν ἔβαλεν.

In v. 41 aliq add τινες; aliq minusc syr (sin, cu, sch) οι γραμματεις; c quid vobis videtur etc. ex Matth. In v. 42 αυτος γαρ ℵ B L R aliq minusc; l ipse enim; Q και αυτος γαρ; al και αυτος. In v. 43 D υποκατω; it sub pedibus tuis; item syr (sin, cu, sch). In v. 44 si David c e ff² (in spiritu); si ergo D. sin q; David enim l; om ουν D a i go Cyr. In v. 46 a primos consessus in synag. c praesidere in syn., superiores recumbere. In v. 47 D P R al pauc προσευχομενοι; c ff² i l fingentes longam or. devorant *panes* viduarum; d e q r s occasione longa orantes. In v. 2 a duos quadrantes; D add ο εστιν κοδραντης, d duo minus quod est codrantes. In v. 3 paupercula c ff² i l m q r dub ept (marg) ger rush. In v. 4 τα δωρα sine addit ℵ B L X aliq minusc Ti W H cop syr (sin, cu, hr); a de exiguitate sua, e r de inopia sua, d de minimo suo; sin a omnem facultatem, d substantiam. In codd aliq add, praesertim in minusc et evangelst ταυτα λεγων εφωνει· ο εχων ωτα ακουειν ακουετω, item add ev hier qui habet aures ad audiendum audiat (sin v. 47 causa (specie) longarum orationum v. 2 mulierem).

Omnes tres synoptici Christi sermones in templo ita concludunt, ut ipse interroget de Messia filio David et a scribis et pharisaeis cavendum esse doceat eorum scelera perstringens. Marcus et Lucas addunt narrationem de vidua paupercula, qua studium lucri scribarum condemnatur. Interrogatione illa cui illi quid reponant non habent iterum eis offert doctrinam veritatis, dummodo vellent eam ab ipso petere. Monitis ut caveant a scribis et pharisaeis ultimum quasi conatum edit ut populum retrahat a ruina quam isti duces ei parant. In laude viduae pauperis contra fastum et pompam denuo manifestat indolem sui regni et normam verae virtutis.

Regnum Messiae non esse regnum temporale, ita ut Messias thronum David erigat et more davidico hostes expugnet, uti scribae et pharisaei exspectabant, Iesus sua quaestione iis insinuare vult. In illa enim notione nullo modo declarari potest, cur Messias dicatur dominus David; unde ex eis quaerit, ut habeant quo suas de Messia notiones emendent v. 41 *dixit autem ad illos*, sc. ad scribas v. 39; non eos solos ibi adfuisse, sed pharisaeos quoque et populum, re ipsa patet et ex Matth. 22,41 et Marc. 12,35 habetur; *quomodo dicunt*, cum scribas alloquatur *dicunt* melius explicari potest cum *Luc.* impersonaliter (on dit, man sagt), ita ut opinio plane communis significetur, *Christum filium esse David?* cur autem interroget ea de re, indicatur lectione αὐτὸς γὰρ etc. ipse *enim* David; v. 42 *et ipse David dicit in libro psalmorum : dixit Dominus domino meo : sede a dextris meis* v. 43 *donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum;* thronus Dei symbolum est maiestatis, dominationis, gloriae divinae; qui itaque illi a dexteris assidet, i. e. qui thronum suum habet loco maxime honorifico apud Dei thronum, ille eo ipso exhibetur assumptus ut sit particeps maiestatis, dominationis, gloriae divinae. Porro in

reliquo psalmo, cum dicatur v. g. sacerdos, alia exprimuntur quibus notio Messiae describatur alia quam Iudaei fovebant (vide quae dixi ad Matth. l. c.); v. 44 *David ergo dominum illum vocat; et quomodo filius eius est?* Psalmum hunc 109 sensu messiano esse intellectum a priscis Iudaeis certum est; plura eius acceptionis testimonia affert *Ed.* II p. 721 et *Weber*, System der altsynagogalen palaest. Theologie p. 342. Propter Christianos autem eos etiam ad alias explicationes confugisse, discimus ex Iustino, Tertulliano, Hieronymo (vide Comment. Matth. II p. 272). Verum Christi tempore sensum messianum esse agnitum et originem davidicam psalmi non a solis Iudaeis, sed ab ipso affirmari Christo, ex loquendi et arguendi ratione est evidens.

Opinatur *Wünsche* p. 484 pharisaeos quidem probabiliter et evangelistam certo putasse Messiam fore ex posteris David; Iesum autem qui haberi vellet Messias debuisse illam sententiam oppugnare. Profecto mirum est quod hic in modo loquendi Iesu deprehendat eius rei negationem quae explicite affirmatur toties quoties Iesus salutatur filius David, qui nunquam eam appellationem repudiat (cf. Matth. 9,27; 12,23; 15,22; 20,30 seq. 21,9. 15. Marc. 10,47. Luc 18,38). Porro Iesum revera ortum habuisse ex posteritate davidica aliis quoque testimoniis confirmatur etsi evangelistarum Matthaei et Lucae de eius origine narrationem omittendam esse plane immerito quis contenderet. Nam Paulus apostolus eum esse ex semine David indubitanter affirmat (Rom. 1,3. 2 Tim. 2,8); in Apocalypsi quoque (quem librum moderni critici iam an. 68-70 p. Ch. compositum esse volunt) origo davidica Iesu clarissime enuntiatur cf. 22,16 et 3,7; 5,5. Idem affirmatur Act. 2,30. Insuper propinqui Iesu in Palaestina usque ad finem primi saeculi in dignitate ecclesiastica erant constituti: ita Simon filius Cleophae, cognatus Iesu, ex stirpe erat Davidis (cf. quae Hegesippus refert apud Eusebium, h. e. 3,19. 20. 32 et vide quae dixi in Comment. Matth. II p. 572). Christum autem debere esse ex stirpe davidica, haec sententia orta est non ex Ps. 109, verum ex multis aliis s. librorum locis v. g. 2 Reg. 7,16. Is. 11,1. Ier. 23,5. Ez. 34,23. Os. 3,5. Mich. 5,1. etc.

Quaestioni a Christo propositae non poterant respondere (Matth. 22, 46) neque tamen in re tanti momenti illorum doctorum intererat discere verum. Tacent, ne forte si interrogarent (ut ait *S. Cyr.*), « salutaris ipsis emicaret sermo; neque enim cognoscere volebant veritatem ». Iesum quippe odio habent et quamvis summam eius sapientiam etiam inviti admirari debuissent, tamen ab eo edoceri repudiant fastidiose. Unde quales sint denuo produnt. Quare Iesus merito docendi munus publicum ita concludit ut denuo plebi consulens vitia ducum severe castiget et eorum superbiam, avaritiam, hypocrisin palam exponat. Pluribus id refert Matthaeus ratione habita eorum quibus scri-

bit; breviter Marcus et Lucas id innuunt, cum pro suis sufficiat indicasse perversitatem ducum de qua populus sit aperte edoctus; unde si illorum ductu et consiliis in perniciem ruunt, etiam palam constat populum frustra monitum sua culpa sibi ruinam ascivisse; v. 45 *audiente autem omni populo dixit discipulis suis :* v. 46 *attendite a scribis qui volunt ambulare in stolis,* id amant et libenter faciunt; στολή vestis est longior quo utebantur viri nobiles; apparatus quidam fastu plenus in vestimentis designatur qua suam ostentent dignitatem et aliorum in se convertant oculos; quam ambitionem Matthaeus pro Iudaeis more gentis describit : dilatant phylacteria et magnificant fimbrias (23,5), Marcus vero (12,38) et Lucas pro suis lectoribus modo generali magisque alienigenis obvio designant; alia quibus ambitio et appetitus immoderatus honoris declaratur hisce habentur : *amant salutationes in foro et primas cathedras in synagogis et primos discubitus in conviviis* cf. 11,43; publice multis inspectantibus salutari cum magna reverentia in deliciis habent et studiose quaerunt; in coetu religioso et profano, ubique primas sedes et honores praecipuos sibi deferri quasi suo iure appetunt.

Superbiae turpem iungunt avaritiam v. 47 *qui devorant domos viduarum* i. e. opes, facultates; illud effertur genus avaritiae quod simul maxime est crudele et in legis doctoribus eo magis abominabile quia spoliant viduas quae lege summopere commendantur omnium curae et misericordiae (cf. Ex. 22,22-24), ita ut iniuriae ipsis illatae gravi vindicta puniantur (Is. 10,1. 2. Ez. 22,7. Eccli. 35,17-19). Et tertio demum sese exhibent hypocritas magnam simulantes in Deum pietatem καὶ προφάσει μακρὰ προσεύχονται secundum quam lectionem quae in codicibus graecis longe communissima est haec hypocrisis distincte tamquam tertium eorum vitium effertur : et specie tenus (per speciem, simulate) longas fundunt preces; ex alia lectione quae in versionem latinam transiit (omissa quoque particula καὶ) *simulantes longam orationem,* declaratur, uti apud Marcum 12,40, illos specie pietatis viduis imponere[1] quo facilius et citius earum opibus potiantur; vide ad Marc. l. c.; hypocrisin quam orationibus ostendunt Iesus etiam reprehendit Matth. 6,5; *hi accipient damnationem maiorem,* περισσότερον κρίμα iudicium abundantius i. e. severius, gravius, quia legis cognitione praediti tam turpiter contra legem peccant et qui debebant esse aliorum ad veram pietatem duces et ipsi sunt impii et suis exemplis et doctrinis alios corrumpunt.

1. Etiam *Iosephus* commemorat pharisaeis qui legis observatione se Deo caros esse simularent addictas valde fuisse feminas (Antiq. 17, 2. 4).

Avaritiae scribarum contraria ponitur liberalitas summa viduae pauperis, divitum fastui et pompae templi laus paupertatis Deo acceptae; 21, 1 *respiciens* ἀναβλέψας, cum oculos attolleret, *vidit eos qui mittebant munera sua in gazophylacium, divites,* vide ad Marc. 12,41; secundum talmudistas tredecim arulae positae erant in atrio mulierum ad pecuniam oblatam recipiendam; v. 2 *vidit autem et quandam viduam pauperculam mittentem aera minuta duo* λεπτὰ δύο i. e. quadrans, quarta pars assis; λεπτόν nummus erat minimus; mittit duo (i. e. paululum plus quam centesimam partem unius franci gallici, *Fil.*, unum farthing *Sp.*); ex talmudistarum placito unum λεπτόν פרוטה non licuit mittere in cistam eleemosynarum; dedit itaque vidua minimam portionem quanta dari potuit paupertate non aliud concedente (cf. *Schoettgen,* Hor. hebr. ad Marc. 12,42); v. 3 *et dixit: vere dico vobis: quia vidua haec pauper plus quam omnes misit;* v. 4 *nam omnes hi ex abundanti sibi* (ex abundantia, sat multi codd vulg.) *miserunt in munera Dei; haec autem ex eo quod deest illi* ἐκ τοῦ ὑστερήματος αὐτῆς de sua penuria, inopia, *omnem victum suum quem habuit misit* i. e. omne quod ei pro victu praesto erat dedit. Plus reliquis dedit, quia dedit omne quod habuit; plus quoque dedit quia « cor et non substantiam pensat Deus » (*Beda*); de numero illorum erat haec vidua de quibus dicitur : testimonium illis reddo, super virtutem voluntarii fuerunt (2 Cor. 8,3; *S. Bon.*); si enim voluntas prompta est, secundum id quod habet accepta est, non secundum id quod non habet (2 Cor. 8,12). De doctrina quae inde colligenda sit, vide Comment. Marc. p. 334. 335. Cum Lucas iam saepius docuerit commendari paupertatem a Christo et cum maior Christianorum pars inter pauperes esset annumeranda (teste quoque Paulo, 1 Cor. 1,26-28; 2 Cor. 8,2), haec quoque Christi laus paupertati tributa pauperibus esse debuit consolationi, exhortationi et documento ditioribus. Post haec Iesus egreditur e templo. Egressus autem ruinam templi et urbis praedicit et inde arripit occasionem discipulos edocendi de periculis et persecutionibus quae instent et de ultimo iudicio.

De hoc Christi sermone in monte olivarum e regione templi habito iam pluribus actum est in Comment. Matth. II p. 345 et Marc. p. 335. Tribus eum partibus constare nemo facile negare poterit qui animadvertit Christum primo proponere ratione plane generali quae ad singula saecula accommodetur pericula, persecutiones, calamitates, suisque tradere documenta quomodo se illis in conditionibus gerere debeant et quali protectione divina fruantur; deinde vero eum descendere verbis claris ad ea quae spectent urbem Ierusalem, praecipere suis

fugam ex urbe et regione quam primum viderint instare obsidionem urbis et praedicere mala ingentia quae devolvenda sint in urbem; tertio autem eum ea proponere quae ad alterum adventum et consummationem saeculorum pertineant. Hae tres partes uti apud Matthaeum et Marcum deprehenduntur, ita pari ratione hic. Prooemio enim praemisso quo sermonis occasio refertur 21,5-7, habes partem priorem v. 8-19, alteram v. 20-24, tertiam v. 25-36, quae partes etiam ratione habita ambitus uniuscuiusque apud tres synopticos inter se concordant (Matth. 24,5-14; 15-20; 21-35. Marc. 13,5-13; 14-18; 19-31).

f) Praedicuntur tribulationes 21,5-19.

21,5. Et quibusdam dicentibus de templo, quod bonis lapidibus et donis ornatum esset, dixit : 6. Haec quae videtis, venient dies in quibus non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur. 7. Interrogaverunt autem illum, dicentes : Praeceptor, quando haec erunt, et quod signum quum fieri incipient?

8. Qui dixit : Videte ne seducamini : multi enim venient in nomine meo, dicentes quia ego sum et tempus appropinquavit : nolite ergo ire post eos. 9. Quum autem audieritis praelia et seditiones, nolite terreri; oportet primum haec fieri, sed nondum statim finis. 10. Tunc dicebat illis : Surget gens contra gentem, et regnum adversus regnum. 11. Et terrae motus magni erunt per loca, et pestilentiae, et fames, terroresque de coelo, et signa magna erunt. 12. Sed ante haec omnia iniicient vobis manus suas, et persequentur, tradentes in synagogas et custodias, trahentes ad reges et praesides, propter nomen meum. 13. Continget autem vobis in testimonium. 14. Ponite ergo in cordibus vestris non praemeditari quemadmodum respondeatis; 15. Ego enim dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri. 16. Trademini autem a parentibus, et fratribus, et cognatis, et amicis, et morte afficient ex vobis; 17. Et eritis odio omnibus propter nomen meum;

21,5. Καί τινων λεγόντων περὶ τοῦ ἱεροῦ, ὅτι λίθοις καλοῖς καὶ ἀναθήμασιν κεκόσμηται, εἶπεν, 6. Ταῦτα ἃ θεωρεῖτε, ἐλεύσονται ἡμέραι ἐν αἷς οὐκ ἀφεθήσεται λίθος ἐπὶ λίθῳ ὃς οὐ καταλυθήσεται. 7. Ἐπηρώτησαν δὲ αὐτὸν λέγοντες, Διδάσκαλε, πότε οὖν ταῦτα ἔσται; καὶ τί τὸ σημεῖον, ὅταν μέλλῃ ταῦτα γίνεσθαι;

8. Ὁ δὲ εἶπεν, Βλέπετε μὴ πλανηθῆτε· πολλοὶ γὰρ ἐλεύσονται ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου, λέγοντες, Ἐγώ εἰμι· καὶ, Ὁ καιρὸς ἤγγικεν· μὴ πορευθῆτε ὀπίσω αὐτῶν. 9. ὅταν δὲ ἀκούσητε πολέμους καὶ ἀκαταστασίας, μὴ πτοηθῆτε· δεῖ γὰρ ταῦτα γενέσθαι πρῶτον, ἀλλ' οὐκ εὐθέως τὸ τέλος. 10. Τότε ἔλεγεν αὐτοῖς, Ἐγερθήσεται ἔθνος ἐπὶ ἔθνος, καὶ βασιλεία ἐπὶ βασιλείαν· 11. σεισμοί τε μεγάλοι καὶ κατὰ τόπους λοιμοὶ καὶ λιμοὶ ἔσονται, φόβηθρά τε καὶ ἀπ' οὐρανοῦ σημεῖα μεγάλα ἔσται. 12. Πρὸ δὲ τούτων πάντων ἐπιβαλοῦσιν ἐφ' ὑμᾶς τὰς χεῖρας αὐτῶν, καὶ διώξουσιν παραδιδόντες εἰς τὰς συναγωγὰς καὶ φυλακάς, ἀπαγομένους ἐπὶ βασιλεῖς καὶ ἡγεμόνας, ἕνεκεν τοῦ ὀνόματός μου. 13. ἀποβήσεται ὑμῖν εἰς μαρτύριον. 14. θέτε οὖν ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν, μὴ προμελετᾶν ἀπολογηθῆναι. 15. ἐγὼ γὰρ δώσω ὑμῖν στόμα καὶ σοφίαν, ᾗ οὐ δυνήσονται ἀντιστῆναι ἢ ἀντειπεῖν πάντες οἱ ἀντικείμενοι ὑμῖν. 16. παραδοθήσεσθε δὲ καὶ ὑπὸ γονέων καὶ ἀδελφῶν καὶ συγγενῶν καὶ φίλων, καὶ θανατώσουσιν ἐξ ὑμῶν. 17. καὶ ἔσεσθε μισούμενοι ὑπὸ πάντων διὰ τὸ ὄνομά μου· 18. καὶ θρὶξ

18. Et capillus de capite vestro non peribit. 19. In patientia vestra possidebitis animas vestras.

ἐκ τῆς κεφαλῆς ὑμῶν οὐ μὴ ἀπόληται. 19. ἐν τῇ ὑπομονῇ ὑμῶν κτήσεσθε τὰς ψυχὰς ὑμῶν.

In v. 5 a optimis lapidibus. In v. 6 D L syr (cu) arm aeth om ἅ; pariter om quae a c d e ff² i l q ken (l nonne videtis haec) D add εν τοιχω ωδε; c ff² i q r dub ken *hic in pariete* (in parietem l s; in par. hic a d). In v. 7 D add της σης ελευσεως, l adventus tui; cf. Matth. 24,3. In v. 8 ego sum *Christus* c e (et multos seducent) ff² i l q r gat dub eg ken rush ept (marg) Tert Ambr. gr. minusc 157. syr (sch); non habent ουν ergo ℵ B D L X a c e ff² i l s cop syr (sin, cu, hr) arm aeth. In v. 9 oportet *enim* a c d e f q r dub ken sixt, uti gr.; finis *in illis* a ff² q r. In v. 10 *nam* surget c ff² i l; surget *enim* a d e r; D 74.346. γαρ; sim syr (sin, cu, sch). In v. 11 ℵ B L 33 cop arm aeth Ti W H και κατα τοπους; al κατα τ. και; λοιμοι κ. λ. B it pler syr (cu); fames et lues e; fames et morbi d; signa magna *et tempestates* c ff² i l q r s dub ken (a et hiemes), tat syr (cu, sch) aeth Or. In v. 12 απαγομενους ℵ B D L aliq minusc, e abducentes. In v. 13 αποβησεται sine addit ℵ* B D Ti W H, a ut sit in testimonio vobis. In v. 14 a prius meditari; a s rationem reddatis. In v. 16 e mortificabunt. In v. 19 κτησεσθε A B aliq minusc verss Or Tert; sed codd gr longe pler κτησασθε, d i acquirite; a in tolerantia; d in sufferentia (sin v. 6 dixit eis : videtis hos lapides, venient dies; v. 10 om tunc dicebat illis; v. 11 et mortes per loca, et videbuntur signa magna; v. 15 ut non possint surgere contra vos; v. 16 tradent enim vos fratres vestri et parentes vestri; v. 18 et pars una (capillus unus) ex crinibus capitis vestri non peribit; v. 19 in patientia enim vestra).

Sermonem hunc habitum esse cum Iesus sederet in monte olivarum contra templum certum est ex Matth. 24,3 et Marc. 13,3. Locum non assignat Lucas; quare perperam aliqui dicunt secundum eum sermonem esse habitum in templo (*Schegg, Schanz*). Neque id ullo modo innuitur v. 5 *et quibusdam dicentibus de templo quod bonis lapidibus et donis ornatum esset, dixit,* cum de donis ἀναθήμασι, de donariis templo consecratis, mentio fiat, non continuo sequitur quod *Weiss* vult, haec in ipso templo esse dicta; quis enim non videt de templi ornatu loqui posse etiam eos qui iam e templo egressi sunt? atque ita factum esse docemur ab aliis duobus synopticis; nam : et cum egrederetur de templo, ait illi etc. Marc. 13,1, Matth. 24,1. Hoc itaque colloquium v. 5. 6 habitum est dum relicto templo tenderent in montem olivarum, et cum ibi in monte sederet Iesus discipuli rogarunt de tempore et signo, uti pariter ex Matth. et Marc. elucet. Neque obstat quod in v. 37 dicitur; nam ibi Lucas solum summatim refert quid iis diebus de quibus in antecedentibus scripsit Iesus agere solitus sit. Proinde dicendum est Lucam non narrare ubi Christus haec dixerit, id autem nobis referri ab aliis duobus accurate. Discipuli saepius per vitam Iesu publicam viderant templum. Cur nunc monent Iesum de eius splendore? Ratio cerni potest Matth. 23,38; modo enim dixerat Christus : ecce relinquetur vobis domus vestra deserta; vel si malueris,

poterant discipuli ansam capere ex laude minimi illius doni viduae pauperis, dicentes non futurum fuisse ut templum adeo magnificum exstrueretur, nisi divites quoque quam plurima obtulissent. Lapides fuisse pulchros (καλούς), *Iosephus* quoque saepius commemorat; ita narrat columnas quibus porticus sustinebantur fuisse μονολίθους λευκοτάτης μαρμάρου, e singulis saxis marmore candidissimo (Bell. iud. 5,5. 2) et templum aedificatum esse ex lapidibus candidis et firmis (Antiq. 15,11. 3; vide quae dixi in Comment. Marc. p. 338). Idem refert de donariis, in quibus eminebat vitis aurea, expansa sub muri coronulis, cum racemis ex illa sublime pendentibus, ea materiae profusione facta ut aspicientibus tam magnitudine quam arte stuporem incuteret; circa templum undique fixa erant spolia peregrinarum gentium (Antiq. 15, 11. 3) et templum praecellentibus donariis ornatum esse a se Herodes affirmabat (Antiq. 17,6. 3). Ceterum de vite aurea aliisque donariis vide *Lightfoot*, descriptio templi hieros. in primo operum tomo, Ultraiecti 1699, p. 581. 649.

Verum omnem eam pompam esse funditus delendam Iesus asserit v. 6 *haec quae videtis, venient dies in quibus non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur;* vide Comment. Matth. II p. 307 seq. Marc. p. 338. Dum haec colloquia miscerentur, pervenerunt in montem olivarum; v. 7 *interrogaverunt autem illum dicentes : praeceptor, quando haec erunt et quod signum cum fieri incipient?* hic eo modo effertur quaestio, ut discipuli de solo templo et tempore eius ruinae interrogasse videantur; « tempus et signa praedictae destructionis interrogant » ait *Beda* et similiter *Alb. Schanz, Fil. Weiss;* sed bene notat *Ians.* discipulos putasse iudicium in urbem templumque iri coniunctum cum altero Christi adventu et gloriosa regni Dei manifestatione et consummatione saeculi; quare hanc quoque quaestionem idem enuntiare quod apud Matthaeum discipuli interrogent. Quare alii *signum* de signo adventus explicant (*S. Cyr. Ambr. Luth. Luc. Schegg*). Atque quibusnam discipuli in eam sententiam inducti sint, vide in Comment. Matth. et Marc. — Nosse *quando* illa futura sint non refert utilitatem spiritualem. Quare Christus accurata temporis designatione omissa ea tradit documenta quae et plebi iudaicae fidelibusque eius aetatis et fidelibus quoque temporum futurorum veram afferrent utilitatem. Primo enim monitum tradit iis qui regnum Dei gloriosum statim venturum esse putant, quod monitum ita effertur ut simul valeat pro plebe iudaica quae vero Messia reiecto iam fraudibus pseudochristorum exponitur v. 8 *qui dixit : videte ne seducamini; multi enim venient in nomine meo dicentes : quia ego sum,* scil. Messias (cf. Matth. 24,5) et quid hoc sibi velit, accuratius declaratur *et tempus*

appropinquavit regni Dei scil. cum gloria manifestandi; *nolite* (ergo) *ire post eos;* dein ulterius progressus monet suos v. 9 *cum autem audieritis proelia et seditiones, nolite terreri,* nolite animis agitari; *oportet primum haec fieri, sed nondum statim finis;* proinde docet duo, etiam evangelio praedicato fore bella magnasque inter populos perturbationes, neque tamen eiusmodi commotiones censendas esse signa consummationis saeculi. Quia enim prophetae saepius magnam quandam perturbationem, commotionem populorum, calamitates fore praevia dicunt regno Dei venturo (cf. Is. 24,1 seq. Agg. 2,7. 23), existimare poterant fideles proelia et seditiones statim esse praenuntia et signa finis. Unde erant commonefaciendi non tam cito finem instare.

Haec repetito pluribus declarantur v. 10 *tunc dicebat illis : surget gens contra gentem et regnum adversus regnum* v. 11 *et terrae motus magni erunt per loca,* passim, variis in regionibus *et pestilentiae et fames terroresque* φόβηθρα terricula *de coelo et signa magna erunt;* vide lect. var.; quibus verbis totum tempus usque ad consummationem saeculi complecti videtur Christus, cum signa magna de coelo commemoret; cf. v. 25. Sunt tamen haud pauci qui haec terricula et prodigia de iis accipiant quae *Iosephus* narrat ante obsidionem urbis contigisse, stetisse supra civitatem sidus simile gladio, anni spatio visum esse cometen, visos esse currus in aere sublimes ferri et armatas phalangas per nubes discurrere etc. (Bell. iud. 6,5. 3; cf. *Bed. Bon. Alb. Luc. Lamy, Calm. Schegg, Fil.*). Sed cum quae antecedunt iam ampliora sint quam ut tempus ante bellum iudaicum spectare dici possint, prior acceptio magis commendatur. Et iam antequam eiusmodi perturbationibus regiones et gentes percellantur, discipuli Christi variis obiicientur persecutionibus v. 12 *sed ante haec omnia iniicient vobis manus suas et persequentur tradentes in synagogas,* scil. ad flagellationem; cf. Matth. 10,17; ad tribunalia Luc. 12,11, *et custodias,* in carceres, *trahentes ad reges et praesides propter nomen meum,* quia Iesum annuntiant Dominum; initia eiusmodi persecutionum describuntur in Act.; v. 13 *continget autem vobis in testimonium;* haec autem omnia cedent in commendationem vestram, in testimonium gloriae vobis (*Theoph. Schanz*), in testimonium quantae vos sitis fidei et fidelitatis in Christum (cf. *Lamy, Schegg, Fil.*); proin implebitur quod Christus dixit : eritis mihi testes usque ad ultimum terrae (Act. 1,8).

Neque illis ullo modo timendum est propter adversariorum sapientiam et propriam vel imperitiam vel infirmitatem v. 14 *ponite ergo* i. e. quia Christi causa agitur (v. 12 propter nomen meum), ideo Christus ipse suam aget causam, ideoque ne sint solliciti, *in cordibus vestris non praemeditari,* μελετᾶν est curam gerere, studiose tractare,

moliri, machinari; unde προμελετᾶν notione prope accedit ad μεριμνᾶν (Matth. 10,19) et προμεριμνᾶν (Marc. 13,11), ne igitur sollicitudine quadam teneantur *quemadmodum respondeatis;* v. 15 *ego enim dabo vobis os et sapientiam* i. e. modum, formam, facundiam loquendi et argumentum, *cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri;* cf. 12,12. Matth. 10,19. Marc. 13,11. Act. 6,10.

Et quod iam alia occasione dixerat de separatione et divisione (12,51 seq. Matth. 10,35) denuo monet v. 16 *trademini autem a parentibus et fratribus et cognatis et amicis et morte afficient ex vobis;* v. 17 *et eritis odio omnibus propter nomen meum;* neque enim est discipulus supra magistrum (Matth. 10,24); scitote quia me priorem vobis odio habuit mundus (Ioan. 15,18). Verum minime iis erit timendum; protectorem habent potentissimum qui eos et incolumes servare et vita multo meliore donare potest v. 18 *et capillus de capite vestro non peribit,* locutio est proverbialis de incolumitate et summa protectione mediis in periculis; cf. 1 Reg. 14,45. 2 Reg. 14,11. 3 Reg. 1,52. Act. 27,34. Quae singularis cura illis a Deo vario modo impendi poterit, vel ut corpore incolumes evadant ab insidiis et persecutionibus, uti iuvenes in fornacem ardentem iniecti nihil laesi sunt (Dan. 3,94 et capillus capitis eorum non est adustus); « et vere multi fidelium in ignem iniecti ne capillos quidem perdiderunt » (*Euth.*), vel ut etsi morte ab inimicis plectuntur, Deus amplissima remuneratione eos donet secundum illud : et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est; in paucis vexati in multis bene disponentur (Sap. 3,4. 5); si membris corporis et vita ipsa privantur, dicere possunt ac debent cum fratre illo : e coelo ista possideo, sed propter Dei leges nunc haec ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero (2 Mach. 7,11). Proinde nihil penitus damni sustinebunt; omnia servantur in integrum restituenda (*Cai. Luc. Lap. Lamy, Schanz, Weiss*). Cum itaque adversitates et persecutiones instent, haec una omnibus proponitur norma et via salutis v. 19 *in patientia vestra* ὑπομονῇ ita scil. ut cum constantia, perseverantia adversa quaeque toleretis *possidebitis animas vestras* κτήσεσθε acquiretis, obtinebitis salutem animarum vestrarum, i. e. veram aeternamque vitam; est enim, ut bene *Luc.* ait ὑπομονή perseverantia in re quapiam molesta, cum exspectatione tamen, id quod apostolus significat (Rom. 5,3. 4); ergo qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (cf. Matth. 10,22. Marc. 13,13).

Cum antea dicatur *morte afficient ex vobis*, aliquibus mirum visum est tamen statim subdi *et capillus non peribit*, id quod contradictionem invol-

vere quidam arbitrantur. Quam ut evitent, alii malunt supplere : capillus... sine voluntate Dei, vel quamdiu ad ministerium evangelii estis necessarii etc. non peribit. Alii putant ea verba non hoc in contextu a Christo esse dicta, sed ex alio eius sermone huc transsumpta (*Schegg*) et ita explicari posse, ut hac sententia *capillus* etc. statuatur norma communis et fere regula generalis, alia autem *morte afficient* aliqua exceptio. Quam explicationem *Fil.* quoque laudat et adoptat; eam fere innuit *Euth.* dicens Deum interdum ostendere propriam suam potentiam, interdum carni permittere ut iuxta naturam pateretur. Sed si res spectatur, uti per saeculorum cursum fiebat, ne hoc *interdum* ποτέ quidem sustineri potest, multo minus quod alii de regula et exceptione dicunt. Nam apostoli, praedicatores evangelii, sacerdotes, fideles ab initio rei christianae usque ad tempora nostra adversitatibus et persecutionibus ita obiiciuntur, ut semper et ubique detrimenta bonorum et corporis molestias sustinere debeant; si qui sine ullo damno abeunt, si qui in ipsis tormentis et cruciatibus positi nihil senserint doloris, *haec* est exceptio quam satis raro contigisse ac contingere quis poterit negare? Unde aliis placuit sententiam in v. 18 ita accipere, ut relicta promissione pro singulis solum enuntietur, etsi aliqui fidelium persecutionibus succubuerint et occisi fuerint, tamen toti coetui, toti Ecclesiae nihil damni inferri (*Godet*). Verum omnis difficultas evanescit, dummodo ob oculos habeatur locutione *proverbiali* promitti singularem Dei curam et protectionem; proinde haec protectio est spectanda et subiectae materiae applicanda, non ipsa locutio proverbialis est eo modo retinenda neque explicanda sicuti verba sonant.

De quonam tempore haec v. 8-19 dicantur, eadem est controversia, de qua egi ad Matth. 24,5 (Comment II p. 309 seq. et p. 345 seq. et Comment. Marc. p. 343). Ita haec quoque referuntur vel ad ea quae obsidioni urbis Ierusalem praevia sunt (*Bed. Alb. Jans.*) vel quae consummationem saeculorum annuntiant (*S. Cyr. Ambr.*) vel dicuntur esse praeludia utrique eventui communia, utrique praevia et praenuntia (*Theoph. Luc. Schanz, Fil.*). Sed contra has explicationes valet quod iam monuit auctor operis imperfecti in Matth. (hom. 48; *M.* 56,901; inter opera S. Chrys.) : bella semper fuerunt et semper erunt, et fames et terraemotus semper fuerunt; *non potest autem esse in signum alicuius rei futurae quod semper fuit in usu*, sed quod novum fit illud dicitur signum. Ex quo auctore *S. Bon.* quoque repetit verba : non potest esse signum quod semper fuit in usu, et bene ait in prima sermonis parte praedici quae ventura sint *generaliter* et quae ventura sint circa persecutionem Ecclesiae; dein praedici quae ventura sint circa destructionem Ierusalem, ibi : cum autem videritis circumdari ab exercitu, et demum quae ventura sint circa iudicium finale, ibi : et erunt signa in sole etc. Eandem acceptionem bene proponit *Cai.* ad v. 11 : « bella, terrae motus, pestes, fames, terriculamenta et signa in aere magna praedicuntur, non ea ratione ut nova aliqua aut insolita denuntientur futura, sed ut describatur mundus solitum cursum habiturus, ut intelligerent Christiani *haec spectare ad consuetum mundi cursum et non ad specialia seu*

propria signa consummationis mundi. Nisi enim Dominus hoc docuisset, quotidie adessent prophetantes finem mundi, cum haec patimur ». Haec ideo quoque commemoro ut respondeam quibusdam qui divisionem et acceptionem sermonis quam in Comment. Matth. et Marc. proposui aliquo modo impugnare voluerint. Moneo iterum neque de maximis perturbationibus quasi praenuntiis consummationis fieri mentionem in verbis Christi, neque si fieret mentio vel ea subintelligenda esset nos habere unde possemus diiudicare quaenam essent maximae illae. Nonne fere unaquaque aetate homines putabant laudatores temporis acti se in miserrima omnium tempora incidisse? — Lectio *tempestates* (vide lect. var.) videtur apposita tamquam expositio quaedam ad *signa magna de coelo* i. e. ad ea quae apparent in regione aeris.

g) De ruina urbis et altero Christi adventu 21,20-38.

21,20. Quum autem videritis circumdari ab exercitu Ierusalem, tunc scitote quia appropinquavit desolatio eius. 21. Tunc qui in Iudaea sunt, fugiant ad montes; et qui in medio eius, discedant; et qui in regionibus, non intrent in eam : 22. Quia dies ultionis hi sunt, ut impleantur omnia quae scripta sunt. 23. Vae autem praegnantibus et nutrientibus in illis diebus; erit enim pressura magna super terram, et ira populo huic. 24. Et cadent in ore gladii; et captivi ducentur in omnes gentes; et Ierusalem calcabitur a gentibus, donec impleantur tempora nationum.

25. Et erunt signa in sole, et luna, et stellis; et in terris pressura gentium prae confusione sonitus maris et fluctuum : 26. Arescentibus hominibus prae timore, et expectatione quae supervenient universo orbi; nam virtutes coelorum movebuntur; 27. Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et maiestate. 28. His autem fieri incipientibus, respicite, et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.

29. Et dixit illis similitudinem : Videte ficulneam, et omnes arbores : 30. Quum producunt iam ex se fructum, scitis quoniam prope est aestas. 31. Ita et vos quum videritis haec fieri, scitote quoniam

21,20. Ὅταν δὲ ἴδητε κυκλουμένην ὑπὸ στρατοπέδων Ἰερουσαλήμ, τότε γνῶτε ὅτι ἤγγικεν ἡ ἐρήμωσις αὐτῆς. 21. τότε οἱ ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ φευγέτωσαν εἰς τὰ ὄρη· καὶ οἱ ἐν μέσῳ αὐτῆς ἐκχωρείτωσαν· καὶ οἱ ἐν ταῖς χώραις μὴ εἰσερχέσθωσαν εἰς αὐτήν, 22. ὅτι ἡμέραι ἐκδικήσεως αὗταί εἰσιν τοῦ πλησθῆναι πάντα τὰ γεγραμμένα. 23. οὐαὶ ταῖς ἐν γαστρὶ ἐχούσαις καὶ ταῖς θηλαζούσαις ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις· ἔσται γὰρ ἀνάγκη μεγάλη ἐπὶ τῆς γῆς καὶ ὀργὴ τῷ λαῷ τούτῳ. 24. καὶ πεσοῦνται στόματι μαχαίρας, καὶ αἰχμαλωτισθήσονται εἰς τὰ ἔθνη πάντα· καὶ Ἰερουσαλὴμ ἔσται πατουμένη ὑπὸ ἐθνῶν, ἄχρι οὗ πληρωθῶσιν καὶ ἔσονται καιροὶ ἐθνῶν.

25. Καὶ ἔσονται σημεῖα ἐν ἡλίῳ καὶ σελήνῃ καὶ ἄστροις, καὶ ἐπὶ τῆς γῆς συνοχὴ ἐθνῶν ἐν ἀπορίᾳ ἤχους θαλάσσης καὶ σάλου, 26. ἀποψυχόντων ἀνθρώπων ἀπὸ φόβου καὶ προσδοκίας τῶν ἐπερχομένων τῇ οἰκουμένῃ· αἱ γὰρ δυνάμεις τῶν οὐρανῶν σαλευθήσονται. 27. καὶ τότε ὄψονται τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐρχόμενον ἐν νεφέλῃ μετὰ δυνάμεως καὶ δόξης πολλῆς. 28. Ἀρχομένων δὲ τούτων γίνεσθαι, ἀνακύψατε καὶ ἐπάρατε τὰς κεφαλὰς ὑμῶν· διότι ἐγγίζει ἡ ἀπολύτρωσις ὑμῶν.

29. Καὶ εἶπεν παραβολὴν αὐτοῖς, Ἴδετε τὴν συκῆν καὶ πάντα τὰ δένδρα. 30. ὅταν προβάλωσιν ἤδη, βλέποντες ἀφ' ἑαυτῶν γινώσκετε ὅτι ἤδη ἐγγὺς τὸ θέρος ἐστίν.

prope est regnum Dei. 32. Amen dico vobis, quia non praeteribit generatio haec, donec omnia fiant. 33. Coelum et terra transibunt; verba autem mea non transibunt. 34. Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, et ebrietate, et curis huius vitae; et superveniat in vos repentina dies illa. 35. Tanquam laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terrae. 36. Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia quae futura sunt, et stare ante Filium hominis.

37. Erat autem diebus docens in templo; noctibus vero exiens, morabatur in monte, qui vocatur Oliveti. 38. Et omnis populus manicabat ad eum in templo audire eum.

31. οὕτως καὶ ὑμεῖς, ὅταν ἴδητε ταῦτα γινόμενα, γινώσκετε ὅτι ἐγγύς ἐστιν ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ. 32. ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι οὐ μὴ παρέλθῃ ἡ γενεὰ αὕτη, ἕως ἂν πάντα γένηται. 33. ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ παρελεύσονται, οἱ δὲ λόγοι μου οὐ μὴ παρελεύσονται. 34. Προσέχετε δὲ ἑαυτοῖς, μήποτε βαρηθῶσιν αἱ καρδίαι ὑμῶν ἐν κρεπάλῃ καὶ μέθῃ καὶ μερίμναις βιωτικαῖς, καὶ ἐπιστῇ ἐφ' ὑμᾶς αἰφνίδιος ἡ ἡμέρα ἐκείνη. 35. ὡς παγὶς, ἐπεισελεύσεται γὰρ ἐπὶ πάντας τοὺς καθημένους ἐπὶ πρόσωπον πάσης τῆς γῆς. 36. ἀγρυπνεῖτε δὲ ἐν παντὶ καιρῷ δεόμενοι, ἵνα κατισχύσητε ἐκφυγεῖν ταῦτα πάντα τὰ μέλλοντα γίνεσθαι, καὶ σταθῆναι ἔμπροσθεν τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου.

37. Ἦν δὲ τὰς ἡμέρας διδάσκων ἐν τῷ ἱερῷ· τὰς δὲ νύκτας ἐξερχόμενος ηὐλίζετο εἰς τὸ ὄρος τὸ καλούμενον ἐλαιών. 38. καὶ πᾶς ὁ λαὸς ὤρθριζεν πρὸς αὐτὸν ἐν τῷ ἱερῷ ἀκούειν αὐτοῦ.

In v. 20 ger audieritis; a e circumdatam; eg hub dissolutio. In v. 21 ff² fugiant a facie eius. In v. 23 ουαι sine addit B D L Ti W H, pariter it pler big dub lich; a lactantibus; c ff² i l q gat Amb eg quae in utero habent et quae ubera dant (e mammant). In v. 24 B L add και εσονται; sim cop; a erit in concalcationem. In v. 25 (pro pressura) ger tribulatio, a conpressio, e conclusio, f occursus, d conflictio; a in stupore sonus maris et undis; f prae ansietate ut sonitus maris et motus fluctuum. In v. 26 a refrigescentibus; c ff² quae in coelo sunt (a d Amb quae sunt in c.). In v. 28 erigite vos d r; respirabitis c ff² i l m q; liberatio a d. In v. 34 et cogitationibus b c f ff² i l q r, saecularibus a b d ff² i l q r. In v. 35 επεισελ. γαρ ℵ B D L 157. Ti W H; sim a b c d i; quasi muscipul introivit enim c; tamquam laqueus enim superveniet enim ff². In v. 36 κατισχυσητε ℵ B L X pl minusc cop aeth syr (hr); al καταξιωθητε; et stabitis it, uti D στησεσθε. In v. 37 ελαιών hoc accentu A al mu; ελαιῶν E H K M U Π al pl; olivarum e; olivetum a. In v. 38 ger mane ibat; tol magnificabat, a de luce vigilabat, e r ante lucem veniebat (sin v. 20.21 om tunc; v. 23 om super terram; v. 24 et captivi ducentur in omnem regionem et Ierusalem conculcabitur ab omnibus populis; v. 26 om exspectatio; v. 30 si incipiunt germinare et dare fructus suos; v. 34-38 desunt; solum verba quaedam servata sunt).

In antecedentibus Christus docuit multas tribulationes suis esse subeundas neque tamen iis defore auxilium divinum. Hisce simul patet aliud plane fore regnum messianum atque illi exspectant. Atque id quidem non ultimo loco iis declaratur eo quod destructio urbis Ierusalem praedicitur, quae tamen urbs a Iudaeis censebatur esse debere caput regni messiani et centrum regni Dei gloriosi, prout fuit centrum theocratiae veteris. Quare istud vaticinium magnopere in id quoque valere debuit, ut aliam sibi efformarent notionem regni messiani;

v. 20 *cum autem videritis circumdari ab exercitu Ierusalem;* nunc tandem Iesus respondet ad id quod interrogaverant; bene ὑπὸ στρατοπέδων; nam praeter legiones quattuor romanas (5. 10. 15. 12.) Tito praesto erant magno numero copiae auxiliares regum (Bell. iud. 5,1. 6), *tunc scitote quia appropinquavit desolatio eius* ἡ ἐρήμωσις qua voce iam Dan. 9,27 excidium urbis designatur (cf. Comment. in Dan. p. 261 seq.). Bellum geri coeptum est in Galilaea; ex ea regione et ex Peraea bellum paulatim transferebatur in regiones circa Ierusalem, donec tandem ipsa urbs, internis dissidiis iam plurimum agitata, obsidione cingeretur. Cum itaque viderint bellum verti in urbem et eius parari obsidionem v. 21 *tunc qui in Iudaea sunt fugiant ad montes* — alias bello appropinquante in civitates munitas ut ingrederentur et ut ad Sion fugerent admoniti erant (Ier. 4,5. 6; *Schegg, Schanz*) — *et qui in medio eius* scil. Ierusalem, *discedant;* « quomodo discedent ab exercitu iam civitate circumdata? nisi forte quod praemisit *tunc*, non ad ipsum tempus obsidionis, sed ad proximum ante obsidionem tempus, cum se primo miles romanus per Galilaeae vel Samariae fines coepisset diffundere, pertinere dicimus, ut tunc fugere quisque, cum fugae adhuc tempus esset, acceleraret » (*Beda*) atque eo modo κυκλουμένην accipi posse et debere certum est; *et qui in regionibus* ἐν ταῖς χώραις vel in agris et villis circa urbem sunt, *non intrent in eam*, v. 22 *quia dies ultionis hi sunt, ut impleantur omnia quae scripta sunt;* modo prophetarum loquitur Christus de die ultionis, cf. Is. 34,8; 61,2; 63,4. Ier. 46,10; in urbis ruina implentur minae illae quas Moyses in populum rebellem pronuntiavit Deut. 28,15 seq. 29,24 seq. 32,22 seq.; impletur praeprimis vaticinium Dan. 9,26 et Zach. 11,1-3. 16. 17 (cf. Comment. in Proph. min. II p. 341. 357).

In communi plaga etiam Christifideles non sine molestia et tribulatione abibunt v. 23 *vae autem praegnantibus et nutrientibus in illis diebus,* quibus scil. fuga in montes, commoratio in speluncis, in regione aliena et penuria rerum et commodorum (quam suis domibus relictis incurrent) multo magis quam aliis evadit molesta. Dici ea de feminis christianis sententia est communis et obvie sequitur quia illis fuga peculiari modo redditur difficilis; solus *Schegg* refert verba ad mulieres iudaeas in urbe inclusas; neque tamen id efficitur ex ratione addita : *erit enim pressura magna super terram* i. e. si calamitates publicae ingruunt omnes habent quod sustineant; proinde non mirum si eo tempore etiam Christifideles debeant molestias experiri et pro aliqua sua parte participes fieri angustiarum (ἀνάγκης), *et* erit *ira magna populo huic* i. e. ira et vindicta Dei magna devolvetur in hunc populum rebellem qui occidit prophetas et Messiam; cf. 13,33-35;

19,43. 44. Et qualis futura sit haec ira et ultio, qua punientur, exponitur v. 24 *et cadent in ore gladii* cf. בִּי חרב Gen. 34,26. Deut. 13,15. Ios. 6,21; 8,24; ita ἐν στόματι ῥομφαίας Iudith 2,27 et 1 Mach. 5,28 et de eiusmodi gladii quasi personificatione vide Is. 34,5 inebriatus est gladius meus, ecce super Idumaeam descendet, incrassatus est adipe etc. *et captivi ducentur in omnes gentes et Ierusalem calcabitur a gentibus*, conculcabitur, *donec impleantur tempora nationum*, quod B habet καὶ ἔσονται prioris vocis est explicatio; tempora autem gentium erunt usque ad consummationem saeculi (*Euth. Luc. Schegg, Schanz*); proinde respublica Iudaeorum nunquam restituetur, Ierusalem, metropolis illa et caput reipublicae iudaicae, erit sub dominatione aliarum nationum; cessavit in perpetuum *tempus* Iudaeorum quo scil. rempublicam propriam constituunt; reliquae solum nationes imperia et regna condent. Quare hoc ultimo membro idem enuntiatur quod Dan. 9,27 : usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio (cf. Comment. Dan. p. 261).

Atque Christifideles obsecutos verbis Domini urbem reliquisse bello et obsidione ingruente constat (vide *Eus.* h. e. 3,5; *M.* 20,221; Comment. Matth. II p. 323).

Quanta *pressura* Iudaei afflicti sint et quantopere impletum sit illud *cadent in ore gladii*, ex narratione *Iosephi* de bello iudaico abunde colligitur. Non quidem ubique refert quot occisi sint in unoquoque proelio, quot in quavis expugnatione civitatum, quot intestinis dissidiis perierint; at satis frequenter numeros quoque interfectorum narrationi inseruit, ex quibus maxima illa clades genti inflicta manifestatur. Aliqua adscribere eius cladis exempla non erit abs re. In pugna circa Ascalonem periisse ait e Iudaeis octodecim millia (Bell. iud. 3,2.2-3), civitate Gadarensium expugnata occisos esse puberes omnes (3,7. 1), in excidio urbis Iotapatae periisse ad quadraginta millia; in undis periisse prope Ioppen quattuor millia et ducentos (3,7. 36; 3,9. 3), in expugnatione urbis Tarichaearum sex millia et quingentos (3,10.9), in stadio Tiberiade occisos mille ducentos (3,10.10), in excidio Gamalae urbis perempta a Romanis quattuor millia; praecipitio se ipsos interfecisse plus quinque millia (4,1. 10), e Gischala fugientium sex millia a Romanis interempta (4,2. 5), ab Idumaeis in ipso templo caesa esse octo millia virorum et quingentos (4,5. 1); in ipsa urbe ab iis et zelotis duodecim millia nobilium interiisse (4,5. 3); quindecim millia Gadarensium occisa esse, multitudinem vero eorum qui in Iordanem desilire coacti perierint esse infinitam, πλῆθος ἄπειρον (4,7. 5) etc. Hisce adde quod idem scribit (6,9. 3) : « totius *obsidionis* tempore undecies centena hominum millia perierunt; captivorum quidem omnium qui *totius belli* tempore capti sunt numerus erat ad nonaginta septem millia ». Christifideles urbem reliquerant; Iudaei autem « ex omni regione ad festum azymorum conve-

nerant et derepente bello circumdati erant »; « tunc quasi in carcerem tota gens fato conclusa erat ».

Notat *Luc.* : « captivorum alii ad opera damnati missi sunt in Aegyptum, alii qui formosiore erant corpore triumpho Romae celebrando servati sunt, plurimos robustos viribus elegit Titus per provincias pugnaturos in theatris cum bestiis. Qui vero infra decimum et septimum aetatis annum essent, simul cum feminis venditi sunt, sed vilissimo pretio eo quod non reperirentur emptores et qua alerentur deesset annona. Haec omnia ex Iosepho intelliguntur ».

Longius temporis intervallum fore inter ruinam urbis et signa adventui Christi alteri praevia clare indicatur, dum dicitur : donec impleantur *tempora* nationum. Unde Christus sicut in parabolis (cf. 12, 38. 45; 19,12. Matth. 25,5), ita hic quoque innuit consummationem seu alterum suum adventum non adeo prope esse ; v. 25 *et erunt signa in sole et luna et stellis*, quae signa ab aliis ita describuntur : sol obscurabitur et luna non dabit lumen suum et stellae de coelo cadent (vide ad Matth. 24,29. Marc. 13,24), *et in terris pressura* συνοχή coarctatio, anxietas *gentium prae confusione sonitus maris et fluctuum* ἐν ἀπορίᾳ i. e. prae strepentibus ac tumultuantibus maris fluctibus homines in angustias coniecti plane erunt consilii inopes, terrore perculsi; v. 26 *arescentibus hominibus* ἀποψυχόντων torpentibus scil. uti solent quos animus reliquit; dein ἀποψύχειν notionem quoque habet animam exspirandi; hoc vero loco, uti ex v. 27 quoque patet, non de morte sermo esse potest, sed de quadam animi defectione et torpore *prae timore et exspectatione quae supervenient universo orbi, nam virtutes coelorum movebuntur*, e statu et conditione sua mutabuntur; praesens mundi machina concutietur et obviam ferri videbitur illi suae transmutationi, quam apostolus indicat scribens : coeli ardentes solventur (2 Petr. 3,12); ceterum vide Comment. Matth. II p. 338, Marc. p. 350. Diem enim iudicii appariturum esse in igne etiam docetur 1 Cor. 3,13 et 2 Thess. 1,7. 8; v. 27 *et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et maiestate ;* cf. Dan. 7,13 ecce cum nubibus coeli quasi filius hominis veniebat; Ioan. 5,27 Pater potestatem dedit ei iudicium facere quia Filius hominis est. « Cur autem in nube? quia sic apparere solet Deus » (*S. Cyr. Theoph.*); cum Iesus in coelum ascenderet, nubes suscepit eum ab oculis discipulorum, qui ab angelis docentur : sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in coelum (Act. 1,11; *Cai.*). Comites eius fore angelos cf. Matth. 16,27. Marc. 8,38. 2 Thess. 1,7.

Cum talia signa visuri sint, v. 28 *his autem fieri incipientibus respicite* ἀνακύψατε erigite oculos, animum *et levate capita vestra,* bono

estote animo, spe laeta recreamini; caput demittunt afflicti et miseriis pressi; caput attollunt quibus spes affulget emergendi a malis, qui laeto sunt animo (*Luc.*); idque merito, *quoniam appropinquat redemptio vestra* ἀπολύτρωσις sensu scil. pleno ac perfecto : liberatio ab omni malo, ipsa gloriosa corporum resurrectio, et totius quoque creaturae glorificatio (cf. Rom. 8,21; *Eus.*). En, Christus loquitur ad suos quasi ipsi victuri essent ad videnda illa adventus sui signa, cum ipse tamen optime sciret alterum suum adventum longe abesse. Cur ita loquitur? quia suos semper paratos esse vult ad suum adventum, cuius tempus incertum esse voluit — et vero aliquo sensu in morte uniuscuiusque ad eum venit Christus iudex —; ex eo autem loquendi modo explicatur, cur apostoli quoque eadem ratione fidelis adhortentur, ut ad diem iudicii parati sint.

Alio modo eos admonet, ut ad signa temporum attendant v. 29 *et dixit illis similitudinem : videte ficulneam et omnes arbores;* a ficu sumi parabolam narrant alii duo; putant aliqui omnes arbores adiecisse Lucam, quia suis natura ficulneae non fuerit ita cognita; v. 30 *cum producunt iam ex se fructum* ὅταν προβάλωσιν, quando progerminant scil. folia (uti r cum producunt ex se folia; a e cum florient a se), *scitis quoniam prope est aestas;* v. 31 *ita et vos cum videritis haec fieri, scitote quoniam prope est regnum Dei* gloriosum scil. « quando non aliqui sed ad unum omnes electi, non ultra per mysteria et spem, sed per archetypa et rem ipsam, non in via sed in patria tam corpore quam anima beati aeternum fruentur Deo » (*Luc.*); v. 32 *amen dico vobis, quia non praeteribit generatio haec donec omnia fiant; omnia* in hoc contextu non possunt referri solum ad ea quae in v. 20-24 dicuntur, sed certe spectant quoque ad v. 25 seq. Intelligunt aliqui generationem fidelium, populum christianum, Ecclesiam (cf. *Eus. Theoph. Luc.*); sed bene *Alb.* iudaicam gentem designari censet; plura ea de re dixi ad Matth. 24,34 et Marc. 13,30. Sollemni affirmatione Iesus verba sua effectu et impletione non carere posse testatur v. 33 *coelum et terra transibunt*, a praesenti statu et conditione transformabuntur; novos enim coelos et novam terram exspectamus (2 Petr. 3,13); praeterit *figura* huius mundi (1 Cor. 7,31); cf. Is. 51,6; *verba autem mea non transibunt;* rebus firmissimis, coelo et terra, sunt firmiora, magis stabilia.

Quod supra iam serio monuerat 17,26-30, denuo inculcat v. 34 *attendite autem vobis ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate et curis huius vitae*, ne animi vel voluptatibus vel sollicitudine rerum ad hanc vitam pertinentium obruantur; nam si non cum vigilantia ad illum diem continuo se paratos exhibent, *et superveniat in*

vos repentina dies illa, qua hora non putatis Filius hominis veniet (12,40; cf. Matth. 24,44; 25,13); v. 35 *tamquam laqueus enim superveniet in omnes qui sedent super faciem omnis terrae;* tamquam laqueus, proin ex improviso, quo quis se subito captum sentit neque se extricare ultra et effugere potest; cf. Eccl. 9,12 nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo et sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in die malo, cum eis extemplo supervenerit; cf. Is. 8,14. 15; 24,17. Cum dicatur *qui sedent,* aliqui securitatem, socordiam, vitam quieti datam designari arbitrantur; sed forte subtilius; cum sedere, ut hebr. יָשַׁב, habitare, commorari significet (*Schanz*). Quare cum dies illa nesciatur et ex improviso immineat, gemina exsistit ratio vigilandi v. 36 *vigilate itaque omni tempore orantes ut digni habeamini* κατισχύσητε ut valeatis *fugere ista omnia quae futura sunt et stare ante Filium hominis;* explicatur in qua re vigilantia potissimum consistat et quanta bona cum ipsa connectantur. Animos oportet liberos servare a voluptatibus et curis temporalibus, oratione continua auxilium divinum est implorandum, ut gratiis roborati pericula illa gravissima quae immineant (cf. Matth. 24,24. Marc. 13,22) securi vitent neve iis seducantur, sed ut ab angelis congregentur et adducantur (σταθῆναι) ad Filium hominis tamquam electi. Quemadmodum Lucas aliis frequentius Iesum orantem nobis ostendit (3,21; 5,16; 6,12; 9,18. 28. 29; 11,1), ita admonitioni ad vigilandum etiam praeceptum orandi adiunctum esse a Domino docet quo scil. discamus ad superanda pericula sedulo nobis implorandam esse opem divinam neque nostrum conatum, nostrum vigilandi studium sufficere posse.

Narrationem de ultimis diebus vitae publicae absolvit evangelista referens studium Iesu docendi populum et populi sedulitatem eum audiendi v. 37 *erat autem diebus docens in templo, noctibus vero exiens morabatur in monte qui vocatur Oliveti;* cf. 19,47; εἰς τὸ ὄρος videtur dici propter ἐξερχόμενος; solum generatim regionem assignat Lucas, alii accurate locum i. e. Bethaniam (cf. Matth. 21,17. 18. Marc. 11,11. 12) tradunt saltem pro die post sollemnem in urbem ingressum. Utrum aliis diebus reversus sit Bethaniam an in ipso monte noctem orans transegerit (id *Euth. Theoph. Alb. Ians. Luc. Lap.*) in medio relinqui videtur, nisi vocem αὐλίζειν premere volueris, cui inest notio pernoctandi et etiam pernoctandi sub divo; alii hortum Gethsemani indicari censent (*Schegg, Bisp.*). Putat *Schanz* hoc versu demonstrari sermonem eschatologicum a Luca collocari in templo. Quod tamen nullo pacto sequitur. Nam antequam evangelista referat de ultimis hebdomadae illius diebus et de coena paschali et de passione, summatim

narrat quomodo praecedentes dies ac noctes Iesus transegerit; porro dicit in templo eum docuisse populum v. 38. Quoniam itaque iste sermo solum ad discipulos est habitus, potius ex sola Lucae narratione concludendum erat eum non in templo esse dictum; dein cum in v. 37 narretur *etiam* Iesus versus vesperam exiisse in montem, certe non sequitur : ergo sermo dictus est in templo. — Hisce quoque ultimis diebus populus sedulo ad Iesum confluebat. Cum tempus paschatis instaret, iam multi ex variis regionibus in urbem convenerant; v. 38 *et omnis populus manicabat ad eum in templo audire eum*, ὤρθριζεν proprie : mane (vel primo mane) surgebat; ergo mane iam populus veniebat ut eum in templo audiret; unde ait *S. Cyr.* populo aptari verba illa : Deus meus ad te de luce vigilo; eodemque modo accipiunt *Theoph. Alb. Bon. Cai. Ians. Luc. Lap. Calm. Lamy, Bisp. Schegg, Schanz, Fil. Weiss, Keil*, qui sensus etiam exprimitur a Tertulliano : diluculo conveniendum erat (adv. Marc. 4,39; *M.* 2,459) et in versionibus aliis latinis (cf. lect. var.). Sed cum ὀρθρίζειν apud LXX ponatur pro hebr. הַשְׁכֵּים quod cum alio verbo iunctum denotat fieri aliquid assidue, diligenter, magno studio (cf. Ier. 7,13; 11,7; 25,3 etc.), non video cur non accipi possit eodem modo : studiose ad eum properabat audiendum. Populus itaque etiam ultimis hisce diebus Christo adhaeret non obstante synedristarum odio qui iam mortem eius decreverant (Ioan. 11,47-53).

De voce manicare vide *Ducange* s. v. In vulgata hoc solum loco reperitur. Olim etiam in aliquibus exemplaribus veteris versionis legebatur Iud. 9,32. Ad quem locum inter alia scribit S. Augustinus : « quod latini quidam habent *maturabis*, quidam vero *manicabis*, graecus habet quod dici posset non uno verbo : diluculo surges... manicabis autem latinum verbum esse mihi non occurrit » (Quaest. in Heptat. 7,46; cf. *Kaulen*, Handbuch z. Vulg. p. 167; *Schanz*). Reperitur tamen apud S. Chrysologum : tunc sol ut mane faceret manicabat (serm. 82; *M.* 52,431), etiam apud scholiasten ad Iuvenal. 5,79; frequentius in medio aevo; complures locos affert *Ducange* s. v.

h) Coena paschalis 22,1-23.

22,1. Appropinquabat autem dies festus azymorum, qui dicitur Pascha; 2. Et quaerebant principes sacerdotum et scribae, quomodo Iesum interficerent; timebant vero plebem.

3. Intravit autem satanas in Iudam, qui cognominabatur Iscariotes, unum de duodecim. 4. Et abiit, et locutus est cum principibus sacerdotum et magi-

22,1. Ἤγγιζεν δὲ ἡ ἑορτὴ τῶν ἀζύμων, ἡ λεγομένη πάσχα· 2. καὶ ἐζήτουν οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ γραμματεῖς τὸ πῶς ἀνέλωσιν αὐτόν· ἐφοβοῦντο γὰρ τὸν λαόν.

3. Εἰσῆλθεν δὲ σατανᾶς εἰς Ἰούδαν τὸν καλούμενον Ἰσκαριώτην, ὄντα ἐκ τοῦ ἀριθμοῦ τῶν δώδεκα· 4. καὶ ἀπελθὼν συνελάλησεν τοῖς ἀρχιερεῦσι καὶ τοῖς στρατηγοῖς, τὸ πῶς αὐτοῖς παραδῷ αὐτόν. 5. καὶ

stratibus, quemadmodum illum traderet eis. 5. Et gavisi sunt, et pacti sunt pecuniam illi dare. 6. Et spopondit. Et quaerebat oportunitatem ut traderet illum sine turbis.

7. Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha. 8. Et misit Petrum et Ioannem, dicens : Euntes parate nobis pascha, ut manducemus. 9. At illi dixerunt : Ubi vis paremus? 10. Et dixit ad eos : Ecce introeuntibus vobis in civitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aquae portans : sequimini eum in domum in quam intrat, 11. Et dicetis patrifamilias domus : Dicit tibi Magister : Ubi est diversorium, ubi pascha cum discipulis meis manducem? 12. Et ipse ostendet vobis coenaculum magnum stratum; et ibi parate. 13. Euntes autem, invenerunt sicut dixit illis, et paraverunt pascha.

14. Et quum facta esset hora, discubuit, et duodecim apostoli cum eo. 15. Et ait illis : Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar. 16. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. 17. Et accepto calice, gratias egit, et dixit : Accipite, et dividite inter vos. 18. Dico enim vobis quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.

19. Et accepto pane, gratias egit, et fregit, et dedit eis, dicens : Hoc est corpus meum : quod pro vobis datur; hoc facite in meam commemorationem. 20. Similiter et calicem, postquam coenavit, dicens : Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.

21. Verumtamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa. 22. Et quidem Filius hominis, secundum quod definitum est, vadit; verumtamen vae homini illi per quem tradetur. 23. Et ipsi coeperunt quaerere inter se, quis esset ex eis qui hoc facturus esset.

ἐχάρησαν, καὶ συνέθεντο αὐτῷ ἀργύριον δοῦναι· 6. καὶ ἐξωμολόγησεν καὶ ἐζήτει εὐκαιρίαν τοῦ παραδοῦναι αὐτὸν ἄτερ ὄχλου αὐτοῖς.

7. Ἦλθεν δὲ ἡ ἡμέρα τῶν ἀζύμων, ἧ ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα· 8. καὶ ἀπέστειλεν Πέτρον καὶ Ἰωάνην, εἰπών, πορευθέντες ἑτοιμάσατε ἡμῖν τὸ πάσχα, ἵνα φάγωμεν. 9. οἱ δὲ εἶπαν αὐτῷ, ποῦ θέλεις ἑτοιμάσωμέν σοι φαγεῖν τὸ πάσχα; 10. ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς, Ἰδοὺ, εἰσελθόντων ὑμῶν εἰς τὴν πόλιν, συναντήσει ὑμῖν ἄνθρωπος κεράμιον ὕδατος βαστάζων· ἀκολουθήσατε αὐτῷ εἰς τὴν οἰκίαν εἰς ἣν εἰσπορεύεται· 11. καὶ ἐρεῖτε τῷ οἰκοδεσπότῃ τῆς οἰκίας, Λέγει σοι ὁ διδάσκαλος, Ποῦ ἐστὶν τὸ κατάλυμα, ὅπου τὸ πάσχα μετὰ τῶν μαθητῶν μου φάγω; 12. κἀκεῖνος ὑμῖν δείξει ἀνάγαιον μέγα ἐστρωμένον· ἐκεῖ ἑτοιμάσατε. 13. Ἀπελθόντες δὲ εὗρον καθὼς εἰρήκει αὐτοῖς· καὶ ἡτοίμασαν τὸ πάσχα.

14. Καὶ ὅτε ἐγένετο ἡ ὥρα, ἀνέπεσεν καὶ οἱ ἀπόστολοι σὺν αὐτῷ. 15. καὶ εἶπεν πρὸς αὐτούς, Ἐπιθυμίᾳ ἐπεθύμησα τοῦτο τὸ πάσχα φαγεῖν μεθ' ὑμῶν, πρὸ τοῦ με παθεῖν· 16. λέγω γὰρ ὑμῖν, ὅτι οὐ μὴ φάγω αὐτὸ ἕως ὅτου πληρωθῇ ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Θεοῦ. 17. καὶ δεξάμενος ποτήριον, εὐχαριστήσας εἶπεν, Λάβετε τοῦτο, καὶ διαμερίσατε ἑαυτοῖς· 18. λέγω γὰρ ὑμῖν, οὐ μὴ πίω ἀπὸ τοῦ νῦν ἀπὸ τοῦ γενήματος τῆς ἀμπέλου, ἕως οὗ ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ ἔλθῃ.

19. Καὶ λαβὼν ἄρτον, εὐχαριστήσας ἔκλασεν καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς, λέγων, Τοῦτό ἐστιν τὸ σῶμά μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον· τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. 20. καὶ τὸ ποτήριον ὡσαύτως μετὰ τὸ δειπνῆσαι, λέγων, Τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυννόμενον.

21. Πλὴν ἰδοὺ ἡ χεὶρ τοῦ παραδιδόντος με μετ' ἐμοῦ ἐπὶ τῆς τραπέζης. 22. ὅτι ὁ υἱὸς μὲν τοῦ ἀνθρώπου κατὰ τὸ ὡρισμένον πορεύεται· πλὴν οὐαὶ τῷ ἀνθρώπῳ ἐκείνῳ, δι' οὗ παραδίδοται. 23. καὶ αὐτοὶ ἤρξαντο συνζητεῖν πρὸς ἑαυτοὺς, τὸ τίς ἄρα εἴη ἐξ αὐτῶν ὁ τοῦτο μέλλων πράσσειν.

In v. 2 D εφοβουντο δε; sim b c ff² i q vulg arm aeth; om ger tim. vero plebem. In

v. 3 cop aeth in *cor* Iudae; qui erat de numero d e (a unum de numero). In v. 4 add και τοις γραμματευσιν C P al 10 it pler tat syr (cu, utr) arm aeth Eus. In v. 5 dub ken a r polliciti sunt, d e constituerunt. In v. 7 dies *festus* dub ken rush; D sin ημερα του πασχα, sim paschae a b d e ff² i l r; immolari it pler dub. In v. 9 B add σοι φαγειν το πασχα; add *tibi* tat c e gat sah aeth, uti σοι D P; add eg pascha. In v. 11 e f r hospitium, a refectio, l locus. In v. 14 οι αποστολοι ℵ* B D 157 it pler sah syr (cu); al add δωδεκα. In v. 16 οτι ουκετι ου μη φαγω C² D P X Γ Δ Λ Π unc 7 al pler it pler vulg (ex hoc, c d e r iam, f ultra) syr (cu, utr, hr) arm aeth Or; om ουκετι ℵ A B H L al 4 a sah cop W H. In v. 18 απο του νυν ℵ B K L M Π al plus 15 (amodo d e r) sah cop syr (sin, hr) aeth; item sed ante ου μη D G 1. syr (cu) arm; a de fructu vitis, d creatura, e potione. In v. 19.20 a verbis υπερ υμων διδομενον usque ad εκχυννομενον omnia om D a ff² i l; inserunt b e hoc loco v. 17.18. In v. 19 r quod pro vobis tradetur, Amb confringetur. In v. 20 sat mu codd vulg quod pro vobis fundetur; *funditur* big cav ben med ox tol. In v. 22 οτι ℵ B D L sah cop; al και; quod definitum est *ei* sah syr (hr) Or; *de eo* syr (cu) aeth l; quod scriptum est b c f q for; praescriptum est l; scripturam ante e, praefinitum d; *traditur* a b c d i l q gat ger med tol. harl. (sin v. 4-6 desunt; v. 7 in quo consuetudo erat; v. 11 ego et discipuli mei; v. 12 parate nobis; v. 14 discubuerunt is et discipuli eius cum eo; post v. 16 sequitur v. 19, ubi add quod pro vobis trado etc. et postquam coenarunt, accepit calicem et gratias egit super eum et dixit : accipite eum et dividite inter vos : hic (est) sanguis meus testamenti novi; nunc sequitur v. 18 de fructu hoc donec veniat; dein sequitur v. 21 etc.).

Unctionem Iesu in Bethania factam narrant alii (Matth. 26,6. Marc. 14,8. Ioan. 12,2); ea Iudae offensioni erat ob unguenti pretium, ex ea quoque stimulos sumpsit homo iam pecuniae fame perditus Iesum pecunia prodendi. Cur Lucas eam unctionem non referat, putant recentiores quia de una unctione iam supra 7,37 seq. mentionem fecerit. Veteres in hoc vel non inquirunt, vel quandoque arbitrantur illam unctionem 7,37 esse eandem de qua alii scribunt; id quod utique oppido falsum est (cf. Comment. Matth. II p. 401).

« Tempus paschale in quo immolabatur agnus erat opportunum ad occidendum Christum cuius mors per illud pascha typicum designabatur » (*S. Bon.*); quare merito a temporis designatione incipit narratio passionis v. 1 *appropinquabat autem dies festus azymorum qui dicitur pascha* ἡ ἑορτὴ τῶν ἀζύμων festum panum non fermentatorum celebrabatur per dies septem; primo mense quartadecima die mensis ad vesperam comedetis azyma usque ad diem vigesimam primam eiusdem mensis ad vesperam (Ex. 12,18; cf. Lev. 25,3). Cum itaque usus azymorum simul cum esu agni paschalis inciperet et immolatio et esus agni paschalis esset ritus maxime praecipuus eius sollemnitatis et commemoratio liberationis ex Aegypto, nomen *pascha* ipsi festo azymorum tribuebatur; ita quoque apud Iosephum (Antiq. 14,2. 1 κατὰ τὸν καιρὸν τῆς τῶν ἀζύμων ἑορτῆς ἣν φάσκα λέγομεν; cf. 17,9. 3; Bell. Iud.

2,1. 3; 6,9. 3; *Schanz*); respondet πάσχα formae פַּסְחָא, פִּסְחָא apud targumistas et talmudistas usitatae pro hebr. פֶּסַח (phase, Ex. 21,11. 21); quod nomen declaratur ex eo quod Dominus transierit, pepercerit domibus Israelitarum, dum primogenitum omne percuteret; v. 2 *et quaerebant principes sacerdotum et scribae quomodo Iesum interficerent;* synedristae iam firmiter id statuerant (cf. Ioan. 11,47 seq.); verum deerat opportunitas; aperta vi eum aggredi non audebant; *timebant vero plebem;* cum γάρ legatur, redditur ratio cur inquisierint τὸ πῶς, *quomodo* scil. id exsequi possent sine tumultu populi vel ita ut a populo neque impedirentur neque sceleris rei haberentur. Populum quidem Iesu esse addictum, ultimis hisce diebus iterum clare viderunt et insidiis suis frustra tentarunt Iesum populo reddere suspectum.

Verum auxilium eis offertur a qua parte minime exspectarant; v. 3 *intravit autem satanas in Iudam qui cognominabatur Iscariotes, unum de duodecim;* « intrasse autem dicitur non per illapsum essentiae, sed per suggestionem malitiae » (*S. Bon.* sim. *Alb. Calm. Schegg. Schanz, Fil.*), non ita, ut Iudas fieret revera energumenus, id quod perperam vult *Keil.* Additur cognomen, ut distinguatur a Iuda fratre Iacobi; exprimitur eius dignitas, ut ostendatur eius ingratitudo (*S. Bon.*). Iam ante annum Iesus eum vocaverat diabolum (Ioan. 6,70); suasionibus diaboli animum non occlusit; unde eo utitur satanas ad suum odium explendum. Cum enim satanas Deum odio habeat, facile sequitur quantopere hominem illum qui intime cum persona divina erat unitus cupierit vexare et affligere (cf. Comment. Marc. p. 51). Unde Lucas, qui supra scripserat diabolum recessisse a Iesu usque ad tempus (4,13), hic iam satis indicat quales partes satanas pro suo in Deum et homines odio egerit in passione Domini. Quid eius suggestione effectum sit, narratur v. 4 *et abiit et locutus est cum principibus sacerdotum et magistratibus* στρατηγοῖς i. e. praefectis templi; vocabatur στρατηγός qui praeerat excubiis templi, levitis eas excubias agentibus (cf. Act. 4,1; 5,24. 26); Iudas itaque adit et synedristas et eos qui militiae templi praeerant et cum eis colloquebatur, *quemadmodum eum traderet;* ergo armatis hominibus ad securitatem opus esse statim consuluit. Ab uno ex apostolis offerri opportunitatem non potuit non eos maximo gaudio afficere; v. 5 *et gavisi sunt et pacti sunt pecuniam illi dare,* quam ille statim ab initio postulaverat : quid vultis mihi dare? etc. Matth. 26,15; v. 6 *et spopondit* ἐξωμολόγησεν, ut *Euth.* explicat ἐκ καρδίας ὡμολόγησεν, βεβαίως ἐπηγγείλατο, similiter *Theoph.* perfectam promissionem et pactum fecit; *et quaerebat opportunitatem, ut traderet eum sine turbis,* id quam maxime postulabant synedristae et id se effecturum promisit, ut sine tumultu (*Euth.*) traderetur. Et

verisimile est eos hac conditione proposita Iudae constituisse pecuniam (triginta argenteos, Matth. 26,15).

Agnus paschalis die decima quarta mensis nisan vespere immolari debuit (cf. Ex. 12,6. Num. 9,3); v. 7 *venit autem dies azymorum in qua necesse erat occidi pascha;* ἦλθε volunt aliqui explicare; appropinquabat (sim. *Euth.* διὰ τὴν ἄγαν ἐγγύτητα, ἐπλησίασε); at falso, ut etiam *Weiss* ait; vide 5,35; 23,29. Proprie dies decimus quintus erat primus dies azymorum (cf. Ex. 23,15. Lev. 23,6); sed quia die 14 fermentatum e domibus removebatur et ad vesperam eius diei iam panis azymus adhibendus erat (Ex. 12,18), consuetudo invaluit, ut dies 14 diceretur primus dies azymorum (cf. Matth. 26,17); v. 8 *et misit Petrum et Ioannem dicens : euntes parate nobis pascha ut manducemus;* ex qua narratione discimus non apostolos incepisse de coena paschali mentionem facere et monere Dominum, uti videri posset ex sola narratione aliorum, verum Iesum primum intulisse sermonem, uti sane decebat magis et ex eius desiderio v. 15 fere necessario consequitur. Hac proin monitione Domini facta quaerunt id quod alii quoque referunt v. 9 *at illi dixerunt : ubi vis paremus?* quod in B additur, ex locis Matth. Marc. illatum est; v. 10 *et dixit ad eos : ecce introeuntibus vobis in civitatem occurret vobis homo quidam amphoram aquae portans; sequimini eum in domum in quam intrat,* non accuratius designari nomine prolato, ubi coena habenda sit, arbitrantur *Cyr. Theoph. cat. Cr.* aliique ne Iudas re comperta proditionem ante tempus moliatur. Maiestatem divinitatis adverte, ait *S. Ambr.*, cum discipulis loquitur et iam novit quid alibi sit futurum; indicium id vocat *Beda* praesciae divinitatis; v. 11 *et dicetis patrifamilias domus : dicit tibi magister : ubi est diversorium, ubi pascha cum discipulis meis manducem?* eum fuisse discipulum Iesu, ex modo loquendi colligitur; vetere quadam traditione fertur hanc fuisse domum Ioannis Marci (cf. *Ians. Lap. Sylv.*); v. 12 *et ipse ostendet vobis coenaculum magnum stratum,* lectis scil. ad convivium instructum et paratum; quare nimium asserit *S. Ambr.* scribens : non persona divitis eligitur, sed pauper ambitur et angustum hospitium pauperis amplis nobilium aedibus antefertur ». Uti in ipsa morte Iesu incipit simul eius glorificatio, ita iam in unctione in Bethania et in coena paschali aliquod quasi huius gloriae prooemium ostendit; *et ibi parate;* utique non habet domum propriam; at uti sollemnem in urbem ingressum sibi nutu voluntatis paravit, ita coenaculum magnum et bene paratum habet quando vult; v. 13 *euntes autem invenerunt sicut dixit illis et paraverunt pascha,* agnum et quae lege ad convivium illud requirebantur. Cetera quae quaeri solent vide in Comment. Matth. II p. 403-420.

In sequentibus tria commemorantur : Christus coenam paschalem celebrat. Eucharistiam instituit, loquitur de proditore; v. 14 *et cum facta esset hora* i. e. tempore lege designato; uti evangelista in initio narrationis diligenter notavit omnia esse peracta secundum legem (2,22.27. 39. 42), ita pariter ostendit Iesum etiam in fine vitae temporalis factum sub lege (Gal. 4,4), *discubuit et duodecim apostoli cum eo;* v. 15 *et ait illis : desiderio desideravi* (cf. Gen. 31,30) *hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar;* est scil. ultimum quod hisce in terris celebrat, prout in v. 16.17 declarat; tempus instat redemptionis quam Iesus pro suo in Patrem obsequio et in homines amore ardenter cupit perficere (cf. 12,50); sed potissima vehementis desiderii ratio assignanda erit haec : coena paschali typica expleta maximum illud ac stupendum amoris sui documentum nobis dare animo gestiebat, sacram scil. Eucharistiam; « desideravi hoc pascha manducare vobiscum eo quod magna mysteria in hac vobis coena sim traditurus » (*Theoph.* sim. *cat. Cr. Bon. Alb. Cai. Ians. Calm. Bisp. Schegg, Reischl, Schanz, Fil.*); « nec aliam conveniebat esse coenam novissimam in qua sacramentum corporis et sanguinis sui Dominus instituere quam paschalem coenam, ut typo coniungeret veritatem, typico agno verum agnum, et per veritatem typo succedentem vetus aboleret pascha novae redemptionis novum instituens memoriale » (*Ians.*). Hoc vehemens animi Iesu desiderium solus nobis retulit Lucas; a quibus verbis cum Iesus coenam inciperet, profecto animi quoque undecim apostolorum iam singulari quadam exspectatione concitabantur.

Una redditur eius desiderii ratio v. 16 *dico enim vobis : quia ex hoc non manducabo illud donec impleatur in regno Dei;* et cum in coena paschali a patrefamilias cum benedictione vinum quoque convivis distribueretur, Iesus quoque v. 17 *accepto calice gratias egit et dixit : accipite et dividite inter vos;* v. 18 *dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat;* bis itaque et ad comestionem et ad potionem declarat hanc esse ultimam hisce in terris coenam paschalem, sed simul ostendit eam modo longe perfectiore fore i. e. impletum iri in regno Dei. In coena celebratur et commemoratur redemptio ex Aegypto; itaque impletur coena in regno Dei tum quando vera redemptio ac liberatio modo pleno ac perfecto habebitur i. e. in gloria ac beatitate coelesti; quare Iesus laetissimam spem et iucunditatem iis ostendit fore ut secum mensae accumbant in regno coelesti (cf. Matth. 8,11. Luc. 12,37; 14,15), uti mox dicit : ego dispono vobis ut edatis et bibatis super mensam meam v. 29. 30. Apud duos alios synopticos verba similia habentur solum de calice et habentur post narrationem de Eucharistia instituta. Ordo quem habet

Lucas verus videtur estque maxime concinnus. Uti coena cibo et potu constat, ita duo haec commemorantur et iisdem verbis duo illa enuntiantur quae ad tempus vitae mortalis et ad regnum Dei spectant. Haec igitur in ipsa coena paschali ante institutionem Eucharistiae, uti aptissime congruunt, ita quoque dicta fuisse certum videtur; ceterum cf. Comment. Matth. II p. 436, Marc. p. 377. Ordo adeo concinnus in evangelio sin. perturbatus est.

Ex qua locutionis paritate in v. 16 et 18 etiam facile diiudicandum est quid de variis interpretationibus quae de v. 17. 18 feruntur sentiendum sit. Et primo quidem apparet immerito ab aliquibus (*Ians. Fil.*) asseri iam intelligendum esse calicem eucharisticum. Nescio cur evangelistae seriem narrandi adeo perturbatam impingere velint, cum tamen in v. 15. 16 de comestione in coena paschali sermo sit et in ea coena etiam vini poculum benedictione dicta porrigeretur et tandem v. 20 mentio induceretur calicis eucharistici. Quaerunt quoque biberitne Christus ipse ex hoc calice qui in v. 17. 18 designatur; negant *Fil. Weiss;* affirmant *Bed. Bisp. Schegg, Schanz, Sp.;* sed dubium esse nequit. Nam omnes concedunt Iesum de coena paschali manducasse; proinde iam debet supponi eum etiam, uti de agno paschali comedit, ita ritum observasse in potione ex calice vini. Sed opponunt : non bibam de generatione vitis. Non videntur advertisse eodem modo dici in v. 16 οὐ μὴ φάγω, sicut in v. 18 οὐ μὴ πίω; iam ex priore sententia et modo loquendi nemo colligit : ergo Iesus non comedit de agno paschali, cur itaque de altera sententia eodem modo conformata vel negant vel dubium movent? Neque sensus ullo pacto mutaretur etsi cum aliquibus in v. 16 legeretur οὐκέτι; nam in v. 18 ἀπὸ τοῦ νῦν idem enuntiat; antea ergo bibit, sed ex eo momento temporis edicit fore ut iam non bibat. Demum quia quae in v. 17. 18 dicuntur arcte cohaerent cum v. 16, uti potio cum comestione, esus agni cum potione vini in coena paschali, mihi etiam dubium non est quin haec suo loco a Luca sint inserta (*Lamy, Keil*), quamvis alii existiment haec a Luca narrari per anticipationem et ab aliis duobus referri suo loco, scil. post Eucharistiae institutionem (uti volunt v. g. *Schegg, Schanz, Fil. Weiss*).

Illud : donec compleatur in regno Dei, donec regnum Dei veniat, aliqui accipiunt de Ecclesia hisce in terris constituta, quatenus Christus quae Moyses populo praecepit observanda in ipsa Ecclesia et in membris suis spiritualiter exercet (*Beda*); « non ultra mosaicum pascha celebrabo donec in Ecclesia quae est regnum Dei spiritualiter intellectum compleatur » (*Glossa ord. Bon. Alb.* sim. *Cyr. Theoph.*). Quae tamen explicatio non sufficere videtur ut sententiae plene satisfiat. Nam dicens : non manducabo donec... non bibam donec... obvio sensu indicat se in regno Dei impletum pascha celebraturum esse. Idque sine ulla controversia conficitur ex modo quo eadem sententia legitur apud alios : usque in illum diem, cum *illud bibam vobiscum novum* in regno Patris mei (Matth. 26,29. Marc. 14,25).

Quae verba non de membris Christi, non de Ecclesia in terris, verum unice de regno coelesti et de coelesti convivio intelligi possunt.

De coelesti regno, attamen modo quodam arctiore, explicat *S. Aug.* : « quia de propagine Adam qui vetus homo appellatur, corpus susceperat quod in passione morti traditurus erat (unde etiam per vini sacramentum commendat sanguinem suum), quid aliud novum vinum nisi immortalitatem renovatorum corporum intelligere debemus? quod cum dicit *vobiscum bibam*, etiam ipsis resurrectionem corporum ad induendam immortalitatem promittit; *vobiscum* enim non ad idem tempus, sed ad eandem innovationem dictum accipiendum est » (quaest. evang. 1, 43; *M.* 35,1332). In *cat. Cr.* affertur Gregorium theologum in sermone de paschate explicare donum novi poculi esse revelationem divinorum consiliorum in futuro regno coelorum, ubi speculum et aenigmata cessent et nos facie ad faciem divina simus conspecturi.

« Finitis paschae veteris solemniis quae in commemorationem antiquae de Aegypto liberationis agebantur transiit ad novum quod in suae redemptionis memoriam Ecclesiam frequentare desiderat, ut videlicet pro carne agni vel sanguine suae carnis sanguinisque sacramentum in panis ac vini figura substituens ipsum se esse monstraret, cui iuravit Dominus et non poenitebit eum : tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedec » (*Beda*); v. 19 *et accepto pane*, non fermentato (Ex. 12,18); alii scil. panes in coena paschali non aderant, *gratias egit* i. e. orantis specie Deum Patrem alloquitur, participem veluti ipsum simulque praebitorem demonstrans dandae nobis vivificae benedictionis (*S. Cyr.*) *et fregit et dedit eis dicens : hoc est corpus meum quod pro vobis datur* ὑπὲρ ὑμῶν in commodum vestrum, in salutem vestram, vel quod pariter notioni vocis congruit, vice vestra, loco vestro, propter vos, causa vestra; *datur* scil. eo sensu quo Christus antea declaraverat se venisse ut daret animam, vitam suam redemptionem λύτρον, pretium redemptionis, pro multis (Matth. 20,28. Marc. 10,45). Inde enatae esse censendae sunt locutiones illae : qui dedit semetipsum pro nobis (Gal. 1,4), qui dedit redemptionem ἀντίλυτρον semetipsum pro omnibus ὑπὲρ πάντων (1 Tim. 2,6), qui dedit semetipsum pro nobis (Tit. 2,14), qui traditus est propter delicta nostra; pro nobis omnibus tradidit illum (Rom. 4,25; 8,32), qui tradidit semetipsum pro me (Gal. 2,20), tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis (Eph. 5,2. 25). Idem Christus annuntiavit dum diceret : sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret (Ioan. 3,16) et : panis quam ego dabo caro mea est pro mundi vita (Ioan. 6,52). Quo loquendi modo sacrificium exprimitur fieri pro satisfactione et expiatione. Unde in confectione

Eucharistiae quoque habetur ratio sacrificii eaque notio iis verbis indubie designatur, cum hic et in v. 20 insuper sicut Matth. 26,28 et Marc. 14,24, constanter adhibeatur participium praesens.

Simul tradit potestatem et mandatum apostolis, ut quod ipse modo fecit ipsi quoque faciant, *hoc facite in meam commemorationem* ἀνάμνησιν, in mei rememorationem, in mei memoriam renovandam (*Ians.*), quae verba servarunt Lucas et apostolus 1 Cor. 11,25 et hic quidem post consecrationem calicis. Qua ratione memoria Christi renovetur in Eucharistia, indicat apostolus 1 Cor. 11,26 (vide *Cornely* in 1 Cor. p. 346). Uti coena paschalis instituta est in memoriam et in monumentum (לְזִכָּרוֹן Ex. 12,14; 13,9; cf. Deut. 16,3) liberationis ex Aegypto, ita coena eucharistica in memoriam et monumentum mortis et oblationis Christi qua aeternam nobis liberationem largitus est; ipsa vero corporis et sanguinis separata in speciebus positione mors et oblatio vitae in morte facta repraesentatur. Ceterum patet quod *Ians.* monet *hoc* referri non tantum ad sumptionem, sed ad omnia quae mox Christus fecisse dicatur; quibus verbis « dat eis potestatem ut faciant quod ipse fecit ac per hoc etiam sacerdotalem ordinem eis tradidit » (*S. Bon.*). Nam, ut Concilium tridentinum dicit, Christus « corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit ac sub earundem rerum symbolis apostolis quos tunc novi Testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent tradidit et eisdem eorumque in sacerdotio successoribus ut offerrent praecepit per haec verba : hoc facite in meam commemorationem, uti semper catholica Ecclesia intellexit et docuit » (sess. 22 cap. 1).

In calice fuisse vinum aqua mistum omnino concludendum est ex consuetudine communi et ex explicito testimonio et praecepto rabbinico pro coena paschali (cf. *Ed.* II p. 497 et *Lightfoot* ad Matth. 26,27); v. 20 *similiter,* non sunt abs re quae *Cai.* notat : « si non alter esset calix iste a prius commemorato, non dixisset Lucas *similiter,* quoniam iam explicatum fuisset quod accepit calicem, quod gratias egit, quod dedit discipulis dividendum inter eos; unde ex hoc ipso quod calicem istum introducit cum adverbio *similiter,* significat similem modum servatum qui servatus est in pane, scil. quod accepit calicem, quod gratias egit, quod dedit dividendum in singulos », *et calicem postquam coenavit,* additur designatio temporis ad calicem, quo iste calix clarius distinguatur ab iis qui inter ipsam coenam paschalem dabantur; « ac si aperte dixisset : priorem calicem accepit coenando, hunc autem accepit postquam coenavit » (*Cai. Luc.*), *dicens : hic est calix novum testamentum in sanguine meo qui pro vobis fundetur,* τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, apud Lucam legitur sine co-

pula, quae in eadem formula 1 Cor. 11,25 ponitur ἡ καινὴ διαθήκη ἐστὶν ἐν etc. unde explica : hic calix novum testamentum est (vel hic calix est novum testamentum) in meo sanguine; uti vetus foedus institutum, sancitum, consecratum est in sanguine victimae (Ex. 24,8), ita novum foedus gratiae sancitur et sacratur in sanguine Christi qui pro nobis funditur. Ratio sacrificii ipsa re et verbis declaratur. Sicut vetus foedus consecratum est sacrificio, sanguine sacrificali, ita novum quoque, id quod iam ex ratione typi et impletionis eius consequitur. Dein verba idem clare enuntiant; fieri enim effusionem sanguinis ad commodum, salutem, expiationem aliorum vel pro aliis ex tota oeconomia veteris testamenti designat sacrificium (cf. Lev. 17,11). Unde apostolus dicens : sine sanguinis effusione non fit remissio, omnia pene in sanguine secundum legem mundantur (Hebr. 9,22) praecepta illa de variis sacrificiis ob oculos habet; pariter si dicit sanguine hircorum et taurorum inquinatos sanctificari ad emundationem carnis, vel pontificem non sine sanguine intrare in sancta sanctorum (Hebr. 9,7. 13), sacrificium, sanguinem sacrificalem designat (cf. Lev. 8,15; 9,9; 14,17. 28. 4 Reg. 16,15. 2 Par. 30,16). Coniungendum itaque est *novum testamentum in meo sanguine*, neque obstat quod graece articulus ἡ non repetitur; potuit quidem repeti, attamen id minime necessarium est, uti et ex profanis scriptoribus et praeprimis ex usu s. auctorum novi testamenti consequitur; multa exempla habes apud *Winer* § 20,2 et *Buttmann* p. 80. 81 (Grammatik d. neutest. Spr.). Iam vero *novum testamentum in sanguine meo* institutum et confirmatum idem plane dicit quod *sanguis meus novi testamenti* (Matth. 26,28. Marc. 14,24); dein per se patet si dicitur *hic calix est* intelligi id quod in calice continetur. Unde enuntiatur : id quod in calice continetur est sanguis meus novi testamenti qui pro vobis funditur. Quare formula quae hic et 1 Cor. 11,25 legitur eandem habet significationem quam apud alios deprehendimus (cf. *Cornely* in 1 Cor. p. 343 seq.).

Ad quid referendum erit τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυννόμενον? grammatice spectare videtur ad ποτήριον; ita *Euth.* πρὸς τὸ ποτήριον ἀποδέδοται· τὸ δὲ ποτήριον τὸ αἷμα αὐτοῦ ἐστίν. Metaphora facilis est et obvia : calix effunditur i. e. id quod calice continetur (ita plerique referunt). Alii tamen id ad αἵματί μου spectare censent. Quod latine habetur : in sanguine meo qui pro vobis fundetur (funditur), certe *qui* ad sanguinem referri potest et aliqui latini interpretes ita loquuntur, ut *qui* omnino eo modo referant; alii tamen, uti *Luc. Ipr. Est. Tirinus*, propter graecum monent spectare *qui* ad calicem. At graecus modus loquendi ita *potest* accipi ut ἐκχυννόμενον referatur ad αἵματι; nam satis saepe fit ut quae apponuntur habeantur in nominativo quamvis apponantur ad alium casum grammaticum. Sat multa eius rei exempla in Apoc. reperiuntur v. g. ἀπὸ Ἰησοῦ Χριστοῦ ὁ μάρτυς ὁ πιστός 1,5; τὴν Ἰεζάβελ, ἡ λέγουσα 2,20; praeprimis id fit, si apponitur participium cum articulo, uti res se habet in nostro

casu; alia exempla videsis apud *Buttmann* p. 68 et *Winer* § 59,11 qui ostendit id quoque reperiri apud profanos. Porro accedit quod effundi toties de sanguine dicitur in sacris libris et obvio quoque modo potius ad sanguinem spectat quae vox propius adiacet quam ποτήριον; quare *Schegg, Weiss* hoc omnino sequendum esse docent.

De genuina verborum significatione pluribus egi in Comment. Matth. II, p. 427 seq. et Marc. p. 375. Unum addo hoc loco; dicit enim *Weiss :* « Iesus vidit in vino quod calici infusum est suum sanguinem qui mox effundendus est et quia hac effusione sanguinis novum foedus oritur, ipsum calicem propter id quod continet declarat esse novum foedus; id vero non potest intelligi nisi *symbolice* ». Nota ineptissimum agendi loquendique modum attribui Christo. Cum enim vinum infundi in calicem et vinum bibi sit in vita hominum res omnino communis, nulla potest excogitari sana ratio, cur Iesus eo ipso tempore (et nunquam alias) in vino illo *videat* sanguinem suum; neque si occasione vini cogitat de sanguine suo mox fundendo, vel etiam de fructu et effectu sanguinis, haec cogitatio potest ullo modo ratio esse cur calicem propter vinum declaret esse novum foedus. Quid enim poculo vini commune est cum novo foedere? neque cogitatione illa Christi poculum vini fit symbolum foederis. Si quis cernit atramentum in vase potest ei cogitatio incidere eo atramento scribi posse disputationem doctam vel epistolas familiares. Sed nonne putaretur insanire si diceret in illo vasculo contineri disputationem vel vasculum esse disputationem? Protestantes utique multum loquuntur de symbolo. Verum nonne evidens est Iesum tales selegisse actiones quae nullo pacto symbola sunt? Nam panem in manus sumere, eum (scil. placentam tenuem) frangere, aliis porrigere adeo est usitatum, quotidianum, ut de symbolo nemo cogitet nec possit cogitare. Item calicem aliis porrigere ad bibendum certe non est actio mysterii plena. Num saltem verba evehunt illas actiones ad symbolum? Christus saepe apostolis locutus est de passione sua et morte. Si nunc dicit panem porrigens : hoc est corpus meum quod pro vobis datur et si haec verba *symbolice* sunt explicanda, tunc non fundunt alium sensum nisi ridiculum illum iocum : ne turbemini de mea morte; ecce istum panem intellexi a vobis masticandum quando dixi me daturum vitam redemptionem pro multis et sanguis quem fundere volo est solum vinum illud a vobis hauriendum, nihil aliud! Hac ludicra declaratione utique panis et vinum evehuntur ad significationem corporis et sanguinis, quam sine tali declaratione non habent. Nemo enim dicit pane symbolice corpus exhiberi et fractione panis significari mortem!

Formulae consecrationis uti apud Lucam leguntur proxime accedunt ad illas quas apostolus 1 Cor. 11,24-25 tradit, ubi illud pariter legitur : similiter et calicem postquam coenavit. Proin uti apostolus rem accepit a Domino, ita Lucas socius apostoli ab apostolo. Sicut Matthaeus et Marcus maxime inter se consentiunt in verbis institutionis tradendis, eodem modo Paulus et Lucas. Sed unde illud discrimen, cum tamen Iesus semel tantum verba protulerit? Verum notari oportet sensus discrimen non adesse; sensum itaque eundem ubique fideliter esse servatum, etsi sonus verborum non sit ubique plane idem. Dein omnino probabile est Matthaeum qui interfuit ipsa Christi verba referre. Cum in consecratione calicis addatur : qui (sanguis) pro multis effunditur in remissionem peccatorum, pronum erat etiam ad consecrationem panis id explicite efferre quod omnino subintelligendum erat : quod pro vobis datur. Idem dic de formula consecrationis calicis; apostolus loquitur de calice benedictionis, de calice Domini, calicem Domini bibere (1 Cor. 10,16.21; 11,26-28); inde forte factum est, ut etiam oriretur modus ille : hic calix novum testamentum est in meo sanguine. Discimus inde apostolos valde fuisse sollicitos, ut

sensum verborum Christi accurate referrent, non item verba; id quod in aliis quoque effatis Domini quae a pluribus servata sunt frequenter advertitur. Verba illa : hoc facite in meam commemorationem, quibus apostolis traditur potestas et mandatum, solum Lucas et Paulus nobis servarunt. Alii duo itaque aperte supponunt eo ipso quod in coetibus christianis Eucharistia celebratur abunde constare potestatem talem et mandatum a Christo esse apostolis traditum. Neque enim omnia scripto referuntur, verum simul cum libris id quod in usu et consuetudine positum est et institutione traditur consideretur et investigetur oportet.

Quod in v. 21-23 narratur idem est quod legimus Matth. 26,21-25 et Marc. 14,18-21. Ex horum narratione id contigit ante institutionem Eucharistiae. Lucas quidem id refert hoc loco; at quicumque tenent Iudam abiisse ante celebrationem hanc mysticam, id quod ex Ioan. 13,30 sequi omnino videtur, etiam dicent quae de proditore hic dicuntur esse prolata ante institutionem Eucharistiae; quinam hi sint vide in Comment. Matth. II p. 439. Videtur enim Lucas in narratione de hac vespera eum servare ordinem, ut referat coenam paschalem, coenam eucharisticam, dein aliqua quae vel ante coenam paschalem vel inter eam vel etiam coenaculo relicto dicta sunt. Neque eo narrandi genere recedere dicendus est ab eo ordine quem 1,3 profitetur. Ille enim respicit seriem eventuum inter se neque tamen necessario singula quaeque adiuncta eventus maioris.

Quemadmodum itaque supra 21,37. 38 addit ad narrationem praecedentem quae iis diebus generatim fieri solebant, ita hoc loco adiungit aliqua ad narrationem de coena paschali complendam (vide quae dixi Comment. Matth. II p. 438); v. 21 *verumtamen* πλήν ceterum, quae particula apta est ad aliqua quasi ex abrupto inducenda et antecedentibus adiungenda, *ecce manus tradentis me mecum est in mensa;* brevius rem refert Lucas; apud alios Iesus bis mentionem facit proditoris; dein addit v. 22 *et quidem Filius hominis secundum quod definitum est vadit* i. e. sicut scriptum est, vadit ad mortem, vadit obviam passioni; nam nonne oportuit Christum pati (24,26. 46)? *verumtamen vae homini illi per quem tradetur;* « qui de passione praedixerat et de proditore praedicit dans locum poenitentiae, ut cum intellexisset sciri cogitationes suas et occulta consilia, poeniteret eum facti sui; praedicit et poenam ut quem pudor non vicerat corrigant denuntiata supplicia » (*Beda*). Certe illud *vae* ex ore Salvatoris benignissimi qui in eo est ut sanguinem vitamque fundat pro salute generis humani debuit Iudae horrorem incutere eumque a facinore retinere! Idem *vae* Salvatori quoque dolorem attulit non minimum : si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, tu vero familiaris meus, qui simul mecum capiebas cibos (Ps. 54,13. 14); profecto

sensit animo dolorem quod apostolorum unus rueret in perniciem, sensit quam indigna res esset eum esse proditorem ingratissimum quem tot amoris documentis sibi devinxisset. Atque vae illud est vae aeternae damnationis (*Cai.*), « dignissimam diabolo poenam sortietur » (*S. Cyr.*), uti potissimum consequitur ex Matth. 26,24 et Marc. 14,21; « Iudas perdidit vitam, perdidit animam, perdidit famam, perdidit omnia et incurrit calamitatem aeternam » (*S. Bon.*); v. 23 *et ipsi coeperunt quaerere inter se quis esset ex eis qui hoc facturus esset;* contristati et anxii quaerunt etiam a Domino : numquid ego sum, Domine? cf. Matth. 26,22 et Marc. 14,19. Rem solum breviter tangit Lucas; Ioan. 13,22 aspiciebant ad invicem discipuli haesitantes (ἀποροῦμενοι) de quo diceret. Notat *Theoph.* Dominum de proditione monuisse non solum ut ostenderet se non ignorare quod futurum esset, sed etiam ut nobis suam bonitatem et proditoris malitiam manifestam redderet; « Dominus enim non omisit sua facere, ut nobis exemplum daret ut usque in finem lapsos lucrari studeamus ». Ex discipulorum tristitia et anxiis quaestionibus etiam sequitur Iudam astute et clanculum cuncta molitum esse et in arte dissimulationis pariter et simulationis quam maxime praestantem sese exhibuisse.

i) Ex sermonibus ea vespera habitis 22,24-38.

22,24. Facta est autem et contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior. 25. Dixit autem eis : Reges gentium dominantur eorum; et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. 26. Vos autem non sic; sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor; et qui praecessor est, sicut ministrator. 27. Nam quis maior est, qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. 28. Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis; 29. Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, 30. Ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo; et sedeatis super thronos, iudicantes duodecim tribus Israel.

31. Aït autem Dominus : Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum. 32. Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres

22,24. Ἐγένετο δὲ καὶ φιλονεικία ἐν αὐτοῖς, τὸ τίς αὐτῶν δοκεῖ εἶναι μείζων. 25. ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς, Οἱ βασιλεῖς τῶν ἐθνῶν κυριεύουσιν αὐτῶν, καὶ οἱ ἐξουσιάζοντες αὐτῶν εὐεργέται καλοῦνται. 26. ὑμεῖς δὲ οὐχ οὕτως· ἀλλ' ὁ μείζων ἐν ὑμῖν γινέσθω ὡς ὁ νεώτερος, καὶ ὁ ἡγούμενος ὡς ὁ διακονῶν, 27. τίς γὰρ μείζων, ὁ ἀνακείμενος, ἢ ὁ διακονῶν; οὐχὶ ὁ ἀνακείμενος; ἐγὼ δὲ ἐν μέσῳ ὑμῶν εἰμὶ ὡς ὁ διακονῶν. 28. Ὑμεῖς δέ ἐστε οἱ διαμεμενηκότες μετ' ἐμοῦ ἐν τοῖς πειρασμοῖς μου· 29. κἀγὼ διατίθεμαι ὑμῖν, καθὼς διέθετό μοι ὁ πατήρ μου, βασιλείαν; 30. ἵνα ἔσθητε καὶ πίνητε ἐπὶ τῆς τραπέζης μου ἐν τῇ βασιλείᾳ μου, καὶ καθῆσθε ἐπὶ θρόνων, τὰς δώδεκα φυλὰς κρίνοντες τοῦ Ἰσραήλ.

31. Σίμων, Σίμων, ἰδοὺ, ὁ σατανᾶς ἐξῃτήσατο ὑμᾶς τοῦ σινιάσαι ὡς τὸν σῖτον· 32. ἐγὼ δὲ ἐδεήθην περὶ σοῦ, ἵνα μὴ ἐκλίπῃ ἡ πίστις σου· καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας στήρισον τοὺς ἀδελφούς σου. 33. ὁ δὲ εἶπεν αὐτῷ, Κύριε, μετὰ σοῦ ἕτοιμός εἰμι καὶ εἰς φυλακὴν καὶ

tuos. 33. Qui dixit ei : Domine, tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire. 34. At ille dixit : Dico tibi, Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me. Et dixit eis : 35. Quando misi vos sine sacculo, et pera, et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? 36. At illi dixerunt : Nihil. Dixit ergo eis : Sed nunc qui habet sacculum, tollat; similiter et peram et qui non habet, vendat tunicam suam et emat gladium. 37. Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc quod scriptum est, oportet impleri in me : Et cum iniquis deputatus est. Etenim ea quae sunt de me, finem habent. 38. At illi dixerunt : Domine, ecce duo gladii hic. At ille dixit eis : Satis est.

εἰς θάνατον πορεύεσθαι. 34. ὁ δὲ εἶπεν, Λέγω σοι, Πέτρε, οὐ μὴ φωνήσει σήμερον ἀλέκτωρ, ἕως τρίς με ἀπαρνήσῃ εἰδέναι. 35. Καὶ εἶπεν αὐτοῖς, Ὅτε ἀπέστειλα ὑμᾶς ἄτερ βαλλαντίου καὶ πήρας καὶ ὑποδημάτων, μή τινος ὑστερήσατε; 36. οἱ δὲ εἶπαν, Οὐδενός. εἶπεν δὲ αὐτοῖς, Ἀλλὰ νῦν ὁ ἔχων βαλλάντιον ἀράτω, ὁμοίως καὶ πήραν· καὶ ὁ μὴ ἔχων πωλησάτω τὸ ἱμάτιον αὐτοῦ, καὶ ἀγορασάτω μάχαιραν. 37. λέγω γὰρ ὑμῖν, ὅτι τοῦτο τὸ γεγραμμένον δεῖ τελεσθῆναι ἐν ἐμοί, τὸ Καὶ μετὰ ἀνόμων ἐλογίσθη· καὶ γὰρ τὸ περὶ ἐμοῦ τέλος ἔχει. 38. οἱ δὲ εἶπαν, Κύριε, ἰδοὺ μάχαιραι ὧδε δύο. ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς, Ἱκανόν ἐστιν.

In v. 24 om και ℵ it pler cav dub ken rush tol; D sin τις αν ιη μειζων a d f quis esse maior. In v. 26 codd vulg fiat sicut *iunior;* a c ff² i steph sixt minor, item sin ev hier; b q adulescentior; D μειχροτερος. In v. 27 post ministrat add a c e ff² i l in gentibus quidem qui recumbit, in vobis autem non sic sed qui ministrat, ego autem etc.; idem add eg post recumbit. In v. 30 εσθητε B D* T Ti W H; al εσθιητε; item καθησθε B* T Δ; al καθησεσθε Ti W H (marg); pariter *sedebitis* b d q big. In v. 31 non habent ειπε δε B L T sin sah cop Ti W H; a e Cyp postulavit, c quaesivit; e f ff² i l q r Amb ut ventilet; Cyp Aug ut vexaret, c ad cernendum. In v. 32 D sin επιστρεψον και, item d e r convertere et; r ger conforta; in fine add it pler ept (marg) ken rush et rogate ne intretis in temptationem. In v. 36 ℵᶜ B L T al 4 ειπεν δε; item sah cop; al ουν; dub eg ken rush et qui non habet *gladium*, item tat syr (cu, sch, hr). In v. 37 οτι ετι Γ Δ Λ Π unc 8 al pler it pler vulg tat syr (cu, utr) arm; pler codd vulg et *quod* cum iniustis (et quod et cum iniustis); a c d e ff² i l Amb *quod* et cum iniustis, uti A οτι και; f l q tol quae de me *scripta* sunt finem habent. In v. 38 ben sufficit satis est (sin v. 25 et qui dominantur in eos et benc agunt benefici vocantur; v. 30 bibatis mecum; super duodecim thronos; v. 34 Kepha; v. qui habet crumenam vel saccum (peram) tollat; v. 38 dixerunt Iesu; etc. satis vobis).

Uti iam adnotatum est ad v. 21-23, nullo modo opus est ut dicamus contentionem ortam esse post Eucharistiae institutionem. Unde autem originem duxerit dubium est. Fortasse ex eo quod Christus in ipsa coena paschali sermonem inferret de regno Dei, fore ut iam non manducaret et biberet donec regnum Dei venisset (v. 16.18; cf. *Euth. Schegg, Schanz*). Simili enim modo ex regni mentione profecta est illa petitio matris filiorum Zebedaei (Matth. 20,20. Marc. 10,37). Alii cogitabant ortam esse contentionem coena nondum incepta, cum de honore accumbendi prope Iesum disceptarent vel aegre ferrent quod Ioannes primum prope eum locum obtinuisset (cf. *Salmeron* t. 9 tract. 45 qui inter alia id quoque affert, *Baronius* ad an. 34 n. 41, *Keil*);

alii eos occasionem arripuisse ex iis quae Christus de proditore dixerat (cf. *Theoph. Alb. Luc.*), dum scil. ut suspicionem a se propulsarent afferrent singuli quae pro se facere viderentur; « inter cetera autem hoc unum erat quod quidam pro se afferre poterant quod Dominus eos aliis quandoque praetulisset » (*Luc.*). Neque defuerunt qui illam contentionem excitatam fuisse censerent ante ablutionem pedum (*Salm. Fil.*), ita ut Christus ad ambitionem illam reprimendam prius exemplo suo dein verbis eos dedoceret (cf. Ioan. 13,13-17); v. 24 *facta est autem et contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior;* fortasse alio modo haec narratio concipi potest. Lotione pedum facta Iesus explicat quid hoc suo exemplo eos docuerit. Hanc itaque doctrinam Lucas quoque affert hoc loco et addit rationem cur Iesus eam inculcarit, quia, uti alias altercatione quadam disputaverant quis esset maior, ita tum quoque ab exspectatione gloriae mundanae nondum recesserant. Adde quod etiam apud profanos in sententiis quoque primis quandoque aoristus ponitur pro plusquamperfecto (cf. *Buttmann* p. 173)[1]; v. 25 *dixit autem eis : reges gentium dominantur eorum et qui potestatem habent super eos benefici vocantur* εὐεργέται; duo apud eos reperiuntur : exercent dominationem et imperium, titulis honorificentissimis tamquam benefactores, patres, salvatores salutantur et appellantur; simul cum imperio laudem, amorem, venerationem hominum sibi tribui volunt. Cognomen Εὐεργέτης duobus Ptolemaeis, Antigono aliisque indebatur; aliis cognomen Σωτήρ v. g. Antiocho (cf. *Wetstein, Schegg*).

Verum ab utroque animos apostolorum vult esse alienos v. 26 *vos autem non sic;* ita quoque notionem regni terreni eis eximit et sui regni indolem et naturam declarat, *sed qui maior est in vobis fiat sicut minor* ὁ νεώτερος iunior, cui incumbat alios honorare iisque servire (cf. Act. 5,6. 10) *et qui praecessor est* ὁ ἡγούμενος, princeps, *sicut ministrator;* affirmat itaque Christus esse etiam in suo regno, in Ecclesia, qui auctoritate et dignitate prae aliis emineant et principatum gerant; verum eos institui in emolumentum et servitium aliorum quos iuvare et quorum bonum et salutem omni cura et caritate procurare et promovere debeant; ceterum vide Matth. 20,25. Marc. 10,42. Idque probat et commendat ratione efficacissima, suo ipsius exemplo v. 27 *nam quis maior est, qui recumbit,* mensae accumbit, *an qui ministrat? nonne qui recumbit? ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat;* alludi ad pedum lotionem plerique concedunt (cf.

1. Notat *Grotius* ad ἐγένετο h. l. : « puto recte verti posse *fuerat* ». Pariter *Rosenmüller*, schol. : recte h. l. vertitur *fuerat*. Eam contentionem olim esse factam *Mald. Alexander Natalis* quoque censent.

S. Cyr. Bed. Bon. Euth. Cai. Luc. Lamy, Schanz); haud immerito notat *Cai.* fuisse universas Christi actiones ministeria, « curare enim infirmos, praedicare, discurrere pro salute animarum et huiusmodi quid aliud sunt quam ministeria » ? vos vocatis me magister et domine, et bene dicitis, sum etenim (Ioan. 13,13); si itaque is qui sit in forma Dei (ὑπάρχων, Phil. 2,6), totum se utilitati et saluti hominum impendit, quanto magis id ut faciant socii eius homines aequum et debitum est; cf. Matth. 20,28.

Principatu itaque mundano carere debebunt. At alium multo sublimiorem eis ostendit, ita eos consolans simulque docens, ubi quaerenda sit vera praestantia et quae merces maneat fidele illud servitium cuius exemplar iis Christus exhibuit; unde pergit v. 28 *vos autem estis qui permansistis mecum in tentationibus meis,* in persecutionibus variisque tribulationibus, in paupertate, non obstante odio principum, in molestiis itinerum; *vos estis,* nam alii iique multi qui per aliquod tempus eum secuti fuerant abierunt retro eumque reliquerunt (Ioan. 6,67). Cum autem discipulus non sit super magistrum, iam poterunt perspicere fore ut hisce in terris eidem sorti sint subiecti; beatitas et honor eos tamen manet v. 29 *et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum,* infertur comparatio auctoritatis et regni similitudo : qua auctoritate mihi Pater regnum dedit, eadem ego vobis illud promitto; quale regnum mihi Pater dedit, tale ego vobis promitto (*Mald.*), v. 30 *ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo,* en beatitas, intime et maxime consortes et participes erunt beatitatis et gloriae Christi quam Pater Filio suo destinavit; sicut ii qui primum locum apud terrenos reges obtinent eadem cum illis mensa utuntur, ita apostoli quoque primis honoribus potientur apud immortalem regem (*cat. Cr.*) *et sedeatis*, vel : sedebitis *super thronos iudicantes duodecim tribus Israel;* en qualis auctoritas et honor consequitur qui ministros se aliorum exhibuerunt ad Christi exemplum. Christo omne iudicium traditum est a Patre (Ioan. 5,22) quam potestatem et dignitatem cum apostolis quasi partitur (cf. ad Matth. 19, 28. 1 Cor. 6,2).

Verum antequam ad illam beatitatem perventuri sunt, non deerunt pericula, contra quae Christus tamen remedium providit. Uti diabolus ipsum Dominum tentare ausus est, ita apostolos quoque tentabit v. 31 *ait autem Dominus,* vide lect. var.; videtur additum esse, quia quae sequuntur non arcto nexu cum antecedentibus cohaerere videntur; et saepius Lucas tale quid inserere solet (cf. 17,6; 18,6; *Schanz*); *Simon, Simon*, repetitione et attentio excitatur ad rem gravem innuendam et serio loquentis affectus declaratur, *ecce, satanas expeti-*

vit vos ut cribraret sicut triticum ἐξητήσατο sibi expoposcit vos; merito omnes interpretes remittunt ad Iob 1,10 seq. ubi diabolus a Deo postulat ut sibi liceat Iobum affligere. Bene notat *Mald.* veteres auctores vertere *ecce satanas postulavit vos* idque esse magis significans et minus ambiguum; « nam expetere appetitionem potius et desiderium quam postulationem significat facultatis; indicat Christus eo verbo nullam satanam vexandi homines habere potestatem, nisi eam prius a Deo petat » (cf. *Bed. Bon.*). Postulat ut cribraret, cribro agitaret, quam vocem *S. Cyr.* explicat δοκιμάσαι, πειράσαι, *Euth.* θορυβῆσαι, κυκῆσαι, ταράξαι turbare, concutere, perturbare; voluit itaque vehementi incursu eorum animos perturbare, agitare, iactare; et quorsum tendat, nobis ex Christi precatione manifestatur; fidem enim ex eorum animis excutere gestit. Nota iam hic periculum quod diabolus omnibus parare vult singulari ratione Simoni indicari a Christo. Nonne ita innuitur Simonis, uti capitis et primi inter eos, cumprimis interesse ut periculum et sciat et praecaveat aliosque tueatur?

Id quod ipsis Christi verbis egregie ostenditur v. 32 *ego autem,* emphasis est et oppositio ad satanam; uti Iesus accedentem eum ad se vicit et fugavit, ita conatus eius contra suos eludit et frangit, *rogavi pro te, omnes* sunt in periculo; pro *uno* orat speciali ratione; proin hoc uno salvo omnes possunt periculum evadere; quomodo hoc? hoc erit, si unus ille est dux et princeps omnium quem si sequuntur et obedientes audiunt evadent periculis superiores. In unius incolumitate omnium collocatam esse vult incolumitatem, *ut non deficiat fides tua* ἐκλίπῃ ut non cesset, desinat, quasi exspiret et moriatur. Fidem itaque auferre gestit diabolus; sed oratione Christi quae semper est efficax (ego sciebam quod semper me audis, Ioan. 11,42) fit ut fides in Petro nunquam desinat esse. Neque enim amisit fidem, dum postea Christum negaret; nam ista negatio erat contra confessionem fidei, non peccatum contra fidem, vel ut *S. Leo* loquitur, non fidem eius victam, sed constantiam fuisse turbatam vidit in Petro Dominus (vide in Comment. Matth. II p. 482). Ad rem *S. Leo :* « commune erat omnibus apostolis periculum de tentatione formidinis et divinae protectionis auxilio pariter indigebant, quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere; et tamen specialis a Domino Petri cura suscipitur et pro fide Petri proprie supplicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit; in Petro ergo omnium fortitudo munitur, ut firmitas quae per Christum Petro tribuitur per Petrum apostolis conferatur » (serm. 4,3; *M.* 54,151).

Quid ipse rependere debeat pro hac oratione Domini et pro dono fidei indefectibilis collato Christus clare enuntiat : *et tu aliquando conversus*

confirma fratres tuos, στήρισον firmos ac stabiles eos redde ac constantes; ei proin incumbit ut contra conatus diaboli fratres muniat, fidem eorum tueatur, roboret; diabolus fidem turbare, eripere, delere tentat; Petri est animos fratrum confirmare, ut fidem servent intactam, eos sustentare, fulcire, firmare contra cribrationem illam et agitationem quam diabolus moliri tentabit; cf. de usu vocis Rom. 1,11; 16,25. 1 Thess. 3,2. 13; 2 Thess. 2,17; 3,3. Iac. 5,8. 1 Petr. 5,10 etc. Longe plerique explicant ἐπιστρέψας *conversus* de conversione a peccato negationis (cf. *Theoph. Euth. Bed. Alb. Cai. Ians. Salmeron, Luc. Lap. Sylv. Schegg, Schanz, Fil. Weiss, Keil, Sp.* etc.), qua significatione vox generatim iungitur dictioni ἐπὶ τὸν Θεόν vel simili; attamen etiam uti hic sola reperitur; cf. Is. 6,10 LXX, Matth. 13,15. Marc. 4,12. Act. 28,27; de *perfecta* conversione Spiritu sancto in die pentecostes accepto *Dion.* vocem accipit. A notione conversionis aliqui ideo recedendum esse censent quia de lapsu Petri nihil sit antea indicatum (cf. *Schrader,* de unitate romana lib. II p. 180). Qua tamen ratione res non conficitur; nam cribrationis postulationem clare praedicit; hanc diabolo iri concessum elucet ex mandato *confirma;* omnium cribrationem expostulavit satan, ergo etiam Petri; ergo iam praedicitur Petro quoque acris tentatio; si nunc dicitur *tu conversus,* haud difficile intelligi potest, Petrum ita se habiturum in tentatione, ut vera aliqua conversione opus sit. Insuper notari oportet hoc loco, uti iam monui, brevi referri et quasi ex abrupto plures Domini sermones; quare quo in contextu singulae sententiae dictae sint discerni nequit, dum evangelista solum summa quaedam capita sermonum Domini refert. Aliter tamen ἐπιστρέψας concipi posse, mox dicam.

Haec verba v. 31. 32 apud solum Lucam leguntur. Cum evangelia ea contineant quae ab apostolis praedicabantur (cf. *Cornely,* Introd. III p. 4. 89. 128. 184 seq.), iam inde colligendum est ea quoque Domini verba a catechesibus non fuisse exclusa, adeoque probe intellexisse apostolos illis inesse vim ac significationem, quae longe privatam quandam ac veluti domesticam excedat et ad Ecclesiam pertineat universam. Proinde delineari ac designari officium capitis et principis apostolorum et Ecclesiae cuius sit alios quos habere debeat tamquam fratres confirmare, eorum fidem tueri et potestate sibi tradita intactam incolumemque servare et errantes vel titubantes in rectum fidei tramitem reducere in eoque reddere firmos ac stabiles. Quae acceptio quam sit necessaria, aperte quoque consequitur ex maxima illa aequabilitate et congruentia quae inter haec verba et illa apud Matth. 16,18 intercedit (quare cur haec Lucas omittere potuerit facile patet). Nam tria utrimque affirmantur: conatus diaboli evertendi Ecclesiam, Christus

qui suam tuetur Ecclesiam, munus et officium Petri per quod Ecclesiam reddit invictam. Diaboli conatus describuntur, uti ibi : portae inferi non praevalebunt (igitur conantur praevalere), ita hic : expostulavit ut vos cribraret; Christus pro sua Ecclesia vigilat : ego dico tibi... et tibi dabo claves etc., et : ego rogavi pro te; demum per Petrum reddit Ecclesiam firmam, inconcussam, invictam : supra hanc petram aedificabo Ecclesiam meam (in fundamento petrae constituitur domus quam tempestates nullae evertant; cf. Matth. 7,24. 25) et : et tu *confirma* fratres tuos. Ex nostro loco simul discimus qua ratione adversarius satan Ecclesiam subruere tentet; conatur scil. fidem animis eripere. Inde quoque perspicies cur Christus Petrum fidem divinitatis Iesu eiusque dignitatem Messiae confitentem fundamentum constituerit Ecclesiae. In ea quippe fide omnis vertitur salutis cardo (cf. Ioan. 20,31. Act. 4,12. 1 Ioan. 2,22; 4,2; 5,5 etc.)

Porro ex ipsa rei natura quoque manifestum est vim et significationem verborum non posse concludi et restringi solo apostolorum tempore. Nam uti diabolus ipsum Christum tentare ausus est, ita omnes omnino fideles eius conatibus oppugnari pariter certum est et a Christo praedictum et ab apostolis praedicatum. Si diabolus fidem in apostolis subruere studuit, idem studium habebit quamdiu Ecclesia hisce in terris militans consistit. Quis porro sibi persuadebit Christum providisse auxilium et robur pro apostolis, qui fide divinitatis ex tot quot nemo alius postea documentis sane maxime erant imbuti et qui in orbis terrarum varias regiones profecturi tamen ab uno Petro non poterant edoceri? et non providisse pro aliis qui ea institutione et confirmatione summopere indigebant? Quamdiu itaque Ecclesiam suam consistere vult tamdiu exsistat necesse est officium et munus Petro collatum. Iam vero ut Petrus eiusque successores hoc suo munere confirmandi alios in fide et avertendi et propulsandi pericula fidei rite fungi possint, requiritur ut cum veritate illa cui falsum non subsit de fide docere et iudicare valeant, aliis verbis, ut in fide sint infallibiles. Quare merito dicitur in Concilio vaticano venerabiles Patres et sanctos doctores plenissime scivisse hanc s. Petri Sedem ab omni semper errore illibatam permanere secundum Domini Salvatoris nostri divinam pollicitationem discipulorum suorum principi factam : ergo rogavi pro te etc. (Const. de Eccl. cap. 4).

Atque eo modo verba haec intellexerunt et maxima quadam consensione interpretati sunt Patres et interpretes. Luculenta antiquitatis testimonia collegit *Schrader*, de unitate romana lib. 2 p. 187 seq. Aliqua hic adscribere et adnotare non piget. *S. Leo* gratias agendas esse Redemptori dicit,

« quod tantam potentiam dedit ei quem totius Ecclesiae principem fecit, ut si quid etiam nostris temporibus recte per nos agitur recteque disponitur illius sit gubernaculis deputandum, cui dictum est : et tu conversus etc. » (serm. 4,4; *M.* 54,152). Atque *Gelasius* scribit ad Honorium : « pro sedis apostolicae moderamine totius ovilis dominici curam sine cessatione tractantes quae beato Petro Salvatoris ipsius voce delegata est : et tu conversus » etc. (ep. 5; M. 59,30). Et *Pelagius* II verbis recitatis : Simon, Simon etc. pergit : « considerate quia veritas mentiri non potest nec fides Petri in aeternum quassari poterit vel mutari, nam cum omnes discipulos diabolus ad cribrandum poposcerit, pro solo Petro se Dominus rogasse testatur et ab eo voluit ceteros confirmari » (*M.* 72,707); *Gregorius* magnus luculentum quoque testimonium habet in epist. 7,40 (*M.* 77,899); item *Vitalianus* ep. 1 (*M.* 87,1002) et *Beda :* « quod dicit ei, pasce oves meas, hoc est utique quod ei ante passionem apertius dixerat : ego autem rogavi pro te etc.; pascere ergo oves Christi est credentes Christo ne a fide deficiant confirmare et ut in fide magis magisque proficiant instanter operam dare » (*M.* 94,216). Et *S. Cyrillus* verba explicat : firmamentum (στήριγμα) et magister esto illorum qui per fidem ad me accedunt » (*M.* 72,915). Et Theodorus studita scribit ad Paschalem pontificem romanum inter alia : « tibi dixit Christus Deus noster : et tu aliquando conversus confirma fratres tuos! ecce tempus, ecce locus; opitulare nobis qui es a Deo ad hoc ordinatus » (*M.* 99,1154). Et *Leo* IX scribit ad patriarcham constantinopolitanum recitatis verbis Matth. 16 et Luc. 22 : « erit ergo quisquam tantae dementiae qui orationem illius, cuius velle est posse, audeat in aliquo vacuam putare? nonne a sede principis apostolorum, romana videlicet ecclesia, tam per eundem Petrum quam per successores suos, reprobata et convicta atque expugnata sunt omnium haereticorum commenta et fratrum corda in fide Petri quae hactenus non defecit nec usque in finem deficiet, sunt confirmata » (*M.* 143,748)?

Eandemque sententiam profitetur *Anselmus* orat. 64 (al. 65; *M.* 158,972); item *Bernardus* ep. 190 ad Innocentium, *Innocentius* III ep. 209 (214,760). Praeclara quoque eiusdem veritatis testimonia praebet *Agatho* in dogmatica epistola ad imperatores (Hardouin III p. 1081), ex qua epistola deprompta sunt quae veteres interpretes, etiam Bellarminus (de Verbo Dei 2,5) adducere solent tamquam testimonia *Lucii* I et *Felicis* I (cf. M. 3,982; 5,154); pariter videnda quae leguntur Hardouin IV p. 774. Clara quoque sunt verba *Theoph. :* « quia te habeo ut principem discipulorum, confirma ceteros; hoc enim te decet qui post me Ecclesiae petra es et firmamentum. Intellexerit autem quis non solum de apostolis dictum quod confirmati fuerint a Petro, sed de omnibus qui usque ad consummationem saeculi futuri sunt fideles ». Etiam *S. Thomas* ex Luc. 22 probat quaestionem fidei exortam determinandam esse auctoritate pontificis romani (2. 2 qu. 1 art. 10); aliorum theologorum sententias refert *Schrader* l. c. p. 306 seq. Quae tempore Concilii vaticani de Luc. 22 acta et disputata sunt, exponit *Granderath,* Constitutiones dogmaticae s. oec. Conc. vat. ex ipsis eius actis explicatae p. 170.

Sunt qui ἐπιστρέψας explicare velint ad modum hebr. שׁוּב : rursus, iterum, ut sensus sit : sicut ego te confirmavi, tu iterum fratres confirma (*Mald.*) vel vicissim : ego pro te rogavi, tu aliquando vices vertens, vice versa firmitatem tribue fratribus, quam explicationem multis defendit ac tuetur *Schrader* l. c. p. 179 seq. Utique hebraismus quidam apud Lucam offensioni esse non potest, cum Christus aramaice locutus sit cum discipulis et alias quoque evangelista ex fonte aramaico (sive scripto, sive narratione accepto) multa acceperit et colore aramaico expresserit (cf. cantica : Benedictus, Magnificat etc.). At negandum est hic cerni posse illum quem volunt hebraismum. Merito enim monuerunt alii (cf. *Schegg, Schanz*) ea notione שׁוּב non usurpari nisi sermo sit *de eodem* qui iterum, rursus, denuo aliquid faciat. Id quod ex omnibus exemplis quae in libris veteris testamenti habentur elucet; aliquando etiam adhibetur de pluribus qui *idem* faciunt. Neutrum tamen nostro loco habetur. Nam *ego* rogavi, et *tu*; ego *rogavi*, tu *confirma*; dum pro vero usu perpende Ps. 70,20 : quantas *ostendisti* mihi tribulationes, et conversus *vivificasti* me; *multiplicasti* magnificentiam tuam et conversus *consolatus es* me; Ps. 84,7. 4 Reg. 23, 16 et Gen. 26,18 rursum *fodit* (Isaak) alios puteos quos *foderant* servi patris sui et quos obstruxerant Philisthiim etc.

Aliter autem ex usu vocis ἐπιστρέψας concipi potest; dicitur quippe ἐπιστρέφειν τινὰ, aliquem ad Deum convertere, réducere cf. Luc. 1,16.17. Iac. 5,19.20. Unde verti potest : et tu converte (ad Deum dirige) et confirma fratres; qua acceptione officium Petri declaratur duplex, ut scil. alios ad Deum adducat, dirigat, cum Deo reconciliet et quos in recto tramite constituit in eodem retineat et confirmet. Quae acceptio mihi quidem prae altera arridet, cum Petro munus demandetur, quod principi apostolorum et capiti Ecclesiae quam maxime incumbit, ut fidem et *propaget* et *confirmet*, ut suos ad Deum dirigat et titubantes confirmet.

Petro praedicta est negatio, uti alii duo narrant (Matth. 26,31; Marc. 14,27) dum egressis e coenaculo Iesus dixisset fore ut omnes scandalum patiantur in se; ex quibus verbis Petrus ansam arripuit se prae aliis efferendi. Lucas iam hoc loco quasi ex abrupto infert v. 33 *qui dixit ei : Domine tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire;* ex narratione Lucae non cernitur quomodo Petrus et carceris et mortis mentionem ut faciat inducatur; id autem satis explicatur eo modo quo Iesus loquitur et apud Ioan. 13,36 et apud Matth. et Marc. Quare iterum ostenditur Lucam hoc loco breviter et summatim ex variis Domini sermonibus aliqua depromere. Cum *cribrare* sane accedat satis ad id quod de omnium scandalo Iesus dicit apud duos alios, satis probabile videtur haec verba etiam referenda esse ad ea quae relicto coenaculo dicta sunt; proinde ad eam occasionem de qua narrant alii duo. Neque obstare modum narrandi Lucae iam supra ad v. 24 notatum est. Quare nullo modo opus est cum *S. Augustino, Sylv.* etc. assumere ter esse Petro negationem praedictam (scil. hic, dein Ioan. 13,37 et ubi narrant Matth. et Marc.); sitne praedicta bis, semel in coenaculo (Ioan. 13,37) et iterum eo relicto, erit inquirendum ad Ioan. 13,38; v. 34 *at ille dixit : dico tibi Petre,* Petrum nominat qui tamen nominis

vim et significationem ea occasione non exhibebit, sed nunc quidem eam sibi asserit constantiam non sine praesumptione quadam, *non cantabit hodie gallus donec ter abneges nosse me* « quod noveris me et consequenter quod discipulus meus sis » (*Luc.*).

Ex passione instanti docet apostolos illis quoque tempora instare acerba, odia, insectationes hominum. Ad quam temporum mutationem eos reddit attentos : *et dixit eis :* v. 35 *quando misi vos sine sacculo et pera et calceamentis,* Lucas quidem *de tali apostolorum* missione non narrat; at perperam aliqui volunt propterea 10,1 primitus non ad septuaginta discipulos, sed ad duodecim apostolos pertinuisse; verum quamvis Luc. 9,3 de calceamentis, uti 10,4, non fiat mentio, tamen Matth. 10,10 patet eo modo apostolos esse missos; *numquid aliquid defuit vobis?* v. 36 *at illi dixerunt : nihil;* in ea itaque missione benigne ac benevole ab omnibus sunt habiti, vitae necessaria illis sunt suppeditata; omnium animos Christus pro sua clementia et apostolorum conditione tum adhuc infirma neque ad gravia sustinenda satis roborata in eorum bonum et favorem inclinavit. Verum aliter erit in posterum; non iam homines habebunt benefactores; magnis obiicientur periculis et infestationibus; quam mutationem describit forma ex priore missione desumpta sed in contrarium versa : *dixit ergo* (*autem*) *eis : sed nunc qui habet sacculum tollat similiter et peram,* secum tollat, portet; ergo ipsi sibi providere debent de vitae necessariis; proin homines iam non habebunt amicos et benefactores; immo *et qui non habet* scil. sacculum vel peram quam vendere posset ut gladium emeret, vel generatim qui nihil habet quo emat; immerito aliqui (*Ians. Luc. Ipr. Lap. Sylv. Bisp. Keil*) supplent : qui non habet gladium, *vendat tunicam suam et emat gladium;* quam necessarius sit gladius, ostenditur cum dicatur, ipsum ἱμάτιον i. e. vestem superiorem, pallium vendi debere, scil. si quis aliud quid non habeat, unde emat. Quare simul patet indicari omnes et qui habent et qui non habent debere gladium emere; unde elucet perperam illos supplere gladium neque intelligi posset cur qui habent sacculum et peram admoneantur ut vestem, rem magis necessariam, vendant.

Sermonem esse allegoricum plerique recte explicant; instare acerbissimam persecutionem et multiplicem infestationem, qua tanta gladii necessitas videri possit, ut humano consilio consultum esse videatur etiam veste vendita gladium sibi comparare (cf. *Theoph. Euth. Ians. Luc. Ipr. Lap. Sylv. Lamy, Schanz, Fil. Weiss, Sp.*). Haec autem non cum *Mald.* solum de conditione temporis passionis Christi dicta esse censeri potest. Et cur illis obviam eundum sit odiis hominum et infestationibus, declarat Christus eodem modo quo Matth. 10,24 non est

discipulus super magistrum etc. v. 37 *dico enim vobis, quoniam adhuc hoc quod scriptum est oportet impleri in me : et cum iniquis deputatus est;* cf. Is. 53,12; proin discipuli quoque quasi impii et scelerati habebuntur; en temporis mutatio quam descripsit in v. 36. Oraculum illud in crucifixione Christi ad litteram impletum cernimus; praeterea manifestum est totum illud vaticinium non agi nisi de Messia, servo Domini (cf. Comment. Is. ad h. l.); *etenim ea quae sunt de me finem habent;* perperam supplent aliqui : quae *scripta* sunt de me, debent impleri (cf. *S. Cyr. Euth. Alb. Cai. Mald. Salm. Luc. Ipr.*); id enim satis ieiune adderetur, neque τέλος ἔχει idem est quod impletur. Asserit Christus vitam publicam et terrenam ad finem vergere, se esse in eo ut e vita excedat; quare pro apostolis quoque alia erunt tempora. Simul indicat qua morte ignominiosa vitae suae terrenae sit finis imponendus. Debet vaticinium illud impleri, nam etiam mihi vita haec finienda est.

Mentem Christi apostoli non sunt assecuti; v. 38 *at illi dixerunt* nativa quadam simplicitate : *Domine, ecce duo gladii hic;* quaerunt quandoque fuerintne *gladii,* an longiores maioresque cultri quibus ad immolationem ac divisionem agni usi sint (*Euth.*); utrumque potest μάχαιρα significare; vide ad Matth. 26,51; sed ob v. 36 etiam gladius intelligi potest[1]; *at ille dixit eis : satis est;* « hinc etiam magis patet eum non gladiis ulcisci se volentem gladios emi iussisse; nam si id voluisset, quomodo nunc diceret : satis est? siquidem neque centum gladii suffecissent ad irruentium multitudinem; itaque ostendit dicens satis est nullam fuisse gladiorum necessitatem » (*Euth.*). Hisce eos cum aliqua ironia ridet, ut *S. Cyr.* ait, probe sciens eos vim dictorum non intellexisse, qui existiment opus esse gladiis ob futuram aggressionem; ita ironice dictum esse concipiunt *Mald. Ians. Schanz, Keil, Weiss* et ita τινὲς explicare etiam *Theoph.* adnotat. Alii malunt accipere : satis est dictum, satis verborum, ut scil. abrumpi solet sermo eorum qui non intelligunt quae a nobis dicuntur (cf. *Cai. Luc. Ipr. Ians. Sylv. Lamy, Fil.*). Ad quam acceptionem prope accedit quod notat *Schoettgen* solere adhiberi a Iudaeis דיך sufficit tibi, quoties ab altero ineptum quid proferatur qui ea voce iubeatur tacere.

Duos gladios allegorice aliqui acceperunt de gladio spirituali et materiali. Ita S. Bernardus ad Eugenium : « si nullo modo ad te pertineret gladius materialis, dicentibus apostolis : ecce gladii duo hic, non respondisset Dominus : satis est, sed : nimis est. Uterque ergo est Ecclesiae et spiritualis scil. et materialis; sed hic quidem pro Ecclesia, ille vero ab Ecclesia est extrahendus; ille sacerdotis, is militis manu,

1. Dicit *Iosephus* de Galilaeis : μάχιμοι ἐκ νηπίων (Bell. iud. 3, 3. 2) et *Ed.* II p. 537 existimat apostolos secundum consuetudinem hanc Galilaeorum aliquos sibi procurasse gladios.

sed sane ad Sacerdotis nutum et iussum Imperatoris » (de consid. 4,3.7). Quem locum inter alia *S. Bon.* quoque affert. Etiam *Alb.* duos gladios esse spiritualem et corporalem. Et quantopere invaluerit modus loquendi de duobus gladiis notum est. Verum eam non esse explicationem huius loci evidens est. Quare *Ians.* notat : « sunt qui *abstrusiore* intelligentia intelligunt ideo dixisse Dominum, *satis est*, quod Ecclesiae suae duo sufficiant gladii, spiritualis scil. et corporalis ». Et *Mald.* : « quos gladios ut Ecclesia habet, ex hoc loco certe non habet ». Aliae quoque ferebantur acceptiones : gladium designari spiritualem et gladium passionis (*S. Ambr.*), vel duo testamenta (*S. Ambr. Bon.*) vel gladium ad amputandum malum et gladium ad tuendum bonum etc.; cf. *Sylv.* lib. 7 cap. 10 qu. 13.

2. *Enarratur passio* 22,39-23,56.

a) Iesus in horto 22,39-53.

22,39. Et egressus ibat secundum consuetudinem in montem Olivarum. Secuti sunt autem illum et discipuli. 40. Et quum pervenisset ad locum, dixit illis : Orate ne intretis in tentationem. 41. Et ipse avulsus est ab eis quantum iactus est lapidis; et positis genibus orabat, 42. Dicens : Pater si vis, transfer calicem istum a me : verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. 43. Apparuit autem illi angelus de coelo, confortans eum. Et factus in agonia, prolixius orabat. 44. Et factus est sudor eius, sicut guttae sanguinis decurrentis in terram. 45. Et quum surrexisset ab oratione, et venisset ad discipulos suos, invenit eos dormientes prae tristitia. 46. Et ait illis : Quid dormitis? surgite, orate, ne intretis in tentationem.

47. Adhuc eo loquente, ecce turba; et qui vocabatur Iudas, unus de duodecim, antecedebat eos; et appropinquavit Iesu ut oscularetur eum. 48. Iesus autem dixit illi : Iuda, osculo Filium hominis tradis? 49. Videntes autem hi qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerunt ei : Domine, si percutimus in gladio? 50. Et percussit unus ex illis servum principis sacerdotum, et amputavit auriculam eius dexteram. 51. Respondens autem Iesus, ait : Sinite usque huc. Et quum tetigisset auriculam eius, sanavit eum. 52. Dixit autem Iesus ad eos qui venerant ad se, principes sacerdotum,

22,39. Καὶ ἐξελθὼν ἐπορεύθη κατὰ τὸ ἔθος εἰς τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν· ἠκολούθησαν δὲ αὐτῷ (καὶ) οἱ μαθηταί. 40. γενόμενος δὲ ἐπὶ τοῦ τόπου, εἶπεν αὐτοῖς, Προσεύχεσθε μὴ εἰσελθεῖν εἰς πειρασμόν. 41. Καὶ αὐτὸς ἀπεσπάσθη ἀπ' αὐτῶν ὡσεὶ λίθου βολήν, καὶ θεὶς τὰ γόνατα προσηύχετο, 42. λέγων, Πάτερ, εἰ βούλει παρένεγκε τοῦτο τὸ ποτήριον ἀπ' ἐμοῦ· πλὴν μὴ τὸ θέλημά μου, ἀλλὰ τὸ σὸν γινέσθω· [43. ὤφθη δὲ αὐτῷ ἄγγελος ἀπ' οὐρανοῦ ἐνισχύων αὐτόν. καὶ γενόμενος ἐν ἀγωνίᾳ, ἐκτενέστερον προσηύχετο. 44. ἐγένετο δὲ ὁ ἱδρὼς αὐτοῦ ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος καταβαίνοντες ἐπὶ τὴν γῆν.] 45. Καὶ ἀναστὰς ἀπὸ τῆς προσευχῆς, ἐλθὼν πρὸς τοὺς μαθητὰς εὗρεν κοιμωμένους αὐτοὺς ἀπὸ τῆς λύπης, 46. καὶ εἶπεν αὐτοῖς, Τί καθεύδετε; ἀναστάντες προσεύχεσθε, ἵνα μὴ εἰσέλθητε εἰς πειρασμόν.

47. Ἔτι αὐτοῦ λαλοῦντος, ἰδοὺ ὄχλος· καὶ ὁ λεγόμενος Ἰούδας, εἷς τῶν δώδεκα, προήρχετο αὐτοὺς καὶ ἤγγισεν τῷ Ἰησοῦ φιλῆσαι αὐτόν. 48. Ἰησοῦς δὲ εἶπεν αὐτῷ, Ἰούδα, φιλήματι τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου παραδίδως; 49. Ἰδόντες δὲ οἱ περὶ αὐτὸν τὸ ἐσόμενον εἶπαν, Κύριε, εἰ πατάξομεν ἐν μαχαίρῃ· 50. καὶ ἐπάταξεν εἷς τις ἐξ αὐτῶν τοῦ ἀρχιερέως τὸν δοῦλον καὶ ἀφεῖλεν τὸ οὖς αὐτοῦ τὸ δεξιόν. 51. ἀποκριθεὶς δὲ Ἰησοῦς εἶπεν, Ἐᾶτε ἕως τούτου. καὶ ἁψάμενος τοῦ ὠτίου ἰάσατο αὐτόν. 52. Εἶπεν δὲ Ἰησοῦς πρὸς τοὺς παραγενομένους ἐπ' αὐτὸν ἀρχιερεῖς καὶ στρατηγοὺς τοῦ ἱεροῦ

et magistratus templi et seniores : Quasi ad latronem existis cum gladiis et fustibus? 53. Quum quotidie vobiscum fuerim in templo, non extendistis manus in me; sed haec est hora vestra, et potestas tenebrarum.

καὶ πρεσβυτέρους, Ὡς ἐπὶ λῃστὴν ἐξήλθατε μετὰ μαχαιρῶν καὶ ξύλων; 53. καθ' ἡμέραν ὄντος μου μεθ' ὑμῶν ἐν τῷ ἱερῷ, οὐκ ἐξετείνατε τὰς χεῖρας ἐπ' ἐμέ. ἀλλ' αὕτη ἐστὶν ὑμῶν ἡ ὥρα, καὶ ἡ ἐξουσία τοῦ σκότους.

In v. 39 it pler montem *oliveti*. In v. 41 D απεσταθη, G 157. απεστη, d l recessit, c r secessit, f discessit; sim sah cop syrr. In v. 42 l si fieri potest, fuld si possibile est; ℵ K L M R Π al aliq Ti παρενεγκαι (al-ειν); l ut Matth. 26,39; B D T al 25 fere Or Dion Dam παρενεγκε, uti it pler vulg arm. Desunt v. 43.44 in ℵ* B R T sin; aliq codd eos notant asteriscis vel obelis; ex lat. codd solum f eos omittit; sed versus esse genuinos et omnino retinendos patet tum ex codd longe pler, ex verss (it sah cop syrr arm aeth) tat tum ex Patribus Iust Ir Hipp Dion Theodrt Caes Epiph Chr Cosm Leont Eus Hil Hier Aug Facund; cf. *Cornely* Introd. III p. 133. Accedit quod Cardinalis tridentinus de decreto Concilii tridentini (libros integros cum omnibus suis partibus etc. esse pro sacris et canonicis suscipiendos) dicit : ea intentione factum esse existimo, ne de particulis illis (scil. Marc. cap. ult. et Lucae cap. 22 et Ioan. 8) amplius dubitari possit (cf. *Theiner*, Acta I c. 84 seq.). In v. 44 καταβαινοντος ℵ X a ff² r vulg decurrentis; sed — οντες D L Γ Δ Λ Π unc 8 al pler; b e i l for. decurrentes, eg discurrentes; dub tol decurrens; d buccellae, c globus; Ir 3,22 : sudasset globos sanguinis. In v. 47 D εγγισας εφιλησεν τον ἰν item sin it pler adproprians (accedens) osculatus est Iesum; add D E H X al plus 60, τουτο γαρ σημειον δεδωκει αυτοις· ον αν φιλησω αυτος εστιν; sim b c d r. In v. 49 μαχαιρη cum ℵ B* D L T Ti W H. In v. 50 c d abstulit, a abscidit. In v. 51 a e ff² i *sine*, b dimitte eum; D και εκτεινας την χειρα ηψατο αυτου και απεκατεσταθη το ους, sim a d e ff² i l r extendens manum (suam) tetigit eum et redintegrata (restituta) est auris (auricula) eius; l sine, sic implebuntur scribturae. In v. 53 codd pler vulg cotidie; dub wil quotidie (sin. v. 39 in montem qui vocatur domus oliveti, et discipuli cum eo; v. 42 praeteribit me calix hic; v. 43.44 om; v. 47 visa est (apparuit) turba multa; v. 49 cum autem viderent discipuli eius quod futurum erat, dixerunt ei : domine noster etc.; v. 51 sufficit, usque huc; v. 52 om templi; dixit ad principes sacerdotum et milites (כתרתירתא) et seniores; existis contra me).

Multo brevius quam alii duo narrat quae Christus in horto egit et passus est; ei tamen propria sunt quae in v. 43. 44 habentur et quibus angores ac perpessiones Iesu quam maxime designantur; v. 39 *et egressus ibat secundum consuetudinem* cf. 21,37 et Ioan. 18,2 *in montem olivarum; secuti sunt autem illum et discipuli;* quid in via Iesus locutus sit referunt alii; v. 40 *et cum pervenisset ad locum, dixit illis : orate ne intretis in tentationem*, « ne tentatio vos superet, intra suos casses teneat » (*Beda*); v. 41 *et ipse avulsus est ab eis quantum iactus est lapidis*, ἀπεσπάσθη, hoc solus nos docet Lucas; indicatur itaque ipsum aegre a suis recessisse, tamquam vi quadam se ab eis separasse, sive propter suum in eos amorem, sive ob animi moerorem per quem naturaliter fit ut adhaereamus amicis a quorum

consuetudine aliquid solatii accipimus (*Ians. Luc.*). Significatur ea voce iam illa summa animi tristitia, quam explicat Christus (Matth. 26,38. Marc. 14,34), *et positis genibus orabat*, maxima erga Patrem reverentia, fervore summo, insigni humilitate, immo procidit in faciem suam (Matth. 26,39) v. 42 *dicens : Pater si vis, transfer calicem istum a me*, vel ut plures testes habent παρενέγκαι : si vis transferre calicem istum a me — per aposiopesin, scil. potes, uti Marc. 14,36 : Pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer etc.; infirmitatis naturae indicat veritatem (*Alb.*); velle quod transeat calix, humanum erat; voluit natura humana vivere, naturale enim est (*Theoph.*). Naturale quoque est horrere cruciatus et tormenta, quae singula Christus vividissime praevidit; unde quantis angoribus humana eius anima excrucietur, ea manifestat precatione; at quanta voluntatis suae humanae subiectione oret, statim subdit : *verumtamen non mea voluntas sed tua fiat*, « quasi homo mortem recusans, quasi Deus sententiam suam servans » (*S. Ambr.*). Plura vide in Comment. Matth. II p. 450 seq.

Ab angelo Christi adventus annuntiatur, ab angelis eius nativitas celebratur, ab angelis in deserto ministerium ei exhibetur; proinde conveniens quoque erat, ut quemadmodum resurrectio eius et alter in gloria adventus ab angelis praedicatur, ita etiam in sua passione ei angeli praeberent ministerium v. 43 *apparuit autem illi*, ὤφθη, forma visibili se ei sistit, uti humanae naturae quam confortaturus venit congruit *angelus de coelo confortans eum*, vires addens et roborans humanam eius naturam, animam et corpus; nam utrumque, totum compositum humanum summa illa tristitia, taedio, moerore affici et debilitari planum est; utriusque et animae et corporis confortatio requiritur, ut agoniam quae sequitur et sudorem sanguineum perferre possit. Voluit confortari ab angelo qui dignitate angelos in immensum superat, etiam ea in re habitum servi quem assumpserat demonstrans et probans. Quis angelus ei vires addiderit quandoque quaerunt; Gabrielem (1,19. 26; Dan. 9,21) vel Michaelem quidam assignant (cf. *Luc. Lap. Tir. Sylv.*); existimat *Estius* fuisse angelum Dei Patris personam repraesentantem; at tum dicendum fuit : angelus Domini (uti in vetere testamento angelus Deum repraesentans dicitur angelus Iahve); *et factus in agonia*, significat agonia, ut bene dicit *Luc.*, illum horrorem et angorem quo corripi solent homines iam instante et urgente gravi discrimine (*Lap. Sylv. Calm.*); proin vehementiores illi animi affectus et acerbitates designantur, de quibus Matth. 26,37 et Marc. 14,33 quoque aliquid innuunt; in tali autem animi cruciatu robur illud ab angelo acceptum manifestans *prolixius* ἐκτενέστερον in-

tentius, vehementius, intensius (*Luc. Lap.*) *orabat;* quo orationis ardore iam se victorem ostendit.

Ingentis cruciatus documentum (*Ians.*) et angustiarum et anxietatis animi (*Luc. Sylv.*) et gravissimae luctae testimonium nobis panditur in v. 44 *et factus est sudor eius sicut guttae* θρόμβοι guttae spissae, grumi (guttae ampliores et crassiores *Ians. Luc. Cord. Lamy*) *sanguinis,* sudor itaque sanguine mixtus guttis maioribus ac spissis defluebat in terram, *decurrentis in terram,* graece θρόμβοι αἵματος καταβαίνοντες, *Euth.* θρόμβοι αἵματος οἱ παχύτατοι σταλαγμοὶ τοῦ αἵματος, sed perperam vult *Euth.* significari non quod sanguinem sudaverit, sed quod crassos deduxerit sudores. At cur demum sudorem diceret guttas sanguinis? ad quid talis comparatio? Neque cum *Theoph.* dicendum esse hyperbolen vel modum proverbialem loquendi, « sicut et in his qui amare flent dicimus : αἵματα κλαίει, sanguinem flet ». Verum sensus obvius et manifestus est sudorem fuisse sanguineum, sudorem constantem aqua et sanguine. Metus enim et angustia et anxietas huiusmodi fuit ut sudaret etiam sanguinem, ut scil. prae vehementia affectuum etiam sanguis per poros propelleretur; ὡσεί, *sicut* non nudam inducit comparationem (nam quid haec sibi vellet et cur sudorem, rem omnibus notam, compararet sanguinis guttis?), sed dicitur uti saepius ad rei veritatem efferendam, uti in illo : vidimus gloriam eius gloriam quasi unigeniti a Patre (Ioan. 1,14 i. e. talem gloriam qualem decet habere unigenitum), vel ut etiam concipi potest, inducitur comparatio eaque breviter contracta : sicut est sudor qui guttis sanguinis constat. Quae proprietas verborum eo magis est retinenda quia exemplis haud adeo paucis sudorem sanguineum, vel sanguine mistum posse vehementia affectuum e corpore protrudi probatur.

Cuius rei testimonia et exempla non desunt; cf. *Calm.* dissert. de sudore sanguinis, *Friedreich* zur Bibel I p. 283; *Loenarz,* de sudore sanguinis; complura testimonia afferunt quoque *Schegg, Schanz, Fil.* Immerito aliqui ordine narrationis inverso volunt angelum apparuisse, ut Iesum ex agonia et sudore sanguineo liberaret et ut Iesus confortatus ab oratione surgeret et proditori obviam iret; explicant : *et* factus in agonia i. e. *quia* factus (cf. *Luc. Lap. Sylv.*). Sudorem illum sanguineum ortum esse ex animi angoribus plerique tenent; aliqui tamen, uti *Ipr. Lap. Cord.,* illum exortum censent ex animi fortitudine et audacia et contentione qua Christus contra insurgentes anxietates et timores pugnabat, dum efficaci voluntate generose mortem et omnes cruciatus amplecteretur et naturalem mortis tormentorumque dolorem superaret. Dum Iesus intentius ac vehementius orat, eo ipso patet eum angoribus minime fuisse victum, sed quod

ipsa eius ad Patrem oratione elucet contra naturalem inclinationem firmiter ac fortiter adhaesisse divino beneplacito. Quare satius erit sudorem sanguineum ex utraque causa illa exortum esse dicere, cum utrumque quod illis explicationibus subest in animo eius exstiterit. Etsi sudor sanguineus in se non simpliciter sit miraculum, tamen copia illa quae in Christo describitur modum prae se ferre videtur satis mirabilem et communem naturam longe excedentem. Qua distinctione facta fortasse lis illa dirimitur qua alii in sudore miraculum vident (cf. *Bed. Salm. Ians.*), alii ut opinionem communem et veram proponunt sudorem fuisse naturalem ex vi summae et internae afflictionis provenientem (cf. *Sylv.*)[1]. Quaerit *Euth.* unde didicerint evangelistae quid Christus orans dixerit et cetera, siquidem discipuli tum dormiebant; respondet ipsum Christum ea apostolos docuisse quando post resurrectionem per quadraginta dies saepius iis apparuit loquens de regno Dei. Angelum autem et sudorem sanguineum potuisse ab iis conspici censet *Tirinus :* « non distabant nisi iactu lapidis, neque continuo dormierunt sed cum somno luctabantur et erat tum plenilunium et angelus ingenti lumine radians omnia spectari fecit ».

Christum ter orasse et ter ad discipulos venisse alii duo narrant (Matth. 26,40-45. Marc. 14,37-41). Lucas breviter rem absolvit v. 45 *et cum surrexisset ab oratione et venisset ad discipulos suos, invenit eos dormientes prae tristitia;* « quoddam est moeroris genus animum opprimens, deiiciens, sopiens, cum praesertim alius labor et diuturna vigilia accesserit » (*Calm.*) et somnum provocari tristitia notant (cf. *Alb. Schegg, Bisp. Fil.*) id quod *Wetstein* pluribus veterum locis confirmat; ita Curtius (4,13,17) : tandem gravatum animi anxietate corpus altior somnus oppressit. Discipuli autem et sermonibus Christi (v. 31. 34. 37. de scandalo quod omnes sint accepturi etc.) et eius quoque aspectu quem contristatum et moestum videbant (Matth. 26,37. 38. Marc. 14,33. 34) in magnam tristitiam coniiciebantur. Nunquam enim talem in Iesu moerorem adverterant, unde tum maiore timore et animorum deiectione ex tanta in Iesu mutatione afficiebantur.

Iesus praevidens periculum apostolis imminens iis exprobrat quod neglecta adhortatione non se oratione munierint contra tentationem v. 46 *et ait illis : quid dormitis? surgite, orate, ne intretis in tenta-*

1. Statuit *Suarez* (in 3 p. qu. 46, disp. 34 s. 2, 4) : « Christus Dominus absque speciali miraculo sanguinem sudavit ex vi internae afflictionis et agoniae quam in illa oratione passus est ». Dein tamen n. 7 addit : « dici potest potestatis miraculosae in Christo fuisse sustinere tam ingentem tristitiam ac internum dolorem ex quo tam mirabilis externus effectus effluxit; fortasse enim id non est homini possibile per naturam; vel saltem fieri non potest ut homo huiusmodi passionem patiatur quin mors inde subsequatur, et hoc modo concedi potest aliquod miraculosum opus hic intercessisse ».

tionem! breviter in una scena complectitur Lucas, quod bis factum esse alii duo narrant (vel fortasse ter; cf. Marc. 14,40); v. 47 *adhuc eo loquente,* quae locutus sit accuratius narratur Matth. 26,45. 46 et Marc. 14,41. 42; *ecce turba, et qui vocabatur Iudas, unus de duodecim,* cf. v. 3, *antecedebat eos et appropinquavit Iesu ut oscularetur eum*, quo usitato salutationis signo proditionem suam coram apostolis dissimularet, panderet aliis, egregius hypocrita, « osculum amoris typum libans, cor autem impiarum insidiarum plenum gerens » (*S. Cyr.*); v. 48 *Iesus autem dixit illi : Iuda, osculo Filium hominis tradis?* iterum Iudae ostendit sibi cuncta esse cognita; tria dicit, ait *Alb.*, nomine proprio nominat, ut sui nominis et pristinae familiaritatis recordetur, et inconvenientis signi ad prodendum facit mentionem et dignitatis suae. Et *S. Ambr.* monet per interrogationem pronuntiandum esse, « quasi amantis affectu corripiat proditorem : amoris pignore vulnus infligis et caritatis officio sanguinem fundis et instrumento pacis mortem irrogas? servus Dominum, discipulus prodis magistrum, electus auctorem »? item *Beda;* atque haec dicebat, ut notat *Theoph.*, usque ad extremam horam fovens illum, ut vel tunc ante omnia scientem procumberet et resipisceret.

Refert solus Lucas apostolos intrepide paratos fuisse ad pugnandum contra turbam longe maiorem, dummodo Iesus annueret; nam si Iesus vellet se fore victores certo sciebant v. 49 *videntes autem hi qui circa ipsum erant quod futurum erat, dixerunt ei : Domine, si percutimus in gladio?* visne percutiamus gladio? fortasse memores illorum Iesu verborum v. 36-38 tempus iam adesse putant gladio utendi; « bellicum et ferox erat Galilaeorum ingenium; apostoli autem genus e Galilaea ducebant » (*Calm.*). Dum alii quaerunt, Petrus ceteris fervidior et promptior, statim agit; v. 50 *et percussit unus ex illis*, Petrus Ioan. 18,10, *servum principis sacerdotum et amputavit auriculam eius dexteram;* certe existimat admonitione Iesu gladium esse emendum clare edici quid iam agendum sit; « promptus affectu qui sciret Phineae reputatum ad iustitiam quod sacrilegos peremisset percussit principis servum » (*S. Ambr.*); non exspectat praeceptum Domini; ita semper fervebat pro magistro (*Theoph.*); v. 51 *respondens autem Iesus ait : sinite, usque huc; respondet* Iesus interrogationi apostolorum : ἐᾶτε i. e. desistite, ἕως τούτου i. e. ne ultra quid attentetur! qua voce simul reprehenditur quod interea dum alii quaererent Petrus ausus est facere (cf. *Ians. Lap.* ad Matth. 26,52; *Calm. Schanz, Fil. Keil, Weiss*).

Ceterum haec verba variis modis explicata sunt. Certe retinendum omnino est

haec verba dici ad discipulos; nam, uti notat *S. Aug.* (de cons. evang. 3,5) et ex eo *Beda*, « non diceret *respondens autem* etc. nisi illorum interrogationi responderet ». Quare a limine repudiandae sunt explicationes : dici ad milites : abstinete vim a discipulis dum ego illum sanavero (*Lamy*, alii quos *Schanz*, *Keil* recensent) vel : sinite me pervenire eo ubi vulneratus iacet, permittite me accedere ad vulneratum; porro cum in v. 52 demum Iesus milites alloquatur, haec verba ad eosdem non dirigi clarum est. Alii quidem ea discipulis dici tenent, sed alio sensu; ita *S. Aug.* : non vos moveat quod futurum est; permittendi sunt huscusque progredi, hoc est, ut me apprehendant; similiter *Alb. Cai. Schegg.* Ea notione verbum ἐᾶν usurpari notum est. Et addit *S. Aug.* et ex eo *Beda* : « sed inter moras verborum interrogantium Dominum et illius respondentis, Petrus defensionis aviditate maiore pro Domino commotione percussit; sed non potuerunt simul dici quae simul fieri potuerunt ». Verum ἐᾶν notione quoque desistendi, omittendi adhibetur; quae notio hic propter Petri actionem et Matth. 26,52 et Ioan. 18,11 praeferenda est.

Sanationis auriculae solus meminit Lucas : *et cum tetigisset auriculam eius sanavit eum;* sed idem in aliorum quoque narrationibus factum esse clare indicatur, cum Petrus in atrio pontificis ab eius servis agnitus nullo modo eius facinoris arguatur neque poenas luat. « Ut reipsa monstraret Iesus se nolle armis defendi a discipulis, resarcivit etiam damnum ab uno discipulorum illatum Petrique errorem emendavit nequaquam oblitus potentiae sive misericordiae suae; tactu sanavit ut ostenderet nec in passione ipsa infirma deesse sibi virtutem illam vivificam qua tam multos saepe aegrotos hactenus sanaverat » (*Luc.*). Cum dicatur ἁψάμενος τοῦ ὠτίου concludunt aliqui (*Luc. Fil.*) auriculam ita fuisse incisam ut non in terram ceciderit sed de extremo filo pependerit; sed ἀφεῖλεν aurem integre esse ablatam significat; *sanavit eum* non dicit vulnus solum esse sanatum (quod vult *Meyer*), sed aurem esse suo loco repositam. Notandum porro est ὠτίον esse quidem nomen deminutivum, sed sublata deminutionis notione; nam plerisque corporis partibus vulgaris dialectus formam tribuit deminutivam, ut τὰ ῥίνια nares, τὸ ὀμμάτιον, στηθίδιον etc. (cf. *Grimm*, Lexicon s. v.); eodem igitur modo de auricula iudicandum erit.

Se tradi non inimicorum suorum arte et machinationibus, sed altiore consilio Iesus ita effert ut simul huius expeditionis nocturnae architectos pudore offundat v. 52 *dixit autem Iesus ad eos qui venerant ad se, principes sacerdotum et magistratus templi;* στρατηγούς i. e. qui excubias templi agentibus erant praefecti (vide v. 4) *et seniores*, aliquos viros nobiliores, synedristas adfuisse, negant aliqui et eam narrationem erroneam esse asserere audent (cf. *Meyer*); verum satis frivole! nam etsi omittamus quod Lucas de diligentissima sua in res gestas inquisitione et earum exploratione affirmat, tamen pro humana agendi ratione ita certum est aliquos synedristarum ibi fuisse, ut quamvis

non narraretur tamen omnino esset colligendum. Eorum enim quam maxime intererat, ut tandem Iesus caperetur; gavisi sunt cum Iudas promitteret proditionem (v. 4); iam antea miserant qui eum apprehenderent, qui tamen non ausi erant : quia nunquam locutus sic est homo, ut hic homo (Ioan. 7,45. 46); proin consultum erat, ut ipsi interessent, ut milites animarent, ut caverent ne Iudas falleret, ut si qui ex plebe Iesum defenderent sua obsisterent auctoritate. Iam quis putet in re adeo gravi quam omnino ad exitum perducere volebant solum missos esse servos vel milites gregarios? Neque verum est ab aliis duobus non fieri mentionem virorum nobilium. Nam : quotidie apud vos sedebam docens in templo (Matth. 26,55 et Marc. 14,49) certe non dici poterat ad illos servos et milites! *quasi ad latronem existis cum gladiis et fustibus;* ita merito compellantur etsi ipsi non gestant fustes et gladios, sed quia milites ita armatos mittunt et comitantur; v. 53 *cum quotidie vobiscum fuerim in templo, non extendistis manum in me, sed haec est hora vestra et potestas tenebrarum,* i. e. nunc ex divino consilio tempus est quo vobis conceditur mihi inferre mortem (cf. *S. Cyr. Euth. Alb. Cai. Ians. Luc. Lamy, Calm. Schegg, Fil.*), atque simul graviter eos monet quo tandem impetu et impulsu agant et agantur, cuius sint instrumenta et cui se mancipaverint : *potestas tenebrarum* i. e. nunc ea quae a luce Dei quam maxime remota sunt, quae Deo sunt inimica, ergo cumprimis satan suam exserere potestatem libere possunt. Sunt qui horam et tenebras de hora noctis explicent quia illi noctem et tenebras elegerunt ut Iesum caperent; qui sensus sane ieiunus et frigidus est ac si Iesus eos solum reprehenderet quod nocte se comprehenderent. Aptius aliqui in ipso sensu metaphorico tamen alludi censent ad tempus noctis; « ideo adversum me in tenebris congregamini quia potestas vestra qua contra lucem armamini in tenebris est » (*Beda*) et *Theoph. :* « revera noctis attentatis opera et potestas vestra tenebrarum est, et idcirco hanc horam observastis quae convenit vobis et operi quo me invaditis » (sim. *Luc.*). Daemones apostolus quoque vocat rectores tenebrarum harum (Eph. 6,12).

b) Triplex Petri negatio 22,54-62.

22,54. Comprehendentes autem eum, duxerunt ad domum principis sacerdotum; Petrus vero sequebatur a longe. 55. Accenso autem igne in medio atrii, et circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum. 56. Quem quum vidisset ancilla quaedam sedentem ad lumen, et

22,54. Συλλαβόντες δὲ αὐτὸν ἤγαγον, καὶ εἰσήγαγον εἰς τὴν οἰκίαν τοῦ ἀρχιερέως. ὁ δὲ Πέτρος ἠκολούθει μακρόθεν. 55. περιαψάντων δὲ πῦρ ἐν μέσῳ τῆς αὐλῆς, καὶ συνκαθισάντων ἐκάθητο ὁ Πέτρος μέσος αὐτῶν. 56. ἰδοῦσα δὲ αὐτὸν παιδίσκη τις καθήμενον πρὸς τὸ φῶς, καὶ ἀτενίσασα

eum fuisset intuita, dixit : Et hic cum illo erat. 57. At ille negavit eum, dicens : Mulier, non novi illum. 58. Et post pusillum, alius videns eum, dixit : Et tu de illis es. Petrus vero ait : O homo, non sum. 59. Et intervallo facto quasi horae unius, alius quidam affirmabat, dicens : Vere et hic cum illo erat; nam et Galilaeus est. 60. Et ait Petrus : Homo, nescio quid dicis. Et continuo, adhuc illo loquente, cantavit gallus. 61. Et conversus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat : Quia prius quam gallus cantet, ter me negabis. 62. Et egressus foras Petrus flevit amare.

αὐτῷ, εἶπεν, Καὶ οὗτος σὺν αὐτῷ ἦν. 57. ὁ δὲ ἠρνήσατο λέγων, Οὐκ οἶδα αὐτὸν γύναι. 58. Καὶ μετὰ βραχὺ ἕτερος ἰδὼν αὐτὸν ἔφη, Καὶ σὺ ἐξ αὐτῶν εἶ. ὁ δὲ Πέτρος ἔφη, Ἄνθρωπε, οὐκ εἰμί. 59. Καὶ διαστάσης ὡσεὶ ὥρας μιᾶς, ἄλλος τις διϊσχυρίζετο, λέγων, Ἐπ' ἀληθείας καὶ οὗτος μετ' αὐτοῦ ἦν· καὶ γὰρ Γαλιλαῖός ἐστιν. 60. εἶπεν δὲ ὁ Πέτρος, Ἄνθρωπε, οὐκ οἶδα ὃ λέγεις. Καὶ παραχρῆμα, ἔτι λαλοῦντος αὐτοῦ, ἐφώνησεν ἀλέκτωρ· 61. καὶ στραφεὶς ὁ Κύριος ἐνέβλεψεν τῷ Πέτρῳ· καὶ ὑπεμνήσθη ὁ Πέτρος τοῦ ῥήματος τοῦ Κυρίου, ὡς εἶπεν αὐτῷ, ὅτι πρὶν ἢ ἀλέκτορα φωνῆσαι σήμερον, ἀπαρνήσῃ με τρίς. 62. καὶ ἐξελθὼν ἔξω ἔκλαυσεν πικρῶς.

In v. 54 D Γ 1. al 15 om και εισηγαγον, sim it pler vulg syr (sin, cu, sch) aeth. In v. 55 περιαψαντων ℵ B L T Eus Ti W H; μεσος B L T Ti W H; D add θερμαινομενος, d cum eis calefaciens se (ex Marc). In v. 56 it pler de eis est qui cum ipso erant semper. In v. 57 γυναι in fine ℵ B L T X sah cop arm Ti W H; om D. In v. 58 b e f i l q et *iterum* post pusillum... *homo* et tu cum illo eras semper; a habet fere ut Matth 26, 71.72 : et egressum illum ad ianuam vidit alia et ait etc.; c o homo non novi hominem. In v. 59 incipit a quem paulo post cum vidisset quidam dixit vere etc. c post pusillum. In v. 61 add ℵ B K L M T X Π al plus 25 sin σημερον; D add μη ειδεναι με, b l hodie nosse. Omittunt v. 62 a b e ff^2 i l* r; sed codd gr verss tat sin eum habent; W H parenthesi includunt, at sane immerito (sin v. 55 ignis positus erat in medio... et sedebant circa eum; sedebat Kephas inter eos; v. 57 mulier, non novi eum; v. 58 sine (desiste), vir, non novi; v. 59 et erat quasi hora una; invaluit (institit) alius; v. 60 om adhuc illo loquente).

Adducitur Iesus narrante Ioanne primum ad Annam (Ioan. 18,13), mox ad Caipham pontificem, de quo solum reliqui tres mentionem faciunt v. 54 *comprehendentes autem eum duxerunt ad domum principis sacerdotum; Petrus vero sequebatur a longe;* cf. Matth. 26,57. 58; Marc. 14,53. 54; actionis iudicialis coram Caipha narrationem texunt alii duo (Matth. 26,59 seq. Marc. 14,55 seq.); Lucas eius non explicite meminit, at satis eam indicat eo quod Iesum in domum pontificis introductum esse dicit; vide textum graecum. Ad quid enim Iesum ceperunt? ut eum morti traderent, at forma quadam iudiciali. Cum itaque ad pontificem introducatur, satis per se patet eo tempore quo Petrus foris in atrio vario modo interrogatus eum negat pontificem non cum silentio in Iesum intendisse oculos sed more iudicis inquisivisse in eum, testes audivisse etc. uti alii narrant. Quare immerito aliqui statuunt Lucam iudicium quod noctu agi alii referant transtulisse in diem sequentem; immerito etiam ideo quia mane factum esse alterum

iudicium etiam Matth. 27,1 clare affirmatur; unde nulla est ratio, cur de Lucae narratione dubium moveatur; v. 55 *accenso autem igne in medio atrii* περιαψάντων cum circum ignem accendissent *et circumsedentibus illis erat Petrus in medio eorum,* erat enim frigus et Petrus accesserat, ut se calefaceret (cf. Ioan. 18,18; Marc. 14,54); v. 56 *quem cum vidisset ancilla quaedam,* ancilla scil. ostiaria Ioan. 18,17; alii solum ancillam quandam pontificis commemorant, *sedentem ad lumen et eum fuisset intuita* ἀτενίσασα fixis scil. oculis, *dixit: et hic cum illo erat;* ergo ibi iam fiebat colloquium inter adstantes de Iesu. Quomodo autem ancilla Petrum ut discipulum agnoverit (id quod nonnemini satis mirum videri posset), declaratur narratione Ioannis, qui ostiariae haud ignotus et cum ea de Petro collocutus Petrum introduxit (Ioan. 18,16).

Petrus vero in illa ministrorum pontificis et inimicorum Iesu societate constitutus et territus v. 57 *negavit eum dicens: mulier, non novi illum;* v. 58 *et post pusillum alius videns eum dixit: et tu de illis es;* ex Matth. et Marc. prius iterum ancilla dicit circumstantibus: et hic erat cum Nazareno; unde eorum attentio in Petrum dirigitur; ergo facillime explicatur et quod Lucas hic dicit et quod Ioannes, dixisse eos: numquid et tu ex discipulis eius es? Tali enim conditione pro hominum more fit ut plures simul loquantur alio aliud clamante; *Petrus vero ait: o homo non sum;* ut antea negavit se ullam habere vel habuisse unquam cognitionem notitiamve Iesu, ita nunc progressione quadam etiam omnem cum eius discipulis societatem et consuetudinem a se amovet. Trinam negationem sedulo et accurate efferunt omnes; v. 59 *et intervallo facto quasi horae unius;* duo alii synoptici dicunt μετὰ μικρόν post pusillum: ὡσεί uti vidimus 9,28 (quasi dies octo, ubi secundum alios spatium est sex dierum) adhibetur apud Lucam etiam ad rem minuendam; dein horae apud veteres non censebantur durationis semper eiusdem; nam a solis ortu usque ad eius occasum numerabantur omni aetate anni horae duodecim; proinde pro vario anni tempore variae erant horae. Unde modus loquendi *quasi horae unius* non multum distat ab illo altero post pusillum; utroque intervallum haud longum significatur; *alius quidam affirmabat dicens: vere et hic cum illo erat, nam et Galilaeus est,* uti in tertia negatione Marc. 14,70 quoque habetur, et Matth. 26,73: nam et loquela tua manifestum te facit; de qua re vide quae notavi ad Matth. l. c.; et apud Ioannem 18,26 cognatus Malchi dicit Petro: nonne ego te vidi in horto cum illo? Ita Petrus a variis in angustias coniicitur; v. 60 *et ait Petrus: homo, nescio quid dicis,* etiam hic progressione quadam negat se posse quidquam intelligere ex iis quae ipsi obiiciant; proinde adeo se ab omni cum Iesu eiusque discipulis commercio abfuisse

affirmat, ut ne intelligat quidem quid et de quo illi loquantur. Insuper coepit detestari et iurare etc. uti alii duo referunt. Lucas rem ita narrat, ut Petro videatur parcere. Cum Lucas sit socius et comes Pauli apostoli, facile concluseris Paulum si unquam de Petri negatione locutus sit modo locutum esse quo fieri potuit clementissimo. Quare ex Lucae narratione illi quoque erroris convincuntur qui simultates inter Petrum et Paulum exstitisse volunt. Aliud notat *Eus.* : « vide quantopere veritati studet evangelista, quomodo Petro haud gratificetur, sed lapsum eius candide enarret, quod ceteri quidem magistro derelicto diffugerint, ille autem omnibus praepositus apostolus, ille inclytus Petrus, procul a cruciatibus et magistratuum minis, ter eum negaverit ».

Et ad ostendendam impletionem praedicationis additur *et continuo adhuc illo loquente* quo narrandi modo aperte indicatur eum plura locutum esse quam quattuor illa vocabula in v. 60, *cantavit gallus;* et iam ostenditur fructus quidam et effectus illius : ego rogavi pro te etc. v. 61 *et conversus Dominus respexit Petrum,* Iesus enim condemnatione a synedristis facta ex aula superiore (cf. Marc. 14,66) ductus est in atrium inferius, ubi Petrus cum ministris versabatur (cf. *Lap. Sylv. Calm. Schegg, Bisp. Reischl, Schanz, Fil.*); mira profecto benignitate Iesus misericordiam impertit apostolo suo et cum ipse constitutus sit in tanta despectione et perpessione, tamen memor est discipuli ignavi eiusque qui adeo graviter deliquerat curam suscipit et intuitu suo simul ei illustrationem et gratiam confert, ut quid deliquerit agnoscat eiusque delicti agat poenitentiam; *et recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat : quia prius quam gallus cantet, ter me negabis,* hodie, in hac nocte (Matth. 26,34; Marc. 14,30); v. 62 *et egressus foras Petrus flevit amare;* « bonae lacrimae quae lavant culpam; denique quos Iesus respicit plorant. Negavit primo Petrus et non flevit, quia non respexerat Dominus; negavit secundo, non flevit quia adhuc non respexerat Dominus; negavit et tertio, respexit Iesus et ille amarissime flevit. Respice Domine Iesu, ut sciamus nostrum deflere peccatum, lavare delictum. Unde etiam lapsus sanctorum utilis; nihil mihi nocuit quod negavit Petrus; profuit quod emendavit; didici cavere alloquia perfidorum » (*S. Ambr.*); « egreditur foras, ut ab impiorum concilio segregatus pavidae negationis sordes liberis fletibus abluat » (*Beda*). Peccat, ut *Alb.* ait, ex infirmitate, ut infirmis compatiatur. Alia vide in Comment. Matth. II p. 481, v. g. quomodo peccaverit, cur Christus eum labi permiserit etc.

Christum aspexisse Petrum oculis corporis clarum est ex ipsis verbis et plerique

etiam affirmant (cf. *Lap. Cord. Sylv.* et recentiores). Id fieri potuit cum Christus finito concilio ex aula educeretur a militibus in atrium vel per atrium, ubi Petrus erat, in illam custodiam in qua usque mane asservaretur. Fieri nequit quod compluribus placuit, ut conversus Petrum aspexerit, cum ab Anna duceretur ad Caipham (Ioan. 18,24). Nam quidquid est de prima negatione, secunda et tertia etiam ex narratione Ioannis fiebat, dum Iesus esset apud Caipham. Bene monet *Lap.* Christum summa providentia ita omnia disposuisse, ut occasio commoda daretur respiciendi Petrum. Christum etiam oculis mentis respexisse Petrum obiiciendo ei foeditatem negationis et stimulando eum ad poenitentiam eumque gratia sua adiuvando pariter certum est. At errant profecto qui solum hoc altero modo Christum respexisse et solum mente se ad eum convertisse existimant. Quam sententiam primus videtur proposuisse *S. Aug.*, ea motus ratione quod Iesus fuerit in interiore atrio; quare non potuisse eum videre oculis corporis, sed solum oculo misericordiae divinitatis (de cons. evang. 3, 6) et : « intus actum est, in mente actum est » (de gratia Chr. 1,49). Secuti sunt s. doctorem *Alb. Bon. Cai. Ians. Luc. Salm.*; eandem sententiam etiam *S. Leo* commendare videtur cum dicat Dominum respexisse Petrum illis oculis, quibus eum praevidisset esse turbandum (serm. 3 de pass. cap. 5; *M.* 54,321) et : « Dominus Iesus qui intra pontificale concilium solo corpore tenebatur, trepidationem discipuli foris positi divino vidit intuitu et paventis animum mox ut respexit erexit et in fletus poenitudinis incitavit » (serm. 9 de pass. cap. 4; *M.* 54,345). Verum hisce prior sententia non excluditur, potius indicari videtur.

Ex eo quod Christus Petrum respexisse dicitur, aliqui (*Meyer, de Wette, Weiss*) perperam concluserunt a Luca rem ita describi ac si Iesus toto illo negationis tempore in eodem cum Petro atrio fuisset; esse vero summe improbabile Petrum Iesu praesente illa omnia dixisse. At illi non satis attendunt quid Lucas narret. Clare enim et perspicue refert in v. 54 Iesum introductum esse *in domum* pontificis καὶ εἰσήγαγον εἰς τὴν οἰκίαν, Petrum autem fuisse medium inter eos qui *in medio atrii* ἐν μέσῳ τῆς αὐλῆς circa ignem accensum sedebant v. 55 idque in v. 56 denuo repetitur Petrum scil. sedisse ad lumen i. e. ignem accensum in medio atrio. Ceterum vide Matth. 26,57.69; Marc. 14,53.66, ubi idem loci utriusque discrimen clare exprimitur.

c) Iesus male habitus a ministris et synedrio 22,63-71.

22,63. Et viri qui tenebant illum, illudebant ei, caedentes. 64. Et velaverunt eum, et percutiebant faciem eius; et interrogabant eum, dicentes : Prophetiza, quis est qui te percussit? 65. Et alia multa blasphemantes dicebant in eum.

66. Et ut factus est dies, convenerunt seniores plebis, et principes sacerdotum, et scribae, et duxerunt illum in concilium suum, dicentes : Si tu es Christus, dic nobis. 67. Et ait illis : Si vobis dixero, non credetis mihi. 68. Si autem et interrogavero, non respondebitis mihi, neque dimittetis. 69. Ex hoc au-

22,63. Καὶ οἱ ἄνδρες οἱ συνέχοντες αὐτὸν ἐνέπαιζον αὐτῷ, δέροντες. 64. καὶ περικαλύψαντες αὐτὸν [ἔτυπτον αὐτοῦ τὸ πρόσωπον, καὶ] ἐπηρώτων λέγοντες, Προφήτευσον, τίς ἐστιν ὁ παίσας σε; 65. καὶ ἕτερα πολλὰ βλασφημοῦντες ἔλεγον εἰς αὐτόν.

66. Καὶ ὡς ἐγένετο ἡμέρα, συνήχθη τὸ πρεσβυτέριον τοῦ λαοῦ, ἀρχιερεῖς τε καὶ γραμματεῖς, καὶ ἀπήγαγον αὐτὸν εἰς τὸ συνέδριον αὐτῶν, λέγοντες, Εἰ σὺ εἶ ὁ Χριστός, εἰπὸν ἡμῖν. 67. εἶπεν δὲ αὐτοῖς, Ἐὰν ὑμῖν εἴπω, οὐ μὴ πιστεύσητε· 68. ἐὰν δὲ ἐρωτήσω, οὐ μὴ ἀποκριθῆτε [ἢ ἀπολύσητε]. 69. ἀπὸ τοῦ νῦν δὲ ἔσται ὁ υἱὸς

tem erit Filius hominis sedens a dextris virtutis Dei. 70. Dixerunt autem omnes: Tu ergo es Filius Dei? Qui ait: Vos dicitis, quia ego sum. 71. At illi dixerunt: Quid adhuc desideramus testimonium? ipsi enim audivimus de ore eius.

τοῦ ἀνθρώπου καθήμενος ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως τοῦ Θεοῦ. 70. εἶπαν δὲ πάντες, Σὺ οὖν εἶ ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ; ὁ δὲ πρὸς αὐτοὺς ἔφη, Ὑμεῖς λέγετε, ὅτι ἐγώ εἰμι. 71. οἱ δὲ εἶπαν, Τί ἔτι ἔχομεν μαρτυρίας χρείαν; αὐτοὶ γὰρ ἠκούσαμεν ἀπὸ τοῦ στόματος αὐτοῦ.

In v. 63 D 69. om δεροντες, pariter a d c i l q r; c viri autem detinentes eum irridebant illum. In v. 64 D 131. περικαλ. αυτου το προσωπον επυπτον αυτον και, sim a q r arm; A X Γ Δ Λ unc 6 al plcr περικαλυψ. αυτον επυπτον αυτου το προσωπον, sim vulg syr (utr); b et viri qui tenebant eum illudebant dicentes; e et viri qui tenebant eum illudebant illum et interrogabant eum dicentes; l add et ligaverunt eum et percutiebant eum. In v. 66 απηγαγον ℵ B D K T al 25 fere; al ανηγαγον. In v. 68 ου μη αποκριθητε sine addit ℵ B L T Cyr cop for Ti W H; al add μοι η απολυσητε. In v. 71 a egemus; c r opus est, d f opus habemus (sin v. 64 percutiebant eum et velabant faciem eius et dicebant; v. 59 a dextris Dei).

Cum Iesus mortis reus esset declaratus coeperunt in eum quasi in hominem plane omni supplicio dignum furere (Matth. 26,67. Marc. 14,65). Lucas in v. 54 quaestionem de Iesu apud pontificem haberi satis innuit. Dum ea quaestio haberetur, Petrus negavit. Iesus autem quaestione illa nocturna finitia variis modis torquetur; « et quoniam Christus est Dei virtus et sapientia et secundum hoc dupliciter honorandus, ideo per oppositum duplex describitur hic dehonoratio Christi, scil. per illusionem ipsius quoad defectum potentiae et quoad defectum sapientiae » (*S. Bon.*), v. 63 *et viri qui tenebant eum,* ita ministri designantur; ex Matthaeo autem et praesertim ex Marco colligendum est etiam quosdam ex synedristis non se continuisse a contumeliis quibus Iesum obruerent, *illudebant ei caedentes*, δέροντες qua voce vehemens verberatio significatur. Lucas quidem synedristas non nominat; at ex iis quae ministri ausi sunt facere nullo impediente, nullo Iesum ex aequo et iure protegente facile colligitur quae eorum fuerit mens et approbatio; v. 64 *et velaverunt eum et percutiebant faciem eius et interrogabant eum dicentes : prophetiza, quis est qui te percussit?* cf. Is. 50,6; v. 65 *et alia multa blasphemantes dicebant in eum*, quae Iesus mira patientia sustinuit; « decet propheticum illud dicere: obstupuit coelum super hoc perhorruitque vehementer! terrae ac coeli Dominus, rerum omnium creator et fabricator, rex regum et Dominus dominantium tamquam unus de nobis contumelia afficitur, tamquam unus de nobis verberari patitur et impiorum risum sustinet, exemplum nobis eximiae patientiae praebens » (*S. Cyr.*).

Etiam mane concilium habitum esse alii duo quoque testantur (Matth. 27,1; Marc. 15,1) quare quae Lucas narrat ab iis quoque egre

gie confirmantur, neque ulla est ratio cum *Euth. Mald. Weiss* unum solum concilium assumere quod vel alii vel Lucas non suo loco referant. Concilium hoc alterum magis celebre fuisse ac legitimum aliqui censent (cf. *Cai. Luc. Lap. Sylv.*); praeceptis talmudicis nocturna iudicia irrita esse declaratur. Neque quod denuo Iesum interrogant sitne Christus sufficit, ut conventus ille in dubium vocetur. Neque opus est dicere Lucam eam quaestionem huic concilio inseruisse, quia prioris concilii mentione non facta quod in duobus gestum sit una narratione comprehenderit. Nam cur eam quaestionem denuo posuerint, ratio invenitur facile. Consilium inierunt mane, ut eum morti traderent, prout Matth. 27,1 refertur. Idcirco inquirunt asseratne idem Iesus quod antea; scil. utrum se Messiam profiteatur etiamtum necne; id quod scire necesse erat, si eum regiae dignitatis appetendae reum sistere volebant Pilato. Denuo interrogant; nam debent esse certi Iesum multas contumelias iam expertum non mutasse sententiam, de qua re fortasse illis suspicio oriebatur; v. 66 *et ut factus est dies convenerunt seniores plebis* τὸ πρεσβυτέριον; cf. Act. 22,5 collegium seniorum, *et principes sacerdotum et scribae*, totum itaque synedrium; notant uno articulo τό tres illos recenseri ordines, quamvis voces genere et numero differant, ut scil. unum ex tribus collegium effici significetur (cf. *Buttmann* p. 85; *Winer* § 19,4. 1; *Schanz*) *et duxerunt illum in concilium suum*, si lectio ἀνήγαγον constaret, innueretur eum e custodia vel carcere in locum altiorem ductum esse, *dicentes: si tu es Christus, dic nobis;* censet *Weiss* totum synedrium quaesivisse, proin circa septuaginta viros; sed ex modo narrandi id minime sequitur quod in se esset satis absurdum; si praeses nomine aliorum quaerit, in concisa narratione sane referri potest, ut Lucas retulit. Quis enim sibi finget septuaginta iudices simul reum interrogare? Neque vertendum est : esne tu Christus? dic nobis!

Iesus autem prius iis ostendit non veritatem ab iis desiderari, sed praeparari calumniam (*Beda*); neque enim quaerunt ut instruantur, sed ut insidientur (*S. Bon.*); v. 67 *et ait illis: si vobis dixero non credetis (mihi)*; v. 68 *si autem et interrogavero non respondebitis mihi neque dimittetis*, vide lect. var.; eorum sententiam et iudicium esse firmum et fixum indicatur; ostendit Iesus iterum se eorum voluntatem malam habere perspectam; *interrogare* sat multi explicant vel de quaestionibus similibus iis quas antea in templo iis posuerit et ad quas non responderint vel de argumentis quibus Messias probetur, de quibus si rogaret nihil responderent vel quae si exponeret illi pariter silerent nec a sua dimoverentur sententia (cf. *S. Cyr. Bed. Theoph. Bon. Cai. Luc. Ians. Bisp. Fil.*); alii tamen concipiunt de quaestione quo

iure ita in se agant (*Schanz, Weiss, Keil*). Verba haec unus refert Lucas. Subdit Christus ea quibus et quis sit declarat et iudicibus illis pessimis minatur v. 69 *ex hoc autem* i. e. post ea quae vos mihi infertis, post mortem statim sine ulla mora (cf. *S. Bon. Alb.*) *erit Filius hominis sedens a dextris virtutis Dei,* nomine Filii hominis se declarat eum de quo Daniel 7,13, Messiam; dein sibi vindicat quae Ps. 109,2 dicuntur : sede a dextris meis, qui igitur in throno divinitatis est exaltatus et cuius inimicos ipse Deus ei subiiciet : donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Respondet itaque iis Iesus eo psalmo quem de Christo dici ipsi antea in templo agnoverant et ex quo illis demonstraverat Messiam dominum Davidis a Davide appellari (20,41 seq.). Ibi nolebant respondere. Hic statim arripiunt id quod Iesus de se affirmat, sed ut eum damnent v. 70 *dixerunt autem omnes,* in turba, confuse et importune, nullo ordine servato, non valentes se continere prae laetitia quod audierint unde eum possent morte mulctare (*Luc.*) : *tu ergo es Filius Dei?* « *tu,* magnam habet contemptus emphasin : tu fabri filius, amicus publicanorum, sabbati praevaricator etc. » (*Luc.*). Ex qua quaestione simul patet synedristas bene nosse quid Iesus de se assereret et quem se esse haud semel praedicasset.

Et Iesus clare iterum suam affirmat dignitatem divinam; *qui ait : vos dicitis, quia ego sum; vos dicitis* est modus affirmandi verum esse quod dixerint; proin : utique, ita, ita est, ita plane; dein cur plane ita sit confirmat : ὅτι quia, *nam ego sum,* ὅτι particula causalis accipi debet (cf. *Ians.* : vos dicitis id quod est, quia ego revera sum Filius Dei; *Bisp. Schegg, Reischl, Schanz, Weiss*); ceterum vide ad Matth. 26,64. Falso aliqui explicant *vos* dicitis me esse, quasi Christus loqueretur ironice vel ambigue vel nescio qua modestia solum diceret se esse Filium Dei (cf. *Theoph. Bed. Bon. Cai. Salm.*); melius *Euth.* : « sciens eos non credituros esse tamen veritatem affirmat, ne postea dicere possent : si confessus fuisset, utique credidissemus ». Cur quaesierint, statim ipsi pandunt : v. 71 *at illi dixerunt : quid adhuc desideramus testimonium?* opus habemus χρείαν ἔχομεν, asserunt nullo alio testimonio opus esse; laetantur id sibi affirmantes, utique merito, postquam omnia quae operose collegerant testimonia misere conciderunt; *ipsi enim audivimus de ore eius* id scil. quod sine alia causa sufficit ut eum specie quadam reum mortis declarent. Id quamvis Lucas non explicite narret, tamen necessario colligendum esse liquet. Quare immerito aliqui dicunt apud Lucam sententiam mortis non pronuntiari. Haec quidem verba non scribuntur; at cum iam supra narratum sit eos quaesivisse quomodo eum interficerent (22,2) et cum nunc dicant se habere testimonium plane sufficiens, manifestum est quale intelli-

gant testimonium. Et cum Iesum ad Pilatum adducant, apud eos sententiam mortis etiam ex Lucae narratione fuisse fixam et firmam quis non videat?

Iuvat hic brevi conspectu ea exhibere quae in narratione passionis Domini solus Lucas refert. Iam vidimus ab eo solum narrari apparitionem angeli et sudorem sanguineum 22,43; bis moneri discipulos; orate ne intretis in tentationem 22,40.46; Iesum Iudae dixisse : Iuda osculo Filium hominis tradis? egressos esse in hortum ad Iesum capiendum principes sacerdotum et magistratus templi v. 52, Iesum conversum respexisse Petrum v. 61, et alia multa blasphemantes eos in eum dixisse v. 65 et id quod de concilio mane habito accuratius habetur v. 66-71.

In sequenti autem capite Lucas solus haec narrat : 23,2 coeperunt eum accusare : hunc invenimus subvertentem gentem nostram et prohibentem tributa dare Caesari et dicentem se Christum regem esse; item v. 5-16 mentione facta Galilaeae mittitur ad Herodem et spernitur et cum revertitur Pilatus secunda vice (cf. v. 4) eius enuntiat innocentiam, at : emendatum illum dimittam; v. 18 exclamasse turbam universam : tolle hunc; v. 22 tertio Pilatus declarat eum nihil mali fecisse neque ullam in eo inveniri causam : corripiam ergo illum et dimittam; v. 23 : et invalescebant voces eorum; v. 25 denuo effert quem dimiserit Pilatus : eum qui propter homicidium et seditionem missus fuerat in carcerem quem petebant; Iesum vero tradidit voluntati eorum; v. 27-32 Iesus alloquitur mulieres plangentes et lamentantes; simul cum Iesu ducebantur duo nequam, ut interficerentur; v. 34 Iesus autem dicebat : Pater dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt; v. 37 milites quoque Christum in cruce pendentem derisisse et v. 35 populum stetisse spectantem; v. 39-43 de latrone poenitente; v. 46 Pater in manus tuas commendo spiritum meum; v. 48 omnem turbam pectora percutientem revertisse; v. 49 omnes notos Iesu stetisse a longe; v. 51 Iosephum ab Arimathaea non consensisse consilio et actibus synedristarum; v. 53 in monumento nondum quemquam fuisse positum; v. 56 mulieres revertentes parasse aromata et unguenta et sabbato quievisse secundum mandatum.

d) Iesus coram Pilato et Herode 23,1-25.

23,1. Et surgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum. 2 Coeperunt autem illum accusare, dicentes : Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dare Caesari, et dicentem se Christum regem esse. 3. Pilatus autem interrogavit eum, dicens : Tu es rex Iudaeorum? At ille respondens ait : Tu dicis. 4. Ait autem Pilatus ad principes sacerdotum et turbas : Nihil invenio causae in hoc homine.

5. At illi invalescebant, dicentes : Commovet populum docens per univer-

23,1. Καὶ ἀναστὰν ἅπαν τὸ πλῆθος αὐτῶν, ἤγαγεν αὐτὸν ἐπὶ τὸν Πειλᾶτον. 2. ἤρξαντο δὲ κατηγορεῖν αὐτοῦ, λέγοντες, Τοῦτον εὕραμεν διαστρέφοντα τὸ ἔθνος ἡμῶν καὶ κωλύοντα φόρους Καίσαρι διδόναι καὶ λέγοντα αὐτὸν Χριστὸν βασιλέα εἶναι. 3. ὁ δὲ Πειλατος ἠρώτησεν αὐτὸν, λέγων, Σὺ εἶ ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων; ὁ δὲ ἀποκριθεὶς αὐτῷ ἔφη, Σὺ λέγεις. 4. ὁ δὲ Πειλᾶτος εἶπεν πρὸς τοὺς ἀρχιερεῖς καὶ τοὺς ὄχλους, Οὐδὲν εὑρίσκω αἴτιον ἐν τῷ ἀνθρώπῳ τούτῳ.

5. Οἱ δὲ ἐπίσχυον λέγοντες, ὅτι ἀνασείει τὸν λαὸν, διδάσκων καθ' ὅλης τῆς Ἰουδαίας.

sam Iudaeam, incipiens a Galilaea usque huc. 6. Pilatus autem audiens Galilaeam, interrogavit si homo Galilaeus esset. 7. Et ut cognovit quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui et ipse Ierosolymis erat illis diebus. 8. Herodes autem viso Iesu gavisus est valde. Erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quod audierat multa de eo, et sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. 9. Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat. 10. Stabant autem principes sacerdotum et scribae constanter accusantes eum. 11. Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo; et illusit indutum veste alba, et remisit ad Pilatum. 12. Et facti sunt amici Herodes et Pilatus in ipsa die : nam antea inimici erant ad invicem.

13. Pilatus autem convocatis principibus sacerdotum, et magistratibus, et plebe, 14. Dixit ad illos : Obtulistis mihi hunc hominem quasi avertentem populum; et ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam inveni in homine isto ex his in quibus eum accusatis. 15. Sed neque Herodes; nam remisi vos ad illum; et ecce nihil dignum morte actum est ei : 16. Emendatum ergo illum dimittam. 17. Necesse autem habebat dimittere eis per diem festum unum. 18. Exclamavit autem simul universa turba, dicens : Tolle hunc, et dimitte nobis Barabbam, 19. Qui erat propter seditionem quandam factam in civitate et homicidium missus in carcerem. 20. Iterum autem Pilatus locutus est ad eos, volens dimittere Iesum. 21. At illi succlamabant, dicentes : Crucifige, crucifige eum. 22. Ille autem tertio dixit ad illos : Quid enim mali fecit iste? nullam causam mortis invenio in eo : corripiam ergo illum, et dimittam. 23. At illi instabant vocibus magnis postulantes ut crucifigeretur; et invalescebant voces eorum. 24. Et Pilatus adiudicavit fieri petitionem eorum. 25. Dimisit autem illis eum qui propter homicidium et seditionem missus

καὶ ἀρξάμενος ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας ἕως ὧδε. 6. Πιλᾶτος δὲ ἀκούσας ἐπηρώτησεν εἰ (ὁ) ἄνθρωπος Γαλιλαῖός ἐστιν, 7. καὶ ἐπιγνοὺς ὅτι ἐκ τῆς ἐξουσίας Ἡρῴδου ἐστίν, ἀνέπεμψεν αὐτὸν πρὸς Ἡρῴδην, ὄντα καὶ αὐτὸν ἐν Ἱεροσολύμοις ἐν ταύταις ταῖς ἡμέραις. 8. ὁ δὲ Ἡρῴδης ἰδὼν τὸν Ἰησοῦν ἐχάρη λίαν· ἦν γὰρ ἐξ ἱκανῶν χρόνων θέλων ἰδεῖν αὐτόν, διὰ τὸ ἀκούειν περὶ αὐτοῦ· καὶ ἤλπιζέν τι σημεῖον ἰδεῖν ὑπ' αὐτοῦ γινόμενον. 9. ἐπηρώτα δὲ αὐτὸν ἐν λόγοις ἱκανοῖς. αὐτὸς δὲ οὐδὲν ἀπεκρίνατο αὐτῷ. 10. εἱστήκεισαν δὲ οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ γραμματεῖς, εὐτόνως κατηγοροῦντες αὐτοῦ. 11. ἐξουθενήσας δὲ αὐτὸν ὁ Ἡρῴδης σὺν τοῖς στρατεύμασιν αὐτοῦ, καὶ ἐμπαίξας, περιβαλὼν ἐσθῆτα λαμπρὰν, ἀνέπεμψεν αὐτὸν τῷ Πειλάτῳ. 12. ἐγένοντο δὲ φίλοι ὅ τε Ἡρῴδης καὶ ὁ Πειλᾶτος ἐν αὐτῇ τῇ ἡμέρᾳ μετ' ἀλλήλων· προυπῆρχον γὰρ ἐν ἔχθρᾳ ὄντες πρὸς ἑαυτούς.

13. Πειλᾶτος δὲ, συνκαλεσάμενος τοὺς ἀρχιερεῖς καὶ τοὺς ἄρχοντας καὶ τὸν λαὸν, 14. εἶπεν πρὸς αὐτούς, Προσηνέγκατέ μοι τὸν ἄνθρωπον τοῦτον, ὡς ἀποστρέφοντα τὸν λαόν· καὶ ἰδοὺ, ἐγὼ ἐνώπιον ὑμῶν ἀνακρίνας οὐθὲν εὗρον ἐν τῷ ἀνθρώπῳ τούτῳ αἴτιον, ὧν κατηγορεῖτε κατ' αὐτοῦ· 15. ἀλλ' οὐδὲ Ἡρῴδης· ἀνέπεμψεν γὰρ αὐτὸν πρὸς ἡμᾶς, καὶ ἰδοὺ, οὐδὲν ἄξιον θανάτου ἐστὶν πεπραγμένον αὐτῷ. 16. παιδεύσας οὖν αὐτὸν ἀπολύσω. [17. ἀνάγκην δὲ εἶχεν ἀπολύειν αὐτοῖς κατὰ ἑορτὴν ἕνα.] 18. ἀνέκραγον δὲ παμπληθεὶ λέγοντες, Αἶρε τοῦτον, ἀπόλυσον δὲ ἡμῖν τὸν Βαραββᾶν· 19. ὅστις ἦν διὰ στάσιν τινὰ γενομένην ἐν τῇ πόλει καὶ φόνον βληθεὶς ἐν τῇ φυλακῇ. 20. Πάλιν δὲ ὁ Πειλᾶτος προσεφώνησεν αὐτοῖς θέλων ἀπολῦσαι τὸν Ἰησοῦν. 21. οἱ δὲ ἐπεφώνουν λέγοντες Σταύρου, σταύρου αὐτόν. 22. Ὁ δὲ τρίτον εἶπεν πρὸς αὐτούς, Τί γὰρ κακὸν ἐποίησεν οὗτος; οὐδὲν αἴτιον θανάτου εὗρον ἐν αὐτῷ· παιδεύσας οὖν αὐτὸν ἀπολύσω. 23. οἱ δὲ ἐπέκειντο φωναῖς μεγάλαις, αἰτούμενοι αὐτὸν σταυρῶσαι· καὶ κατίσχυον αἱ φωναὶ αὐτῶν. 24. καὶ Πειλᾶτος ἐπέκρινεν γενέσθαι τὸ αἴτημα αὐτῶν· 25. ἀπέλυσεν δὲ τὸν διὰ στάσιν καὶ φόνον βεβλημένον εἰς φυλακὴν, ὃν ᾐτοῦντο·

fuerat in carcerem, quem petebant; Iesum vero tradĭdit voluntati eorum. | τὸν δὲ Ἰησοῦν παρέδωκεν τῷ θελήματι αὐτῶν.

Scribunt Πειλατον A B D T Ti W H. In v. 2 b c e ff² i l q r gat eg ken rush add et solventem legem nostram (dub) et prophetas (idem Marcion apud Epiph). In v. 5 c e add et filios nostros et uxores avertit a nobis, non enim baptizantur sicut et nos (nec se mundant e), uti Marcion apud Epiph. In v. 6 non add Γαλιλαιαν ℵ B L T cop Ti W H; add codd pler verss tat; est interpretamentum rectum. In v. 8 εξ ικανων χρονων ℵ B D L T sin; al ικανου, vel add χρονου, ακουειν sine additam ℵ B D K L M T Π aliq minusc sah cop syr (sin, cu) Ti W H; al add πολλα. In v. 10 c instanter, a r vehementer, d fortiter. In v. 11 c vestem splendidum (λαμπράν), tat veste coccinea. In v. 12 D οντες δε εν αηδια ο πιλατος και ο ηρωδης εγεν; sim c d cum essent autem in dissensionem (lite d) pil. et her. facti sunt etc. In v. 15 ℵ B K L M T Π aliq minusc ανεπεμψεν γαρ αυτον προς ημας, ita quoque sah cop f nam remisit eum ad nos, item hub* theod ox*; al ut vulg; utramque lectionem iungunt ger ken; tat misi eum ad illum. In v. 16 a castigatum. Om v. 17 A B K L T Π sah Ti W H a fuld: eum habent post v. 19 D syr (sin, cu). In v. 19 βληθεις B L T Ti W H; al βεβλημενος; εν τη φυλακη ℵ B L T X. In v. 21 σταυρου ℵ B D Ti W H; al σταυρωσον. In v. 23 solum B αυτον σταυρωσαι, al σταυρωθηναι (sin v. 2 et prohibentem nos; v. 3 tu dixisti me esse; v. 6 cum audiret dicentes ex Galilaea eum esse et cum audiret v. 7 eum esse de potestate Herodis misit eum ad Herodem, quia Herodes etc. v. 8 valde cupierat enim; v. 9 et verbis sapientibus interrogabat eum; v. 10-12 om; v. 13 cunctam plebem; v. 14 et dixistis cum commovere populum vestrum et ego etc. et nihil inveni contra eum ex omnibus quae vos in eo reprehenditis; v. 15 neque Herodes ad quem eum misi quidquam dignum morte invenit contra eum neque actum est ei quidquam ad mortem; post v. 16 sequuntur v. 18.19.17.20; in v. 18 dimitte Barabbam (om nobis); v. 19 propter flagitia et caedes coniectus erat in carcerem; v. 17 consuevit Pilatus; v. 20 iterum vocavit eos Pilatus et dixit eis, quia cupiebat dimittere Iesum: quem vultis dimittam vobis? v. 23 dicentes ei: crucifigatur et invalescebat vox eorum et principum sacerdotum cum eis; v. 25 et dimisit eis eum qui propter caedes et flagitia... sicut postularunt).

Apposite notat *Cornely* de modo quo Lucas passionem Domini refert: « ita narratur, ut iniustitia populi magis appareat quam apud Matthaeum, innocentia autem Christi clarius luceat, cum nec Herodes (de quo tacent reliqui) nec Pilatus culpam in eo inveniant » (Introd. III p. 167); v. 1 *et surgens omnis multitudo eorum,* scil. maxima pars synedristarum, de quibus solis sermo erat 22,66-71, *duxerunt illum ad Pilatum;* ius gladii Iudaeis erat ademptum; insuper Iesum morti tradere exoptabant crudelissimae et maxime ignominiosae et simul invidiam eius rei a se depellere apud quos id opus esset (cf. *Beda*); quare et necessarium et utile erat Iesum tribunali romano sistere. Uti Iesum tradiderunt Romanis, ita demum ipsi traditi sunt Romanis (*S. Cyr.*). Capita accusationis ea seligunt quae apud procuratorem romanum valeant v. 2 *coeperunt autem illum accusare*, rem breviter complectitur Lucas; nam quae praecesserint nos docet Ioan-

nes 18,28-32, *dicentes : hunc invenimus subvertentem* διαστρέφοντα pervertentem, abducentem a recto agendi modo, *gentem nostram et prohibentem tributa dare Caesari et dicentem se Christum regem esse;* tria haec ita proponunt ut posterius obiectum semper praecedens confirmet et comprobet (*Ians.*) et ut incrementum accusationis criminisque appareat. Quanta perversitate haec proferant non opus est pluribus declarare; cf. 20,25; regis nomen addunt ac si Iesus regnum temporale appetiisset; ipsi utique talem exoptant Messiam qui Romanis expulsis regnum condat iudaicum; Iesus autem cum turbae vellent eum regem facere fugit in montem solus (Ioan. 6,15). Regis itaque nomen maligne arripiunt; sciebant enim gravissimum haberi crimen apud Romanos, si quis regem se diceret (*Luc.*), qua accusatione simul praesidem, si Iesum nollet condemnare, periculo obiiciebant quasi imperatoris iura non satis tueretur neque rebelles coerceret, quae suspicio gravissimi discriminis erat.

Quod Matth. 27,18 dicitur Pilatum scivisse Iesum per invidiam sibi esse traditum, id Pilato iam in mentem venisse censendum est, cum eas accusationes audiret. Quo enim animo essent principes Iudaeorum et praesertim pharisaei in romanam dominationem et quam aegre eam ferrent habebat perspectum; unde quoque sciebat non futurum fuisse ut hominem contra eam dominationem agitantem ipsi deferrent. Praeterea si quis talia machinatus esset diutius, id pro ea cura et vigilantia qua romani magistratus in populum morosum ac difficilem per exploratores inquirebant diutius latere non potuit. Unde ipsa accusatio Pilato suspecta videri debuit. At pariter pro ipso periculosum erat accusationem spernere et principes Iudaeorum offendere. Quare Iesum lege interrogat; v. 3 *tu es rex Iudaeorum?* « et non facit mentionem de duabus prioribus accusationibus, quia dependebant ab ista » (*Alb.*); *at ille respondens ait : tu dicis* i. e. utique, ita est. Iesum Pilato indolem sui regni explicasse quantum satis erat, narratur Ioan. 18,34-38. Quamvis Lucas id non referat, tamen ex subsequenti Pilati sententia omnino apparet Pilato de indole et natura huius regis plane esse satisfactum v. 4 *ait autem Pilatus ad principes sacerdotum et turbas : nihil invenio causae in hoc homine;* v. 5 *at illi invalescebant,* acrius et maiore impetu instabant, « ut vel clamoribus extorquerent quod rationibus non poterant; sic enim solent quos veritas destituit, conscii sibi quod argumentis vincere nequeant clamores intendere et varia undique collecta, crimina criminibus, mendacia mendaciis accumulare » (*Luc.*), *dicentes : commovet populum* ἀνασείει concitat, facit eum seditiosum (*Ians.*), excitat in seditionem (*Lamy*) *docens per universam Iudaeam incipiens a Galilaea usque huc,* totam

itaque eius vitam et doctrinam accusant ut seditiosam. Iudaeam intelligi non provinciam (*Fil.*) sed generaliter totam regionem palaestinensem a Iudaeis inhabitatam, ostenditur, ut bene monet *Luc.*, eo quod subditur : incipiens a Galilaea (cf. *Ipr. Schanz*). Consulto eos Galilaeae nomen inseruisse aliqui censent, ut timorem Pilato iniicerent suamque accusationem firmarent eo quod Galilaei tamquam homines seditiosi et inquieti Pilato iam essent noti (cf. 13,1; *Theoph. Ians. Salm. Luc. Ipr. Lamy*); v. 6 *Pilatus autem audiens Galilaeam interrogavit si homo Galilaeus esset*, v. 7 *et ut cognovit quod de Herodis potestate esset*, cum enim in Nazareth adolevisset (2,51) Nazarenus vocabatur et a Nazareth venire dicebatur (Matth. 21,11; 26,71. Marc. 1,24; 10,47; 16,6. Luc. 4,34; 18,37. Ioan. 1,45; 18,5. Act. 2, 22 etc.); Herodes Antipas (cf. 3,1; 13,31) erat tetrarcha Galilaeae et Peraeae, *remisit eum ad Herodem*, ex iure romano *remittitur* reus qui alicubi comprehensus mittitur ad iudicem originis seu habitationis (*Rosenmüller*), *qui et ipse Ierosolymis erat illis diebus* scil. propter festum paschale. Censet quidem *Theoph.* Pilatum id fecisse ut legi romanae obsequeretur qua cautum sit ut a principe suae quisque regionis iudicetur; at bene notat *Luc.* eum ea lege minime fuisse adactum, cum de iudicio Galilaei in Iudaea apprehensi et accusati ageretur. Neque eum remisit, ut Herodis sententiam exquireret, verum ut odiosam hanc a se amoliretur causam et ut se extricaret ab eius iudicio (ita plerique; cf. *Bed. Bon. Cai. Salm. Ians. Luc. Ipr. Sylv. Calm. Schanz, Fil. Keil, Weiss, Sp.*). Perspexerat enim Iesum non esse criminis reum; neque tamen ei consultum videbatur eum absolvere cuius condemnationem tanto studio principes Iudaeorum expetebant. Hos enim offendere periculo non carebat, praesertim si ad Imperatorem deferrent hominem seditiosum esse a procuratore dimissum liberum. Quare occasionem hanc amovendi a se rem intricatam avide arripuit.

Providentia divina id factum esse merito monent, quo Iesu innocentia a pluribus haberet testimonium v. 8 *Herodes autem viso Iesu gavisus est valde; erat enim cupiens ex multo tempore videre eum eo quod audierat multa de eo et sperabat signum aliquod videre fieri ab eo*, quod ipsum editurum exspectabat vel in sui honorem vel ob propriam liberationem; uti voluit Iesu tamquam qui se delectaret et praestigiatorum vel ioculatorum more artificia quaedam mira et res stupendas ederet pascendae aliorum curiositatis gratia; v. 9 *interrogabat autem eum multis sermonibus*, diu itaque et variis modis tentabat: *at ipse nihil ei respondebat;* quod ipse unice cupiebat, indignum erat Christo; pro sua luxuria, tyrannide plane indignus erat quem Iesus alloqueretur, cum voluptatibus immersus nollet resipiscere; v. 10

stabant autem principes sacerdotum et scribae constanter εὐτόνως acriter (*Cai. Luc.*), intente, *accusantes eum;* verum Herodes quoque eorum accusationes spernit et nulla consideratione dignas esse manifestat. Sed silentio et contemptu Iesu sibi ostenso offensus eam capit vindictam quam ab homine superbo et voluptario exspectaveris v. 11 *sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo* cum satellitibus suis, qui uti aulicorum saepe est vilis servitus et adulatorum assentatio regis ad exemplum se studiose componunt *et illusit indutum veste alba* λαμπράν veste splendida, fulgente, *et remisit ad Pilatum;* insinuat igitur Pilato hominem esse fatuum et irridendam esse regii nominis usurpationem, non serio vindicandam. Candida veste reges in pompa festiva uti solebant (vide infra).

Cum λαμπρός non per se significet vestem candidam vel albam, sed splendidam, fulgentem, magnificam (Syrus explicat coccineam), quaeritur possitne vestis *alba* intelligi. Vertitur λαμπρός in *vulg.* Act. 10,30 *candida* veste, Iacob 2,2 item, sed v. 3 veste praeclara, Apoc. 15,6 lino candido, 18,14 praeclara, 19,8 byssino splendenti, 22,1 splendidum (tamquam crystallum), 22,16 stella splendida. Quibus exemplis iam satis constat posse intelligi vestem splendide albam. Accedit quod veste candida uti solebant reges cum pompa festiva induti in publicum prodirent. Ita narrat Iosephus Agrippam regem veste indutum tota ex argento admirabili opere contexta processisse Caesareae in theatrum, cum in hònorem Caesaris spectacula ederentur (Antiq. 19,8,2); idem refert Archelaum, cum per dies septem patrem mortuum luxisset vestem induisse candidam (λευκήν) et in templum ascendisse, ubi laetis populi acclamationibus sit exceptus (Bell. iud. 2,1.1); alia exempla praebet *Wetstein*. Quare non est cur dubitetur rectene versum sit in vulg. veste *alba*. Negant aliqui (*Cai. Schegg*) eum esse ea veste indutum ad Pilatum remissum. Quod in *vulg.* legitur, ita concipi potest. In textu graeco autem περιβαλών videtur referri debere ad ἀνέπεμψεν (cf. *Schanz*, *Weiss*).

Bene notat *S. Bon.* : « sprevit tamquam impotentem quia signum non fecit, tamquam ignorantem quia verbum non respondit, tamquam stolidum quia coram accusantibus se non defensavit » et *Ians.* : « paucis quidem verbis evangelista complexus est quae Dominus ab Herode eiusque exercitu est passus, nobis tamen contemplandi reliquit campum et eum satis amplum. Cogitandum enim quomodo hic ipsa Dei Patris sapientia velut fatua contemnitur atque e sublimi ridetur, quomodo is qui rex regum erat et dominus dominantium tamquam vanus rex et ridendus veste alba suspenditur naso. Cogitandum quomodo milites Herodis pro se quisque strenue sui domini contemptum vindicare studuerint certatim Christo illudendo variis modis » etc.

Quod Pilatus misit Iesum Nazarenum ad Herodem, Herodi honori vertebatur, insuper Pilatus censeri poterat agnoscere et profiteri Herodis iurisdictionem; Herodes vero ex sua parte cum Iesum quamvis nullius criminis reum tamen non liberum dimitteret, sed ad Pilatum remitteret, videri poterat agi reverentia quadam nominis et imperii

romani, contra quod deliquisse Iesum principes Iudaeorum accusabant; quare romani magistratus esse de ea quaestione iudicare. Habuit igitur uterque quod ab altero sibi gratum factum esse existimaret; unde v. 12 *et facti sunt amici Herodes et Pilatus in ipsa die, nam antea inimici erant ad invicem;* en Messias, princeps pacis, pacem efficit inter suos iudices maxime iniustos et id beneficii cuius capaces sunt eis confert tempore quo ipse iniuste et ignominiose tractatur. Causam simultatis et inimicitiarum aliqui assignant caedem Galilaeorum quorum sanguinem miscuit Pilatus cum sacrificiis eorum (13,1; cf. *Alb. Cai. Salm. Ians. Calm.*) aliis id negantibus. Pilatus superbe et importune iuribus aliorum neglectis dominabatur; Herodes aegre tulit partem regni olim herodiani a Romanis occupari, ab Herodiade, muliere ambitiosissima, continuo incitabatur, ut suam assereret, augeret auctoritatem, regiam appeteret dignitatem. Quid itaque facilius quam ut inter eiusmodi homines dominandi cupidos haberentur contentiones assiduae?

« Quantum dimittendi Iesu studium gerat Pilatus attende » (*Beda*) v. 13 *Pilatus autem convocatis principibus sacerdotum et magistratibus* τοὺς ἄρχοντας, duces, primores, proin reliquos synedristas, *et plebe,* cum accusatio esset de seditione in populo excitata vel tentata per Iesum, haud incongrue ad populum quoque sermonem dirigit sperans ex eo testes et defensores pro Iesu exorituros, v. 14 *dixit ad illos : obtulistis mihi hunc hominem quasi avertentem populum, et ecce, ego coram vobis interrogans* ἀνακρίνας usu forensi et iudiciali quaestionem habens, inquirens; in isto *coram vobis* aliqui inveniunt contradictionem cum Ioan. 18,33 seq. (cf. *Weiss*); at immerito; cum enim omnes historiam passionis summatim referant et nullus singula et omnia quae facta sint, iam temerarium est velle ex uno narratore decernere Iesum solum semel in praetorio coram solo procuratore esse quaesitum. Insuper Matth. 27,12 et Marc. 15,3 seq. habetur satis indicii Pilatum etiam coram accusatoribus quaestionem instituisse, *nullam causam inveni in homine isto ex his in quibus eum accusatis;* v. 15 *sed neque Herodes; nam remisi vos ad illum,* vel ut alia lectio habet quae auctoritate codicum graecorum et se ipsa satis commendatur : nam remisit eum ad nos, et quid ista remissione significatum sit declarat cum aliqua emphasi : et ecce nihil dignum morte est ab eo commissum; ita graece (cf. *Schanz, Fil. Keil, Weiss, Sp.*); *et ecce nihil dignum morte actum est ei,* scil. ab eo; ita verba quoque latina explicari debent; nam nihil dignum morte dicit crimen nullum quod mortis poena eluendum sit, ergo necessario verti debet actum est ab eo. Quod quandoque dicunt : nihil quod vel verbis vel rebus ipsis significaret eum esse dignum

morte actum est ei ab Herode (cf. *Luc. Calm.*), non est expositio verborum, sed alia plane sententia; v. 16 *emendatum ergo illum dimittam* i. e. flagellatum; ne scil. principes Iudaeorum qui tanto studio Iesum accusabant nimium sibi redderet infensos, non vult Iesum plane absolvere, sed poena flagellationis imposita iis tamen aliquo modo satisfacere. Timebat enim, ut *Theoph.* ait, calumniam, ne accusaretur quod rebellem absolvisset; vult flagellationem decernere « ad solatium et repressionem irae illorum, ut cohiberentur ab ulteriore insania » (*Euth.*). Dicit itaque : nihil commisit morte dignum tam me iudice quam Herode; proinde eum non possum interficere; quia tamen vos offendit iubebo eum verberibus caedi, ut vobis satisfaciam, ne temere videatur a vobis accusatus (ita *Luc.;* similiter *S. Bon. Ipr. Calm.* et recentiores).

Opportune, uti Pilatus existimavit, accidit ut eo tempore turba adesset exspectans ex more liberationem unius captivi ad festum paschale (cf. Matth. 27,15; Marc. 15,8). Rem omnino succincte narrat Lucas perversitatem turbae maxime describens qua Pilatus ab omni conatu Iesum liberandi tandem se deiici passus est; v. 17 *necesse autem habebat dimittere eis per diem festum unum,* haec videtur esse glossa satis antiqua, qua aliquo modo abrupta narratio in v. 18 explicetur; vide lect. var., v. 18 *exlamavit autem simul universa turba,* exclamaverunt ad unum omnes (cf. παμπληθεί) *dicens : tolle hunc et dimitte nobis Barabbam* v. 19 *qui erat propter seditionem quandam factam in civitate et homicidium missus in carcerem;* cf. Act. 3,14 vos autem sanctum et iustum negastis et petistis virum homicidam donari vobis, auctorem vero vitae interfecistis (*S. Cyr. Bon.*). Pilatus iam se paratum declaraverat ad Iesum flagellandum; qua concessione se ostendebat conniventem furori accusatorum. Inde accusatores quid importunis clamoribus effici possit discunt; parta ea victoria eorum furor non minuitur, sed acuitur. Pilatus a iustitia deflectere coeperat; inconstantia eius animantur et provocantur ad consilium suum ardentius prosequendum. Pilatus iam non agit pro sua iudicis auctoritate, verum rem transigere vult cum turba; quae est Iudaeorum obstinatio, contumacia, non poterit non causam perdere v. 20 *iterum autem Pilatus locutus est ad eos volens dimittere Iesum;* contra principes Iudaeorum turbam appellat, ut turba eum liberet quem illi condemnatum volunt quem ipse tamen innoxium cognovit et pronuntiat; o miseram ignavi iudicis conditionem! ope turbae Iesum liberantis sperat se evitaturum invidiam et vindictam primorum Iudaeorum; misere fallitur v. 21 *at illi succlamabant : crucifige, crucifige eum;* cf. Matth. 27,19. 20; v. 22 *ille autem tertio dixit ad eos : quid enim mali fecit iste? nullam causam*

mortis invenio in eo εὕρον inveni (uti habent am big ger theod lind a gat); iterum provocat ad inquisitionem factam et mediam quandam viam sequi conatur, ut compositione quadam facta et illi recedant a postulatione mortis et ipse poenam infligat quae non debetur innocenti : *corripiam ergo illum* flagellari eum iubebo *et dimittam;* verum tali iudicis obsequio illi magis incitantur ut clamoribus instent et iudicem titubantem ad suas partes propellant v. 23 *at illi instabant vocibus magnis postulantes ut crucifigeretur et invalescebant voces eorum;* cf. Ioan. 19,12-15; Matth. 27,23-26; v. 24 *et Pilatus adiudicavit fieri petitionem eorum,* unde merito ait Petrus : viri Israelitae, Iesum Nazarenum... per manus iniquorum affigentes interemistis (Act. 2,24); retulerunt victoriam de Pilato, sed haec victoria, ut *S. Cyr.* ait, erat exitii et interitus eorum; v. 25 *dimisit autem illis eum qui propter homicidium et seditionem missus fuerat in carcerem quem petebant, Iesum vero tradidit voluntati eorum;* rei indignitatem et scelus horrendum non sine animi commotione effert evangelista repetens qualem hominem prae Iesu petierint et sibi elegerint.

e) Iesus crucifigitur et moritur 23,26-49.

23,26. Et quum ducerent eum, apprehenderunt Simonem quemdam Cyrenensem venientem de villa, et imposuerunt illi crucem portare post Iesum. 27. Sequebatur autem illum multa turba populi et mulierum, quae plangebant, et lamentabantur eum. 28. Conversus autem ad illas Iesus, dixit : Filiae Ierusalem, nolite flere super me; sed super vos ipsas flete, et super filios vestros. 29. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent : Beatae steriles, et ventres qui non genuerunt, et ubera quae non lactaverunt. 30. Tunc incipient dicere montibus : Cadite super nos; et collibus : Operite nos. 31. Quia si in viridi ligno haec faciunt, in arido quid fiet? 32. Ducebantur autem et alii duo nequam cum eo, ut interficerentur.

33. Et postquam venerunt in locum, qui vocatur Calvariae, ibi crucifixerunt eum, et latrones, unum a dextris, et alterum a sinistris. 34. Iesus autem dicebat : Pater, dimitte illis : non enim sciunt quid faciunt. Dividentes vero vesti-

23,26. Καὶ ὡς ἀπῆγον αὐτὸν, ἐπιλαβόμενοι Σίμωνά τινα Κυρηναῖον ἐρχόμενον ἀπ' ἀγροῦ, ἐπέθηκαν αὐτῷ τὸν σταυρὸν φέρειν ὄπισθεν τοῦ Ἰησοῦ. 27. Ἠκολούθει δὲ αὐτῷ πολὺ πλῆθος τοῦ λαοῦ, καὶ γυναικῶν, αἳ ἐκόπτοντο καὶ ἐθρήνουν αὐτόν. 28. στραφεὶς δὲ πρὸς αὐτὰς Ἰησοῦς εἶπεν, Θυγατέρες Ἰερουσαλὴμ, μὴ κλαίετε ἐπ' ἐμέ, πλὴν ἐφ' ἑαυτὰς κλαίετε καὶ ἐπὶ τὰ τέκνα ὑμῶν. 29. ὅτι ἰδοὺ, ἔρχονται ἡμέραι ἐν αἷς ἐροῦσιν, Μακάριαι αἱ στεῖραι, καὶ αἱ κοιλίαι αἳ οὐκ ἐγέννησαν, καὶ μαστοὶ οἳ οὐκ ἔθρεψαν. 30. τότε ἄρξονται λέγειν τοῖς ὄρεσιν, Πέσετε ἐφ' ἡμᾶς· καὶ τοῖς βουνοῖς, Καλύψατε ἡμᾶς. 31. ὅτι, εἰ ἐν ὑγρῷ ξύλῳ ταῦτα ποιοῦσιν, ἐν τῷ ξηρῷ τί γένηται; 32. Ἤγοντο δὲ καὶ ἕτεροι κακοῦργοι δύο σὺν αὐτῷ ἀναιρεθῆναι.

33. Καὶ ὅτε ἦλθον ἐπὶ τὸν τόπον τὸν καλούμενον Κρανίον, ἐκεῖ ἐσταύρωσαν αὐτὸν, καὶ τοὺς κακούργους, ὃν μὲν ἐκ δεξιῶν, ὃν δὲ ἐξ ἀριστερῶν. [34. ὁ δὲ Ἰησοῦς ἔλεγεν, Πάτερ, ἄφες αὐτοῖς· οὐ γὰρ οἴδασιν τί ποιοῦσιν.] διαμεριζόμενοι δὲ τὰ ἱμάτια

menta eius, miserunt sortes. 35. Et stabat populus spectans, et deridebant eum principes cum eis, dicentes : Alios salvos fecit; se salvum faciat, si hic est Christus Dei electus. 36. Illudebant autem ei et milites accedentes, et acetum offerentes ei, 37. Et dicentes : Si tu es rex Iudaeorum, salvum te fac. 38. Erat autem et superscriptio scripta super eum litteris graecis, et latinis, et hebraicis : HIC EST REX IUDAEORUM.

39. Unus autem de his, qui pendebant, latronibus, blasphemabat eum, dicens : Si tu es Christus, salvum fac temetipsum et nos. 40. Respondens autem alter increpabat eum, dicens : Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es? 41. Et nos quidem iuste : nam digna factis recipimus; hic vero nihil mali gessit. 42. Et dicebat ad Iesum : Domine, memento mei, quum veneris in regnum tuum. 43. Et dixit illi Iesus : Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.

44. Erat autem fere hora sexta, et tenebrae factae sunt in universam terram usque in horam nonam. 45. Et obscuratus est sol; et velum templi scissum est medium. 46. Et clamans voce magna Iesus ait : Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et haec dicens, expiravit. 47. Videns autem centurio quod factum fuerat, glorificavit Deum, dicens : Vere hic homo iustus erat. 48. Et omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud, et videbant quae fiebant, percutientes pectora sua revertebantur. 49. Stabant autem omnes noti eius a longe; et mulieres, quae secutae eum erant a Galilaea, haec videntes.

αὐτοῦ, ἔβαλον κλῆρον. 35. καὶ εἱστήκει ὁ λαὸς θεωρῶν. Ἐξεμυκτήριζον δὲ καὶ οἱ ἄρχοντες λέγοντες, Ἄλλους ἔσωσεν, σωσάτω ἑαυτόν, εἰ οὗτός ἐστιν ὁ Χριστὸς τοῦ Θεοῦ ὁ ἐκλεκτός. 36. ἐνέπαιξαν δὲ αὐτῷ καὶ οἱ στρατιῶται, προσερχόμενοι, ὄξος προσφέροντες αὐτῷ, 37. καὶ λέγοντες, Εἰ σὺ εἶ ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων, σῶσον σεαυτόν· 38. Ἦν δὲ καὶ ἐπιγραφὴ ἐπ' αὐτῷ, Ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων οὗτος.

39. Εἷς δὲ τῶν κρεμασθέντων κακούργων ἐβλασφήμει αὐτόν, Οὐχὶ σὺ εἶ ὁ Χριστός; σῶσον σεαυτὸν καὶ ἡμᾶς. 40. Ἀποκριθεὶς δὲ ὁ ἕτερος ἐπετιμῶν αὐτῷ ἔφη, Οὐδὲ φοβῇ σὺ τὸν Θεὸν, ὅτι ἐν τῷ αὐτῷ κρίματι εἶ; 41. καὶ ἡμεῖς μὲν δικαίως· ἄξια γὰρ ὧν ἐπράξαμεν ἀπολαμβάνομεν· οὗτος δὲ οὐδὲν ἄτοπον ἔπραξεν. 42. καὶ ἔλεγεν, Ἰησοῦ, μνήσθητί μου [κύριε] ὅταν ἔλθῃς εἰς τὴν βασιλείαν σου. 43. καὶ εἶπεν αὐτῷ, Ἀμήν σοι λέγω, σήμερον μετ' ἐμοῦ ἔσῃ ἐν τῷ παραδείσῳ.

44. Καὶ ἦν ἤδη ὡσεὶ ὥρα ἕκτη, καὶ σκότος ἐγένετο ἐφ' ὅλην τὴν γῆν ἕως ἐνάτης 45. τοῦ ἡλίου ἐκλείποντος, ἐσχίσθη δὲ τὸ καταπέτασμα τοῦ ναοῦ μέσον· 46. καὶ φωνήσας φωνῇ μεγάλῃ ὁ Ἰησοῦς εἶπεν, Πάτερ, εἰς χεῖράς σου παρατίθεμαι τὸ πνεῦμά μου. τοῦτο δὲ εἰπὼν ἐξέπνευσεν. 47. Ἰδὼν δὲ ὁ ἑκατοντάρχης τὸ γενόμενον ἐδόξαζεν τὸν Θεὸν, λέγων, Ὄντως ὁ ἄνθρωπος οὗτος δίκαιος ἦν. 48. καὶ πάντες οἱ συμπαραγενόμενοι ὄχλοι ἐπὶ τὴν θεωρίαν ταύτην, θεωροῦντες τὰ γενόμενα, τύπτοντες τὰ στήθη ὑπέστρεφον. 49. εἱστήκεισαν δὲ πάντες οἱ γνωστοὶ αὐτῷ ἀπὸ μακρόθεν, καὶ αἱ γυναῖκες αἱ συνακολουθοῦσαι αὐτῷ ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας, ὁρῶσαι ταῦτα.

In v. 26 add tat Iesus enim praecedebat et crux eius erat post illum. In v. 27 D γυναικες sim mulieres c d f r syr (sin, cu, sch), a quae plangebant se et lamentabant. In v. 28 b add tacete. In v. 29 εθρεψαν ℵ B C* L; Ti WH; nutrierunt b d e ff² l r, nutricaverunt c, educaverunt a; al εθηλασαν. In v. 32 duo latrones a b e f ff² l, rel c; l add nomina : iothas et maggatras. Omittitur v. 34a in B D* 38.435 sin a b d; sed de eo dubium moveri nequit, cum habeatur non solum in aliis codd verss tat, sed etiam Patrum testimoniis confirmetur Ir Or Const Eus Chr Hil Clem (hom 11,20), Act Pil Heges apud Eus (h. e. 2,20.16);

κληρους A X aliq minusc it vulg Aug. In v. 35 οι αρχοντες sine addit ℵ B C D L Q X aliq minusc b c d e ff² l r cop syr (sch, hr) aeth Ti W H; proin populus solum adest θεωρῶν; eg rush gat add cum sadducaeis; tol cum fariseis. In v. 37 add : ave rex iudaeorum (libera te c), imposuerunt autem illi et spineam coronam c d D syr (cu). In v. 38 non add γραμμασιν ελλην etc. in ℵ^{ca} B C* L a sah cop syr (sin, cu) Ti W H. In v. 39 B L sin ουχι; sim a b ff² r nonne, item sah cop syr(cu, hr) arm aeth; D d e om quae post *blasphemabat eum* leguntur. In v. 41 C* απελαβαμεν, recepimus a b r am fuld ing* corp lind; percepimus c; D πονηρον. In v. 42 D και στραφεις προς τον κυριον ειπεν αυτω; μνησθητι μοι sine κυριε ℵ B C* D L aliq minusc a sah cop syr (hr) Or Bas (sel or 24) Ti W H (Ti W H Ιησου ponunt ut vocativum, uti sah cop Or); memor esto b c e ff² l q r. In v. 43 D add θαρσει, d animequior esto, hodie etc. In v. 45 του ηλιου εκλ. ℵ B L aliq minusc; al και εσκοτισθη ο ηλιος. In v. 48 D τα στηθη και τα μετωπα pectora et frontes d; frontes c; add ger dicentes vae nobis quae facta sunt hodie propter peccata nostra. adpropinquavit enim desolatio hierusalem; sim syr (cu) et Ephraem in comment. ad Diatessaron : hic erat Filius Dei. (sin v. 26 ut portaret crucem et veniret post Iesum; v. 27 et venit post eum multitudo populi; v. 29 venient enim dies; v. 30 tunc incipietis dicere; v. 31 in arido quid facient; v. 34 solum ita : et diviserunt vestes eius et sortiti sunt de eis; v. 35 et deridebant eum cum eis principes; v. 36 om acetum offerentes; v. 37 et dicentes : pax tibi; v. 38 et posuerunt in capite eius coronam spinarum et scripta erat causa (sors) et posita super eum; hic est rex Iudaeorum; v. 40 et reprehendit eum socius eius alter et dixit ei... etiam nos sumus in poena; v. 41 et sicut fecimus, retributionem accepimus; v. 42 et dixit ad Iesum : domine mi; v. 44 et sol obscuratus est; v. 46 pono spiritum meum, et exspiravit; v. 48 tundebant pectora sua et dicebant : vae nobis, quid fit, vae nobis, quid peccavimus).

Iesum nobis describit evangelista misercordissimum quia sua tormenta oblitus aliorum sorte occupatur eorumque miseria intime tangitur, qui pro suis interfectoribus Patrem rogat et latroni poenitenti paradisi ianuas aperit. Unde talem nobis exhibet Iesum patientem et morientem qualis peccatoribus erit firmissimo fiduciae et consolationis documento; v. 26 *et cum ducerent eum*, non commemorat flagellationem[1]; irrisiones militum, coronam spineam etc.; censent eum nolle culpam magistratus romani ita efferre (cf. *Schanz*); at si dicunt eum rem ita describere ut ipsi Iudaei videantur supplicium sumere de Iesu, id concedi nequit. Nam postulata erat crucifixio et haec a Pilato decreta (v. 21. 23. 25); iam haec poena Iudaeis non erat usitata neque Iudaei habebant ius gladii; inde iam concludi debet supplicium non esse a Iudaeis inflictum; insuper dubium nullum moveri potest, cum in ipsa narratione et militum et centurionis mentio fiat (v. 36. 47). Quare et ex antecedentibus, ex supplicii genere et ex subsequentibus satis docemur etiam a Luca qui Iesum duxerint ad supplicium; *apprehenderunt*

1. Eam esse inflictam eo magis omitti potuit, quia apud Romanos in more positum erat quemvis ante supplicium virgis, fustibus vel flagellis caedere; cf. *Zestermann*, die Kreuzigung bei den Alten p. 26.

Simonem quendam Cyrenensem venientem de villa ἀπ' ἀγροῦ ex agro, rure; de usu et iure angariandi vide ad Matth. 5,41; de Simone cf. Matth. 27,32 *et imposuerunt illi crucem portare post Iesum;* Iesum per aliquod tempus crucem baiulasse, sequitur ex Ioan. 19,17; verum mox propter nimiam Iesu debilitatem tot iam tormentis effectam crux ei ablata et Simoni est imposita. Simonem crucem totam gestasse vide ad Matth. l. c. et ad Marc. 15,21; « bonus ordo nostri profectus est, ut prius crucis suae tropaeum ipse erigeret, deinde martyribus traderet erigendum » (*S. Ambr.*); « intelligitur primo a Domino crucem portatam ac deinde Simoni impositam, congruo satis ordine mysterii » (*Beda*).

Solus Lucas narrat de hac via crucis v. 27 *sequebatur autem illum multa turba populi et mulierum quae plangebant* ἐκόπτοντο proprie sese tundebant, pectora tundebant prae moerore, uti orientalium est eiusmodi edere signa doloris *et lamentabantur* ore et oculis (*Luc.*) *eum;* « pronum quippe ad lacrimas semper femineum genus atque ad misericordiam flexanimum » (*S. Cyr.*) et valuit earum planctus ad damnandam impiam Iudaeorum crudelitatem; neque enim aliud poterat imbellis sexus adversus coniuratam, magnatum praesertim, impietatem (*Luc.*). Pio profecto affectu prosecuti sunt Iesum innocentem, de omnibus optime meritum quem nunc ad supplicium rapi post acerba tormenta vident. Eas non fuisse mulieres quae ex Galilaea secutae ei ministraverant patet ex allocutione v. 28 *conversus autem ad illas Iesus dixit : filiae Ierusalem, nolite flere super me,* non mea sors est deflenda; Iesus enim morte sua calicem bibit quem ei Pater dat, redemptionem mundi peragit, peccata expiat, Patri honorem offert immensum et satisfactionem abundantem pro hominum delictis; ipse per passionem intrat in gloriam suam (cf. *Bed. Theoph. Alb. Bon.*); *sed super vos ipsas flete et super filios vestros,* propter horrendam illam acerbitatem et miseriam quae genti iudaicae imminet et quam ultionem divinam sibi ipsi imprecati sunt (Matth. 27,25). Talis autem strages et clades populi et in se maxime lacrimis digna est et singulis quoque multiplicem afferet asperitatem, quia in communi plaga ad unum omnes affliguntur.

Et quanta futura sit calamitas declarat v. 29 *quoniam ecce venient dies in quibus dicent : beatae steriles et ventres qui non genuerunt et ubera quae non lactaverunt;* repetitio haec facta variis phrasibus ad epitasin et exaggerationem facit; modis omnibus beatas esse praedicandas quibus non sint liberi. Alias proles numerosa inter Dei benedictiones refertur et sterilis infelix et quasi maledicto obnoxia habetur; verum tempore summae tribulationis matres optabunt nullos sibi esse

liberos et omnium iudicio a copia filiorum infelices censebuntur ob malorum magnitudinem quam in se et toties auctam experientur quot filios videre cogentur afflictos; magis quoque filiorum quam suis malis tanguntur (*Luc.*). Steriles autem comparatione earum beatae quia earum calamitas non augetur calamitate filiorum. Gratias agit Elisabeth de opprobrio sterilitatis ablato (1,25); sed tanta ingruet malorum moles, ut opprobrium istud iam in magni beneficii loco habeatur (similes locos apud profanos recenset *Wetstein*); v. 30 *tunc incipient dicere montibus : cadite super nos, et collibus : operite nos!* cf. Os. 10,8; Apoc. 6,16; prae malorum magnitudine et impendentium exspectatione et metu exoptant ut ruinis montium opprimantur, ut horrendo sed celere mortis genere eripiantur malis praesentibus et timoribus impendentium. Tanta igitur erit acerbitas rerum, ut dirum mortis genus anxie efflagitent (cf. *Luc. Ipr.*). Verba non posse cum aliquibus (*Bed. Bon. Wetstein*) explicari de iis qui in speluncis et cavernis more veterum Iudaeorum se abdant ut tuti sint ab hostium incursu (1 Reg. 13,6; 22,1; 3 Reg. 18,4. Is. 2,19 etc.), satis manifestum est dum dicant : montes, cadite super nos! Designat itaque Christus immensam malorum molem quae in populum iudaicum propter caedem Messiae devolvenda sit.

Atque Deum merito inflicturum esse tantam de peccatis ultionem, documento generali ostendit v. 31 *quia si in viridi ligno haec faciunt, in arido quid fiet?* cum locutio sit proverbialis explica *faciunt* modo generali : homines faciunt, haec fiunt; si ne arboribus quidem frugiferis parcitur, multo minus parcetur aridis. Lignum viride in s. litteris symbolum est iusti (cf. Ps. 1,3. Ier. 17,8), quare sensus est : si ego iustus et innoxius saevis adeo suppliciis afficior, quibus afficiendi erunt rei et impii? Si Deus Pater tantas exigit poenas a Filio qui sese humanorum criminum vadem et fideiussorem exhibuit innocens ipse, quam dure puniturus est sontes ipsos et peccatores? Similiter Prov. 11,31 et 1 Petr. 4,18 si iustus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt? (cf. Ier. 49,12. Ez. 20,47; 21,3; *Luc. Calm.*). Nimis tenue et angustum est neque ad propositum quod quandoque explicant : si Romani me ita suppliciis addicunt quid facient genti rebelli (cf. *S. Cyr. Theoph. Euth.*)? Quae traditione christiana feruntur de S. Veronica (Berenice) et sudario Christo ad abstergendam faciem oblato, vide in Actis SS. bollandianis ad diem 4 Febr. (tom Febr. I p. 449-457), apud Baronium an. 34 n. 138 (in edit. vet.) n. 133 (in edit. Theiner), apud Benedictum XIV de festis D. N. cap. 7 n. 64, qui de ea re etiam in libro 4 canoniz. Sanct. p. 2 cap. 31 n. 12 agit.

Iam Isaias praedixerat de Messia : et cum sceleratis reputatus est

(53,12); v. 32 *ducebantur autem et alii duo nequam cum eo ut interficerentur* v. 33 *et postquam venerunt in locum qui vocatur Calvariae,* κρανίον explicat vocem Golgotha; appellatio petita videtur ex figura collis; plura vide in Comment. Matth. II p. 516 seq. et Marc. p. 413, *ibi crucifixerunt eum,* illo scil. supplicio quod Cicero vocat extremum, summum, crudelissimum, teterrimum (Verr. 5,64. 165 et 5,66. 169) et servitutis extremum summumque supplicium, Arnobius infame personis vilibus supplicium, Lactantius infame genus supplicii (Arnob. adv. gentes 1,36; Lact. Inst. 4,26; cf. *Zestermann,* die Kreuzigung bei den Alten p. 14 seq.). Quam horrendis cruciatibus Iesus immersus fuerit dum diris clavis manus pedesque transfigerentur, verbis explicari satis nequit. De modo crucifixionis egi in Comment. Matth. II p. 519-524; etiam Zestermann l. c. p. 35 seq. testimoniis veterum probat cruciarium esse affixum cruci iam erectae; *et latrones unum a dextris et alterum a sinistris,* καὶ τοὺς κακούργους, uti in v. 32; ita scil. res cedebat in maiorem Iesu ignominiam. Verum aliter Deus disposuit, uti notat *S. Thomas* (3 p. qu. 46. art. 11), quia ut S. Hieronymus dicit: sicut pro nobis maledictum crucis factus est Christus, sic pro omnium salute inter noxios quasi noxius crucifigitur, et ut notat S. Leo (serm. 4 de pass. n. 1), in ipsa patibuli specie monstrari voluit illam discretionem quae in iudicio futura sit; salvandorum figuram exprimi fide credentis latronis, damnandorum formam blasphemantis impietate praenotari.

Iesus autem, uti pias alloquens mulieres suorum dolorum immemor se solum sollicitum exhibet et dolentem de sorte populi ingratissimi, ita nunc etiam insignius edit amantissimi sui cordis documentum v. 34 *Iesus autem dicebat*, probabilissime dum cruci affigeretur, quia sola crucifixionis mentio praecedit, *Pater, dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt;* veniam pro inimicis suis, pro synedristris scil. et populo qui importunis clamoribus facti sunt causa eius supplicii, rogat instanter, Deum obsecrat Patris nomine obtento, qui ut pater a tali filio rogatus non possit non flecti; eos excusat, quia quamvis culpabiliter Messiam et Filium Dei non agnoscunt; petitioni suae quae iam in se maxime valet apud Patrem rationem addit ex parte inimicorum, qua venia digni sint; pro suo in eos amore et desiderio salutis eorum culpam extenuat quantum potest; eius exemplum sequuntur Petrus Act. 3,17: et nunc fratres scio, quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri, et similiter Paulus Act. 13,27 et 1 Cor. 2,8. Atque merito huic Iesu precationi accepta refertur conversio multorum millium post pentecosten; multiplicabatur numerus discipulorum valde in Ierusalem; multa etiam turba sacerdotum obediebat

fidei (Act. 6,7; etiam ex pharisaeis credidisse vide Act. 15,5). In qua petitione simul nobis dedit exemplum sublime dilectionis inimicorum; quod enim docuit : orate pro persequentibus vos (Matth. 5,44) ipse in acerbissimis cruciatibus suorum dolorum quasi immemor eminentissimo modo exercuit. De qua oratione Christi cf. *Suarez* in 3 p. qu. 47 art. 6 Comment. n. 6 et *Benedictus* XIV de festis D. cap. 7 n. 93 seq. *dividentes vero vestimenta eius miserunt sortes;* vide ad Matth. 27,35 et Marc. 15,24.

Iam aliqua referuntur ex iis quae gesta sunt dum Iesus summis in tormentis cruci affixus pro hominum peccatis pateretur (de istis doloribus vide Comment. Matth. II p. 533) v. 35 *et stabat populus spectans,* maior itaque populi pars non videtur addidisse ad irrisiones Christi; unde populus qui antea a partibus erat synedristarum (ab iis utique seductus et concitatus; Matth. 27,20) iam incipit ab eorum malitia recedere; qua animorum dispositione praeparantur, ut Christo mortuo revertantur percutientes pectora sua (v. 48); *et deridebant eum principes* (*cum eis*) vide lect. var.; *cum eis* rite explicari potest (quamvis glossa esse videatur) de aliquibus ex populo, quos alii quoque designant : praetereuntes autem blasphemabant (Matth. 27,39; Marc. 15,29) et quos a sacerdotibus distinguunt. Maior pars populi ex quadam curiositate spectabat, principes *vero etiam* (δὲ καὶ) ἐξεμυκτήριζον, vox ipsa gravem irrisionem dicit eamque diu Christo esse exhibitam forma verbi, tempore scil. imperfecto significatur, *dicentes : alios salvos fecit,* o animorum obcaecationem! fatentur miracula ab eo esse facta; adeo itaque manifestae et indubitatae erant quas operabatur sanationes; *se salvum faciat, si hic est Christus Dei electus,* ὁ ἐκλεκτός, cf. Is. 42,1. Luc. 9,35; utique se salvum faciet quod postulant, sed postquam implevit oracula de morte et sepultura Is. 53,7-9. Dan. 9, 26; Zach. 12,10; quare resurrectione sua etiam id edit documentum suae dignitatis messianae quod hic ab eo exigunt; v. 36 *illudebant autem ei et milites accedentes et acetum offerentes ei* v. 37 *et dicentes : si tu es rex Iudaeorum, salvum te fac!* exemplum principum Iudaeorum milites quoque quorum erat crucifixum custodire imitantur; etiam Matth. 27,49 et Marc. 15,36 omnino patet milites dicteria in Iesum iactasse, dum unus ei implens spongiam aceto potum dabat; immo, ut multis videtur, ille unus quoque irrisit per ludibrium dicens : sinite, videamus si veniat Elias ad deponendum eum. Quare non opus est id quod Lucas narrat separare ab eo quod alii referunt. Alii tamen id separant, quod si urgere vis *offerentes* probabilitate non caret (cf. *Poelzl* p. 349); ὄξος explica poscam, potionem ex aqua et aceto mixtam et ovis temperatam.

Cur milites Iesum regem Iudaeorum per ludibrium vocarint, etiam ex titulo causae (Marc. 15,26) explicatur v. 38 *erat autem et superscriptio scripta super eum litteris graecis et latinis et hebraicis;* vide lect. var.; omnino facilius videtur haec de litteris graecis etc. ex Ioanne (19,20) esse addita in codicibus sat multis et versionibus, quam in aliis omissa si ab origine adfuissent : *hic est rex Iudaeorum;* utique quia est rex Iudaeorum, ille unus qui ex vaticinio Ez. 21,27 exspectandus erat regia dignitate in Sedecia abiecta, rex scil. Messias, idcirco mortem obire debuit. Unde haec inscriptio et hic causae titulus multis nominibus ad Dei providentiam referri debet. Cetera vide ad Matth. 27,37; « merito supra crucem titulus, quia non humani corporis, sed divinae potestatis est regnum quod habet Christus; merito supra crucem titulus, quia licet in cruce erat Dominus Iesus, super crucem tamen regis maiestate radiabat » (*S. Ambr.*).

Aliud misericordiae Iesu et potentiae insigne nobis Lucas refert v. 39 *unus autem de his qui pendebant latronibus* κακούργων, latrones λῃσταί vocantur Matth. 27,38 et Marc. 15,27; *blasphemabat eum dicens : si tu es Christus,* vel maiore irrisione οὐχὶ nonne tu es Christus? nonne tu es Messias? *salvum fac temetipsum et nos!* i. e. non vales te liberare, pseudochriste! nomen Messiae tibi arrogasti, quod nunc omnino constat; « furiosae obstinationis exemplum in hoc perdito homine describitur, qui neque inter medios cruciatus blasphemias cum ferocia spumare desinit; ita solent desperati homines qui effugere nequeunt tormenta per contumaciam ulcisci » (*Luc.*); alter vero neque multiplici blasphemantium exemplo provocatus neque poenarum asperitate exacerbatus est, sed veluti immemor suarum poenarum et magis laesus iniuriis Christi quam propriis poenis, cum reliqui omnes aut blasphemarent aut tacerent, solus exstitit defensor ipsius v. 40 *respondens autem alter increpabat eum dicens : neque tu times Deum* οὐδὲ φοβῇ σύ ne times quidem, *quod in eadem damnatione es* i. e. supplicium hoc saltem timorem Dei tibi debuit incutere; « nam mors et iudicium Dei impendens per se urget ad coercendam linguae petulantiam » (*Ipr.*); proin cum vituperat, quod ne timore quidem afficiatur ex supplicio, multo minus affectu poenitentiae quem ex poena concipere debuerit; v. 41 *et nos quidem iuste* in hoc sumus supplicio, *nam digna factis recipimus,* uti reprehensione alterius, ita confessione culparum significat detestationem peccatorum et tormenta sustinet ut condignam sceleribus retributionem; Iesu causam suscipit defendendam et principibus blasphemantibus intrepide profitetur : *hic vero nihil mali gessit* οὐδὲν ἄτοπον nihil quod non conveniat; proinde Iesum semper ita egisse affirmat ut decet virum probum et sanctum, nihil

quod ulla reprehensione dignum sit ab eo esse commissum. Nota dictione graeca plus laudis tribui Iesu quam latina.

« Vide Spiritum sanctum in animo latronis operantem agnitionem Domini in Iesu quem videbat crucifixum et tam ignominiose derideri » (*Cai.*); post culpae confessionem efflagitat gratiam, v. 42 *et dicebat ad Iesum : Domine memento mei* vel et dicebat : Iesu memento mei, vide lect. var., *cum veneris in regnum tuum* vel in regno tuo (uti habent codd gr longe pler) in dominatione tua regia; videtur scil. latro putare, uti apostoli quoque, Messiam mox iterum venturum, non in conditione humili sed in gloria et maiestate regia. Sed ex ipsa eius petitione simul elucet eum regnum Messiae concipere in altera vita constitutum quoque, cum se mox e vita hac migraturum esse non potuerit ignorare. Admiranda est fides latronis. Sane multa iam antea audierat de Iesu; ex verbis alterius patet notum fuisse Iesum se declarasse Messiam; idem colligere debuit ex irrisione principum Iudaeorum qua simul miracula Christi affirmabantur. Videt Iesu patientiam ac mansuetudinem plus quam humanam, audit eum veniam efflagitantem pro inimicis et Deum suum appellantem patrem. Verum haec omnia alter quoque percipit. Proin praeter ea omnia in bono latrone agnoscenda et praedicanda est Dei misericordis gratia, qua in extremo vitae quasi momento ad tantam fidei magnitudinem evectus est. Modestiam quoque peccatore dignam considera; « non enim audet petere regni consortium, ut diceret : recipe me in regnum tuum, sed tantum *memento mei,* ut scil. tunc pro regali beneficentia tua et potentia mihi vel in aliquo benefacias » (*Ians.*), qua petitione simul eximiam in Iesu fiduciam declarat. Ceterum cf. *Suarez* ad 3 p. qu. 46 art. 11 Comment. n. 4 seq.

Iesus autem pro summa benignitate et liberalitate fructum passionis suae et mortis largissime donat latroni poenitenti, v. 43 *et dixit illi Iesus : amen, dico tibi : hodie mecum eris in paradiso;* paradisus, hortus voluptatis, regio erat felicitatis summae et familiaris cum Deo commercii (Gen. 2,8 seq.); inde factum est apud prophetas, ut gloriam et beatitatem regni messiani, describerent rebus et imaginibus ex illo paradiso terrestri depromptis (cf. Is. 51,3 hebr. Ez. 47,12. Zach. 14,8); unde ipsa beatitudo eo nomine quoque designatur; cf. Apoc. 2,7 vincenti dabo edere de ligno vitae quod est in paradiso Dei. Promittitur itaque latroni beatitas; « paradisus dicitur hic Deitatis plena fruitio, ad quam soluta a corpore anima latronis pervenit » (*Alb.*); promisit ergo Christus latroni visionem beatam eo die conferendam (*Suarez* l. c. n. 8; item *S. Bon. Salm. Cai. Ians. Luc. Lap. Sylv.*). Nomine paradisi latro locum felicitatis summae intelligens

quanta consolatione et amore Iesu perfusus sit, tecum perpende. Uberior est gratia, ait *S. Ambr.*, quam precatio; semper enim Dominus plus tribuit quam rogatur, et *S. Leo :* « excedit humanam conditionem ista promissio, nec tam de ligno crucis quam de throno editur potestatis; ab illa altitudine praemium fidei datur, in qua chirographum humanae transgressionis aboletur, quia se a forma servi Dei forma non dirimit, dum etiam inter supplicia proprietatem unitatemque suam servavit et Deitas inviolabilis et natura passibilis » (serm. 2 de pass. n. 1; *M.* 54,317).

Quod alii quandoque dicunt latronem in sinum Abrahae, in limbum fuisse receptum et paradisi nomine limbum intelligi (*Mald. Lamy, Ipr. Schanz, Fil.*), si rem ipsam spectas, non differt a sententia proposita. Nam dicendum erit cum *S. Thoma :* in paradiso dicuntur esse quicumque divina gloria perfruuntur; unde latro loco quidem cum Christo ad infernum descendit (scil. ad limbum patrum), ut cum Christo esset quia dictum est ei : mecum eris in paradiso, sed praemio in paradiso fuit, quia ibi divinitate Christi fruebatur, sicut et alii sancti (3 p. qu. 52 art. 4 ad 3). Verum *S. Aug.* sensum dicit esse multo expeditiorem et ab omnibus ambiguitatibus liberum, si non secundum id quod homo erat, sed secundum id quod Deus erat Christus dixisse accipiatur : hodie mecum eris in paradiso; « sicut ergo potuit recte dici Dominus gloriae crucifixus, cum ad solam carnem illa passio pertineret, ita recte dici potuit : hodie eris..., cum iuxta humanam humilitatem per carnem in sepulcro, per animam in inferno illo die futurus esset, iuxta divinam vero immutabilitatem nunquam de paradiso, quia ubique est semper, recessisset » (ep. 187, ad Dardanum, n. 7.9; *M.* 33,834). De ea re agit *Benedictus* XIV l. c. n. 98. 99.

Notat *Beda :* « ille qui talis ad crucem venit ex culpa, ecce qualis a cruce recedit ex gratia; confitebatur Dominum quem videbat secum humana infirmitate morientem, quando apostoli negabant eum quem miracula viderant divina virtute facientem ». En post vitam male actam in ipso mortis periculo hic eam accipit gratiam qua salvus fiat. Sed unus est ne quis desperet, unus ne quis praesumat.

Christum ante horam sextam fuisse cruci affixum et aliquamdiu in cruce horrendos illos cruciatus sustinuisse antequam tenebrae fierent, etiam ex hac narratione consequitur v. 44 *erat autem fere hora sexta et tenebrae factae sunt in universam terram,* sufficit terram iudaicam intelligere; cf. 4,25; 21,23 et Comment. Matth. II p. 531, Marc. 421, ubi etiam expositum est cur tenebras exsistere Deus voluerit, *usque in horam nonam,* v. 45 *et obscuratus est sol* eodem modo explica τοῦ ἡλίου ἐκλείποντος sole desinente scil. lucere; perperam aliqui putant Lucam voluisse designare defectionem solis quae fiat luna interposita inter

solem et terram (cf. *Weiss*); at ἐκλείπειν est cessare, desinere, et dici potest de luce solis cessante, ex quacumque demum causa id contingit; dein profecto Lucas scivit tempore paschali esse plenilunium, proinde solis defectionem eo tempore non fieri. Neque S. Cyrillus hier. dubitat dicere : ἐξέλιπεν ὁ ἥλιος propter solem iustitiae (cat. 13,34; *M.* 33,813) et : testatur sol nunc fulgens, sed tum ἐκλιπών (cat. 10,19; *M.* 33,688). Origenes quidem mavult existimare insidiatores Ecclesiae istud verbum de deficiente sole induxisse, ut evangelia argui possent erroris (*M.* 13,1783); dicit quippe in plerisque exemplaribus legi : obscuratus est sol, in quibusdam vero : deficiente sole, « et forsitan ausus est aliquis quasi manifestius aliquid dicere volens ponere, existimans quod non aliter possent fieri tenebrae nisi sole deficiente »; sed prius illud putat magis. Ut notat iam *Beda*, Lucas volens miraculum miraculo adiungere, cum dixisset : sol obscuratus est, continuo subiungendum existimavit quod exspirante Domino factum est : *et velum templi scissum est medium*, ut scil. indicaretur morte Christi desinere vetus foedus et nobis pandi viam ad ipsum sanctuarium coeleste, ad faciem Dei (cf. Hebr. 9,8; 10,20); « scinditur velum vetus, ut Ecclesia nova fidei suae vela suspendat; synagogae velamen aufertur, ut religionis interna mysteria revelato mentis cernamus obtutu » (*S. Ambr.*).

Uti in tenebris illis iam gloria Christi demonstrari a Patre coepta est, ita quoque in ipso mortis momento haec gloria illustrius apparet v. 46 *et clamans voce magna Iesus ait : Pater in manus tuas commendo*, depono, committo, trado παρατίθεμαι, *spiritum meum;* ita scil. ille loquitur qui dixit : ego pono animam meam a meipso et potestatem habeo ponendi eam (Ioan. 10,18); cf. Ps. 30,6 (hebr. 31,6), ubi legitur graece παραθήσομαι (אַפְקִיד), quae lectio inde etiam in aliquos codices evangelii transsumpta est. « Nec praetereas quod sicut prima scripta in evangelio verba Iesu a Patris nomine initium sumpserunt, cum dixit duodennis in templo : nesciebatis quia in his quae Patris mei sunt oportet me esse, ita ultima Iesu in cruce in Patrem finita sunt » (*Cai.*). Factus obediens Christus usque ad mortem ea ipsa voce declarat se Patri obsecutum iamiam spiritum suum in manibus Patris deponere; *et haec dicens exspiravit;* exspirat autem clamans voce magna, ut declararet non per vim sibi adimi animam (cf. S. Thom. 3 p. qu. 47 art. 1), in quo clamore agnoscendum est miraculum; « non enim fieri poterat ut haberet naturalem virtutem ac robur ad eum clamorem emittendum corpus pene exsangue ac vitalibus spiritibus et consequenter viribus fere exhaustum. Et in hoc miraculo ostendit Christus potentiam suam; sicut enim potuit resistere et superare debilitatem corporis ad sic clamandum, ita potuit morti resi-

stere, si vellet, et ideo ait divus Thomas (Quodlibeto 1) declarasse Christum eo facto se esse dominum vitae et mortis et non necessitate absoluta sed sponte mortem suscipere, cui facile resistere posset si vellet » (*Suarez* l. c. disp. 38, sect. 1 n. 9). Quare omnes synoptici referunt Iesum voce magna clamantem exspirasse (Matth. 27,50; Marc. 15,37).

In quo clamore centurio quoque testimonium deprehendit coelitus datum v. 47 *videns autem centurio quod factum fuerat*, Marc. 15,39 videns centurio quia sic clamans exspirasset, Matth. 27,54 viso terrae motu et his quae fiebant, *glorificavit Deum dicens : vere hic homo iustus erat;* inter convicia quae synedristae Iesu in cruce pendenti obiiciebant etiam illud erat : dixit enim, quia Filius Dei sum (Matth. 27,43); quod cum Lucas non retulisset, etiam nunc non narrat quod alii habent centurionem quoque dixisse : vere Filius Dei erat iste. Narratione enim Lucae non per se intelligeretur, undenam centurioni orta esset sententia de Filio Dei. Innocentia Iesu quae iam saepius et ab Herode et Pilato declarata est, ab alio quoque magistratu romano habet testimonium. Quae centurionis confessio etiam pars est gloriae illius Iesu quae in eius morte incipit clarescere. Ad quam gloriam qua Pater Filium suum exornat etiam pertinet v. 48 *et omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud et videbant quae fiebant percutientes pectora sua revertebantur*, uti in v. 35 plerique ex turba iam non synedristis sese adiungebant Iesum deridentibus, ita rebus in eius morte gestis salutari percelluntur timore et detestatione sceleris admissi. Qui timor et dolor praeludium fuit verae poenitentiae quam plerique egerunt in die pentecostes (*Ians.*). Attamen hic patet turbam quae pro sua mobilitate a synedristis erat concitata et seducta nobis exhiberi ab evangelista minus culpae obnoxiam et citius saltem aliquo modo resipiscentem.

Solus nobis refert Lucas discipulos quoque ex fuga illa in horto (de qua alii) sese recepisse et morti Christi interfuisse v. 49 *stabant autem omnes noti eius a longe*, certe ab his familiaribus non apostoli excludendi sunt neque dicendum eos solos designari; cur enim evangelista voce uteretur magis generali γνωστοί, si solos designare voluisset discipulos vel apostolos? Nec iis familiaribus, quibus accensere licebit Ioseph ab Arimathaea et Nicodemum, reprehensioni est vertendum quod steterint *a longe;* nam milites accedere prope ad crucem multis non permittebant, paucos quosdam propius cruci adstitisse docuit nos Ioannes 19,25; reliquum circa cruces spatium satis occupatum erat et a custodia militum et a principibus sacerdotum et scribis et senioribus qui ut convicia in Iesum iactarent quam proxime possent

ad crucem accedebant; *et mulieres quae secutae eum erant a Galilaea haec videntes;* cf. 8,2. 3; Matth. 27,55. Marc. 15,40. 41.

f) Iesus sepelitur 23,50-56.

23,50. Et ecce vir nomine Ioseph, qui erat decurio, vir bonus et iustus, 51. Hic non consenserat consilio et actibus eorum, ab Arimathaea civitate Iudaeae, qui exspectabat et ipse regnum Dei. 52. Hic accessit ad Pilatum, et petiit corpus Iesu : 53. Et depositum involvit sindone, et posuit eum in monumento exciso, in quo nondum quisquam positus fuerat. 54. Et dies erat parasceves, et sabbatum illucescebat.

55. Subsecutae autem mulieres, quae cum eo venerant de Galilaea viderunt monumentum, et quemadmodum positum erat corpus eius. 56. Et revertentes paraverunt aromata et unguenta, et sabbato quidem siluerunt secundum mandatum.

23,50. Καὶ ἰδοὺ, ἀνὴρ ὀνόματι Ἰωσὴφ, βολευτὴς ὑπάρχων, ἀνὴρ ἀγαθὸς (καὶ) δίκαιος, 51. οὗτος οὐκ ἦν συνκατατεθειμένος τῇ βουλῇ καὶ τῇ πράξει αὐτῶν· ἀπὸ Ἀριμαθαίας πόλεως τῶν Ἰουδαίων, ὃς προσεδέχετο τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, 52. οὗτος προσελθὼν τῷ Πειλάτῳ ᾐτήσατο τὸ σῶμα τοῦ Ἰησοῦ. 53. καὶ καθελὼν ἐνετύλιξεν αὐτὸ σινδόνι, καὶ ἔθηκεν αὐτὸν ἐν μνήματι λαξευτῷ, οὗ οὐκ ἦν οὐδεὶς οὔπω κείμενος. 54. καὶ ἡμέρα ἦν παρασκευῆς καὶ σάββατον ἐπέφωσκεν.

55. Κατακολουθήσασαι δὲ αἱ γυναῖκες, αἵτινες ἦσαν συνεληλυθυῖαι ἐκ τῆς Γαλιλαίας αὐτῷ, ἐθεάσαντο τὸ μνημεῖον, καὶ ὡς ἐτέθη τὸ σῶμα αὐτοῦ. 56. ὑποστρέψασαι δὲ ἡτοίμασαν ἀρώματα καὶ μύρα· καὶ τὸ μὲν σάββατον ἡσύχασαν κατὰ τὴν ἐντολήν.

In v. 51 ος προσεδεχετο ℵ B C D L 69. qui exspectabat regnum Dei a b d e l q r; al add και αυτος. In v. 52 add c Pilatus autem cum audisset quia exspiravit clarificavit dominum et donavit corpus Ioseph. In v. 53 εθηκεν αυτον ℵ B C D, eum it vulg; al αυτο; add U aliq minusc και προσεκυλισεν λιθον μεγαν επι την θυραν του μνημειου; D c sah praebent lapidem esse positum quem vix viginti volverent. In v. 54 παρασκευης ℵ B C*L 13.346 et pler codd vulg parasceves; cenae purae a b c q; al παρασκευη, sim ept mt car dub ken tol; D προ σαββατου. In v. 55 D 29 δε δυο γυναικες, a b d e ff² q r ken duae mulieres. In v. 56 D d om κατα την εντολην; a c f l quieverunt, d requieverunt (sin. v. 50 om ecce; vir iustus et bonus ab Ramatha etc., regnum coelorum; om hic non consenserat etc.; v. 52-54 desunt; v. 55 viderunt corpus cum portarent illud illuc).

Tria in hac parte describuntur « dignitas sepelientis, honorificentia sepulturae, reverentia mulierum in tumulatione » vel devotio mulierum (*S. Bon. Alb.*); v. 50 *et ecce vir nomine Ioseph* qui erat decurio βουλευτής, consiliarius, senator (*Luc.*), membrum synedrii, *vir bonus et iustus*, iustus erga proximos quod congruit senatori (*Luc.*) et ita recentiores quoque de iustitia proprie dicta vocem accipiunt (*Schanz, Weiss*); v. 51 affertur eius iustitiae documentum : *hic non consenserat consilio et actibus* τῇ πράξει certe in malam partem, sceleri, rei facinorose gestae *eorum;* alii accipiunt *non consenserat :* non ivit in sententiam eorum, non tamen palam ausus fuit profiteri studium suum

erga Iesum nec rebus ipsis se opposuit quia viderat frustra se id tentaturum ob multitudinem et potentiam adversariorum (cf. *Luc.*); alii tamen colligunt ex voce, eum publice suffragio suo Iesum declarasse innocentem in illo synedrii consessu (*Schegg*). Vox συνκατατίθεσθαι utique proprie significat simul cum aliis calculum in urnam demittere, quasi ψῆφον τιθέναι (cf. *Grimm*, Lex. s. v.); at etiam sensu adhibetur latiore conspirandi, assentiendi, adstipulandi et apud LXX (cf. Ex. 23,1. 32. Daniel in hist. Susannae v. 20) et apud profanos; quare *quomodo* non consenserit, accuratius inferri ex ipsa voce non poterit; *ab Arimathaea civitate Iudaeae* erat oriundus, sed cum prope Ierusalem sibi iam sepulcrum faciendum curavisset, in ipsa urbe habitasse censendus erit; Arimathaea, Ramathaim, hebr. cum articulo הרמתים (1 Sam. 1,1) censetur ea urbs quae patria fuit Samuel in montanis Ephraim; *qui exspectabat et ipse regnum Dei*, proin discipulus erat Iesu, verum occultus propter metum Iudaeorum (Ioan. 19,38). Sed nunc seposito et abiecto omni metu palam se profitetur amicum studiosum et cultorem eius qui morti ignominiosissimae erat adiudicatus.

Gloria Christi quae in morte eius iam manifestari coepta est etiam in sepultura cernitur; cf. Is. 53,9 hebr.; v. 52 *hic accessit ad Pilatum et petiit corpus Iesu;* Pilatus certior factus de morte id concessit; lege enim romana corpora damnatorum ad sepulturam concedebantur cognatis et amicis petentibus; vide ad Matth. 27,58; v. 53 *et depositum involvit sindone;* cf. Marc. 15,46 *et posuit eum in monumento exciso* λαξευτῷ e petra exciso, « ne si ex multis lapidibus aedificatum esset, suffossis tumuli fundamentis ablatus furto diceretur » (*Beda* secundum *S. Hier.*); « si apostoli sepelissent, dicerent Iudaei utique non sepultum quem sepultum raptum esse dixerunt » (*S. Ambr.*); *in quo nondum quisquam positus fuerat;* uti alias primitiae Domino consecrantur et debentur atque etiam ad Domini servitium et cultum illa prae ceteris devoventur quae humanis usibus nondum inservierunt (cf. Num. 19,2. Deut. 21,3. 1 Reg. 6,7. Luc. 19,30), ita consentaneum erat ut sepulcrum novum sacrum Domini corpus susciperet. Adiungitur temporis designatio v. 54 *et dies erat parasceves*, dies scil. praeparationis, quo nomine feria sexta appellabatur, quod eo die praeparabantur quae in sabbatum necessaria erant, « iuxta quod de manna quondam erat praeceptum : sexta autem die colligetis duplum etc. (Ex. 16,22) ; qui vero inter Romanos vitam ducunt Iudaei, usitatius eum diem latine coenam puram cognominant » (*Bed.* vide lect. var.). Dein tempus diei designatur *et sabbatum illucescebat* i. e. « proximum erat ut inciperet; quia dies a solis luce incipere consuevit, et id quidem naturae ordine, atque ideo diem illucescere dicimus cum inci-

pit, hinc sumpta metaphora diem festum sabbati *illucescere* evangelista dixit cum incipit, quamquam a vespera, id est, a tenebris non a luce inciperet ordine a lege praescripto » (*Luc.* similiter *Lamy, Schegg, Fil.*).

Dictionem eam de sabbato illucescente, cum tamen noctis initium designetur, etiam explicant quandoque a candelis sabbaticis quae in honorem diei accendebantur, qui mos Iudaeis posterioribus ita sacer erat, ut Maimonides dicat : etiamsi non sit homini quod comedat, mendicet ostiatim ut acquirat oleum et accendat lucernam (cf. *Lightfoot*, Horae hebr. ad h. l. *Luc. Lamy, Calm.*). Alii monent vesperam Iudaeis vocari אוֹר lucem; et gemaristae quidem adstruunt eam appellationem depromptam esse ex Ps. 148,3 : laudate eum omnes stellae lucis כּוֹכְבֵי אוֹר (cf. *Lightfoot* l. c.); alii illucescere simili modo referunt ad ortum siderum (cf. *Calm. Schanz, Keil, Weiss*).

Piarum mulierum studium et devotionem iterum commendat evangelista; uti vivo Domino facultatibus suis ministrabant (8,3), ita mortuo quoque obsequia amoris praestant v. 55 *subsecutae autem mulieres quae cum eo venerant de Galilaea viderunt monumentum et quemadmodum positum erat corpus eius;* « inspicere cupiebant quomodo poneretur, ut ei tempore congruo munus possent suae devotionis offerre » (*Beda*). Volebant eum ungere postea, cum feria sexta vespere non possent propter sabbatum iamiam instans; v. 56 *et revertentes paraverunt aromata et unguenta,* quo scil. etiam honorificentius quam iam factum erat (cf. Ioan. 19,39. 40), *et sabbato quidem siluerunt* quiescebant ἡσύχασαν, ab omni opere tali cessabant, *secundum mandatum* scil. de sabbato Ex. 20,8-10; 31,13. Deut. 5,14. Uti Lucas in beata Virgine, in ipso Domino legis observantiam commemorat (2,23. 39. 42 etc.), ita idem effert in parentibus praecursoris (1,6) et comitibus Iesu. Cum legatur Marc. 16,1 sabbato transacto tres mulieres emisse aromata, statim aliqui clamant reperiri contradictionem. Verum nisi quis caeco quasi impetu evangelistas inter se committere vult dicet quod *S. Hier. Bon. Cai. Luc.* etc. dixerunt et quod ex consuetudine humana per se intelligitur, ea quae brevi illo tempore ante sabbati initium perficere non potuerint eas demum complevisse sabbato transacto. — Cur Christus sepeliri voluerit, has rationes affert *S. Thomas* (p. 3 qu. 51 art. 1) : « ad comprobandam veritatem mortis, dein quia per hoc quod ipse de sepulcro resurrexit datur spes resurgendi per ipsum his qui sunt in sepulcro, tertio ad exemplum eorum qui per mortem Christi spiritualiter moriuntur peccatis, qui scilicet absconduntur a conturbatione hominum ». Voluit Christus in omnibus excepto peccato similis fieri fratribus; unde sicut esuriit, fatigatus dormivit, ita mortuus quoque

sepeliri voluit nostra sepulcra consecraturus, prout homines mortui sepeliuntur.

3. *Iesus redivivus in gloria* 24,1-53.

a) Mulieres ad sepulcrum 24,1-12.

24,1. Una autem sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum, portantes, quae paraverant, aromata. 2. Et invenerunt lapidem revolutum a monumento. 3. Et ingressae non invenerunt corpus Domini Iesu. 4. Et factum est, dum mente consternatae essent de isto, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti. 5. Quum timerent autem, et declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas : Quid quaeritis viventem cum mortuis? 6. Non est hic, sed surrexit; recordamini qualiter locutus est vobis, quum adhuc in Galilaea esset, 7. Dicens : Quia oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, et crucifigi, et die tertia resurgere. 8. Et recordatae sunt verborum eius. 9. Et regressae a monumento nuntiaverunt haec omnia illis undecim, et ceteris omnibus. 10. Erat autem Maria Magdalene, et Ioanna, et Maria Iacobi, et ceterae quae cum eis erant, quae dicebant ad apostolos haec. 11. Et visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista; et non crediderunt illis. 12. Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum; et procumbens vidit linteamina sola posita, et abiit secum mirans quod factum fuerat.

24,1. Τῇ δὲ μιᾷ τῶν σαββάτων ὄρθρου βαθέως ἐπὶ τὸ μνῆμα ἦλθαν, φέρουσαι ἃ ἡτοίμασαν ἀρώματα, 2. εὗρον δὲ τὸν λίθον ἀποκεκυλισμένον ἀπὸ τοῦ μνημείου, 3. εἰσελθοῦσαι δὲ οὐχ εὗρον τὸ σῶμα τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ. 4. καὶ ἐγένετο ἐν τῷ ἀπορεῖσθαι αὐτὰς περὶ τούτου, καὶ ἰδοὺ, ἄνδρες δύο ἐπέστησαν αὐταῖς ἐν ἐσθῆτι ἀστραπτούσῃ. 5. ἐμφόβων δὲ γενομένων αὐτῶν, καὶ κλινουσῶν τὰ πρόσωπα εἰς τὴν γῆν, εἶπαν πρὸς αὐτάς, Τί ζητεῖτε τὸν ζῶντα μετὰ τῶν νεκρῶν; 6. οὐκ ἔστιν ὧδε, ἀλλὰ ἠγέρθη· μνήσθητε ὡς ἐλάλησεν ὑμῖν, ἔτι ὢν ἐν τῇ Γαλιλαίᾳ, 7. λέγων ὅτι τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου δεῖ παραδοθῆναι εἰς χεῖρας ἀνθρώπων ἁμαρτωλῶν, καὶ σταυρωθῆναι, καὶ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀναστῆναι. 8. Καὶ ἐμνήσθησαν τῶν ῥημάτων αὐτοῦ· 9. καὶ ὑποστρέψασαι ἀπὸ τοῦ μνημείου, ἀπήγγειλαν ταῦτα πάντα τοῖς ἕνδεκα καὶ πᾶσιν τοῖς λοιποῖς. 10. ἦσαν δὲ ἡ Μαγδαληνὴ Μαρία καὶ Ἰωάνα καὶ Μαρία ἡ Ἰακώβου, καὶ αἱ λοιπαὶ σὺν αὐταῖς ἔλεγον πρὸς τοὺς ἀποστόλους ταῦτα. 11. Καὶ ἐφάνησαν ἐνώπιον αὐτῶν ὡσεὶ λῆρος τὰ ῥήματα αὐτῶν, καὶ ἠπίστουν αὐταῖς. 12. ὁ δὲ Πέτρος ἀναστὰς ἔδραμεν ἐπὶ τὸ μνημεῖον, καὶ παρακύψας βλέπει τὰ ὀθόνια μόνα· καὶ ἀπῆλθεν πρὸς αὐτὸν θαυμάζων τὸ γεγονός.

In v. 1 add A C* D X Γ Δ Λ Π unc 9 al pler και τινες συν αυταις, pariter d q r et quidam cum illis; syr arm aliae feminae cum eis; f et aliae simul cum eis; praeterea c d cogitabant autem inter (intra d) se quisnam esset qui (quis utique d) revolveret lapidem, uti D ελογιζοντο δε etc. sah. In v. 2 ab initio add D ελθουσαι δε, sim tat c d sah. In v. 3 σωμα sine addit D it; f sah syr (sin, cu, sch) tat corpus Iesu; sed longe pler et verss domini Iesu. In v. 4 εσθητι ℵ B D Ti W H it vulg, syr (cu, sch : fulgebat vestis eorum); al habent pluralem. In v. 6 D om ουκ εστιν — ηγερθη; item om a b d e ff²l. Pariter om D v. 12, item om a b d e l r; sed versum esse retinendum (quamvis Ti eum omittat et W H uncis includant) liquet ex codd aliis omnibus et verss; ceterum etiam internis rationibus commendatur; vide comment. (sin v. 1 om aromata; add et venerunt cum eis aliae mulieres; v. 4 et cum tristitia esset illis super hoc, visi

sunt duo viri; v. 5 et timuerunt et inclinaverunt capita sua et respiciebant in terram prae timore; dicebant eis illi viri etc.; v. 7 et dixit vobis; v. 9 et dicebant verba haec undecim et ceteris discipulis; v. 10 Maria [filia Iacobi; v. 11 ac si ex stupefactione sua loquerentur verba haec; v. 12 Simon).

Cum Iesus discipulis loqueretur de morte sua et resurrectione, ipsi nihil horum intellexerunt et erat verbum istud absconditum ab eis et non intelligebant quae dicebantur (18,34). Unde minime mirum est hanc notionem resurrectionis etiam gentilibus visam esse satis difficilem. Ita quidam Atheniensium cum Paulum de resurrectione disputantem audirent irridebant (Act. 17,32); apud Corinthios quoque erant quibus necesse censuit apostolus iterato multis adductis ex vario genere argumentis probare resurrectionem. Quare Lucas quoque sedulo incumbit ut eam doctrinam de vera Iesu resurrectione firmissimis et indubitatis stabiliat documentis. Et primo quidem ostendit sepulcrum esse inventum vacuum, discipulos fuisse tardos in ea fide admittenda; dein Christum esse visum non solum ab apostolis, sed ab aliis quoque; eum suis signa exhibuisse certissima suae resurrectionis atque ex Scripturis quoque iterato ostendisse oportuisse Christum pati et resurgere. Hisce itaque adstruit in hoc quoque capite gravissimo verborum de quibus eruditi sunt veritatem (1,4); v. 1 *una autem sabbati* i. e. prima die hebdomadis cf. Matth. 28,1; τῇ δὲ arcte adnectitur ad καὶ τὸ μὲν σάββατον 23,56, *valde diluculo* profundo βαθέως diluculo, i. e. summo mane *venerunt ad monumentum portantes quae paraverant aromata;* cf. Marc. 16,1; « quod autem valde diluculo veniunt, magnus quaerendi et inveniendi Dominum fervor caritatis ostenditur » (*Beda*); v. 2 *et invenerunt lapidem revolutum a monumento,* cum sepulcrum e petra esset excisum, illud clausum fuisse lapide admoto non erat difficile intellectu; quare evangelista non est carpendus quod nunc narret de lapide revoluto quem esse advolutum antea non dixerat. A quo sit revolutus, refertur Matth. 28,2; v. 3 *et ingressae non invenerunt corpus Domini Iesu,* « et nota quod signanter cum prius vocasset Christum Iesum, nunc vocat eum Dominum Iesum, quia iam verificatum erat in eo illud quod dicitur : data est mihi omnis potestas etc. et illud : propter quod et Deus exaltavit illum » etc. (*S. Bon.*); vide quae dixi ad Marc. 16,19; cf. Act. 1,21; 4,33 etc.

Resurrectionem nullo modo exspectabant. Ideo veniunt ut ungant corpus Iesu et sepulcrum invenientes vacuum attonitae haerent et perplexae (*Cai. Luc.*), plane nesciae quomodo id explicandum sit v. 4 *et factum est dum mente consternatae essent de isto* ἐν τῷ ἀπορεῖσθαι non tam consternationem vel pavorem dicit evangelista, sed ἀπορίαν i. e. eas nescisse quid agendum sit, haesisse dubias, inopes consilii, *ecce*

duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti ἐπέστησαν (2,9) de subita angelorum apparitione; *viri* vocantur, cum virorum, iuvenum forma se sisterent visibiles. Mulieres « propter suam erga Christum caritatem et pii officii studium dignae habitae sunt visione angelorum qui bonum illis nuntium tulerunt » (*S. Cyr.*). Angeli nuntiarunt Christi nativitatem, ei ministrabant in deserto, angelus eum confortabat in agonia; congruum igitur erat, ut eius quoque gloriam nuntient. Apparent in veste ἀστραπτούσῃ, cf. erat aspectus eius sicut fulgur (Matth. 28,3); dein dicitur vox apud profanos quoque de re splendente. « Laetitiae gaudiique signa et Servatoris resurgentis indicia obtutui exhibent vestium candore; vultus hilares et laetabundos et albam vestem festo Servatoris diei convenientem gestabant » (*Eus.*) et fulgenti habitu gloriam triumphi annuntiabant (*Bed. Luc.*). Apparitione coelesti timor incutitur mortalibus (cf. Is. 6,5. Ez. 2,1. Dan. 7,15. Luc. 1,12. 29) v. 5 *cum timerent autem et declinarent vultum in terram,* « novo aspectu erant conterritae nec poterant ob vestium splendorem et coruscationem in eos respicere » (*Euth. Luc.*), *dixerunt ad illas : quid quaeritis viventem cum mortuis?* eum scil. qui iam mortis vinculis solutis ad vitam rediit idque clarius explicant : v. 6 *non est hic, sed surrexit;* quod ut iis persuadeatur, monentur de praedictione iam antea a Christo facta : *recordamini qualiter locutus est vobis cum adhuc in Galilaea esset,* diu itaque ante passionem, quo certius id ab eo praesciri cognoscerent et longa praeparatione quasi munirentur, ne dum eveniret turbarentur v. 7 *dicens : quia oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorum et crucifigi et die tertia resurgere;* cf. 9,22. 44.

Cum antea praedictionem mortis et resurrectionis non intellexissent (18,34), nunc re gesta et admonitione facta omnino est ad animi naturam accommodatum, ut recordentur v. 8 *et recordatae sunt verborum eius* et fortasse simul mirantur eo quod verba adeo plana et clara non iam antea statim intellexerint v. 9 *et egressae a monumento nuntiaverunt haec omnia illis undecim et ceteris omnibus;* vide v. 22; simul cum apostolis alios quoque discipulos Christi congregatos fuisse indicatur, uti Act. 1,15. Primo quidem tempore, cum essent etiamtum illis quae viderant et audierant nimis perturbatae nemini quidquam dixerunt (Marc. 16,8); verum timore quo linguae ligabantur mox recedente illa nuntiarunt, praesertim cum aliorum quoque accederent testimonia de vacuo sepulcro (cf. Ioan. 20,2. 5 seq.); v. 10 *erat autem Maria Magdalene,* de qua vide Ioan. 20,1 seq. *et Ioanna,* uxor Chuzae procuratoris Herodis 8,3 *et Maria Iacobi* scil. mater ut distinguatur a Maria, sorore Lazari, a Maria Magdalene, a Maria matre Domini, *et*

ceterae quae cum eis erant, v g. Salome, cuius meminit Marcus 16,1, *quae dicebant ad apostolos haec;* verum tantum abest ut apostoli nuntium resurrectionis avide suscipiant, ut eum tamquam rem absonam primo repudient v. 11 *et visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista et non crediderunt eis;* sed cum postea tanta constantia et firmitate resurrectionem ubique praedicarent, immo vitam et sanguinem pro ea veritate libentissime profunderent, haec eorum ab initio credendi repugnantia firmissimum evadit resurrectionis argumentum. Id quod *S. Gregorius* (hom. 26, n. 7 in evang.) notavit et post eum *Bed. Bon.* aliique : « quod discipuli tarde crediderunt, non tam illorum incredulitas, quam nostra, ut ita dicam, futura firmitas fuit; nam illis dubitantibus resurrectio multis argumentis monstrata est, quae dum legentes agnoscimus, quid aliud quam de eorum dubitatione solidamur »?

Atque quod primo mulieres mittuntur nuntiae resurrectionis ad apostolos, haud immerito consideraveris praemii loco tribui illis quae tanta fidelitate et constantia Christo in cruce pendenti adstiterint et de honore praestando mortuo fuerint sollicitae. Praeterea « sicut in principio mulier auctor culpae fuit, vir exsecutor erroris, ita nunc quae mortem viro prior gustaverat, resurrectionem prior vidit, culpae ordine et remedio prior; quae culpam viro transfuderat, transfudit et gratiam veterisque lapsus compensat aerumnam resurrectionis indicio » (*S. Ambr.* similiter *S. Cyr. Bed. Bon.* et serm. 17 de tempore qui nomine *S. Aug.* ab aliquibus profertur, sed perperam; *M.* 39,1993, serm. 125 in append.); cf. cat. S. Thom.

Petrus autem hisce auditis « cum ceteris esset ferventior » (*Euth.*) non sustinuit, sed quid rei esset pro indole ferventi et praecipite statim inquirere maluit (cf. *Luc. Schanz*) v. 12 *Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum,* « non simpliciter ivit, sed cucurrit, incitatus ardore cognoscendae rei adeo novae (*Luc.*); usitatum suum pandit fervorem; unde *S. Bon.* quoque notat id narrari a Luca de Petro, ut ostendat quod ipse a fervore suo non destiterat. Quare id plane ad indolem Petri congruit qui cum audisset sepulcrum esse vacuum iam se continere non potest, sed pro solito suo ardore rem ipse vult investigare. Et sane plus quam mirum esset, si discipuli audito mulierum nuntio nihil curassent essetne res ita necne. Quare cognita Petri indole narratio quam maxime apte, ne dicam necessario fluit; unde versum istum esse genuinum, iam suadetur. Neque interpolationis suspicio merito potest proponi; nam si quis fuisset interpolator, is certe narrationem magis ad Ioan. 20,3 conformasset; *et procumbens* παρακύψας incurvato corpore introspiciens *vidit linteamenta sola* (*posita*)

scil. fascias sepulcrales quibus corpus involutum erat (cf. Ioan. 20,6. 7); proinde corpus non adesse, fascias vel linteola esse bene composita; *et abiit secum mirans* πρὸς αὐτόν abiit ad se, domum abiit (cf. *Schanz, Keil, Weiss, Sp.*), mirans scil. *quod factum fuerat;* nondum enim sciebat Scripturam quia oportebat eum a mortuis resurgere (Ioan. 20,9). En, adeo lenti et tardi erant ad fidem resurrectionis assumendam. Sed eorum tarditas et titubatio cedit in nostram firmitatem, quia postea tanta fortitudine Christum resurrexisse praedicabant. Ergo certissimis documentis de ea veritate tandem edocti sunt.

b) Duo discipuli in Emmaus 24,13-35.

24,13. Et ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Ierusalem, nomine Emmaus. 14. Et ipsi loquebantur ad invicem de his omnibus quae acciderant. 15. Et factum est, dum fabularentur, et secum quaererent, et ipse Iesus appropinquans ibat cum illis; 16. Oculi autem illorum tenebantur ne eum agnoscerent. 17. Et ait ad illos : Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem ambulantes, et estis tristes? 18. Et respondens unus, cui nomen Cleophas, dixit ei : Tu solus peregrinus es in Ierusalem, et non cognovisti quae facta sunt in illa his diebus? 19. Quibus ille dixit : Quae? Et dixerunt : De Iesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere et sermone coram Deo et omni populo; 20. Et quomodo eum tradiderunt summi sacerdotes et principes nostri in damnationem mortis, et crucifixerunt eum. 21. Nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israel; et nunc super haec omnia, tertia dies est hodie quod haec facta sunt. 22. Sed et mulieres quaedam ex nostris terruerunt nos, quae ante lucem fuerunt ad monumentum. 23. Et, non invento corpore eius, venerunt, dicentes se etiam visionem angelorum vidisse, qui dicunt eum vivere. 24. Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum, et ita invenerunt sicut mulieres dixerunt, ipsum vero non invenerunt.

24,13. Καὶ ἰδοὺ, δύο ἐξ αὐτῶν ἐν αὐτῇ τῇ ἡμέρᾳ ἦσαν πορευόμενοι εἰς κώμην ἀπέχουσαν σταδίους ἑξήκοντα ἀπὸ Ἰερουσαλήμ, ᾗ ὄνομα Ἐμμαούς· 14. καὶ αὐτοὶ ὡμίλουν πρὸς ἀλλήλους περὶ πάντων τῶν συμβεβηκότων τούτων. 15. καὶ ἐγένετο ἐν τῷ ὁμιλεῖν αὐτοὺς καὶ συνζητεῖν, (καὶ) αὐτὸς Ἰησοῦς ἐγγίσας συνεπορεύετο αὐτοῖς· 16. οἱ δὲ ὀφθαλμοὶ αὐτῶν ἐκρατοῦντο τοῦ μὴ ἐπιγνῶναι αὐτόν. 17. Εἶπεν δὲ πρὸς αὐτούς, Τίνες οἱ λόγοι οὗτοι, οὓς ἀντιβάλλετε πρὸς ἀλλήλους περιπατοῦντες; καὶ ἐστάθησαν σκυθρωποί· 18. ἀποκριθεὶς δὲ εἷς, ὀνόματι Κλεόπας, εἶπεν πρὸς αὐτόν, Σὺ μόνος παροικεῖς Ἰερουσαλὴμ, καὶ οὐκ ἔγνως τὰ γενόμενα ἐν αὐτῇ ἐν ταῖς ἡμέραις ταύταις; 19. καὶ εἶπεν αὐτοῖς, Ποῖα; οἱ δὲ εἶπαν αὐτῷ, Τὰ περὶ Ἰησοῦ τοῦ Ναζαρηνοῦ, ὃς ἐγένετο ἀνὴρ προφήτης, δυνατὸς ἐν ἔργῳ καὶ λόγῳ ἐναντίον τοῦ θεοῦ καὶ παντὸς τοῦ λαοῦ. 20. ὅπως τε παρέδωκαν αὐτὸν οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ ἄρχοντες ἡμῶν εἰς κρίμα θανάτου, καὶ ἐσταύρωσαν αὐτόν· 21. ἡμεῖς δὲ ἠλπίζομεν ὅτι αὐτός ἐστιν ὁ μέλλων λυτροῦσθαι τὸν Ἰσραήλ. ἀλλά γε καὶ σὺν πᾶσιν τούτοις τρίτην ταύτην ἡμέραν ἄγει, ἀφ' οὗ ταῦτα ἐγένετο. 22. ἀλλὰ καὶ γυναῖκές τινες ἐξ ἡμῶν ἐξέστησαν ἡμᾶς, γενόμεναι ὀρθριναὶ ἐπὶ τὸ μνημεῖον· 23. καὶ μὴ εὑροῦσαι τὸ σῶμα αὐτοῦ, ἦλθαν λέγουσαι καὶ ὀπτασίαν ἀγγέλων ἑωρακέναι, οἳ λέγουσιν αὐτὸν ζῆν. 24. καὶ ἀπῆλθάν τινες τῶν σὺν ἡμῖν ἐπὶ τὸ μνημεῖον, καὶ εὗρον οὕτως καθὼς αἱ γυναῖκες εἶπον· αὐτὸν δὲ οὐκ εἶδον.

25. Et ipse dixit ad eos : O stulti, et tardi corde ad credendum in omnibus quae locuti sunt prophetae! 26. Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam? 27. Et incipiens a Moyse, et omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quae de ipso erant. 28. Et appropinquaverunt castello quo ibant; et ipse se finxit longius ire. 29. Et coegerunt illum, dicentes : mane nobiscum quoniam advesperascit, et inclinata est iam dies. Et intravit cum illis. 30. Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, et benedixit, ac fregit, et porrigebat illis. 31. Et aperti sunt oculi eorum, et cognoverunt eum; et ipse evanuit ex oculis eorum.

32. Et dixerunt ad invicem : Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas? 33. Et surgentes eadem hora regressi sunt in Ierusalem; et invenerunt congregatos undecim, et eos, qui cum illis erant, 34. Dicentes : Quod surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni. 35. Et ipsi narrabant quae gesta erant in via, et quomodo cognoverunt eum in fractione panis.

25. Καὶ αὐτὸς εἶπεν πρὸς αὐτούς, Ὦ ἀνόητοι καὶ βραδεῖς τῇ καρδίᾳ τοῦ πιστεύειν ἐπὶ πᾶσιν οἷς ἐλάλησαν οἱ προφῆται· 26. οὐχὶ ταῦτα ἔδει παθεῖν τὸν Χριστὸν, καὶ εἰσελθεῖν εἰς τὴν δόξαν αὐτοῦ; 27. καὶ ἀρξάμενος ἀπὸ Μωυσέως καὶ ἀπὸ πάντων τῶν προφητῶν, διηρμήνευσεν αὐτοῖς ἐν πάσαις ταῖς γραφαῖς τὰ περὶ ἑαυτοῦ. 28. Καὶ ἤγγισαν εἰς τὴν κώμην οὗ ἐπορεύοντο· καὶ αὐτὸς προσεποιήσατο πορρωτέρον πορεύεσθαι. 29. καὶ παρεβιάσαντο αὐτὸν, λέγοντες, Μεῖνον μεθ' ἡμῶν, ὅτι πρὸς ἑσπέραν ἐστὶν καὶ κέκλικεν ἤδη ἡ ἡμέρα· καὶ εἰσῆλθεν τοῦ μεῖναι σὺν αὐτοῖς· 30. καὶ ἐγένετο ἐν τῷ κατακλιθῆναι αὐτὸν μετ' αὐτῶν, λαβὼν τὸν ἄρτον εὐλόγησεν καὶ κλάσας ἐπεδίδου αὐτοῖς. 31. αὐτῶν δὲ διηνοίχθησαν οἱ ὀφθαλμοὶ, καὶ ἐπέγνωσαν αὐτόν· καὶ αὐτὸς ἄφαντος ἐγένετο ἀπ' αὐτῶν.

32. Καὶ εἶπαν πρὸς ἀλλήλους, Οὐχὶ ἡ καρδία ἡμῶν καιομένη ἦν ὡς ἐλάλει ἡμῖν ἐν τῇ ὁδῷ, (καὶ) ὡς διήνοιγεν ἡμῖν τὰς γραφάς; 33. καὶ ἀναστάντες αὐτῇ τῇ ὥρᾳ, ὑπέστρεψαν εἰς Ἰερουσαλὴμ, καὶ εὗρον ἠθροισμένους τοὺς ἕνδεκα καὶ τοὺς σὺν αὐτοῖς, 34. λέγοντας, ὅτι ὄντως ἠγέρθη ὁ κύριος, καὶ ὤφθη Σίμωνι. 35. καὶ αὐτοὶ ἐξηγοῦντο τὰ ἐν τῇ ὁδῷ, καὶ ὡς ἐγνώσθη αὐτοῖς ἐν τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου.

In v. 13 εξηκοντα A B D K^2 L N^2 X Γ Δ Λ unc 8 al pler it pler vulg sah tat cop syr (sin, cu) aeth; sed εκατον εξηκοντα ℵ I K* N* Π aliq minusc syr (hr) arm ept fuld ger lind; eundem numerum confirmant Eus Hier Sozemenus eo quod Emmaum Nicopolin esse dicunt. In v. 15 a c e comitabatur. In v. 17 και εσταθησαν ℵ B Ti W H, sah cop; e et steterunt tristes; al και εστε. In v. 20 a ff^2 l om principes nostri. In v. 21 l quia ipse est salus; ff^2 quia ipse incipit liberare; non habent σημερον ℵ B L Ti W H, syr (sin, cu, sch, hr) cop arm tat. In v. 22 B γεναμεναι. In v. 24 ipsum vero *non viderunt* big cav dub eg for ken rush tol harl gat a b c f ff^2 r; D ειδομεν, d e vidimus; al codd vulg *invenerunt*, sed sine auctoritate graeca; videtur scriptio orta ex dittographia cum praecedente. In v. 29 ad vesperam (ad tenebras tat) iam declinavit dies it pler tat cav eg tol for; et intravit *manere* d r dub eg ken rush gat; ut maneret a c e f; et mansit b. In v. 31 nusquam (non d r) comparuit ab eis a c d e ff^2 r; invisus factus est eis b f l. In v. 32 B D om εν ημιν; pariter c d e; add eg de Iesu; D η καρδια ην ημων κεκαλυμμενη, d coopertum, c excaecatum, e exterminatum, l optusum; sah syr (sin, cu) arm tat grave. In v. 33 D ανασταντες λυπουμενοι, c e tristes, d contristati. In v. 34 a b c d e ff^2 l r visus est. In v. 35 a e agnitus est illis, c visus est illis in fractura (sin v. 13 et visus est duobus ex illis in die quando ibant in vicum nomine Emaus et remotum a Ierusalem 60 stadia; v. 15 et cum loquerentur et disquirerent, venit Iesus et accessit ad eos et ambulavit cum eis; v. 17 om ambulantes;

v. 18 om his diebus; v. 19 potens in virtute et opere et verbo; v. 20 et tradiderunt eum principes sacerdotum et seniores in iudicium mortis; v. 22 et etiam mulieres ex nobis iverunt ad monumentum, ubi positus est; 23 venerunt dicentes nobis, se angelos ibi vidisse et obstupuisse; v. 27 et coepit loqui illis a Moyse et ab omnibus prophetis et explicavit eis de se ex omnibus scripturis; v. 28 et ipse visus est illis quasi in locum remotum iret; v. 29 et coeperunt rogare eum, ut cum ipsis esset quia prope erat ad obtenebrescendum; v. 30 et cum accumberet, accepit panem; v. 31 et statim aperti sunt oculi eorum; v. 32 cor nostrum grave (sic יקיר scribitur; num erit mendum pro יקיד ardens?) erat in via, cum explicaret nobis scripturas; v. 34 Dominus noster).

In hoc eventu singularis demonstratur amor Christi in discipulos, quos tristes et valde titubantes in fide edocet explicatis vaticiniis prophetarum et quos ita praeparatos et edoctos de Messia manifestatione sui maxima implet consolatione. Videmus itaque quantopere ei cordi sit suos erigere, docere, consolari eosque ad veram sui cognitionem evehere; v. 13 *et ecce duo ex illis*, cf. v. 9 in quo de undecim et ceteris omnibus sermo est, quibus scil. mulieres regressae a monumento narrabant; isti duo itaque ex illis erant discipulis qui cum undecim mane die prima hebdomadis congregati erant. Neque obstat quod in v. 10 de solis apostolis mentio fit; inde enim aliqui volunt αὐτῶν solum posse referri ad apostolos; sed cum hi duo tamen distinguantur ab apostolis, id esse argumento narrationem hanc olim in alio contextu esse scriptam (cf. *Weiss*). Sed ex v. 9 planum est ea quae dicta sunt non ad solos esse dicta apostolos; proinde etiam in v. 11 αὐτῶν non solos spectat apostolos, *ibant ipsa die in castellum* εἰς κώμην *quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Ierusalem nomine Emmaus;* quando abierint, concludi potest ex iis quae in v. 23. 24 dicuntur. Solum sciunt mulieres quasdam sepulcrum vacuum invenisse et visionem angelorum habuisse; itemque Petrum et Ioannem ad monumentum sese contulisse. De aliis nihil audierunt. Proinde abierunt simul ac Petrus et Ioannes a sepulcro reduces erant, antequam Maria Magdalene secunda vice ad monumentum regressa (Ioan. 20,10) et Domini apparitione beata venit ad discipulos annuntians : vidi Dominum et haec dixit mihi (Ioan. 20,17 seq.). Maria Magdalene autem primo ivit ad sepulcrum summo mane; simulac vidit sepulcrum vacuum, *cucurrit* ad Petrum et Ioannem nuntians : tulerunt Dominum et nescimus, ubi posuerunt eum; quo audito illi duo etiam festinant ad monumentum et Maria Magdalene iterum se confert ad sepulcrum. Quare ex evangelica narratione certum videtur eos mane (*Fab.*) i. e. satis mature ab Ierusalem profectos esse, ut festo transacto redirent domum; id quod nuper accurata narrationis evangelicae explicatione bene ostendit *Schiffers*, qui valde probabile censet eos iam ante horam octavam ma-

tutinam (ab orto sole hora secunda) e coenaculo, ubi alii congregati erant abiisse (vide Katholik 1893 I p. 345 seq. p. 406).

Ubi autem Emmaus, Ἐμμαοῦς vel Ἀμμαοῦς quaeri debeat, tres propositae sunt sententiae. Et recentiorum quidem sat multi assignant vel Kubeibeh (el Kubabeh ; ita *Zschokke, Schegg, Holzammer, Fil.*) vel Kulonieh (colonia; ita *Calm. Sepp, Reischl, Caspari, Weiss, Sp. Schürer;* cf. *Ritter,* XVI Iudaea etc., p. 545; *Bourquenoud*, Études religieuses, historiques et litt. 1863 p. 596 seq.; Kirchenlexicon ed. Kaulen s. v., *Riess,* Bibelatlas s. v., Realencyclopaedie f. prot. Theol. XI p. 771); antiquissima autem traditione designatur Emmaus, quae urbs petente Iulio Africano e ruinis restituta est et anno 223 nomine Nicopolis donata; hodie eo loco Amwâs reperitur. Huius traditionis testes sunt Eusebius, Hieronymus, Sozomenus, Theodosius archidiaconus, Cassiodorius etc. vide *Schiffers*, Amwâs p. 14 seq., quam sententiam utpote saepe ab Hieronymo traditam non solum multi interpretum adoptarunt (cf. *Bed. Bon. Ians. Baronius, Luc. Ipr. Salm. Mald. Sa, Suarez, Lap. Mariana, Tirinus, Gordonus* etc.), verum etiam aliqui recentiores, uti *Robinson, Guérin,* Judée p. 293 seq. et praecipue *Schiffers* qui amplam et eruditam ea de quaestione disputationem conscripsit (Amwâs, Freiburg i. B. 1890) suamque sententiam ulterius defendit in Katholik l. c. et in Revue biblique II p. 223. Huius antiquae traditionis vestigia apparent quoque in lectione 160 stadiorum.

Et Eusebius quidem et S. Hieronymus ita : « Emmaus de quo loco fuit Cleophas, cuius Lucas meminit evangelista, haec est nunc Nicopolis, insignis civitas Palaestinae » (Onom.). Eusebii testimonium certe grave est; erat ipse natus in Palaestina, metropolita provinciae ecclesiasticae Palaestinae primae, ad quam Nicopolis sedes episcopalis pertinebat. Hieronymus quotiescumque meminit Emmaus etiam addit nunc dici Nicopolin quae prius Emmaus vocabatur, ubi Iudaeae provinciae montana incipiunt; attribui tribui Dan, Lyddam et Emmaum nunc dici Diospolim et Nicopolim; suscepisse Iulium Africanum legationem pro instauratione urbis Emmaus quae postea Nicopolis sit appellata etc. (cf. *Schiffers,* Amwâs p. 14); pariter elucet s. doctorem Emmaus, de quo in libr. Mach. nominare Nicopolim neque unquam vel duo oppida Emmaus vel duas urbes Nicopolim distinguere. Pariter constat illa antiqua traditione Nicopoli domum Cleophae ecclesiam esse consecratam et a piis eodem modo esse frequentatam devotionis causa sicut Nazareth, Bethlehem etc. Iam vero omnes concedunt Nicopolim eo loco sitam fuisse, ubi hodie Amwâs.

Neque obstat quod Emmaus, urbs illa de qua in libro Mach. (1 Mach. 3,40.57; 4,3) fuerit civitas satis insignis, a Luca autem κώμη appelletur. Nam tempore Christi revera a priore dignitate ceciderat; incolae eius a Cassio Longino in servitutem venditi erant; urbs ipsa postea a Quintilio Varo incendio erat destructa (cf. *Schiffers* l. c. p. 23.40). Ex antiqua igitur illa et per multa saecula traditione lectio de 160 stadiis pariter commendatur. Nam Emmaus (Nicopolis) describitur ἐν τῇ πεδινῇ i. e. in regione campestri, in Schephela et distat ab urbe stadiis 152 (Guérin) vel stadiis 176, ut alii dicunt. Ex urbe enim tres viae a Romanis stratae erant in Nicopolim; una ex iis (per Kubeibeh, Betnuba) stadia habet 160; alia (per El-Djib, Betur) longior est, tertiam breviorem reperit Guillemot (*Schiffers* l. c. p. 61).

Non posse intelligi *Kulonieh* inde iam conficitur, quia haec colonia octingentorum veteranorum, cui utique nomen antea erat Ammaus, solum triginta stadiis ab urbe distat. Triginta enim stadia probata sunt et accurata exploratione et in editionibus criticis Flavii Iosephi pariter leguntur 30 stadia (Bell. iud. 7,6.6; cf. *Schiffers* l. c.

p. 49 seq.). Neque posse intelligi *Kubeibeh* iam eo patet quia nullo modo ostendi potest ei loco unquam inditum esse nomen Emmaus et quae tentata sint ad ostendendum Kubeibeh olim nomen quoque gessisse Nicopolis, proin duas urbes insignes Nicopolim esse distinguendas vi et efficacia carere videntur, cum veteres de duabus eiusmodi urbibus plane sileant. Porro ex iis quae apud veteres memoriae prodita sunt colligitur Nicopolin (quae Emmaus ab iis dicitur) sitam fuisse in regione tribus Dan, in campestribus (Schephela), ubi Iudaeae provinciae montana incipiunt consurgere, 4 milliaribus a Gazer, 2 milliaribus ab Aialon tribus Dan, 10 milliaribus a Bethoron, 10 milliaribus a Lydda (ita apud Eusebium, Hieronymum, aliqua apud Iosephum); iam vero Amwâs situm est 4 milliaribus a Tell Ghezer, 2 milliaribus ab Yalo, 10 a Betur, 10 a Lydda, in regione tribus Dan, in Schephela. Verum plane aliter Kubeibeh; nam situm est 16 milliaribus a Gazer, 10 a Yalo, 20 a Lydda, 5 a Bethoron, in mediis montanis Iudaeae (cf. *Schiffers* l. c. p. 81.82.100.101).

Dum duo illi discipuli iter facerent, v. 14 *ipsi loquebantur ad invicem de his omnibus quae acciderant;* v. 15 *et factum est dum fabularentur et secum quaererent* συνζητεῖν, quid disceptaverint, colligitur ex v. 19 seq.; nam nullo modo res quae videbantur maxime contrariae inter se conciliare poterant : Iesu vitam, doctrinam, miracula et eius mortem ignominiosissimam, qua morte a spe quam de illo utpote Messia conceperant deiecti sunt. Sed cum de Iesu loquerentur et contristati essent, Iesus qui partem aliquam suae beatitatis libentissime suis largiri gestit, qui ubi duo in suo nomine sint congregati se in medio eorum fore promiserat, *ipse Iesus appropinquans ibat cum illis,* se illis adiungit quasi peregrinus qui eadem incedat via; v. 16 *oculi autem eorum tenebantur ne eum agnoscerent;* similiter Maria Magdalene videns Iesum non sciebat esse Iesum et cum Iesus ad lacum Tiberiadis in littore staret, discipuli non cognoverunt esse Iesum (Ioan. 20,14; 21,4); cf. Marc. 16,12 duobus ambulantibus ostensus est in alia effigie ἐν ἑτέρᾳ μορφῇ. » Sicut in eius potestate erat ut corpus suum videretur vel non videretur, ita in potestate eius erat ut ex eius aspectu formaretur in oculis intuentium vel forma gloriosa vel non gloriosa aut etiam commixta vel qualitercumque se habens; modica tamen differentia sufficit ad hoc quod aliquis videatur in aliena effigie apparere » (*S. Thom.* 3 p. qu. 54 art. 1 ad 3; sim. *Ians. Salm. Suarez, Cord. Lap. Luc.;* Christum revera mutata corporis forma apparuisse *S. Hier. Mald.* aliique docent).

Cur autem non statim se illis manifestaverit, has affert *Theoph.* rationes : « ut ambiguam sententiam revelarent, ut ulcus detegerent ac pharmacum susciperent, ut dulcior eis post multam moram esset, ut doceret ex Mose et prophetis ac tunc agnosceretur et magis credant quod corpus suum ultra non sit tale, ut simpliciter possit ab omnibus videri ». Alii verba recitant *S. Gregorii* (hom. 23 in evang.) : hoc ergo

egit foris Dominus in oculis corporis quod apud ipsos agebatur intus in oculis cordis; ipsi namque apud semetipsos intus et amabant et dubitabant; eis autem foris Dominus et praesens aderat et quis esset non ostendebat. De se ergo loquentibus praesentiam exhibuit, sed de se dubitantibus cognitionis suae speciem abscondit (cf. *Bed. Bon. Ians. Lap. Sylv.*).

Iesus autem tamquam viator qui illos a tergo assecutus aliquid colloquii eorum excepisset, v. 17 *ait ad illos : qui sunt hi sermones quos confertis ad invicem ambulantes et estis tristes?* vide lect. var. et steterunt tristes; subita hac allocutione quasi attoniti sistunt gradum vultumque exhibent ex habito colloquio tristem de iis quae acciderant; v. 18 *et respondens unus, cui nomen Cleophas* Κλεόπας, nomen ut videtur contractum e Κλεόπατρος, uti Ἀντίπας ex Ἀντίπατρος, Lucas (Lucanus) etc. (cf. *Schanz, Weiss, Grimm* s. v.), quare non cogitandum est de Κλωπᾶ qui cum filio suo, Iacobo minore iter hoc instituerit prout *Holtzmann* vult, contra quam opinationem vide *Cornely,* Comment. in 1 Cor. p. 456. Quis alter fuerit alii aliud coniectarunt; *S. Cyr.* eum vocat Simonem, *S. Ambr.* Ammaonem, *Epiphanius* Nathanael; neque defuerunt qui putarent Lucam se ipsum simili modo tacuisse, uti Ioannes in evangelio de se ut de alio discipulo loquatur (cf. *S. Bon. Alb. Theoph.*); *dixit ei : tu solus peregrinus es in Ierusalem* παροικεῖς tamquam advena versaris *et non cognovisti quae facta sunt in his diebus?* v. 19 *quibus ille dixit : quae? et dixerunt : de Iesu Nazareno, qui fuit* ἐγένετο factus est, se ut talem exhibuit, *vir propheta potens in opere et sermone coram Deo et omni populo* v. 20 *et quomodo eum tradiderunt summi sacerdotes et principes nostri in damnationem mortis et crucifixerunt eum;* eodem modo loquitur Petrus Act. 2,23; 3,15; 4,10; nam eorum opera et clamoribus factum est ut Pilatus eum traderet ad supplicium crucis (*Weiss, Keil*); immerito dicit *Schanz* apud Lucam Iudaeos describi tamquam qui crucifixionem exsecuti sint (cf. 23,36. 47); v. 21 *nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israel;* haec spes opere et sermone Iesu in eis excitata erat; sed si est Messias, quomodo fieri potest, ut a principibus Israel repudietur, ut immani supplicio interimatur? en haec est difficultas quam Matthaeus suo evangelio removere studet. Etenim cum Messias ad Israel mittendus sit et Israel quoque suum Messiam diu iam promissum exspectet, exoptet, summis votis desideret, quomodo is censeri poterit Messias quem Israel non solum reiicit sed supplicio teterrimo interemptum vult?

Dicentes : nos sperabamus, vulnus detegunt; *et nunc super haec omnia,* cum his omnibus insuper, *tertia dies est hodie quod haec facta*

sunt ἀφ᾽οὗ ex quo; τρίτην ταύτην ἡμέραν ἄγει; aliqui explicat Ἰησοῦς ἄγει (cf. *Weiss*); sed cum illi Iesum mortuum opinentur, de mortuo vix dici apte videtur : agit tertium diem; vide tamen Ioan. 11,17 (invenit Lazarum quattuor dies in monumento habentem et v. 39); alii : χρόνος ἄγει (*Luc. Schanz*); alii dictionem accipiunt impersonalem (*Fil. Keil*); alii ἥλιος ἄγει; quod autem dicunt iam agi tertium diem, profecto pandunt se scire Iesum de die tertio praedixisse, quo die restitutum iri regnum Israel (Act. 1,6) exspectasse videntur. Verum quam parum iis in mentem venerit de resurrectione a mortuis, demonstratur v. 22 *sed et mulieres quaedam ex nostris terruerunt nos* ἐξέστησαν obstupefecerunt nos (ad admirationem traduxerunt, uti apud Aristotelem in Rhetoricis Cicero vocem vertit, *Rosenmüller*); *quae ante lucem* ὀρθριναί proprie matutinae i. e. mane (cf. Aeneas se matutinus agebat, Vergil. Aen. 8,465) *fuerunt ad monumentum,* v. 23 *et non invento corpore eius venerunt dicentes se etiam visionem angelorum vidisse qui dicunt eum vivere;* cf. v. 9; v. 24 *et abierunt quidam ex nostris ad monumentum,* scil. Petrus v. 12 et Ioannes Ioan. 20,2; ex qua narratione simul colligitur, quomodo Matth. 28,9 non sit accipiendum; neque enim mulieres cum prima vice redirent a sepulcro, Iesum habebant obvium, sed postmodum alia occasione; *et ita invenerunt sicut mulieres dixerunt; ipsum vero non invenerunt* οὐκ εἶδον non viderunt; innuunt si vere viveret etiam debuisse videri ab eis Iesum. En quam longe absunt ab exspectatione resurrectionis! Sed ipsum hoc pro nobis evadit argumentum factam esse resurrectionem, quia postea discipuli omnes tanta animorum constantia Iesum a mortuis surrexisse affirmabant.

Cum iam totum animi statum declarassent, v. 25 *ipse dixit ad eos : o stulti et tardi corde ad credendum in omnibus quae locuti sunt prophetae;* obiurgat eos quod non intelligant quae prophetae de Messia praedixerunt et quod sint animo segnes, quasi hebetes, tardi, qui non sinant se adduci ut credant omnia quae a prophetis annuntiata sunt; notio quippe illa praeconcepta de glorioso regno messiano impedimento erat quominus animum adverterent ad oracula de Messia patiente; ceterum etiam notum est difficile homini persuaderi id a quo animus abhorret; v. 26 *nonne haec* quae facta sunt v. 18. 21, *oportuit pati Christum* scil. secundum oracula prophetarum, *et* (*ita*) *intrare in gloriam suam?* vide 23,43 Christi gloria quae iam in eius morte tenebris, terrae motu, scisso velamine est declarata, statim apparuit quoque in anima eius beata, in descensu ad inferos, ubi patribus in limbo beatitatem, visionem Dei, largitus est, et etiam magis apparuit in resurrectione, cum corpus assumeret gloriosum,

spiritale (cf. 1 Cor. 15,42 seq.). Perperam aliqui (cf. *Weiss*) verba ita accipiunt quasi hic assereretur statim a passione secutam esse ascensionem in coelum; nam statum gloriosum iam nactus est resurrectione, uti luculenter apparet ex modo quo se manifestat in corpore iam non terrestri, mortali, sed in spiritualem quandam et coelestem conditionem mutato. Et sicut in corpore mortali suos cum omni patientia docuit, ita idem in gloria sua praestare non fastidit v. 27 *et incipiens a Moyse et omnibus prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis quae de ipso erant;* cf. v. 44, ex qua Christi institutione credendum erit nobis servata esse illa quae in evangeliis et epistolis explicantur vaticinia; apostoli enim docuerunt quae a Domino didicerant et « Spiritus sanctus suggeret vobis omnia quaecumque dixero vobis » (Ioan. 14,26).

Ita a Domino edocentur, ut scandalum crucis removeatur, cum definito Dei consilio et voluntate Messiam esse passum ex oraculis prophetarum eluceat; v. 28 *et appropinquaverunt castello quo ibant, et ipse se finxit longius ire* i. e. composuit gestus et motus suos quasi longius iturus; id quod etiam fecisset, i. e. abiisset nisi eum invitassent (cf. *Cai. Ians. Luc.*); probandi enim erant si eum saltem tamquam peregrinum amarent (*Beda*) et dum instituit longius progredi, iis dat occasionem ut affectiosius invitent et magis mereantur (*S. Bon.*); v. 29 *et coegerunt illum dicentes,* instanter eum rogabant et obsecrabant; nam ex eius sermonibus sentiebant animos suos recreari et illustrari et inusitata quadam suavitate perfundi (v. 32); unde eius consuetudine diutius frui ardenter desiderant; *mane nobiscum, quoniam advesperascit et inclinata est iam dies;* quid Iudaeis sit diem inclinari discitur ex Iud. 19,8 seq.; dicit scil. socer ad levitam : considera quod dies ad occasum declivior sit et propinquat ad vesperam; sed ille tamen proficiscitur ducens secum duos asinos onustos a Bethlehem Ierusalem versus et cum iuxta Ierusalem esset, dies valde declinaverat; ille autem coeptum carpebat iter et cum usque ad Gabaa pervenisset, sol occidit. Iam a Bethlehem usque Ierusalem sex numerantur milliaria i. e. iter duarum horarum; a Ierusalem usque Gabaa (Iosephus viginti stadia numerat) iter est horae unius. Quare merito notat de Hummelauer ad Iud. 19,8 (נטות היום diem inclinari) : « dies converti incipit meridie quando sol ab ortu ad occasum vergere incipit; sane non intelligitur vespertinum tempus, cum enim iter ex Bethlehem in Silo sit septem circiter horarum non poterat profectio in vesperum differri, si iter esset eo die complendum »; cf. etiam *Schiffers* qui iter hoc plus quam septem horarum esse dicit (Katholik 1893 I p. 400). Proinde ex verbis hisce minime licet concludere eos hora fere vesper-

tina (secundum nostrum loquendi modum) in Emmaus advenisse. Unde bene monet *Ians.* : « verisimile est aliquot adhuc horas abfuisse a vespera et occasu solis et tamen quia valde cupidi erant retinendi Iesum causam manendi afferunt ipsam advenientem vesperam »; idcirco eos usos esse aliqua exaggeratione, qua suam invitationem redderent efficaciorem, ad mores hominum ardenter aliquid exoptantium omnino est accommodatum. Quare notat *Luc.* : « nec enim tam propinqua erat vespera quam verba ipsorum prae se ferunt; sed rem exaggerant, ut retineant gratum hospitem » etc.

Quod dicitur v. 28 *et ipse se finxit* etc. Priscillianistae adhibebant, ut contenderent mendacium quandoque esse licitum, contra quos agit *S. Aug.* (contra mendacium, 13 n. 28; *M.* 40,538). Et *Mald.* quoque dicit : « tantum hoc apud quosdam argumentum valuit, ut Christum vere putarint mentitum licereque nobis aliquando eius exemplo mentiri; in quo errore fuit quoque Cassianus, auctor catholicus et bonus; sed nullum tam pulchrum est corpus, ut naevo careat. Christum mentitum non esse certum esse debet; quomodo eius fictio mendacium non fuerit, facilius est credere quam explicare. Nam in duabus rationibus quas d. affert Augustinus fateor ingenium meum non acquiescere; utraque in hac una re versatur, mendacium non esse, cum non ad fallendum, sed ad aliquid maius significandum aliquid fingimus; Christum itaque ideo mentitum non fuisse, quia fictione illa sua non fallere discipulos, sed docere et maius quiddam significare voluit » (quaest. evang. 2,51; *M.* 35, 1362). Sed quod ipse *Mald.* demum ad solvendam quaestionem affert nescio num multis probetur : noluit Christus discipulos fallere, sed docere eos falli et ab errore liberare. — Verum res non videtur difficultate seria premi. Nam Christus ita gressum habitumque composuit, ut longius progredi videretur; et longius revera esset progressus, i. e. abiisset, nisi eum precibus ad manendum adegissent. Videntur aliqui nodum in scirpo quaerere. Ceterum vide lectionem sin : et videbatur illis sicut quasi in locum remotum iret.

Ex iis quae ad v. 29 dicta sunt, etiam patet ex hisce verbis revera nullam posse desumi obiectionem contra sententiam qua Amwâs hodiernum censetur Emmaus. Via illa stadiorum 160 quam mane ingressi sunt facile confici poterat in sex vel septem horis. Unde cum mane profecti esse censeri possint hora circiter octava, ita loqui poterant hora 2-3 post meridiem (secundum nostrum computandi modum). Redeuntes vero in urbem gaudio et exsultatione abundabant de Christo resurgente; unde iter quam maxime accelerarunt, prout solent qui nuntium faustissimum aliis tristibus quam citissime afferre gestiunt. Idcirco reduces esse poterant hora octava vel nona vespertina. Et quia eo die apostoli tot audierant quae maximam exspectationem et admirationem eorum animis indebant, non mirum est quod eo tempore vigiles in eadem domo erant congregati usque in multam noctem. Quis enim ea in conditione prae animi excitatione dormire potuisset?

Quem in finem etiam consideranda sunt quae *Hesychius*, presbyter hierosolymitanus scribit : « non admirari oportet quod eodem die ab Ierusalem in Emmaus et ab Emmaus in Ierusalem profecti fuerint; neque enim scriptum est vesperam fuisse quando appropinquaverunt castello, sed advesperasse et inclinatam esse iam diem, adeo ut esset forsan octava vel nona hora (scil. post solis ortum; ergo 2 vel 3 post meridiem), quia a septima quasi ad vespertinam partem inclinat sol; praeterquam

quod cursum illi adhibuerint prae gaudio ut nuntiarent miraculum et pervenirent valde sero. Serum enim appellare solemus quod ad multam noctem protenditur tempus » (*M.* 93, 1443).

Iesus qui se ad iter continuandum composuit ut rogaretur manere, *intravit cum illis;* v. 30 *et factum est cum recumberet cum eis, accepit panem et benedixit ac fregit et porrigebat illis;* Iesus iam non agit tamquam conviva, sed tamquam dominus vel paterfamilias; unde ipse cibum praemissa benedictione distribuit; *benedixit* εὐλόγησεν; etiam rabbini praescribunt ante comestionem formulam quandam precatoriam (benedicamus, benedicite; cf. *Lightfoot* ad h. l.); eodem modo dicit apostolus : si ego cum gratia participo, quid blasphemor pro eo quod gratias ago (1 Cor. 10,30 et vide Rom. 14,6). Eo modo Iesus saepe censendus erit per vitam publicam medius inter discipulos mensae accubuisse et benedixisse panemque fregisse et porrexisse; unde etiam eo agendi modo familiari se voluit nunc manifestare et agnosci, ut gaudium suorum compleret et iis quasi partem suae beatitatis largiretur v. 31 *et aperti sunt oculi eorum et cognoverunt eum et ipse evanuit ex oculis eorum,* v. 35 narrant eum cognitum esse in fractione panis, ἐν τῇ κλάσει, quasi in signo quo in eius cognitionem ducti sunt (cf. Ioan. 13,35; *Schanz, Weiss*). Hic nobis ostenditur dos corporis gloriosi, spiritualis; potest esse visibile; at potest quoque extemplo oculis mortalium evanescere et potest se subito ianuis clausis inferre quo vult v. 36. Puto esse assentiendum iis qui dicunt Christum non porrexisse iis sacram eucharistiam, sed benedixisse panem, uti moris erat ante comestionem; ita *Alb. Euth. Cai. Dion. Estius, Ians.* (qui id esse probabilius censet) *Calm. Schegg, Schanz, Fil.* Nam ex voce *benedixit* nullum posse desumi argumentum pro consecratione, bene monent *S. Bon. Estius,* cum ante manducationem benedictionem praemittere in more positum sit (*Euth.*). Dein discipuli hi cum coenae paschali non interfuerint non possunt censeri edocti esse de sacra eucharistia, ut monet *Estius;* nemini autem dandum est corpus Christi nisi illud mysterium cognoscenti et credenti, ut idem ait. Denique etiam incertum est comederintne panem exhibitum; Iesu enim statim agnito ipsorumque oculis subducto certe in eam animi admirationem et obstupefactionem, in eam exsultationem et consolationem rapti sunt qua ciborum penitus esse oblitos credi potest (cf. *Calm.*).

Sat multi utique Christum suum corpus illis porrexisse volunt (cf. *Theoph. Salm. Luc. Ipr. Mald. Lap. Cord. Sylv. Reischl, Bisp. Grimm*) et provocant partim ad ipsam coenam paschalem, qua accepit panem, benedixit, fregit deditque discipulis, partim ad Act. 2,42 etc. ubi fractio panis de celebratione s. eucharistiae dicitur. Sed utrumque argumentum non vide-

tur efficax. Nam in priore deest id quod praecipuum est : et dixit : accipite et comedite : hoc est corpus meum. In altero autem adverti debet aliud esse frangere panem in coetu sacro ad orationem collecto et aliud si narratur post iter aliquot horarum viatores domum advectos fregisse panem. Eius sententiae esse dicunt *S. Aug.;* rectene id asserant dubium est. En eius verba : « eia, fratres, ubi voluit Dominus agnosci ? in fractione panis. Securi sumus, panem frangimus et Dominum agnoscimus. Noluit agnosci, nisi ibi; propter nos qui non eum visuri eramus in carne et tamen manducaturi eramus eius carnem. Quisquis ergo fidelis es, quisquis non inaniter christianus vocaris, quisquis ecclesiam non sine causa ingrederis, quisquis verbum Dei cum timore et spe audis, consoletur te fractio panis » (serm. 235,3; *M.* 38,1118). Hisce enim s. doctor non dicit illis datam esse eucharistiam sed occasione verborum aliquam facit applicationem, *in qua applicatione* fractione panis intelligit et explicat eucharistiam. Sed ex eo quod *in applicatione* verba eo sensu accipiuntur, nondum sequitur ea etiam in ipso sacro textu eodem modo ex mente s. doctoris esse capienda. Idem valet de altero eius loco (de cons. evang. 3,25. 72) ubi hanc colligit applicationem : ne quisquam se Christum agnovisse putet, si *eius corporis* particeps non est i. e. *Ecclesiae*, cuius unitatem in sacramento panis commendat apostolus. Atque hanc applicationem *Beda* quoque profert ad v. 35, dum alias nihil de eucharistia innuit ad v. 30. 31; quare immerito nominatur pro sententia de eucharistia. Magis ei sententiae favet quod s. doctor subdit l. c.; putat enim impedimentum in oculis discipulorum factum esse a satana, « sed a Christo facta permissio usque ad sacramentum panis, ut unitate corporis eius participata removeri intelligatur impedimentum inimici, ut Christus possit agnosci »; neque tamen exinde rem confici puto; sacramentum enim est significationis satis latae et quod additur, videtur esse applicatio eadem de qua modo antea, scil. ut unitatis corporis eius sit particeps quicumque Ecclesiae aggregetur. *S. Hieronymus* dicit quidem Christum domum Cleophae ecclesiam consecrasse. Sed hanc consecrationem factam esse per eucharistiam nullo modo innuit. Nonne domus satis putari potest consecrata ipsa Domini praesentia in corpore glorioso? cf. ep. 108,8; *M.* 22,883. Alii pro hac de eucharistia sententia etiam ad S. Chrysostomum nos remittunt (*Salm. Sylv. Reischl*); sed quae afferuntur non sunt s. doctoris verba, sed deprompta sunt ex opere imperfecto in Matth. (cuius auctor arianae haereseos arguitur) hom. 17; verum ne auctor quidem ille id clare asserit; nam postquam dixit : quod sacerdos de manu sua dat non solum sanctificatum est, sed etiam sanctificatio est (i. e. alterum sanctificat), adiungit duo exempla : « unde et Dominus in via non solum benedixit panem, sed de manu sua dedit Cleophae et socio eius; et Paulus navigans non solum benedixit panem, sed de manu sua porrexit Lucae et ceteris discipulis suis ». Alterum hoc exemplum certe non pertinet ad eucharistiam; num itaque prius? Quare audacius esse videtur dicere cum *Sylv. Reischl* communiter Patres verba deeucharistia explicare vel ita ex ecclesiastica traditione esse colligendum.

Reliquit Christus discipulos gaudio et consolatione plenos; v. 32 *et dixerunt ad invicem : nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via et aperiret nobis Scripturas?* καιομένη, ἥγουν σφύζουσα, παλλομένη (*Euth.*); mirantur nunc Domino agnito quod non iam in via eum cognoverint ex colloquio quo de Messia oracula exposuit eaque in Iesu completa ostendit, et ex intimo animi affectu et ardore quem iam tum ex verbis hauserint. In ista animorum commotione cernitur vis verborum Iesu; experiebantur, ut antea semper, sermonem Domini esse in potestate et gratia[1]. Gaudium quod sentiunt statim cum aliis communicare festinant iis afferentes nuntium faustissimum v. 33 *et surgentes eadem hora,* sine mora; quos enim lugentes et flentes in urbe reliquerant (cf. Marc. 16,10), iis quam citissime gaudium annuntiare in deliciis habent, *regressi sunt in Ierusalem et invenerunt congregatos undecim;* poterant esse reduces hora octava vel nona vespertina (secundum nostram computandi rationem) et cum tempus esset plenilunii, non erat propter tenebras molestum ambulare per duas vel tres horas post solis occasum; *et eos qui cum illis erant* v. 34 *dicentes : quod surrexit Dominus vere* ὅτι ὄντως addunt hoc quia antea Mariae Magdalenae idem nuntianti non crediderant (Marc. 16,11); ita enim loqui solent si res quae incredibilis videbatur comprobatur hominibus vera, *et apparuit Simoni;* Petro primo ex apostolis Iesum apparuisse, etiam apostolus affirmat 1 Cor. 15,5. Admiranda est et laudanda summa illa Christi clementia et benignitas qua discipulum (qui ter eum negaverat) ante omnes alios apparitione sua consolatur et moestum erigit et sui amoris documentum nobilissimum ei tribuit. Primum dignitate quoque inter apostolos eum ostendit dum eum primum sua manifestatione honorat et Petrus iam fungitur suo officio confirmandi fratres et hi auctoritati eius deferunt; nam Petro nuntianti et affirmanti Dominum surrexisse et a se visum esse adhibent fidem, saltem plerique, quamvis, uti in re adeo mira et inaudita, facile fieri potuerit ut mox iterum dubia quaedam orirentur (cf. v. 37. 41; Marc. 16,13). Quare frustra iactant aliqui (cf. *Meyer, Weiss*) reperiri contradictionem inter Marcum et Lucam; hi non videntur legisse v. 41 neque Ioan. 20,24 seq. neque attendisse quam succincte eo loco Marcus narret (cf. Comment. Marc. p. 439); v. 35 *et ipsi narrabant quae gesta erant in via et quomodo cognoverunt eum in fractione panis,* ἐν τῇ κλάσει in eo quasi signo; alii : dum frangeret panem (*Schegg;* beim Brodbrechen, dum alii malunt vertere et explicare : am Brodbrechen); vide ad v. 30. Sunt qui propterea Christum

1. Ex altera lectione (cf. var. lect. et sin) mirantur quod mente adeo caeci fuerint, ut non statim ex ipsa explicatione et notitia Scripturarum eum esse Iesum deprehenderint.

singularem quendam ac peculiarem modum benedicendi et frangendi panem habuisse opinentur.

c) Iesus se manifestat discipulis 24,36-53.

24,36. Dum autem haec loquuntur, stetit Iesus in medio eorum, et dicit eis : Pax vobis; ego sum : nolite timere. 37. Conturbati vero et conterriti, existimabant se spiritum videre. 38. Et dixit eis : Quid turbati estis et cogitationes ascendunt in corda vestra? 39. Videte manus meas et pedes, quia ego ipse sum; palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. 40. Et quum hoc dixisset, ostendit eis manus et pedes. 41. Adhuc autem illis non credentibus, et mirantibus prae gaudio, dixit : Habetis hic aliquid quod manducetur? 42. At illi obtulerunt ei partem piscis assi et favum mellis. 43. Et quum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis.

44. Et dixit ad eos : Haec sunt verba quae locutus sum ad vos, quum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia quae scripta sunt in lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me. 45. Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas. 46. Et dixit eis : Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die; 47. Et praedicari in nomine eius poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Ierosolyma. 48. Vos autem testes estis horum. 49. Et ego mitto promissum Patris mei in vos. Vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.

50. Eduxit autem eos foras in Bethaniam, et elevatis manibus suis benedixit eis. 51. Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, et ferebatur in coelum. 52. Et ipsi adorantes regressi sunt in Ierusalem cum gaudio magno; 53. Et erant semper in templo, laudantes et benedicentes Deum. Amen.

24,36. Ταῦτα δὲ αὐτῶν λαλούντων, αὐτὸς ἔστη ἐν μέσῳ αὐτῶν, καὶ λέγει αὐτοῖς, Εἰρήνη ὑμῖν. 37. θροηθέντες δὲ καὶ ἔμφοβοι γενόμενοι ἐδόκουν πνεῦμα θεωρεῖν; 38. καὶ εἶπεν αὐτοῖς, Τί τεταραγμένοι ἐστέ; καὶ τί διαλογισμοὶ ἀναβαίνουσιν ἐν τῇ καρδίᾳ ὑμῶν; 39. ἴδετε τὰς χεῖράς μου καὶ τοὺς πόδας μου, ὅτι ἐγώ εἰμι αὐτός· ψηλαφήσατέ με καὶ ἴδετε· ὅτι πνεῦμα σάρκα καὶ ὀστέα οὐκ ἔχει, καθὼς ἐμὲ θεωρεῖτε ἔχοντα. 40. καὶ τοῦτο εἰπὼν ἐπέδειξεν αὐτοῖς τὰς χεῖρας καὶ τοὺς πόδας. 41. ἔτι δὲ ἀπιστούντων αὐτῶν ἀπὸ τῆς χαρᾶς καὶ θαυμαζόντων, εἶπεν αὐτοῖς, Ἔχετέ τι βρώσιμον ἐνθάδε; 42. οἱ δὲ ἐπέδωκαν αὐτῷ ἰχθύος ὀπτοῦ μέρος, [καὶ ἀπὸ μελισσίου κηρίου]. 43. καὶ λαβὼν ἐνώπιον αὐτῶν ἔφαγεν.

44. Εἶπεν δὲ πρὸς αὐτούς, Οὗτοι οἱ λόγοι μου οὓς ἐλάλησα πρὸς ὑμᾶς ἔτι ὢν σὺν ὑμῖν, ὅτι δεῖ πληρωθῆναι πάντα τὰ γεγραμμένα ἐν τῷ νόμῳ Μωυσέως καὶ τοῖς προφήταις καὶ ψαλμοῖς περὶ ἐμοῦ. 45. τότε διήνοιξεν αὐτῶν τὸν νοῦν, τοῦ συνιέναι τὰς γραφάς· 46. καὶ εἶπεν αὐτοῖς ὅτι οὕτως γέγραπται (καὶ οὕτως ἔδει) παθεῖν τὸν Χριστὸν, καὶ ἀναστῆναι ἐκ νεκρῶν τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, 47. καὶ κηρυχθῆναι ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ μετάνοιαν εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν εἰς πάντα τὰ ἔθνη, ἀρξάμενοι ἀπὸ Ἱερουσαλήμ. 48. ὑμεῖς μάρτυρες τούτων. 49. καὶ ἰδοὺ, ἐγὼ ἐξαποστέλλω τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ πατρός μου ἐφ' ὑμᾶς· ὑμεῖς δὲ καθίσατε ἐν τῇ πόλει, ἕως οὗ ἐνδύσησθε ἐξ ὕψους δύναμιν.

50. Ἐξήγαγεν δὲ αὐτοὺς ἕως πρὸς Βηθανίαν· καὶ ἐπάρας τὰς χεῖρας αὐτοῦ, εὐλόγησεν αὐτούς. 51. καὶ ἐγένετο ἐν τῷ εὐλογεῖν αὐτὸν αὐτοὺς, διέστη ἀπ' αὐτῶν, καὶ ἀνεφέρετο εἰς τὸν οὐρανόν. 52. καὶ αὐτοὶ, προσκυνήσαντες αὐτὸν, ὑπέστρεψαν εἰς Ἱερουσαλὴμ μετὰ χαρᾶς μεγάλης· 53. καὶ ἦσαν διαπαντὸς ἐν τῷ ἱερῷ εὐλογοῦντες τὸν Θεόν. Ἀμήν.

In v. 36 D a b d c ff² l r om et dicit... timere; pariter om Ti; verum και λεγει αυτοις ειρηνη υμιν habent ℵ A B L P X Γ Δ Λ Π unc 8 al omn c f sah cop tat syr (cu, utr, hr) Eus Chr Cyr; quare haec omnino retinenda sunt; praeterea add G P aliq minusc εγω ειμι, μη φοβεισθε; item c f vulg syr (sch, hr) arm aeth arr perss tat Amb Aug ego sum, nolite timere (quae fortasse ex Ioan. 6,20 petita sunt, Ti). In v. 37 B θροηθεντες, al πτοηθ.; D φαντασμα d fantasma. In v. 39 σαρκας ℵ* D Ir. Om D v. 40, item a b d e ff² l r Ti; sed rell testes verss etc. eum habent; ergo neque cum W H uncis includi debet. In v. 42 non add και απο μελλ. κηριου ℵ A D L Π sin, pariter non legisse videntur Clem Or Eus Epiph. In v. 43 K Π* aliq minusc add και τα επιλοιπα εδωκεν αυτοις, item Ath Epiph et similiter syr (cu, hr) arm aeth arr c vulg Aug. In v. 46 non habent και ουτως εδει ℵ B C* D L a b c d e ff² l r eg gat cop aeth syr (hr) Ir Hil Aug. In v. 47 εις αφεσιν ℵ B cop syr (sch) Ti; al και αφ. In v. 50 αυτους sine εξω ℵ B C* L 1. 33. 157. sin a e cop syr (sch, hr) aeth arm Cosm Aug. In v. 51 απ αυτων sine additam ℵ* D sin a b d e ff² Ti; sed al omnes add και αναφερετο εις τ. ουρ. quod retineri debet, neque dici potest esse fortasse adscriptum ex Marc. 16,19 vel Act. 1,9; nam utroque in loco aliud verbum legitur. Pariter D sin a b d e ff² l om in v. 52 προσκυνησαντες αυτον; etiam Ti om; sed habent ℵ A B C unc 13 al omn. Sat multi codd inter quos B add αμην (sin v. 36 inventus est stans inter eos; v. 39 ecce videte manus meas et pedes meos et palpate et videte quia ego sum; v. 42 om favum mellis; v. 44 omne quod scriptum est de me v. 47 poenitentiam et remissionem; v. 49 exspectate in civitate; v. 51 et cum benedixisset eis, elevatus est ab illis (ex illis) et illi reversi sunt in Ierusalem in gaudio magno et benedicebant omni tempore in templo Deum).

Christus redivivus promptus est ad suos erigendos et consolandos; quare postquam discipuli et relatione mulierum et Petri aliorumque duorum narratione satis sunt praeparati, non tardat cunctis se manifestare iisque fidem suae resurrectionis, fundamentum inconcussum ac firmissimum totius religionis christianae (cf. 1 Cor. 15,14 seq.), indere indubitatam; v. 36 *dum autem haec loquuntur, stetit Iesus in medio eorum;* cf. Ioan. 20,19; *stetit* i. e. subito et inopinato visus est non advenire sed stare, quasi non aliunde advenisset, sed antea praesens modo invisibili derepente se visibilem exhiberet; nullum advenientis vestigium adverti potuit; medius inter suos ingressus ianuis clausis adstat; ad eum igitur modum praesens factus est quo solent apparere angeli, declarans se ad spiritualem et coelestem vitam resurrexisse (*Luc.*) nobisque dotes manifestans corporis gloriosi; *et dixit eis : pax vobis*, consueta utitur salutationis formula cf. 10,5, quae tamen ea in conditione longe sublimiorem prae se fert significationem; nam postquam sub mortem pacem eis dederat et reliquerat (Ioan. 14,27), rediens a morte pacem eis precatur princeps pacis (Is. 9,6), pacem illam quam solus Messias dare potest et quam tamquam summam bonorum messianorum prophetae annuntiaverant; pacem precatur, ut moestos ac timidos erigat; « non adsum ut poenas a vobis exigam, sed fausta et prospera vobis affero, ut quos mors mea turba-

verat, resurrectio laetificet, ut consoler, confortem, instruam vos veni » (*Luc.*); *ego sum, nolite timere;* cf. Matth. 14,27. Ioan. 6,20; quae tamen verba, uti in codd pler gr desunt, ita quoque ex v. 37 non commendari videntur.

Verum subitanea hac apparitione nihilominus obstupefacti sunt et perterriti v. 37 *conturbati vero* θρηθέντες; pler πτοηθέντες perterrefacti *et conterriti existimabant se spiritum videre,* vel quasi spectrum quoddam. Timor iste natus est, ut *Luc.* ait, ex eo quod nullo ingressu patente prius constiterit in medio eorum subito atque improviso, quam aut adventum illius ullo sensu percepissent aut vestigium ullum qua ingressus esset vidissent, non apertas fores, non strepitum adventantis, non umbram saltem appropinquantis. Inde spectaculi novitas sensum eis excussit, ita ut suis oculis credere non auderent, sed contra imaginarentur spiritum apparere, eo quod spiritus esset non corporis clausa penetrare. En, quamvis iam haberent testimonia tria, mulierum, Petri, duorum discipulorum, tamen Iesum sibi adstare redivivum nondum sibi persuadent! v. 38 *et dixit eis : quid turbati estis et* (*quid, cur*) *cogitationes ascendunt in corda vestra?* i. e. quid varias volvitis apud vos cogitationes? scil. de spiritu apparente vel spectro. Uti S. Hieronymus refert, legebatur in evangelio Nazaraeorum, discipulos putasse daemonium incorporale apparuisse (praef. in lib. 18 Isaiae; *M.* 24,628). Iesus statim se exhibet cognitorem cogitationum (*S. Cyr. Theoph.*); v. 39 *videte manus meas et pedes, quia ego ipse sum;* videte manus et pedes, servant enim vestigia clavorum; et si visus non sufficit : *palpate* contrectate manus, pedes, corpus meum *et videte,* intelligite demum non spiritum vel spectrum coram vobis adstare, *quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere,* ὅτι i. e. nam spiritus, cum corpus non habeat, palpari non potest (*Mald.*); v. 40 *et cum hoc dixisset ostendit eis manus et pedes;* Iesus discipulos ut se cognoscant esse eundem ipsum Iesum in corpore resuscitato, manus et pedes inspicere iubet; unde evidens est in iis cerni indicia crucifixionis i. e. foramina seu vulnera clavorum. Cur enim manus et pedes exhiberet, nisi ob eam causam? Alioquin enim facie homo agnoscitur. Ceterum res clarissime exprimitur Ioan. 20, 25 seq.

Cur autem Iesus in corpore glorioso signa mortis retinere voluerit, has rationes afferunt *Beda* aliique : primo ut per haec discipulis fidem suae resurrectionis adstrueret; dein ut Patri pro nobis supplicans quale genus mortis pro mortalium vita pertulerit semper ostendat; tertio, ut redemptis semper innovet quam misericorditer sint adiuti; postremo ut perfidis denuntiet quam iuste damnentur (cf. *S. Bon. Alb.*). Et praeclare *S. Ambr. :*

« in quo non solum fidem firmat, sed etiam devotionem acuit, quod vulnera suscepta pro nobis coelo inferre maluit, abolere noluit, ut Deo Patri nostrae pretia libertatis ostenderet; talem sibi Pater ad dexteram locat, tropaea nostrae salutis amplectens ». Vult itaque Christus in perpetuum victoriae suae circumferre triumphum, ut ait *S. Thomas* 3 p. qu. 54 art. 4; pertinent enim vulnera haec ad maiorem cumulum gloriae, in quantum sunt quaedam virtutis insignia et in illis locis vulnerum quidam specialis decor apparebit. Aliam quoque rationem affert *Suarez*, ut ad spem et fiduciam homines excitentur et ad gratias agendas pro ineffabili redemptionis beneficio, et ut sectatores eius in illum intuentes sua non sentiant vulnera et exemplo capitis sui animum erigant et ad similia mala pro Christo toleranda fiant fortiores (in 3 p. qu. 54 disp. 47 s. 2 n. 8-12).

Bene affert *Alb.* illa S. Gregorii magni verba : quod discipuli tarde crediderunt, non tam illorum infirmitas quam nostra, ut ita dicam, futura firmitas fuit; v. 41 *adhuc autem illis non credentibus et mirantibus prae gaudio,* explica cum graeco et d f r : non credentibus illis prae gaudio et mirantibus; « causa incredulitatis erat gaudii et rei magnitudo, ne videlicet rem tantam credendo, gaudio postea amisso miseriores fierent; nam ut Augustinus in Ps. 147 optime dicit : quae multum laeta sunt vix creduntur » (*Ipr.*). Nam experientia constat nos quod maxime optamus verum esse timere certo credere (*Luc.*), cuius rei exempla *Mald.* affert Gen. 45,26 et Act. 12,9 et *Wetstein* illud ex Livio (39,49) recitat : vix sibimet ipsi prae nec opinato gaudio credentes. Spectaculi autem novitate, alloquio Iesu, ostensione vulnerum in admirationem rapiebantur et uti fit in re plane extraordinaria, sensibus vix credere et fidere audent; unde aliud iis argumentum praebet; *dixit : habetis hic aliquid quod manducetur?* v. 42 *at illi obtulerunt ei partem piscis*[1] *assi et favum mellis,* et ex favo apiario i. e. partem favi apiarii ἀπὸ μελλισίου κηρίου; v. 43 *et cum manducasset coram eis sumens reliquias dedit eis,* graece communiter (vide lect. var.) sicut a f : et accipiens coram ipsis manducavit; cf. Act. 10,40. 41 hunc Deus dedit manifestum fieri.., nobis qui manducavimus et bibimus cum illo postquam resurrexit a mortuis. Notat *S. Aug.* : « certe fides christiana de ipso Salvatore non dubitat quod etiam post resurrectionem, iam quidem in spirituali carne sed tamen vera, cibum ac potum cum discipulis sumpsit; non enim potestas sed egestas edendi ac bibendi talibus corporibus auferetur » (Civ. D. 13, 22; *M.* 41,395).

1. Bene notat *Fil.* : « le premier de ces mets ne nous oblige pas, quoi que dise M. Renan, à transporter la scène sur les bords du lac de Tibériade, car il est certain d'après le Talmud qu'il y avait de grands arrivages de poisson à Jérusalem au temps des fêtes ».

Notat *Mald.* : « argumentabitur fortasse subtilis aliquis dialecticus non bene probasse Christum verum se habere corpus » et *S. Thomas* eandem sibi facit obiectionem : nihil enim ostendit Christus discipulis post resurrectionem quod etiam angeli hominibus apparentes vel non ostenderint vel ostendere non potuerint; nam angeli se ostendebant in humana effigie, loquebantur et comedebant ac si essent veri homines (cf. quae narrantur de Abraham, Lot, Tobia). Respondet S. Thomas : licet singula argumentorum non sufficerent ad manifestandam perfecte Christi resurrectionem, tamen omnia simul accepta perfecte Christi resurrectionem manifestant, maxime propter Scripturae testimonium et angelorum dicta et etiam ipsius Christi assertionem miraculis confirmatam. Angeli autem apparentes non asserebant se esse homines, sicut asseruit Christus vere se hominem esse (3 p. qu. 55, art. 6). Ad quem locum adnotat *Suarez* : « addo insuper, si omnia illa signa recte perpendantur per se sumpta et absque alio testimonio vel auctoritate, fuisse evidentia indicia hominis vere viventis, ita ut fere tam evidens fuerit apostolis Christum post resurrectionem vivere, sicut fuit evidens post passionem esse mortuum, quia tam manifesta signa vitae illis praebuit, sicut prius mortis praebuerat ».

Si narrationes evangelicae, dubia et haesitatio discipulorum solum obiter considerantur, tamen statim deprehenditur quam insigni levitate scribat *Renan* : « dans quelles conditions l'enthousiasme, toujours crédule, fit-il éclore l'ensemble de récits par lequel on établit la foi en la résurrection? C'est ce que nous ignorerons à jamais. Disons cependant que la forte imagination de Marie de Magdala joua dans cette circonstance un rôle capital. Pouvoir divin de l'amour! moments sacrés où la passion d'une hallucinée donne au monde un Dieu ressuscité » !

Ex modo narrandi neutiquam sequitur ea quae evangelista subdit v. 44 eodem die esse a Christo dicta. Rem nunc breviter absolvit, cum in altera operis sui parte scil. in Act. sibi proposuerit de Iesu cum apostolis per quadraginta dies frequenti commercio et de eius in coelum ascensione accuratius scribere. Neque obstat quod pergit evangelista εἶπεν δέ; nam particula δὲ nullo pacto indicatur semper series quaedam eventuum continua vel non interrupta; ea enim Lucas etiam utitur si ad eventum alium, longiore temporis spatio a priore separatum transit, sicuti ex narrationum evangelicarum comparatione et harmonia patet 6,1. 12; 9,46. 51; 13,23; 18,15 etc. Quare perperam contendit *Weiss* formula εἶπεν δέ significari id statim sine ulteriore mora esse dictum, id quod merito negant *Schanz*, *Keil* allegantes 16,1; 17, 1; 18,1; 20,41; v. 44 *et dixit ad eos : haec sunt verba quae locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum,* scil. in corpore mortali continuo vobiscum versans; nam post resurrectionem iam non erat cum eis eodem modo, sed apparitione facta ab eis discedebat alio tempore iterum venturus et pariter discessurus; quandoque arctius id explicant: cum communis mihi et vobis esset vita mortalis; quali scil. communione nunc non erat cum eis, quoniam ipse ad vitam transierat immortalem et impassibilem (cf. *Bed. Cai. Luc. Ipr.* et similiter *S. Greg.* hom. 24 in evang.), *quoniam necesse est impleri omnia quae scripta*

sunt in lege Moysi et prophetis et psalmis de me, ὅτι δεῖ allegantur scil. breviter quae locutus sit Iesus cum esset cum eis; quare *haec verba* referri oportet non ad antecedentia (hae sunt res, quas nunc videtis impletas, *Luc. Ipr.*), sed ad sequentia (*Ians. Mald. Schegg, Schanz*); iis scil. in memoriam revocat quod iam antea, ante passionem, iis praedixerit de sua passione et resurrectione eosque edocuerit oracula prophetarum esse implenda; cf. 18,31; 22,37. Matth. 26,31. Marc. 14,27. Ioan. 3,14; 5,46; 13,18; 15,25; 17,12. Libri sacri Hebraeorum in tres classes iam saeculo secundo ante Christum distributi erant, uti patet ex prologo Eccli.: ipsa lex et prophetae ceteraque aliorum librorum, quam distributionem hic Iesus quoque innuit; sed tertio loco psalmos commemorat, in quibus scil. oracula messiana haud pauca habentur. Uti elucet ex Ioan. 13,18 et 15,25 et 17,12, Iesus saepius ex psalmis de sua sorte futura eos edocuit (Ps. 40,10 et 68,5 et 108,8; cf. Act. 1,20). Ex paucis hisce quae in evangeliis commemorantur omnino colligendum est Iesum frequenter discipulos ad oracula messiana remisisse. Tertiam sacrorum librorum partem *Iosephus* quoque *hymnos* continere dicit (c. Ap. 1,8; vide de partitione *Cornely*, Introd. I edit. alt. p. 30 seq.).

Sed quod antea non intellexerant (18,34), nunc impletione facta et monitione Iesu et gratia adiuti perspiciunt v. 45 *tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas;* proin quae in evangeliis et epistolis legimus explicata ex veteris foederis libris, huic explicationi Iesu merito accepta referenda erunt; v. 46 *et dixit eis: quoniam sic scriptum est* (*et sic oportebat*) *Christum pati et resurgere a mortuis tertia die;* cum illud *et sic oportebat* non referri possit ad v. 47, debebit per modum parenthesis intelligi appositum ad prius solum membrum; de passione vide oracula Is. 50,6. 7; 53,2-12. Zach. 12,10. Ps. 21,2 seq.; de resurrectione Is. 53,11. Ps. 15,10; praeterea typum agni paschalis, serpentis erecti in deserto, Ionae etc.; praeterea propheticis oraculis etiam annuntiatur debere v. 47 *et praedicari in nomine eius poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes* ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ scil. poenitentiam in remissionem (vel et remissionem) peccatorum concedi propter nomen Messiae, vi nominis eius quod cum fide invocetur; ille enim passione sua nobis meruit hanc sanationem vulnerum; vide Is. 53,4. 5. 6. 10. 11. Ier. 31,34. Ceterum huc spectant omnia vaticinia quibus messiano tempore sanctitatem fore annuntiatur, quae frequentissima sunt. Pariter bona messiana omnibus destinari gentibus sollemne est apud prophetas et iam primis vaticiniis expressum; cf. Gen. 3,15; 9,27; 12,3; 49,10. Ps. 21,28; 71,9-11. Is. 11,10; 42,6; 49, 6; 60,3 seq. etc. etc.; *incipientibus ab Ierosolyma* ἀρξάμενοι ponitur per

anacoluthon, nisi malueris coniungere cum seq. v. 48 ὑμεῖς μάρτυρες τούτων; alii testes praebent ἀρξάμενον incipiendo ab Ierosolyma; inde enim aquae egrediuntur salutiferae (Ez. 47, 1 seq.) et cum in Sion et Ierusalem centrum regni Dei in vetere testamento fuerit constitutum aequum est, ut ex ea urbe nuntius messianus in omnes terras propagetur; idem colligi potest ex Ps. 2,6; 109,2. Is. 2,2. 3; 60,1 seq. Mich. 4,1 etc.; v. 48 *vos autem testes estis horum,* passionis scil. et resurrectionis, operis messiani, impletionis vaticiniorum. Atque ut tales qui earum rerum testimonium omnibus exhibent, debent exire in omnem terram. Ad quod munus obeundum Iesus illis mittet, uti promisit (Ioan. 14,16. 17-56; 15,26), Spiritum sanctum v. 49 *et ego mitto promissum Patris mei in vos* scil. id quod Deus per prophetas promisit de effusione spiritus; vide Is. 44,3. Ez. 11,19; 36,26. 27; 39,29. Ioel 2,28; quod Pater promisit, mittit Filius, « significat se Patri aequalem, dum in se recipit munus praestandi id quod promiserat Pater » (*Luc.*). Revocat igitur iis in memoriam quod dixerat antea; cf. Ioan. 14,16 seq. 16,7. Eius autem adventum in urbe exspectare iubentur : *vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto;* simul significat quid Spiritus sanctus in eis operaturus et effecturus sit : instruentur et toti perfundentur robore ac fortitudine coelesti, ut intrepide et cum magna potestate testimonium reddant de Christo omni pristina infirmitate et timiditate (quam in passione exhibuerant et postea ostendebant ianuis ob metum Iudaeorum clausis, Ioan. 20,19) penitus ablata. Metaphora induendi et apud profanos et sacros auctores est usitata; cf. 1 Par. 12,18; 2 Par. 24,20. Iob 8,22; 29,14. Ps. 34,26; 92,1 etc.; locos profanorum vide apud *Wetstein.* Hac itaque fortitudine in modum armaturae induentur ac munientur (*Theoph. Euth.*); hic est ille baptismus quo Spiritu sancto baptizabuntur (Act. 1,5; *Beda*).

Atque haec ultima fere fuisse verba quae Christus hisce in terris suis apostolis dixit, docemur Act. 1,5; unde adnectitur v. 50 *eduxit autem eos foras in Bethaniam* ἕως πρὸς Βηθ. usque Bethaniam versus, non usque in ipsum pagum, sed usque eo ubi in monte oliveti via Bethaniam versus deflectitur (cf. Act. 1,12), *et elevatis manibus suis benedixit eis,* Lev. 9,22 et extendens manus ad populum benedixit ei. Iesus discipulis bene precatus est; « fecit ut pater qui moriens aut longe non rediturus abiens filiis benedicit; quod autem levavit manus, orantis signum fuit et benedictionem quam discipulis dabat a Patre postulantis » (*Mald.*); v. 51 *et factum est dum benediceret illis, recessit ab eis et ferebatur in coelum;* maxima itaque amoris significatione, dum iis optima quaeque apprecatur et divina sua benedictione

pignus et arrham bonorum divinorum largitur, ab iis recedens in coelum fertur. Etsi verba illa *et ferebatur in coelum* hic non legerentur, tamen διέστη ἀπ' αὐτῶν de ascensione in coelum deberet explicari. Ita enim recedere ab eis hoc loco dicitur, ut iam ulterius non cum ipsis in terris versetur; eo autem modo recessisse ascensione in coelum manifestum est ex clara doctrina sacrorum librorum et idem Lucas id quam clarissime refert Act. 1,9; cf. Marc. 16,19. Act. 3,21. Eph. 4,10. Hebr. 6,20; 7,26; 9,12. 1 Tim. 3,16; quae ascensio supponitur, cum Christus dicatur sedere a dextris Dei Col. 3,1. Hebr. 1,3; 8,1; 10,12; 12,2. 1 Petr. 3,22; v. 52 *et ipsi adorantes* προσκυνήσαντες αὐτόν, cum adorassent eum; « non legimus nisi hoc loco Christum a suis discipulis adoratum » (*Mald. Calm.*), *regressi sunt in Ierusalem cum gaudio magno;* « gaudia magna referunt quia Deum ac Dominum suum post triumphum resurrectionis etiam coelos penetrasse laetantur » (*Beda*). Dono isto gaudii et consolationis Iesus discedens in gloria animos eorum implevit, ut quantum liceret pro conditione eorum eos redderet participes suae consolationis et beatitatis. Ceterum nos quoque orare docemur : gratias tibi agimus propter magnam gloriam tuam.

Ut praeceptum Christi impleant (v. 49) vacant illis diebus usque ad pentecosten divinae laudi et orationi (Act. 1,14), ut sic idonei magis reddantur ad accipiendum Spiritum sanctum v. 53 *et erant semper* i. e. assidue, quotidie horis congruis et ad orationem destinatis; quod quis studiose et frequenter facit, id semper facere dicitur communi loquendi modo, *in templo laudantes et benedicentes Deum;* « haec porro alacritas timori opponitur qui prius clausos et latentes domi detinuerat » (*Luc.*). Notat *Beda* evangelistam qui evangelium suum a ministerio templi per sacerdotium Zachariae coepit, pulcherrime hoc in templi devotione complere, cum apostolos inibi, ministros videlicet novi sacerdotii futuros, non in victimarum sanguine, sed in laude Dei et benedictione concluserit. Quare congruit nobis quoque, ut cum *S. Cyr.* in Dei laudem desinat explicatio : « glorificemus itaque eundem qui propter nos est humanatus Deus Verbum, qui sponte carne passus est, resurrexit a mortuis et corruptionem exterminavit, qui assumptus est et postea reversurus cum gloria multa ad iudicandos vivos ac mortuos et unicuique secundum opera sua retribuendum; per quem et cum quo Patri et Deo gloria ac potentia cum Spiritu in saecula saeculorum. Amen ».

De modo narrandi summatim vel connectendi eventus inter se separatos bene monet *Hesychius,* presbyter hierosolymitanus : « si Lucas ait : eduxit eos usque ad Bethaniam, et assumptus est, non plane per ea tradit nobis statim eum fuisse assumptum (i. e. iam primo resurrectionis die). Mos enim est scriptoribus de brevitate

sollicitis historiam historiis connecterc. Quemadmodum Matthaeus nondum fere imposito fine narrationi de reversione Domini ex Aegypto et habitatione in Galilaea descripsit Ioannis in Iordanem adventum ipsiusque praedicationem quae post triginta fere annos suscepta est. Sed et multa similia qui volent collegerint ad fidem faciendam evangelicae concordiae, ut omittamus quod in Actibus apostolorum repetens narrationem de ascensu quadragesimo die contigisse cum retulit » (Collectio difficult. et solut. n. 59; *M.* 93, 1446). Quod itaque Lucas hic per compendium narrat, statim in altero sermone de Actibus explicite refert adeoque ipse satis providit ne falso intelligatur. Nihilominus non desunt ex criticis qui haec clara indicia negligentes contendant, omnia quae v. 44-53 narrantur eadem vespera primi diei resurrectionis evenisse. Proin etiam mirum illud debent assumere Iesum multa iam nocte discipulos eduxisse versus Bethaniam et noctu ascendisse in coelum (cf. Strauss, Ewald, Bleek, Holtzmann, de quibus vide *Keil*). Quod plane incredibile est *Meyer* quoque statuere non est veritus. Censet quippe Lucam secutum esse duplicem traditionem; priorem in evangelio i. e. Iesum ipso die resurrectionis in coelum ascendisse; alteram quam postea cognoverit in Actibus i. e. ascendisse demum post 40 dies. Num Lucas qui sedulo cuncta investigavit non explorare potuit ascenderitne Christus primo die an diutius cum discipulis versatus sit? quomodo scribens evangelium in eo potuisset esse errore socius apostoli Pauli qui refert Christum visum esse a plus quam quingentis fratribus simul, « ex quibus multi manent usque adhuc » (1 Cor. 15, 6)?

A. M. D. G.

LIBRARY FRANCISCAN MONASTERY
3140 Meramec Street,
ST. LOUIS, MO.

INDEX

PROLEGOMENA 1

I. — De ipso Luca 1
II. — Lucam scripsisse evangelium 6
III. — Quo consilio Lucas scripserit 14
IV. — Quo ordine liber sit compositus 19
V. — De subsidiis interpretationis 26

Prooemium 1,1-4 30

PRIMA PARS 1,5-4,13 39

1. — *Historia infantiae* 1,5-2,52 39
a) Annuntiatio nativitatis praecursoris 1,5-25 39
b) Annuntiato nativitatis Iesu 1,26-38 57
c) Beata Virgo visitat Elisabeth 1,39-56 74
d) Gaudium de ortu praecursoris 1,57-66 89
e) Canticum Zachariae 1,67-80 94
f) Iesus nascitur 2,1-7 102
g) Pastores veniunt ad Iesum natum 2,8-20 118
h) Puer Iesus factus sub lege 2,21-40 126
i) Iesus duodennis in templo 2,41-52 141

2. — *Proxima ad ministerium Christi praeparatio* 3,1-4,13 150
a) Praedicatio praecursoris 3,1-20 150
b) Iesus baptizatur, texitur stemma 3,21-38 164
c) Iesus tentatur a diabolo 4,1-13 175

ALTERA PARS 4,14-9,50 182

1. — *Primum tempus ministerii in Galilaea* 4,13-6,11 182
a) Iesu in Nazareth praedicatio 4,14-30 182
b) Iesus in Capharnaum 4,31-44 192
c) Miraculosa piscatio 5,1-11 198
d) Sanatio leprosi et paralytici 5,12-26 204
e) Vocatio Matthaei 5,27-39 211
f) Cavillationes pharisaeorum 6,1-11 219

2. — *Secundum tempus ministerii in Galilaea* 6,12-8,56 224
a) Electio apostolorum 6,12-16 224
b) Sermo ad discipulos et turbas 6,17-49 227
c) Iesus sanat servum centurionis 7,1-10 245

d) Suscitatur iuvenis in Naim 7,11-17 249
e) Mittit Ioannes discipulos ad Iesum 7,18-35 254
f) Peccatrix ungit pedes Iesu 7,36-50 262
g) Parabola de seminante 8,1-18 271
h) Iesus visitatur a cognatis; sedat tempestatem 8,19-25 279
i) Iesus in regione Gerasenorum 8,26-39 284
k) Iesus suscitat filiam Iairi 8,40-56 289

3. — *Tertium tempus ministerii in Galilaea* 9,1-50. 296
a) Apostoli mittuntur ad praedicandum 9,1-9. 296
b) Saturantur quinque millia quinque panibus 9,10-17 300
c) Petrus confitetur Christum qui passionem praedicit 9,18-27. . 304
d) De transfiguratione 9,28-36 312
e) Sanatur lunaticus; docetur de passione et humilitate 9,37-50. 316

TERTIA PARS 9,51-19,27. 324

1. — *Ex primo itinere* 9,51-11,54 324
a) Quibus sensibus discipuli Christi imbui debeant 9,51-62 . . . 324
b) Mittuntur ad praedicandum discipuli 10, 1-24. 330
c) De amore Dei et proximi 10,25-37 341
d) Iesus in Bethania 10,38-42 347
e) Iesus docet de oratione 11,1-13 352
f) Pharisaei revincuntur 11,14-28 358
g) Respondetur petentibus signum 11,29-36. 364
h) Increpantur pharisaei 11,37-54 368

2. — *Ex altero itinere* 12,1-13,22 377
a) Monentur discipuli ut sincere et intrepide agant 12,1-12 . . . 377
b) Cavendum esse ab avaritia et sollicitudine 12,13-34 383
c) Semper esse vigilandum 12,35-53 391
d) Signis temporis omnes vocari ad poenitentiam 12,54-59 . . . 402
e) Sine poenitentia ruinam non posse averti 13,1-9 406
f) Mulier infirma sanatur 13,10-22 411

3. — *Res gestae post encaenia* 13,23-17,10 417
a) Intrandum esse per angustam portam 13,23-35. 417
b) Iesus docet pharisaeos 14,1-14. 424
c) Parabola de invitatis ad coenam 14,15-24 430
d) De abnegatione sui 14,25-35 436
e) Gaudium coeli de conversione peccatorum 15,1-10 440
f) Parabola de filio prodigo 15,11-32 445
g) Parabola de villico 16,1-13. 457
h) De divite et Lazaro 16,14-31. 465
i) De scandalo et humilitate 17,1-10 478

4. — *Ex tertio itinere* 17,11-19,27 484
a) De decem leprosis 17,11-19. 484
b) De adventu regni et die Filii hominis 17,20-37 486
c) Orationem esse efficacem 18,1-8. 494
d) De humilitate 18,9-17 498
e) De paupertate 18,18-30. 505

f) In via Iericho versus 18,31-43 509
g) De Zachaeo 19,1-10 513
h) Parabola de decem minis 19,11-27 518

QUARTA PARS 19,28-24,53 527

1. — *A die prima hebdomadis ad feriam quintam* 19,28-22,38. . . . 527
a) Sollemnis in urbem ingressus 19,28-48 527
b) Disceptatio cum synedristis 20,1-19 534
c) De censu quaeritur 20,20-26 540
d) De resurrectione mortuorum 20,27-40. 542
e) Ultima in templo verba 20,41-21,4 547
f) Praedicuntur tribulationes 21,5-19 552
g) De ruina urbis et altero Christi adventu 21,20-38 558
h) Coena paschalis 22,1-23 565
i) Ex sermonibus ea vespera habitis 22,24-38 577

2. — *Enarratur passio* 22,39-23,56 588
a) Iesus in horto 22,39-53 588
b) Triplex Petri negatio 22,54-62. 595
c) Iesus male habitus a ministris et synedrio 22,63-71 599
d) Iesus coram Pilato et Herode 23,1-25 603
e) Iesus crucifigitur et moritur 23,26-49 611
f) Iesus sepelitur 23,50-56 623

3. — *Iesus redivivus in gloria* 24,1-53. 626
a) Mulieres ad sepulcrum 24,1-12 626
b) Duo discipuli in Emmaus 24,13-35 630
c) Iesus se manifestat discipulis 24,36-53. 642

31035

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BS475.C6C8 C001 V037
CURSUS SCRIPTURAE SACRAE PARISIIS

3 0311 00015 8035

BS
475 31085
.C6C8 Cornely, Rudolph, 1830-1908
AUTHOR
V.37 CURSUS SCRIPTURAE SACRA.E
TITLE

DATE DUE	BORROWER'S NAME

220.6 C977c v.32
5118

STUDENTS
LIBRARY

BEFORE TAKING BOOK

from library, remove slip from this pocket; put your name and date on it and place it in the box provided for the same.

WHEN RETURNING BOOK

return the slip to the pocket and replace the book in its proper place.

A BOOK IS NO GOOD UNLESS YOU CAN FIND IT WHEN YOU NEED IT.

Your cooperation in keeping an orderly library will enable you to get the best service possible from your library.

3 0311 00015 8035